BIBLIOTECA NAZ
Vittorio Emanuele III
XLVIII
F II
32
NAPOLI

9a
S
19

Digitized by Google

ACTA CANONIZATIONIS SANCTORUM

JOHANNIS CANTII, JOSEPHI CALASANCTII a Matre Dei, JOSEPHI a CUPERTINO, HIERONYMI ÆMILIANI, SERAPHINI ab ASCULO, & JOHANNÆ FRANCISCÆ FREMIOT de CHANTAL

UNA CUM APOSTOLICIS LITTERIS FELICIS RECORDATIONIS

CLEMENTIS PP. XIII.

COLLECTA, AC NOTATIONIBUS ILLUSTRATA

A JOSEPHO ANDREA MARIOTTI FIDEI SUB-PROMOTORE

QUIBUS ACCEDUNT

ACTA BEATIFICATIONIS SERVORUM DEI

GREGORII BARBADICI, SIMONIS de ROXAS, & BERNARDI a CORLEONE

OPUS POSTHUMUM.



ROMÆ MDCCLXIX.

EX TYPOGRAPHIA PAULI JUNCHI HÆREDIS BIZZARRINI KOMAREK, AC PROVISORIS LIBRORUM SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ IN BIBLIOTHECA VATICANA.

SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

SANCTISSIMO IN CHRISTO PATRI

AC DOMINO NOSTRO

CLEMENTI XIV.

PONTIFICI MAXIMO

CAROLUS MARIOTTI

F. P.

ACTA in cauſis Servorum Dei, quos Prædeceſſor tuus felicis recordationis CLEMENTIS XIII. ſolemni ritu ſupremis Eccleſiæ Faſtis adjunxit, in unum

Digitized by Google

diligenter collecta, variiſque illuſtrata adnotationibus jam Typis ſubjecerat Joſephus Andreas Frater meus atque in publicam lucem e prælo jamdiu emerſiſſent, niſi gravibus ille, ac diuturnis morbis tentatus fato denique ſuo cedere debuiſſet. Peracerba ejus jactura vehementer perculſus, dum privato ac domeſtico verſarer in luctu, novum acceſſit atque illud publicum triſtitiæ & mœroris argumentum ab inexpectata laudati Pontificis morte, qui ſuſceptum a Fratre meo laborem probaverat, & ſuo nomine vulgandum, decorandumque permiſerat. Sed altiſſimo, ac provido divini Numinis conſilio factum eſt ut in Apoſtolicam Sedem repentino Sancti Spiritus afflatu, mirabili Patrum conſenſione, ac prope incredibili non Urbis modo, ſed Catholici Orbis univerſi exultatione & plauſu ſuffecta & aſſumpta Sanctitas Vestra denati Pontificis meritis, nomini, dignitatique ſuccederet. Quapropter oblatum illi, deſtinatumque Opus qualicumque induſtria, ac ſumptibus meis abſolutum, atque in lucem eductum jure quodam, ac ſponte veluti ſua ad te pertinere

nemo

nemo erit unus qui ambigat, cum ea contineat quæ a Summi Sacerdotis auctoritate vim omnem ac robur accipiunt, ejuſque ſupremam a Deo acceptam in his cauſis finiendis poteſtatem declarant, atque confirmant. Itaque quod tuum eſt, obſequio quo decet maximo ad te defero, & ſanctiſſimis pedibus humiliter ſiſto ſpe maxima fretus non ingratum tibi futurum, quod etſi tenue ac leve offerentis merito, argumenti tamen amplitudine, ac dignitate ſe tibi ſatis commendat. Præſertim vero cum ea his Actis comprehendantur quæ ad Josephi a Cupertino admirabilis, & ſanctiſſimi Viri ex ipſa tua Minorum Conventualium Familia res geſtas, virtutes, miracula, delatoſque illi Canonizationis honores pertinent, quo nihil Ordini tuo glorioſius, nihil tibi jucundius afferri poſſe crediderim. Ejuſdem porro meritis, effuſiſque ad Deum votis, ac precibus factum præcipue arbitror ut in hac maxima perturbatorum temporum difficultate is Chriſtianæ Reipublicæ ſit datus Paſtor, ac Rector, qui celebriorum, & maxime

xime ex Seraphico ipſo tuo Inſtituto illuſtrium Pontificum ſanctitatem, doctrinam, vigilantiam, zelum, præclara denique geſta Famam, & gloriam æmularetur ac prorſus referret. Nec præconceptam ab omnibus ſpem fallet Sanctitas Vestra, cum ad res ſummas & arduas capeſſendas, nec mentis acies atque amplitudo, nec ad pertractandas ſollertia, & induſtria, nec ad perficiendas conſtantia deſit, ac vigor. His vero naturæ, virtutumque præſidiis & conciliatos Principum animos, & redintegratam eos inter & Sacerdotium concordiam, & reformatos videbimus Chriſtiani populi mores, & priſtinam Eccleſiæ faciem reſtitutam. Id unum deſiderandum manet, quod continenter a Deo precabimur, ut Tibi in publica Chriſtianæ Reipublicæ commoda atque incrementa vigilanti, ac præclara jam multa meditanti atque molienti longa tempora incolumitatis plena decurrant, ut te Principe, te Patre, ac Paſtore reddita Eccleſiæ Pax & tranquillitas nulla deinceps adverſitate turbetur. Reliquum ſit, ut qua nemi-

ni

ni ad te accedenti intercluſus eſt aditus benignitate & clementia, me pedibus tuis advolutum paterna excipias charitate tuoque foveas patrocinio, cujus auſpicium & pignus Apoſtolicam demiſſe petenti Benedictionem benigne impertiaris.

IMPRI-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

Dom. Jord. Patriarcha Antioch. Viceſgerens.

ADPROBATIONES.

ACTA Canonizationis Sanctorum JOANNIS CANTII, JOSEPHI CALASANCTII, JOSEPHI A CUPERTINO, HIERONYMI ÆMILIANI, SERAPHINI A MONTE GRANARIO NUNCUPATI AB ASCULO, ET JOANNÆ FRANCISCÆ FREMIOT DE CHANTAL ſummâ diligentiâ collecta, & eruditis notis illuſtrata lubenti animo legi, nec quidpiam offendi, quod orthodoxæ fidei, bonis moribus, aut ſacris Eccleſiæ ritibus adverſetur; Quare in lucem edi, ac publici juris fieri poſſe cenſeo, ſi videbitur Reverendiſſimo Patri Fr. Thomæ Ricchinio Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro, quo jubente, librum ſedula inveſtigatione pervolvi, & hæc in veritatis teſtimonium ſubſcripſi XII. Kalendas Sextiles *1769*.

Lucas Antonius Verdiani Apoſt. Cærem. Magiſter.

ACTA Canonizationis Sanctorum JOANNIS CANTII, JOSEPHI CALASANCTII, JOSEPHI A CUPERTINO, HIERONYMI ÆMILIANI, SERAPHINI A MONTE GRANARIO NUNCUPATI AB ASCULO, ET JOANNÆ FRANCISCÆ FREMIOT DE CHANTAL in unum volumen collecta, & adnotationibus illuſtrata, quibus Appendicis loco accedit eorum relatio, quæ geſta ſunt in Cauſſis Servorum Dei GREGORII CARDINALIS BARBADICI, SIMONIS DE ROXAS, ET BERNARDI A CORLEONE, quibus, S. M. CLEMENTE XIII. Petri Solium tenente, Beatorum honores fuere decreti, jubente *Reverendiſſimo P. Auguſtino Ricchinio Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro* attento lubentique animo perlegi. Nihil autem dictum deprehendi, quod fidei, boniſquè moribus officiat, vel conſtantiſſimæ Apoſtolicæ Sedis diſciplinæ conſonum non ſit, aut ſacris ritibus, qui in Canonizationis, & Beatificationis ſolemniis ſervari ſolent, quoquo modo repugnet: imo maxime miratus ſum illius, qui id ſibi onus ſumpſit, diligentiam, & ſtudium in colligendis, illuſtrandis, apteque diſponendis monimentis omnibus, quibus in Relatione texenda uſus eſt. Quamobrem opus dignum exiſtimo, quod nitidis impreſſum formis publici juris fiat. Dabam Romæ XVI. Kalend. Auguſt. MDCCLXIX.

Aloyſius Gordellini J. U. D. & S. Fidei Sub-Promotor.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

ACTA



ACTA CANONIZATIONIS
SANCTORUM

JOANNIS CANTII, JOSEPHI CALASANCTII, JOSEPHI A CUPERTINO, HIERONYMI ÆMILIANI, SERAPHINI A MONTE GRANARIO NUNCUPATI AB ASCULO, ET JOANNÆ FRANCISCÆ FREMIOT DE CHANTAL.

ECCLESIA Catholica Æterni Regis electa, atque cariſſima Sponſa, quam univerſæ Filiæ beatiſſimam prædicant, & Reginæ laudare non ceſſant [1], pulchra, ſuavis, & decora, ſicut Jeruſalem [2], non autem ſicut illa carnalis, & terreſtris, quæ ſervit cum filiis ſuis [3], ſed veluti illa, quæ ſurſum eſt Jeruſalem, quæ libera eſt, & Mater noſtra [4], cujus filii cives Sanctorum ſunt, & domeſtici Dei [5] ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, Eccleſia, inquam, iſta inter cætera ſpiritualium donorum chariſmata, quibus tamquam aureis monilibus, & pretioſis margaritis condecoratur, utque ab Hæreticorum conventibus, & ab Eccleſia malignantium [6] diſcriminetur, illud habet præcipuum ornamentum, quod corona aurea expreſſa ſigno Sanctitatis, & gloria honoris [7] ſit redimita. Quæ Sanctitas adeo clara, evidens, & manifeſta in quamplurimis ejus membris, etiam dum vitiorum colluvies univerſum pene Terrarum Orbem obruere videbatur, apparuit, noſtriſque etiam temporibus adeo mirifice elucet, ut os loquentium iniqua penitus obſtruatur [8]. Verum, quia contingere quandoque ſolet, ut Pſeudoapoſtoli, & Operarii ſubdoli transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti, & Angeli Sathanæ in Angelos lucis [9] ſeſe transformantes, ab imperito, & inſano vulgu, veluti veritatis, & ſanctitatis magiſtri plauſu, ac venerationе excipiantur; hinc optimo providoque conſilio ſancitum fuit per Romanam Eccleſiam, omnium certo certius [10] Caput a

A Do-

---

1 *Cantic.* 6. 8. 2 *Cap. eod.* 3.
3 *Ad Galatas* 4. 25. 4 *Cap. eod.* 26.
5 *Ad Epheſ.* 4. 1. 20. 6 *Pſal.* 25. 5.
7 *Eccleſiaſtic.* 45. 14. 8 *Pſal.* 62. 12.
9 *Ep.* 2. *ad Corinth.* 11. 13. 14.
10 *Cap.* 2. *Damnamus: de Summa Trinitate.*

Digitized by Google

Domino, & Magiſtram conſtitutam, ut nemini liceret aliquem, quantavis fama ſanctitatis celebrem, ac illuſtrem, utpote Sanctum, & Evangelicarum virtutum Heroem venerari, niſi ejuſdem Romanæ Eccleſiæ ſolemne accederet judicium [1], quod Canonizatio appellatur.

Qua ex re quid boni in Eccleſiam provenerit, quid ſplendoris, dignitatis, & ornamenti Canonizationibus accreverit, facile ex huc uſque peractis cogitatione colligi poteſt, at oratione explicari difficile admodum redditur: *nihil* enim ſanctius, nil auguſtius, nil prudentius fieri unquam, aut excogitari poteſt; tantum enim & ſtudii, & vigilantiæ per Romanos Pontifices in hujuſmodi Cauſſis tot tantiſque difficultatibus impeditis adhiberi ſolet; quod quantum ſit, niſi attente omnia, quæ in harum Cauſſarum ordine, ac ſerie geri ſolent, accurate perpendantur, haud facile pro comperto haberi poteſt. Quod ſtudium etſi ſummopere apparuit in Canonizationibus omnibus a ſuperioribus Pontificibus habitis, præ ceteris tamen eminet, ac reſplendet in Sollemni illa, quam SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER CLEMENS PP. XIII. pro ea, qua pollet in Deum pietate, in celeberrima Terrarum omnium Apoſtolorum Principis Vaticana Baſilica XVII. Kalendas Auguſti celebravit, Sanctorum albo adſcribens ſex Chriſtianæ Religionis Heroes, BEATOS ſcilicet JOANNEM CANTIUM, JOSEPHUM CALASANCTIUM, JOSEPHUM A CUPERTINO, HIERONYMUM AEMILIANUM, SERAPHINUM A MONTEGRANARIO nuncupatum AB ASCULO, ET JOANNAM FRANCISCAM FREMIOT DE CHANTAL; cujus rei, ut poſterorum memoriæ certum, indubiumque remaneat monumentum, dabo operam, ut a principio quemadmodum res geſta ſit cuilibet innoteſcat.

In ipſo orationis limine ſtatim offendimus Cauſſam B. JOANNIS CANTII Presbyteri, qui in celeberrima Cracovienſi Academia philoſophicas, theologicaſque ſcientias non ſine eruditionis, ac doctrinæ nomine auditores docuit, & chriſtianis adeo refulſit virtutibus, tantaque miraculorum gloria ab Altiſſimo extitit inſignitus, ut cum ad Superos evolavit, continuo ejus memoriam veneratione Cælicolis debita Cracovienſes Cives fuerint proſequuti. [2] Verum, cum inclytus Poloniæ Rex, Regnique Proceres omnes Beatum hunc Virum Sanctorum Faſtis per Sedem Apoſtolicam adſcribi exoptarent, Urbanum PP. VIII. ſedulo urgere cœperunt, ut Commiſſionem Introductionis Cauſſæ ſignaret, quorum vota, ad Sanctuarii lances re diligenter perpenſa, anno MDCXXIX. Pontifex benigne excepit. [3] Hinc remiſſoriales, quas vocant litteras, Cracovienſi Antiſtiti datæ fuere, ut in ejuſdem virtutes, ac miracula Apoſtolica auctoritate inquireret [4], ſed interea temporis nonnullis exortis difficultatibus, ad annum uſque MDCLXVI. Cauſſa ſtetit, quo anno Alexander PP. VII. Commiſſionem, ut ajunt, Reaſſumptionis firmavit [5], in Relatorem ejuſdem Cauſſæ elegit Cardinalem Volumnium Bandinelli [6], atque Reverendiſſimo Epiſcopo Cracovienſi dedit in mandatis, ut judicium ſuper Caſu, quem ab Urbani PP. VIII. decretis dicunt exceptum, inſtitueret [7].

Non ita multo poſt Cardinalis Bandinelli moritur, eique Angelus Celſus [8] ſufficitur [9], cui Petrus Vidonus [10] ſubrogatur, quo rem ſtrenue agente XII. Kalendas Auguſti MDCLXXVI. publicus Cultus, quem centum, & ultra annis ſupra ejuſdem Urbani PP.

1 *Cap. Audivimus: de Reliquiis, & veneratione Sanctorum*.

2 *Ex prim. Fact. concord.* §. 1.

3 *Ex eod. Fact. concord.* §. 2.

4 *Cit. Fact. concord.* §. 3.

5 *Cit. Fact. concord.* §. 4.

6 *Volumnius Bandinelli* Patria Senenſis, antea Patriarcha Conſtantinopolitanus, Cubiculo Pontificio Præfectus, ac Palatii Apoſtolici Œconomos, ab Alexandro PP. VII. Nonis Aprilis MDCLX. S. R. E. Cardinalis declaratus fuit, Tituloque Equitii donatus, SS. ſcilicet Martini, & Sylveſtri ad Montes; deceſſit Nonis Junii MDCLXVII.

7 *Cit. Fact. concord.* §. 5.

8 *Angelus Celſus* Romanus Diaconus Cardinalis S. Georgii ad Velum aureum XIX. Kalendas Februarias MDCLXIV. ab eodem Alexandro PP. VII. eligitur. Vir ſcientia, ac pietate celeberrimus; Referendarium enim utriuſque Signaturæ geſſit; Congregationis Boni Regiminis fuit a Secretis; ac tandem Auditoris Rotæ ſpectabile Munus ſumma cum laude obiit.

9 *Cit. Fact. concord. eod.* §. 5.

10 *Petrus Vidonus* Cremonenſis ex Epiſcopo Laudenſi Nonis Aprilis MDCLX. Cardinalis Tituli S. Calixti ab eodem Pontifice conſtituitur.

PP. VIII. ætatem Beato exhibitum Cauſſæ Poſtulatores contendebant, in quæſtionem venit, ac fauſto felicique eventu Pontificio Oraculo fuit roboratus [1].

Decius poſtmodum Cardinalis Azzolinus [2], quem Ven: Innocentius PP. XI. in Cauſæ Ponentem delegerat [3], alteras litteras remiſſoriales pro novis compilandis Actis ſuper Beati virtutibus direxit, quæ Acta ad juris, & litterarum remiſſorialium regulas fuiſſe adornata [4], referente Leandro Cardinali Colloredo [5], qui Azzolino ſucceſſerat, Congregatio Ordinaria Sacrorum Rituum recognovit, ac declaravit; idque recepto vocabulo, quod etiam nos uſurpare minime detrectabimus, Validitas dicitur.

Et quamvis diligentiſſimi Poſtulatores ad examen virtutum Beati devenire etiam atque etiam in optatis haberent, id tamen minime datum eis fuit atque conceſſum, donec diſceptatio de Scriptis temere Beato attributis [6], a Cardinali Colloredo ſuſcepta, quæ adhuc ſub judice erat, XV. Kalendas Octobris MDCCXXX. cura Cardinalis Ludovici Pici Mirandulani [7] per Sacram Rituum Congregationem abſolveretur; quapropter non ante IV. Nonas Julii MDCCXXXIII. Sacrorum Rituum Ordinaria Congregatio haſce cœpit diſcutere virtutes, quibus rigidiori trutina examinatis, cenſuit *Ita de Virtutibus (Beati) conſtare, ut procedi poſſit ad diſcuſſionem Miraculorum*; cui Sacræ Congregationis reſponſo [8] Nonis ejuſdem menſis ſua auctoritate Clemens PP. XII. roboris firmitatem adjecit.

Sic voti compotes Poſtulatores effecti totis laborarunt viribus, ut miracula, quæ Deus ad Beati ſanctitatem declarandam patraverat, a Romano Pontifice probarentur; ſed quia opus antea fuit & de ipſis miraculis inquiſitionem adornare, illiuſque validitatem perpendere [9], multum proinde temporis, antequam de eiſdem diſceptaretur, prolabi fuit neceſſe.

Interea temporis Picus Cauſæ Ponens ab Urbe diſceſſit; hinc penes Camillum Cardinalem Cybo [10], qui Piei partes gerebat, horum miraculorum judicium [11] in Congregatione Antepræparatoria XIII. Kalendas Julii MDCCXLII. primum fuit inceptum, quod in Præparatoria [12] XIII. Kal. Sept. MDCCXLIV. Annibale Cardinali Albani tunc Cauſæ Ponente proſequutum, tandem in Generalibus Comitiis III. Nonas Auguſti MDCCXLV. coram Sa: Me: Benedicto PP. XIV. ad exitum uſque fuit perductum.

Verum cum intelligerent Poſtulatores, ex quatuor, quæ in medium protulerant, miraculis, duo tantum communi fere calculo a Suffragatoribus doctiſſimis fuiſſe probata, & optime baberent perſpectum ex novis Pontificis Benedicti [13] decretis in hiſce antiquiſſimis Cauſſis, quæ per viam Caſus excepti incedunt, quatuor deſiderari miracula, ut quis in Catalogo Sanctorum poſſit recenſeri, minime a doctiſſimo Pontifice eorumdem approbationem efflagitarunt, expectandum ſatius rati, donec Altiſſimus gloriam Servi ſui novis adaugeret prodigiis.

Vix pauci effluxerant anni cum ad Urbem Romam rumor adventavit, Deum ad oſtendendas divitias gloriæ ſuæ in B. JOAN-

1 *Cit. Fact. concord. eod.* §. 5.

2 *Decius Azzolinus* Firmanus IV. Nonas Martii MDCLIV. ab Innocentio PP. X. Diaconus Cardinalis S. Adriani eligitur, quam Diaconiam cum illa S. Euſtachii commutavit.

3 *Cit. Fact. concord.* §. 7.

4 *Cit. Fact. concord.* §. 11.

5 *Leander Colloredus* Forojulienſis ſcientia, ac pietate conſpicuus, cum eſſet Presbyter Oratorii S. Philippi Nerii IV. Nonas Septembris MDCLXXXVI. ab Innocentio PP. XI. Cardinalium Collegio adſcribitur. Major fuit Pœnitentiarius, ac Titulum babuit S. Petri in Monte Aureo.

6 *Cit. Fact. concord.* §. 16.

7 *Ludovicus Picus* ex Ducibus Mirandulæ VI. Kalendas Octobris MDCCXII. a Clemente PP. XI. in Cardinalem eligitur. Primum habuit Titulum S. Sylveſtri in Capite, deinde S. Praxedis, ex quo Epiſcopus Albanenſis conſtituitur, ac denique Portuenſis; obiit V. Idus Auguſti MDCCXLIII.

8 *Cit. Fact. concord.* §. 19.

9 *Cit. Fact. concor.* §§. 20. 21. 23. & 25.

10 *Camillus Cybo* ex Principibus Maſſæ X. Kalendas Aprilis MDCCXXIX. Presbyter Cardinalis S. Stephani in Monte Cœlio a Benedicto PP. XIII. conſtituitur, ex quo optavit primum Titulum S. Mariæ de Populo, deinde S. Mariæ Angelorum. Deceſſit pridie Idus Januarii MDCCXLIII.

11 *Cit. Fact. concord.* §. 26.

12 *Cit. Fact. concord.* §. 28.

13 *De Canonizat. SS. lib. 3. cap. 3. num. 25.*

NEM CANTIUM, nova in dies miracula, ac prodigia operari; quo rumore Poſtulatores commoti, ac in ſpem erecti quamprimum ultimam manum huic Cauſſæ imponendam, alios curarunt exarari Proceſsus [1], ut ad horum etiam miraculorum diſquiſitionem devenirent; quibus Proceſſibus abſolutis, tres habiti ſunt ſapientiſſimorum Patrum Conventus, primus ſcilicet VII. Idus Julii MDCCLXIV. apud Eminentiſſimum Cardinalem Joannem Franciſcum Albani Sabinenſem Epiſcopum poſtremum Cauſſæ Relatorem, alter XIII. Kalendas *Sept.* MDCCLXV. in Palatio Apoſtolico Quirinali [2]: ac denique tertius IV. Nonas Decembrias MDCCLXVI. coram SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO CLEMENTE PP. XIII., in quibus fere omnes doctiſſimi ſapientiſſimique Suffragatores tanti ponderis eadem exiſtimarunt miracula, ut digna forent, quæ per certum SANCTITATIS SUÆ judicium comprobarentur.

Hæc tamen nova miracula, quia tria numero erant, ſatis nec ipſa videbantur, ut ad exoptatum finem Cauſſam tandem perducerent; quamobrem Poſtulatores [3] ſupplici a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO efflagitarunt libello, ut illa antiqua miracula, jam diſcuſſa, atque agitata, dum Eccleſiæ habenas Benedictus PP. XIV. moderabatur, decreto confirmaret ſuo. PONTIFEX benigniſſimus pro ſua religione, ac prudentia, ne quid in re graviſſima temere inconſultoque decernere videretur, ſtatuit, deciditque peculiarem inſtituendam Congregationem fore, in qua EE., & RR. DD. Cardinales Carolus Albertus Guidobonus Cavalchini Epiſcopus Oſtienſis SSmi Domini Noſtri Prodatarius, Joannes Franciſcus Albani Epiſcopus Sabinenſis Cauſſæ Ponens, Joſeph Maria Feroni Tituli S. Cœciliæ Sacrorum Rituum Congregationis Præfectus, Marcus Antonius Columna Tituli S. Mariæ de Pace, Liberianæ Baſilicæ Archipresbyter, ac Domini PP. in Alma Urbe Vicarius, & cl: me: Antonius Andreas Galli Tituli S. Petri ad Vincula, Major Pœnitentiarius, nec non Illuſtriſſimi, & RR. DD. Scipio Burgheſius tum Sacrorum Rituum Congregationis a Secretis, & Cajetanus Forti, qui tunc temporis Fidei Promotorem agebat, una cum Reverendiſſimo Patre Thoma Ricchini Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro, & bo: me: Patre Abbate Mauro Sartio Ordinis Camaldulenſium, quid de ipſis miraculis judicarent, liberrime exponerent; qui omnes minime dubitarunt in affirmativam deſcendere ſententiam.

Quæ hactenus diximus ex duobus, ut vocant, Factis Concordatis in Generalibus Conſeſſibus per Eminentiſſimos Cauſſæ Ponentes exhibitis comprobantur; facturos igitur operæ pretium duximus, ſi & ipſa Facta Concordata (ne quid temere a nobis poſitum ſuſpicetur) hic impræſentiarum produceremus.

CRACOVIEN.

Canonizationis BEATI JOANNIS CANTII Presbyteri Secularis, & in Alma Univerſitate Academiæ Cracovien. Sacræ Theologiæ Doctoris, & Profeſsoris.

FACTUM CONCORDATUM

BEATISSIME PATER.

1 „ JOANNES CANTIUS Cracoviæ [4]
„ natus ex Catholicis, piiſque Parentibus, poſt adeptam Sacerdotalem dignitatem, ac lauream doctoralem in Univerſitate Academiæ dictæ Civitatis, in qua ſacram etiam Theologiam publice legit, & munus Decanatus celebris illius Archigymnaſii ſumma cum laude obivit, ſanctiſſimis moribus imbutus, chriſtianiſ-

„ que

---

1 *Ex ſecundo Fact. concord.* §§. 1. 2. 3.

2 *Ex eod. Fact. concord.* §. 7.

3 *Cit. Fact. concord.* §. 6.

4 De Urbe Cracoviæ hæc habet Martinus Cromerus *lib.* 1. *de Situ Poloniæ, & Gente Polona* = Princeps eſt Cracovia in minore Polonia Regum, & Regni domicilium: quæ cum ædificiorum privatorum juxta, ac publicorum ſplendore, atque munitione, tum rerum omnium ad victum, cultumque corporis pertinentium, & mercium exoticarum copia, emporio, ma-

,, que virtutibus mirifice , quoad vixit ,
,, ornatus , maxima cum fama ſanctitatis
,, mortuus eſt anno Domini 1473., adeout
,, ab inde citra Cultu publico , & eccleſiaſti-
,, co tanquam Beatus condecoratus fuerit .

2 ,, Anno 1629. prævia diſcuſſione Pro-
,, ceſsus authoritate Ordinaria conſtructi in
,, præfata Civitate Cracovienſi ſuper fama
,, ſanctitatis , virtutum , ac miraculorum
,, dicti Beati , ſan. mem. Urbanus VIII. per
,, ſpecialem Commiſſionem propria manu
,, ſignatam , illius Cauſſam inquirendam , &
,, diſcutiendam commiſit Sac. Rituum Con-
,, gregationi , mandando , quod in eadem
,, abſque alia Proceſſuum in genere confe-
,, ctione ad inquiſitionem in ſpecie deve-
,, niretur .

3 ,, In ſequelam ejuſmodi Commiſſionis
,, ſub eodem anno decretæ , & expeditæ fue-
,, runt per Sac. Rituum Congregationem
,, litteræ remiſſoriales pro inquiſitione
,, ſpeciali , ſed ob varia , quæ ſupervene-
,, runt , impedimenta , ejuſmodi litteræ
,, executioni totaliter demandari non va-
,, luerunt , & Cauſſa ſiluit uſque ad annum
,, 1666.

4 ,, Interim vero ſupervenientibus de-
,, cretis generalibus a ſan. mem. Urba-
,, no VIII. publicatis , ſub die 23. Martii
,, prædicti anni inſtitum fuit pro ſignatura
,, Commiſſionis reaſſumptionis , & ſan. mem.
,, Alexander VII., prævio conſilio Sac. Con-
,, gregationis , eamdem Commiſſionem in
,, ſtatu , & terminis , in quibus Cauſa re-
,, periebatur , ſignavit .

5 ,, Poſtmodum ſub die 26. Junii ſupe-
,, rius enunciati anni decretæ , & expedi-
,, tæ fuerunt litteræ remiſſoriales ad con-
,, ſtruendum Proceſſum particularem ſuper
,, Cultu ab immemorabili dicto Beato præ-
,, ſtito , ſeu Caſu excepto a ſupradictis de-
,, cretis ; quo Proceſſu completo , ad Ur-
,, bem delato , ac ſervatis ſervandis aper-
,, to , ad relationem Eminentiſſimi Cardi-
,, nalis Vidoni ſuffecti in locum Eminentiſ-
,, mi Celſi , qui jam fuerat ſubrogatus in lo-
,, cum Eminentiſſimi Bandinelli olim Cauſ-
,, ſæ Relatoris ; propoſitum , & diſcuſſum
,, fuit dubium ſuper Cultu immemorabili ,
,, ſeu Caſu excepto a præfatis decretis , quod
,, favorabiliter reſolutum extitit ſub die 21.
,, Martii 1676., Summo Pontifice conſimi-
,, lem Sac. Congregationis reſolutionem
,, confirmante die 28. ejuſdem menſis , &
,, anni .

6 ,, Hinc expeditis aliis litteris remiſ-
,, ſorialibus , & compulſorialibus ad con-
,, ſtruendum Proceſſum Apoſtolicum ſuper
,, virtutibus , & miraculis in ſpecie , per
,, interceſſionem prælaudati Beati a Deo pa-
,, tratis , iiſque ad partes tranſmiſſis , dum
,, Judices delegati illius compilationi adhuc
,, vacarent , preces porrectæ ſunt nomine
,, Sereniſſimi Poloniæ Regis in Sac. Rituum
,, Congregatione pro conceſſione Officii , &
,, Miſſæ in honorem prædicti Beati ; ipſi
,, autem Sac. Congregatio injunxit bon.
,, mem. R. P. D. Bottinio [1] tunc Fidei
,, Promotori , ut recognoſceret , an ex Pro-
,, ceſsu Apoſtolico confecto ſuper Cultu ta-
lia

magnis ad vitam degendam commoditatibus , hominumque frequentia , civilitate , & elegantia , facile primum locum obtinet , & cum claris Germaniæ , Italiæque Urbibus certat . Germanis autem Mercatoribus abundat antiquitus . Neque caret Italis . Habet opportunitatem Viſtulæ fluvii , quo piſcea , ligna , & omnis ædificiorum materia e vicina Sileſia importantur . Nonnulla etiam cum alio , tum in Pruſſiam deportantur , & inde merces exoticæ reportantur . Habet item ſuburbana ampla , & frequentia , & cum hortis , atque pomariis delicatis , tum vivariis piſcium , & prætis culta , ac temperie Cœli amœna ... ... Habet Arcem peramplam Cracovia a latere Auſtrali in colle , ſeu rupe , Viſtulæ , & Stradomiæ imminentem , mœnibus , turribuſque munitam , & magnificis Regiæ , ac Baſilicæ , in qua Sedes eſt Epiſcopi , duorumque præterea Delubrorum , & aliarum privatarum domuum ædificiis exornatam . Regiam quidem Sigiſmundus Rex ſenior noſtra fere memoria in eam , quæ nunc viſitur , formam , amplitudinem , & ſplendorem redegit . Habet Academiam quoque omnium diſciplinarum , atque doctrinæ ſtudiis & profeſſione florentem . Olim tamen , quam nunc honeſtis diſciplinis , & frequentia Præceptorum juxta , ac ſtudioſorum florentiorem , cum principes Viri ornamentis Patriæ magis faverent , ac ſtuderent , nec dum vel Luteraniſmo infectæ , vel ferro Turcico divexatæ , & ferme ſubactæ eſſent gentes finitimæ . Sita eſt autem Urbs ea non procul a finibus Sileſiæ , Ungariæ , & Ruſſiæ , longitudinis quidem gradu 42. , latitudinis vero 50. =

1 *Proſper Bottinius* Archiepiſcopus Myrenſis Fidei Promotor , & Fiſci Advocatus eximiæ doctrinæ & probitatis nomine utramque provinciam per plures

,, lia reſultarent circa virtutes, & mira-
,, cula ejuſdem Beati, ut locus eſse poſset
,, petito indulto. Factaque per dictum Fi-
,, dei Promotorem in S. Rituum Congre-
,, gatione relatione contentorum in dicto
,, Proceſsu, tam quoad virtutes, quam quo-
,, ad miracula, ſan. mem. Innocentius Pa-
,, pa XI. ſub die 17. Septembris anni 1680.
,, per ſuas Litteras in forma Brevis expedi-
,, tas benigne elargitus eſt indultum, quod
,, quolibet anno die anniverſaria obitus e-
,, juſdem Beati Officium, & Miſsa de Com-
,, muni Confeſsoris non Pontificis ſub ritu
,, duplici, tam in Civitate Cracoviæ, quam
,, in toto Poloniæ Regno recitari, & reſ-
,, pective celebrari poſset; & paulo poſt die
,, nempe 9. Auguſti anni 1681. Sac. Con-
,, gregatio conceſſit, quod Feſtum ipſius
,, Beati quotannis juſtis de cauſis transferri
,, poſset ad diem 19. Octobris.

7 ,, Vita poſtea functo Eminentiſſimo Car-
,, dinali Vidono, & in ejus locum ſub die 20.
,, Septembris prædicti anni ſuffecto Emi-
,, nentiſſimo Cardinali Azzolino, iſto re-
,, ferente, Sac. Congregatio, attenta diſ-
,, penſatione a Proceſſu in genere, in cor-
,, pore duplicis Commiſſionis in præſenti
,, Cauſsa ſignatæ a duobus Summis Pontifi-
,, cibus, Urbano nimirum VIII., & Ale-
,, xandro VII. contenta, die 22. Novem-
,, bris ſuperius memorati anni, relaxavit
,, novas litteras remiſsoriales, & com-
,, pulſoriales ad abſolvendum Proceſsum
,, ſuper virtutibus, & miraculis in ſpecie,
,, quatenus jam inceptus eſset, vel ad il-
,, lum ex integro compilandum, quatenus
,, nunquam inchoatus fuiſset.

8 ,, Subinde vero ſub die 20. Julii 1686.
,, cum propter imminentem ruinam, quam
,, minabatur Eccleſia Collegiata S. Annæ
,, Cracoviæ, in qua Beati Corpus a tempo-
,, re felicis ipſius in Domino obdormitio-
,, nis ſemper aſservatum fuerat, reſtauran-
,, da eſset, Sac. Congregatio, annuente
,, etiam Summo Pontifice, ſub die 7. Augu-
,, ſti ejuſdem anni indulſit, ut dictum Cor-
,, pus interim transferri poſset ad Orato-
,, rium, ſeu Cappellam Univerſitatis Aca-
,, demiæ Cracovien., vel in alium decen-
,, tem locum arbitrio Ordinarii præfatæ Ci-
,, vitatis.

9 ,, Sub eadem quoque die prædicta Sac.
,, Congregatio ſubrogavit alios Epiſcopos
,, in locum primo delegatorum jam præ-
,, mortuorum, vel a Cracovia de proximo
,, abſuturorum in Judices ad conficiendum
,, Proceſsum ſuper virtutibus, & miraculis
,, in ſpecie, prorogato etiam ad alium an-
,, num termino unius anni alias conceſso
,, ad abſolvendum dictum Proceſsum, Sum-
,, mo Pontifice utrumque Sac. Congrega-
,, tionis decretum confirmante, primum
,, die 7. Auguſti 1686., ſecundum vero
,, die 29. Martii 1688.. Similem quoque
,, termini prorogationem pluries in poſte-
,, rum Sac. Congregatio cum aſsenſu, & ap-
,, probatione Summi Pontificis renovavit
,, die 12. Martii 1689. 11. Februarii 1690.
,, 11. Auguſti 1691., & 13. Septem. 1692.

10 ,, Abſoluto jam vero Proceſſu prædi-
,, cto, eoque ad Urbem delato, die 15.
,, Maii 1694. Sac. Congregatio, annuente
,, Summo Pontifice die 19. ejuſdem menſis,
,, illius aperitionem demandavit, & ſub
,, die 30. Martii 1697. indulſit, quod du-
,, bium ſuper validitate dicti Proceſſus pro-
,, poni, & diſcuti poſſet in Congregatione
,, Ordinaria abſque interventu Conſultorum,
,, & hanc eamdem Sac. Congregationis reſo-
,, lutionem Summus Pontifex approbavit,
,, & confirmavit die 3. ſubſequentis menſis
,, Aprilis.

11 ,, Succeſſive propoſito per clar. mem.
,, Cardinalem Colloredum, in Cauſsæ Rela-
,, to-

res annos rexit; verum, ingraveſcente ætate, apopletico perculſus morbo, ne oneri & labori ſuccumberet, in eiſdem Muneribus Coadjutor ei datus fuit Joannes Baptiſta Bottinius fratris filius, qui cum anno MDCCVIII. vitam cum morte commutaſſet, tunc Clemens PP. XI. provida deliberatione hujuſmodi Munera, quæ antea ſemper per unum eumdemque hominem fuerant adminiſtrata, primum ſejunxit ac ſeparavit, eligens in Coadjutorem ad Promotoris Fidei Officium Proſperum de Lambertinis, (qui ſummo Eccleſiæ bono ad Pontificiam Petri Cathedram XVI. Kalendas Septembris anno MDCCXL. evectus, Benedicti PP. XIV. nomen aſſumpſit) & in Coadjutorem Muneris Advocati Fiſci conſtituens Philippum Sacripantem, ut videre eſt ex ejuſdem Clementis PP. XI. Litteris in forma Brevis expeditis VII. Idus Aprilis MDCCVIII.

,, torem ſubrogatum ob jam ſecutum obitum
,, Eminentiſſimi Cardinalis Azzolini, du-
,, bio ſuper validitate ſupradicti Proceſſus
,, in Congregatione Ordinaria ſub die 5.
,, Octobris 1696. affirmativum prodiit re-
,, ſcriptum, quod fuit a Summo Pontifice
,, die 19. ejuſdem menſis, & anni confir-
,, matum.

12 ,, Deinde Sac. Congregatio die 5.
,, Junii 1698., benigno Summi Pontificis
,, interveniente aſſenſu, decrevit, & rela-
,, xavit litteras compulſoriales ad effectum
,, extrahendi ex Archivo Curiæ Epiſcopalis
,, Cracovienſis Proceſſum authoritate Ordi-
,, naria in Cauſſa conſtructum, & novum
,, illius exemplum faciendi, ad Urbem tranſ-
,, mittendum, attenta deperditione primi
,, tranſumpti alias tranſmiſſi.

13 ,, Rurſus die 7. Februarii 1699. Sac.
,, Congregatio indulſit, quod Corpus Beati
,, de antiquo ſepulchro, & capſa, in qui-
,, bus aſſervabatur, extrahi, & in novum
,, marmoreum monumentum nuper extru-
,, ctum transferri, ac reponi poſſet, Sum-
,, muſque Pontifex ſimilis induIti conceſſio-
,, nem approbavit ſub die 14. ejuſdem men-
,, ſis.

14 ,, Die vero 23. Januarii 1700. Sac.
,, Congregatio, aſſentiente Summo Ponti-
,, fice, ſub die 17. ſubſequentis menſis Fe-
,, bruarii commiſit Eminentiſſimo Collore-
,, do Ponenti reviſionem Operum Beato at-
,, tributorum cum ſolitis facultatibus.

15 ,, Delato poſtea ad Urbem novo tran-
,, ſumpto Proceſſus Ordinarii, alias in Cauſ-
,, ſa conſtructi, illius aperitio demandata
,, fuit die 5. Decembris 1716., & ſub die
,, 12. Junii ſubſequentis anni 1717. Sac.Con-
,, gregatio benigne diſpenſavit, ac conceſ-
,, ſit, quod dubium ſuper validitate iſtiuſ-
,, modi Proceſſus proponi, & diſcuti poſſet
,, in Congregatione Ordinaria abſque in-
,, terventu Conſultorum, & Summus Pon-
,, tifex die 12. Januarii, ac Julii reſpective
,, ejuſdem anni utrumque Sacræ Congrega-
,, tionis reſcriptum approbavit.

16 ,, Defuncto jam vero Eminentiſſimo
,, Colloredo, atque in ejus locum a Sum-
,, mo Pontifice die 18. Junii 1727. ſubroga-
,, to Eminentiſſimo Cardinali Pico, hic
,, nulli exquiſitiori parcens diligentiæ pro
,, eruenda veritate circa Opera, quæ Bea-
,, to attribuebantur, curavit ad Urbem defer-
,, ri tam volumina originalia dictorum Ope-
,, rum, quam Album Univerſitatis Craco-
,, vienſis, in quo certus Beati character
,, continebatur. Delatis itaque Romam præ-
,, fatis voluminibus, iiſque perluſtratis,
,, nec non ſuper eis auditis plurium perito-
,, rum Scriptorum, una cum voto Reveren-
,, diſſimi Archiepiſcopi [1] Ancyrani anti-
,, quorum characterum peritiſſimi, ad re-
,, lationem dicti Eminentiſſimi Cardinalis
,, Pico die 17. Septembris 1730. prodiit
,, decretum: *Non conſtare, quod Opera in*
,, *Proceſſu Apoſtolico compulſata, & Beato*
,, *attributa eſſent ipſius Beati, ideo proce-*
,, *di poſſe ad ulteriora*, & Summus Ponti-
,, fex ejuſmodi Sac. Congregationis decre-
,, tum benigne confirmavit die 20. ejuſdem
,, menſis; & anni.

17 ,, Die 14. Auguſti 1732. ſan. mem.
,, Clemens Papa XII. benigne indulſit, quod
,, dubium ſuper virtutibus in gradu heroi-
,, co diſcuti poſſet in Congregatione Ordina-
,, ria abſque interventu Conſultorum.

18 ,, Die

1 *Juſtus Fontaninus* Archiepiſcopus Ancyranus doctus atque eruditus vir, veterum Codicum, & antiquorum characterum peritiſſimus fuit, non mirum proinde ſi in hujuſmodi B. Joannis Cauſſa, aliiſque quamplurimis, dum de Scriptis quæſtio, contentioque erat, ejus ſententia a Sacra Congregatione Rituum fuerit exquiſita. Eminentiſſimus Cardinalis Imperialis ipſum Bibliothecæ ſuæ Præfectum conſtituit, cujus librorum Indicem ſumma cura & ſtudio Fontaninus collegit, publicique juris effecit. Clemens PP. XI., qui eruditos doctoſque viros maximis cumulare beneficiis laudis ſibi ducebat, eumdem inter ſuos Cubicularios, quos Honorarios vocant, adnumeravit. Benedictus PP. XIII. Officium Abbreviatoris Sacri Palatii eidem commiſit, ſimulque in mandatis dedit, ut quotquot reperiri poterant Canonizationum Conſtitutiones, exquireret, & in unum Codicem redactas, typographicis formis excuſſas ederet; id improbo labore, conquiſitis undique monumentis Fontaninus præſtitit; pauciſſimæ enim Conſtitutiones illæ erant, quæ in Bullario Romano reperiebantur, atque ipſæ crebris ſcatebant erroribus, quos ope veterum Codicum corrigere oportuit; neque hac tantum diligentia contentus, lemmata etiam, & notulas adjecit, fonteſque indicavit, unde eaſdem Conſtitutiones hauſerat. Prodiit hoc opus Romanis typis anno MDCCXXIX. Benedicto PP. XIII. inſcriptum ſub titulo Codicis Canonizationum.

18 „ Die 21. Martii 1733. decretæ, &
„ relaxatæ fuerunt per Sac. Rituum Con-
„ gregationem litteræ remiſſoriales ad con-
„ ſtruendum Proceſſum Apoſtolicum ſuper
„ miraculis ad interceſſionem Beati recen-
„ ter patratis.

19 „ Propoſito ſubinde, ac diſcuſſo ſub
„ die 4. Julii præcitati anni in Sac. Congre-
„ gatione Ordinaria dubio ſuper virtuti-
„ bus heroicis ſæpedicti Beati, reſponſum
„ fuit: *Ita de Virtutibus conſtare, ut pro-*
„ *cedi poſſit ad diſcuſſionem Miraculorum*:
„ quod reſcriptum Summus Pontifex appro-
„ bavit die 7. ejuſdem menſis.

20 „ Rurſus die 17. Julii 1734. Sac. Con-
„ gregatio conceſſit facultatem Officiali Ge-
„ nerali Cracovienſi nominandi alias Digni-
„ tates, ſeu Canonicos Eccleſiæ Cathedra-
„ lis in Judices loco Dignitatum, & Cano-
„ nicorum abſentium, atque jam nominato-
„ rum ab Epiſcopo Cracovienſi pro abſol-
„ vendo præmemorato Proceſſu ſuper mi-
„ raculis recenter patratis, id quod etiam
„ approbavit Summus Pontifex die 20. præ-
„ dicti menſis.

21 „ Die 6. Auguſti anni 1734. Sac. Con-
„ gregatio prorogavit terminum alias con-
„ ceſſum ad abſolvendum enunciatum Pro-
„ ceſſum, & largita eſt facultatem Judici-
„ bus delegatis recipiendi examen teſtium,
„ tam ſuper miraculis non contentis in lit-
„ teris remiſſorialibus, quam ſecutis poſt
„ illarum expeditionem, & in poſterum for-
„ taſſe ſequendis, & Summus Pontifex die
„ 10. dicti menſis utramque conceſſionem
„ benigne confirmavit.

22 „ Die 16. Februarii 1737. Sac. Con-
„ gregatio confirmavit electionem Beati in
„ Compatronum principalem totius Regni
„ Poloniæ, ac magni Ducatus Lituaniæ, ei-
„ que prærogativas omnes Sanctis Protecto-
„ ribus principalibus competentes attribuit,
„ elevavitque illius Officium ad ritum du-
„ plicem primæ claſſis cum octava, quod
„ decretum etiam Summus Pontifex appro-
„ bavit die 20. præfati menſis, & anni.

23 „ Sub die 12. Septembris 1738. præ-
„ laudatus ſan. mem. Clemens XII. conceſ-
„ ſit, ut Proceſſus Apoſtolicus ſuper novis
„ Miraculis jam abſolutus, atque ad Urbem
„ delatus, aperiri poſſet, facta ſola reco-
„ gnitione ſigilli Officialis Generalis Craco-
„ vienſis abſque ulla alia recognitione ſigil-
„ lorum cæterorum Conjudicum.

24 „ Die 31. Martii 1739. Sac. Congre-
„ gatio approbavit Orationem, & Lectio-
„ nes proprias pro ſecundo Nocturno Officii
„ Beati, cui etiam approbationi annuit
„ Summus Pontifex die 11. Septembris ejuſ-
„ dem anni.

25 „ Inde autem propoſito in Sac. Ri-
„ tuum Congregatione dubio ſuper validi-
„ tate ſuperius memorati Proceſſus conſtru-
„ cti ſuper miraculis in ſpecie recenter pa-
„ tratis, die 5. Septembris 1739. reſcri-
„ ptum fuit: *Conſulendum eſſe Sanctiſſimo*
„ *pro ſanatione ob non factam ſubſcriptio-*
„ *nem Judicum juxta decreta*: ſed repro-
„ poſita Cauſſa die 28. Novembris ejuſdem
„ anni ſuper hoc dubio nimirum: *An rece-*
„ *dendum ſit a deciſis quoad ſanationem*:
„ ipſa Sac. Congregatio, prævio receſſu a
„ deciſis, reſpondit: *Conſtare in omnibus*
„ *de Validitate enunciati Proceſſus*: ejuſ-
„ modique reſponſum Sac. Congregationis
„ Summus Pontifex approbavit, & confir-
„ mavit die 4. Decembris præfati anni
„ 1739.

26 „ Die 19. Junii 1742. habita fuit
„ Congregatio Antepræparatoria in ædi-
„ bus clar. mem. Cardinalis Cybo, Emi-
„ nentiſſimo Pico Ponente ab Urbe abſente,
„ ſuper dubio: *An, & de quibus Miracu-*
„ *lis conſtet poſt indultam Beato venera-*
„ *tionem in caſu, & ad effectum, de quo*
„ *agitur*.

27 „ Die 9. Septembris prædicti anni
„ 1742. Sanctitas Veſtra conceſſit, quod in
„ honorem ſupradicti Beati qualibet feria
„ quinta per annum, etiamſi in ea Feſtum ri-
„ tus duplicis majoris incideret, celebrari
„ poſſet Miſſa votiva poſt ſolitam conven-
„ tualem in Eccleſia S. Annæ Cracoviæ, ubi
„ illius Corpus requieſcit.

28 „ Me tandem in cauſæ Relatorem ab
„ eadem Sanctitate Veſtra primum ob gra-

„ vem

„ vem infirmitatem Eminentiſſimi Cardinalis Pico, & iterum poſt illius obitum recenter ſecutum, ſubrogato die 7. Auguſti 1743. dubium infraſcriptum eum Promotore Fidei concordatum ſubſcripſi, & propoſui in Congregatione Præparatoria habita die 20. Auguſti nuper elapſi anni, modoque eoram Sanctitate Veſtra iterum propono dubium:

An, & de quibus miraculis conſtet poſt indultam Beato *venerationem in caſu, & ad effectum, de quo agitur.*

A. Card. S. Clementis Ponens.

SECUNDUM FACTUM CONCORDATUM

Beatissime Pater.

1 „ Quum poſt factum concordatum diſtributum pro Congregatione Generali habita die 3. Auguſti 1745. coram ſan. mem. Benedicto XIV. Sanctitatis Vestræ Prædeceſſore pro diſcuſſione miraculorum a D.O.M. patratorum poſt indultam Beato Joanni Cantio venerationem, nova ſuperveniſſent miracula, ſupplicarunt Cauſſæ Poſtulatores Sac. Rit. Congregationi pro conceſſione litterarum remiſſorialium ad effectum conſtruendi Proceſſum Apoſtolica auctoritate ſuper iiſdem novis miraculis, quibus conceſſis ſub die 11. Decembris 1751., & ſucceſſive expeditis, propter abſentiam Cracovien. Antiſtitis a ſua reſidentia, diſtrahi neceſſe fuit ultra biennium illarum aperitionem; interea vero aliud dignatus eſt Altiſſimus operari miraculum ad interceſſionem dicti Beati. Quare Poſtulatores die 16. Decembris laudato ſan. mem. Benedicto XIV. humiles preces porrexerunt pro conceſſione aliarum litterarum remiſſorialium, quibus ſuperadderetur facultas Judicibus primo delegatis recipiendi probationes etiam ſuper dicto novo miraculo.

2 „ Hiſce autem litteris benigne conceſſis, & expeditis, quum ſtante abſentia Rm̃i Epiſcopi a Civitate Cracovienſi neutrarum litterarum præſentatio, & aperitio fieri poſſet, ſupplicarunt Poſtulatores S. R. C. pro facultate, quod actus præſentationis, & aperitionis utrarum ſupradictarum litterarum peragi coram Suffraganeo, ſeu Vicario Generali Epiſcopi Cracovien., & ab iſto fieri etiam poſſet nominatio Dignitatum, ſive Canonicorum Ecelefiæ Cathedralis, qui tamquam Conjudices in fabricatione dicti Proceſſus intervenire, & aſſiſtere debebant. Et quia eadem Sacra Congregatio hujuſmodi facultatem benigne impertita eſt, die 14. Aprilis 1753. præſentatio, & aperitio ſupradictarum litterarum peracta fuit coram Vicario Generali Epiſcopi Cracovien., nequaquam vero coram Suffraganeo ejuſdem Epiſcopi; quare, ad occurrendum celeriori Proceſſus abſolutioni, die 22. Decembris prædicti anni petita, & obtenta fuit nova delegatio ejuſdem Suffraganei in Judicem ejuſdem Proceſſus.

3 „ Vitam cum morte poſtea commutante, Proceſſu nondum abſoluto, Vicario Generali Epiſcopi Cracovien., die 29. Novembris 1755. ſupplicatum eſt S. Congregationi tam pro delegatione novi Vicarii Generalis in Judicem Proceſſus, quam pro prorogatione termini proxime expiraturi, licet alias prorogati, ad illum abſolvendum, & utramque gratiam elargita eſt dicta Sacra Congregatio; quæ etiam novam termini prorogationem conceſſit die 26. Auguſti 1758., quoniam adhuc Proceſſus ad debitum complementum perduci nequiverat.

4 „ Completo jam vero Proceſſu, & ad Urbem delato, atque in Actis S. R. Congregationis de more præſentato, die 9. Januarii 1760. obtenta eſt a Sanctitate Vestra tam facultas illum aperiendi, quam etiam ſubrogatio mei in Cauſſæ Ponentem, ſeu Relatorem in locum clar. mem. Cardinalis Annibalis Albani, qui naturæ debitum jam ſolverat.

5 „ Propoſito hioc per me, prævia pon-
„ tificia, ut vocant, diſpenſatione, in Sac.
„ Rit. Congregatione Ordinaria, habita die
„ 9. Februarii 1767. abſque interventu, &
„ voto Conſultorum, dubio ſuper validitate
„ ſupradicti Proceſſus, affirmativum prodiit
„ decretum, a SANCTITATE VESTRA confir-
„ matum die 27. ejuſdem menſis Februarii.

6 „ Supplicante deinde Poſtulatore
„ SANCTITATEM VESTRAM pro approbatione
„ duorum ex antiquis miraculis diſcuſſis in
„ Congregatione Generali coram ſa.me. Be-
„ nedicto XIV., quorum approbationi licet
„ Conſultores, & Cardinales in ſufficienti
„ numero ſuffragati fuiſſent, nihilotamen-
„ minus decretum approbationis numquam
„ prodierat, SANCTITAS V. eadem die 27.
„ Februarii 1762. demandavit iterum pro-
„ poni, & diſcuti præfata duo antiqua mi-
„ racula cum novis Animadverſionibus Fi-
„ dei Promotoris in altera Congregatione
„ Generali coram ſe habenda ſuper quatuor
„ miraculis noviter productis; ſed poſtea
„ ad novam Poſtulatoris ſupplicationem ea-
„ dem SANCTITAS VESTRA juſſit examen di-
„ ctorum duorum antiquorum miraculorum
„ fieri in Congregatione particulari coram
„ ipſa cogenda, quemadmodum jam pera-
„ ctum eſt.

7 „ Die denique 10. Julii 1764. habita
„ eſt in ædibus meis Congregatio Antepræ-
„ paratoria ſuper examine quatuor ex no-
„ vis miraculis ſuperventis poſt indultam
„ B. JOANNI CANTIO venerationem; quæ
„ quidem miracula iterum diſcuſſa ſunt
„ in Congregatione Præparatoria coacta in
„ Palatio Apoſtolico Quirinalis die 20. Au-
„ guſti 1765.

8 „ Modo igitur eoram SANCTITATE VE-
„ STRA dubium infraſcriptum prius concor-
„ datum cum R. P. Fidei Promotore, & a
„ me ſubſcriptum propono; dubium:

An, & de quibus miraculis conſtet poſt indultam B. JOANNI CANTIO *venerationem in caſu, & ad effectum, de quo agitur.*

J. Franciſcus Card. Epiſcopus Sabinenſis Ponens.

Cum omnia rite recteque ita eſſent conſtituta, nil ſupererat aliud, quam PONTIFEX SANCTISSIMUS decretum eorumdem miraculorum approbativum publicari mandaret. Quare licet in Congregationibus, de quibus ſuperius ſermonem inſtituimus, Eminentiſſimorum Patrum, & Reverendiſſimorum Conſultorum ſenſus innotuiſſet, tamen optime ipſe ſciens in re tam ardua, nil non ſine magna circumſpectione, & accurata conſideratione fore peragendum, ſententiam ſuam tunc minime aperiendam cenſuit, ſed ut quid in tanto negocio deceret intelligeret, Patrem luminum inde exorandum edixit, qui emiſſo cælitus ineffabilis ſuæ lucis radio, ejus illuſtraret mentem.

Læta Kalendarum Januarii advenit demum dies [1], qua PONTIFEX cogitatione revolvens omne datum optimum, & omne donum

1 Feſtivus ſemper hujuſmodi dies habitus a Romanis fuit, novi enim Conſules tunc Magiſtratum adibant, novuſque inchoabatur annus, quod, ut antiquos Romanorum Scriptores omittam, liquet ex Valentiniani, & Valentis Imperatorum reſcripto relato *l. 1. Ne quid pub. lat. Cod. Theodoſ.*, & ex Salviano Maſſilienſi *lib. 6. de vero judicio, & providentia Dei*, Sidonio Apollinari *lib. 1. Epiſt. 9.*, & Caſſiodoro *lib. 2. Epiſt. 1.*, & *lib. 6. Epiſt. 1.*

Credebant Veteres quidquid inchoarent operis initio anni, id toto illo anno feliciter proceſſurum. Quare hujuſmodi die ſuam quiſque artem leviter, & tantum boni ominis cauſſa tractare ſolebat; teſtatur id aperte de agricolis Columella *lib. 11. cap. 2. Per hos quoque dies abſtinent terrenis operibus religioſiores agricolæ; ita tamen, ut ipſis Kalendis Januarii auſpicandi cauſſa omne genus operis inſtaurent.* Videatur etiam, ſi lubet, Ovidius *Faſtor lib. 1. v. 255. & ſeq.* Non mirum proinde ſi tanta celebritate hunc agerent diem, ut invicem ſtrenas mitterent, ſacrificia, victimaſque multiplicarent, choreas publice ducerent, perſonati per Urbem incederent, ſumptuoſa ederent ſpectacula, gladiatorum ludos facerent, lauro aliarumque arborum virentibus ramis domorum poſtes adornarent; quibus omnibus, ut ſeſe Eccleſiæ Patres opponerent, hac ipſa die jejuniis, & Litaniis Divinum placare Numen ſatagebant, & ab hiſce ſuperſtitionibus revocare Chriſtifideles ſummopere curabant; ſic S. Auguſtinus *Serm. 198. Acturus es, inquit, celebrationem ſtrenarum, ſicut Paganus, luſurus alea, & inebriaturus te. Quomodo aliud credis, aliud ſperas, aliud amas? Dant illi ſtrenas, date vos eleemoſynas: avocantur illi cantionibus luxuriarum, avocate vos ſermonibus Scripturarum: currant illi ad theatrum, vos ad Eccleſiam: inebriantur illi, vos jejunate.* De hac re conſuli poteſt Edmundus Martene *de antiq. Eccl. diſcipl. in div. celebran. Officiis cap. 13.*

num perfectum in mortales a ſumma Dei providentia deſcendere, ut dilecto ſibi divinitus commiſſo populo juſtitiam, & abundantiam pacis in novo anno exoraret, ad Paulinum deſcendit Sacellum, ut Miſſarum ſollemniis aſtaret, atque omnibus eſſet exemplo quanta animi pietate, ac ſanctitate veneranda Religionis noſtræ Myſteria ſint concelebranda; hac enim die & octava Dominicæ Nativitatis, & Circumciſionis [1] Myſterium recolitur.

Sacro expleto, dum ad intimum cubiculum PONTIFEX revertitur, cæleſti perfuſus lumine, ad ſe venire jubet Eminentiſſimos Dominos Albani Epiſcopum Sabinenſem Cauſæ Ponentem, & Feroni Sacrorum Rituum Congregationis Præfectum, ac Illuſtriſſimos, & Reverendiſſimos Dominos Carolum Alexium Piſani [2] Fidei Promotorem, & Vincentium Macedonium Sacrorum Rituum Congregationis a Secretis, cui mandavit ut decretum, quo quinque B. JOANNIS approbantur miracula in hanc ſententiam ederet.

CRACOVIEN.

Canonizationis BEATI JOANNIS CANTII Presbyteri Secularis, & in Alma Univerſitate Academiæ Cracovien. Sac. Theologiæ Doctoris, & Profeſſoris.

„ TAmetſi S. Sedes Apoſtolica Divini „ Spiritus opem numquam non ſibi „ adfuturam jure meritoque confidat; non „ idcirco tamen in iis præſertim, quæ gra„ vioris momenti ſunt, quidquam eorum „ prætermittit, quæ ad bene ſapienterque „ deliberandum ex uſitatis prudentiæ legi„ bus requiruntur. Atque ita quidem in „ Cauſſa B. JOANNIS CANTII Presbyteri „ Secularis, & in Univerſitate Academiæ

„ Cra-

1 Hanc Feſtivitatem a primis Eccleſiæ ſeculis in morem fuiſſe receptam, teſtantur Sacramentarium Gelaſianum a Ven. S. D. Card. Thomaſio editum, & Ordo Romanus a Joanne Frontone publici juris effectus, in quibus inſcribitur *Octava Nativitatis Domini*, quo nomine etiam donatur *C. Pronuntiandum de Conſecr. diſtinct.* 1.; ex quibus male argueret qui eum Baillet, viro cæteroquin erudito, in *Hiſtoria hujuſce diei*, Circumciſionis feſtum recentioris ævi exiſtimaret, nam hoc nemo ſibi ſuadere arbitror, qui animadvertat eadem profecto die & Octavam Nativitatis Domini, & ipſius Circumciſionem incidiſſe, veluti obſervavit in *Serm. de Circumciſſione Domini* Ivo Epiſcopus Carnotenſis, qui anno MXCI. floruit: *Octava, & Circumciſio uni concinunt Sacramento*; cui convenit Thomaſſinus *de Dierum feſtorum celebratione lib. 8. cap. 8. num.* 12. per hæc verba: *Quotquot igitur arbitrati ſunt recoli Kalendis Januarii octavam Nativitatis diem, ita interpretamur, ac ſi de Circumciſione loquuti eſſent*. Sed qui omnem dubitationem amovent, ſunt Patres Concilii Turonenſis anno DLXVII. convocati, qui de feſtivitate Circumciſionis quaſi de antiqua conſuetudine C. 17. verba faciunt: *Ad calcandam Gentilium conſuetudinem Patres noſtri ſtatuerunt, privatas in Kalendis Januarii fieri Litanias, ut in Eccleſiis pſallatur, & hora octava in ipſis Kalendis Circumciſionis Miſſa, Deo propitio, celebretur*.

2 De laudibus ſpectatiſſimi Viri vel minima proferre ejus nos prohibet modeſtia; adnotare tamen juvat, ipſum a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO, qui ejuſdem fidem, ſcientiam, & pietatem pulchre callebat, cum in conſpicuo Advocatorum Conſiſtorialium Ordine maxime floreret, ad Promotoris Fidei honorabile Munus VI. Kalendas Octobris MDCCLXVI. fuiſſe aſſumptum, tunc enim ad promeritos honores piis, & doctis viris aditus quammaxime patebat, eo quia PONTIFEX clementiſſimus ex præcipuis Romanæ Curiæ Muneribus novos Patres in Sacrum Cardinalium Collegium allegerat.

Ampliſſimi Viri, qui VI. Kalendas Octobris, ſive Eccleſiarum ſibi commiſſarum adminiſtratione, ſive illuſtribus Legationibus, ſive aliis Apoſtolicæ Sedis Miniſteriis diu multumque probati ad Cardinalitiam delecti fuere Dignitatem ſunt, Ludovicus Calini Brixienſis Patriarcha Antiochenus, & S. Spiritus in Saxia Præceptor: Nicolaus Serra Januenſis R. C. Auditor Generalis: Nicolaus Oddi Peruſinus Archiepiſcopus Ravennatenſis; hic unum & quadraginta annos natus Aretii obiit IX. Kalendas Junii MDCCLXVII.: Antonius Branciforte, cui per Provinciam Urbinatenſem Legati vices fuerant demandatæ: Lazarus Opitius Pallavicini Januenſis apud Carolum III. Hiſpaniarum Regem Catholicum Apoſtolicæ Sedis Legatus: Vitalianus Borromei Mediolanenſis Apocriſarius Apoſtolicus penes Auguſtiſſimum Imperatorem Joſephum II.: Petrus Pamphili Romanus ad Regem Chriſtianiſſimum Ludovicum XV. Domini PP. Legatus: Joſeph Simonetti Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium a Secretis, qui obiit Romæ MDCCLXVII. Urbanus Paraciani Romanus, qui ex Decano Sacræ Rotæ VII. Idus Julii an. MDCCLXVI. Archiepiſcopus Firmanus fuerat renuntiatus: Philippus Maria Pirelli Neapolitanus Sacræ Congregationis Concilii a Secretis: Æneas Sylvius Piccolomineus Senenſis Almæ Urbis Gubernator, ac Vicecamerarius: Xaverius Canale Interamnenſis Pontificii Ærarii Præfectus: Benedictus Veterani Urbinas Tribunalis Sanctiſſimæ Inquiſitionis Aſſeſſor.

,, Cracovien S. Theologiæ Doctoris, & Pro-
,, feſsoris faciendum duxit: rurſus namque
,, ad trutinam revocatis duobus miraculis,
,, quæ deprecante ipſo divinitus patrata fe-
,, rebantur, primum quidem in Congrega-
,, tione Generali habita die 3. Auguſti 1745.
,, coram ſan. mem. Benedicto XIV., dein-
,, de in Particulari quioque Reverendiſſi-
,, morum Cardinalium, & quatuor Conſul-
,, torum coram CLEMENTE XIII. felici-
,, ter regnante die 22. Aprilis anni ſupe-
,, rioris. Quamvis in hac omnium Suffra-
,, gantium vota in affirmantem ſententiam
,, abiiſsent, nihil dum tamen ſtatuere SAN-
,, CTISSIMO PONTIFICI viſum eſt, donec ſu-
,, per aliis miraculis in Congregatione Ge-
,, nerali coram ſe examinandis quid Reve-
,, rendiſſimorum Cardinalium, & Conſul-
,, torum quiſque ſenſurus eſset, audiret.
,, Quum igitur die ſecunda proxime elapſi
,, menſis ſuper novis miraculis Generalis
,, Congregatio coacta fuiſſet, & cunctis pe-
,, ne ſuffragiis digna omnino viſa eſſent, quæ
,, probarentur; adhuc tamen SANCTITAS
,, SUA protelandum tam grave negotium exi-
,, ſtimavit, uſque dum ſcilicet Patrem lu-
,, minum ſuis, atque aliorum precibus exo-
,, raret. His abunde peractis, acciiis co-
,, ram ſe, infraſcripta die, Reverendiſſimis
,, Cardinalibus Joanne Franciſco Albani
,, Epiſcopo Sabinen. Cauſſæ Ponente, ac Jo-
,, ſepho Maria Feroni Sac. hujus Congrega-
,, tionis Rituum Præfecto, necnon R. P.
,, Carolo Alexio Piſani Fidei Promotore,
,, meque infraſcripto Secretario, duo re-
,, propoſita, & diſcuſſa miracula in prædi-
,, cta Congregatione particulari approbavit
,, in tertio genere, nempe *inſtantaneæ ſa-*
,, *nationis pueri Sebaſtiani Luzark ab he-*
,, *reditaria & confirmata phtiſi*; & *ſu-*
,, *bitæ ſanationis puellæ Heduigis Pas-*
,, *kovunæ ab acuta febri cum integra, &*
,, *abſoluta virium omnium reſtitutione*:
,, atque alia tria in Congregatione Genera-
,, li examinata miracula pariter approba-
,, vit; primum in ſecundo, ſecundum ve-
,, ro, & tertium in tertio genere, & ſunt
,, I. *Regreſſus mercium in flumen Sol-*
,, *prolapſarum, & præterfluentium aqua-*
,, *rum impetu procul raptarum adverſo*
,, *flumine ad locum demerſionis*. II. *In-*
,, *ſtantaneæ ſanationis Mariannæ Gavuli-*
,, *ckæ a gravi pernicioſa febri in mortis*
,, *agonem adductæ cum ſubita, & perfe-*
,, *cta virium reintegratione*; ac III. de-
,, mum *inſtantaneæ, & integræ ſanatio-*
,, *nis magni, & profundi ulceris, a ju-*
,, *gulo ad fauces uſque fere omnia præter*
,, *tendines, & majora vaſa depaſti, ſor-*
,, *didi, & fœtidiſſima tabe ſcatentis cum*
,, *alimentorum per ejuſdem oſtium lapſu*
,, *in perſona Antonii Olexovvic*. Divino
,, autem conſilio factum videtur, ut hoc
,, de prædictorum quinque miraculorum
,, BEATI JOANNIS CANTII approbatione
,, decretum ea potiſſimum die prodeat,
,, qua admirabilis Jeſu nominis jucunda
,, memoria recolitur; quum univerſa,
,, quæ de omnibus Dei Servis mira per-
,, hibentur, ejus ipſius nominis virtute
,, patrata eſſe, divinis Litteris doceamur.
,, Profecto ſi uſquam alibi Mariæ nomen,
,, apud Polonos certe ſingularem habet ve-
,, nerationem; atque idipſum multo ma-
,, gis de Sanctiſſimo Jeſu nomine apud eoſ-
,, dem factum iri, ſpondet excellens illo-
,, rum religio: non modo propter ineffabi-
,, lem tanti nominis dignitatem, ſed etiam
,, quia ſacra huic auguſtiſſimo nomini die me-
,, morati BEATI miracula probata fuerint.
,, Ita ſane, & fervidis, atque iteratis Natio-
,, nis illius nobiliſſimæ votis ſatis ſiet, & a-
,, vitæ ejuſdem pietati novum incitamen-
,, tum, & calcar accedet. Hoc autem de-
,, cretum SANCTITAS SUA in Acta Sacræ
,, Congregationis Rituum referri, & publi-
,, cari mandavit. Hac die prima Janua-
,, rii 1767.

Joſeph Maria Card. Feroni Præfectus.

Loco ✻ Sigilli.

V. Macedonius Sac. Rit. Congreg. Secretarius.

Neque hic ſtetit vigilantiſſimi PONTIFICIS diligentia, ſed VI. Kalendas Februarias Generalia coram ſe Comitia iterum habuit, in qui-

quibus Eminentiſſimos Patres, ac Reverendiſſimos Conſultores eſt ſciſcitatus, *auſtante approbatione prædictorum miraculorum tuto procedi poſſet ad ſollemnem dicti* Beati *Canonizationem*, quorum omnium etſi unus fuerit ſenſus, prudentiſſimus tamen Pontifex eo Oraculum ſuæ vocis emittere diſtulit, donec iv. Nonas Februarii Spiritu veritatis afflante, dum Deiparæ Virginis Purificationem [1] ſollemni ritu Eccleſia proſequeretur, decretum Canonizationis B. Joannis Cantii quandocumque peragendæ, edi mandavit.

CRACOVIEN.

Canonizationis BEATI JOANNIS CANTII Presbyteri Secularis, & in Alma Univerſitate Academiæ Cracovien. Sacræ Theologiæ Doctoris, & Profeſſoris.

„ Vitæ celebritatem Beati Joannis „ Cantii ſancte peractæ eximiis „ in gradu heroico virtutibus conjunctæ, „ quamobrem maxime Polonæ nationi ad„ mirationi fuit, quam D. O. M. ut lux „ Eccleſiæ nitidior refulgeret, famulique „ ſui greſſus non tantum Poloni ſui Ci„ ves, verum etiam univerſi fideles imita„ rentur, confirmare voluerit vehementius „ ob

1 De hujus Feſti antiquitate diſputant inter ſe eruditi. Cardinalis Baronius in *Notis ad Martyrologium Romanum* fuit in ſenſu, S. Gelaſium PP. I., qui ad finem V Eccleſiæ ſeculi, anno ſcilicet ccccxcii. Petri Cathedram aſcendit, impuriſſima Lupercalia, quæ Romæ xv. Kalendas Martias celebrabantur, proſcripſiſſe, eorumque loco feſtivitatem Purificationis Deiparæ Virginis invexiſſe. Lupercalia ſollemnia quædam ſacra erant, quæ a Paganis in honorem Panis Paſtorum Dei fiebant, cui Lupercus cognomen erat, quod non ſineret, lupos in oves ſævire: Juſtinus *Hiſtor. lib. 43.*, Servius in 8. *Æneidum*. Hæc ſacra ab Evandro ex Arcadia in Latium advecta primum fuere. Horum ritus tum hic fuit, capram Paſtores immolabant, deinde variis ludis, rejectis veſtibus ſeſe exercebant. Romulus item creditur inſtituiſſe, ut canis immolaretur; Lupæ nutrici ſuæ gratias hoc facto referens: nam canis natura adverſatur lupis. Temporis denique progreſſu pro capra hircus cœptus eſt immolari, & Sacerdotes, qui Luperci appellabantur, ſacrificio peracto, faciem ſibi larva tegere, vel potius ſanguine fœdare, & nudi diſcurrere circa Palatinum montem cœpere. Adoleſcentes accurrebant cum lana lacte madida, qui tabum abſtergerent. Factum etiam aliquando fuit, ut hirci pellem in lora ſecarent, iiſque loris obvias quaſque fœminas circa uterum & manus cæderent. Quæ enim mulieres ex ſuis viris vel concipere, vel conceptos fœtus edere nequirent, ad Lupercos confugiebant, credentes gravidas, aut effœtas e veſtigio effici ſtatim ac a Lupercis loris hirci fuiſſent cæſæ: Ovidius *lib. 2. Faſtorum v.* 381.

Putavit etiam Baronius *ad ann. Chr.* dxliv., hanc Purificationis ſollemnitatem in Oriente poſtmodum uſu fuiſſe receptam ſub Juſtiniani Imperio, eo quia peſtifera lues, quæ adeo Conſtantinopolitanam depopulabatur Urbem, ut referente Procopio *lib. 2. de bello Perſico*, quandoquidem quinque, quandoquidem decem millia hominum ſingulis fere diebus decederent, Virginis interceſſione omnino ceſſaverit. In Baronii ſententiam veniunt quoque Thomaſinus *de Dierum feſtorum celebratione lib 2. cap. 11.*, Florentinus *in Exercit. 3. ad diem v. Februarii*, Baillet *in Hiſtoria hujuſce Feſtivitatis*, Pater Honoratus a S. Maria Carmelita excalceatus *in Animadverſionibus de Regulis critices tom. 2. lib.3. diſſert. 5.* Vert. *de Ceremoniis Eccleſiæ tom. 2. p. 17.* Frontonus in *Notis ad Kalendarium Romanum*, Leo Allatius *de Hebdom. Græcor. §. 1. pag.*1403., & Joſephus Bingamius Scriptor Heterodoxus, qui *tom. 9. lib. 20. cap. 8. §. 5.* noſtratum teſtimonio contendit, feſtum hujuſmodi ante Juſtiniani tempora in Oriente minime fuiſſe inſtitutum.

Antonius Paggi *in Critica ad Baronium an.* dxliv. *num. 7.* Edmundus Martene *de antiqua Eccleſia diſciplina cap.15.*, & eruditus Saſſius in *Diſſertat. apologet. de Corporibus SS. Gervaſii, & Protaſii num.14.* a ſententia laudatorum Scriptorum recedunt exiſtimantes, multo ante Juſtiniani Imperatoris ætatem in Oriente, & ante Pontificatum Gelaſii in Occidente diem hunc feſtum Purificationis Matris Dei fuiſſe celebratum; in cujus rei argumento pervetuſtum producunt Occidentalis Eccleſiæ Martyrologium, quod Caſſiodorus, Ven. Beda, & Valafridus Strabo S. Hieronymo, qui Bethlehem, Theodoſio Juniore imperante anno ccccxx. nonagenario major deceſſit, attribuunt, in quo Martyrologio iv. Nonas Febr. hæc occurrunt verba: *Purificatio S. Mariæ Matris Domini noſtri Jeſu Chriſti*; quæ verba ſiquis autumaret ab aliquo amanuenſi poſteriori ævo fuiſſe ſuperaddita, hoc tamen certe nunquam ſibi in animum inducere poſſet & de illis, quæ Nonis Januarii in eodem Martyrologio leguntur: *in Hieroſolyma Simeonis Prophetæ, cum obtulit ei Dominum Jeſum Chriſtum Maria, & Joſeph, & depoſitio ipſius Prophetæ*, quemadmodum opportune advertit Sebaſtianus Tillemont vir eruditiſſimus, & in arte critica verſatiſſimus in *Nota 7. ad Hiſtoriam Chriſti*, quo in loco etiam admonet circa v. Eccleſiæ ſeculi medietatem Hieroſolymæ ſollemni ritu feſtivitatem hanc fuiſſe expletam, idque ex hiſtoria S. Theodoſii Abbatis probat. Ac tandem Hunſchenius Societatis Jeſu *in continuatione Bollandi ad diem ſecundum Januarii* oſtendit, ante laudati Baronii epocham apud Phœnices, Syros, Cophtos, & Inſulæ Cypri habitatores ſumma celebritate feſtum hunc Purificationis diem fuiſſe habitum.

„ ob quinque miraculorum conceſſionem „ dicto BEATO intercedente patratorum, „ quæ poſt maturas diſcuſſiones SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER PAPA CLEMENS XIII. die prima Januarii currentis anni Apoſtolico auctoritatis ſuæ robore firmavit, propoſitum exinde fuit dubium in Congregatione Generali coacta „ die 27. elapſi menſis coram SANCTISSIMO: „ *An ſtante approbatione prædictorum miraculorum tuto procedi poſſit ad ſollemnem dicti* BEATI *Canonizationem*: cui „ Patribus unanimi ſenſu, collatis ſuffragiis, affirmative reſpondentibus, non „ ante tamen SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER hoc divini potius, quam humani „ judicii opus abſolvere percenſuit, quam „ os Domini conſulere. Hinc jam recurrente in univerſa Eccleſia Virginis „ Mariæ Purificationis die, quo Sacratiſſima Mater templo excelſior in templum aſcendit, duplicem induta gloriam intemeratæ virginitatis, & ineffabilis fœcunditatis, ipſo adſpirante Numine, factum eſt, ut SANCTITAS SUA, „ Sacro expleto, coram ſe accerſitis Reverendiſſimis Cardinalibus Joanne Franciſco Albani Epiſcopo Sabineu. Cauſæ „ Relatore, & Feroni Sac. Rituum Congregationi Præfecto, nec non R. P. Carolo Alexio Piſani Fidei Promotore, „ meque infraſcripto Secretario, præſens „ Canonizationis BEATI JOANNIS CANTII „ quandocumque faciendæ decretum ediderit, & in Acta Sac. Rituum Congregationis redigi mandaverit. Hac die 2. „ Februarii 1767.

Joſeph Maria Card. Feroni Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

V. Marcdonius Sar. Rit. Congreg. Secretarius.

QUÆ proxime ſequitur eſt Cauſa B. JOSEPHI Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum [1] eximii Parentis, quem ex illuſtri Calaſanctiorum genere

---

[1] *Plura*. & quidem præclara de religioſiſſima Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Familia poſſemus in medium producere, ſi nobis locus eſſet de illa fuſiori calamo hic diſſerere, ſed quia notarum anguſtia non ſinit multum hac de re verba facere, contenti tantum erimus pauca, & vix per ſumma capita adnotare de illius origine, & incremento.

Clemens PP. VIII. æternæ memoriæ Pontifex Eccleſiam moderabatur, cum JOSEPHUS CALASANCTIUS, cui unice cordi erat in litteris, & pietate pauperrimos pueros imbuere, ut eiſdem bene inſtitutis, obex quidam inundantibus undique vitiis poneretur, diu multumque excogitatam operam Scholarum Piarum aggreſſus anno MDXCVII. illius fundamenta poſuit Romæ in Eccleſia S. Dorotheæ.

Jacet hæc Eccleſia in Regione Tranſtiberim inter Pontem Janiculenſem, qui nunc a Sixto PP. IV., qui illum reædificavit nomen habet, & Portam Septimnianam, ad radices Montis Janiculi, nunc Aurei. In hac ipſa Eccleſia anno MDXXIV. S. Cajetanus Ordinem Clericorum Regularium, qui Theatini appellantur, inſtituit. Parochialia jura Rector hujuſce templi obtinuit ad tempora uſque Benedicti PP. XIII., qui Parœciam ad propinquam Eccleſiam S. Joannis de Malva tranſtulit, & hanc Minoribus Conventualibus incolendam dedit, qui eamdem vetuſtate collabentem elegantiori forma anno MDCCLII. a fundamentis iterum ædificarunt.

Socios habuit JOSEPHUS in hoc aggrediendo opere Antonium Brendani, cui Parœcia S. Dorotheæ erat demandata, nonnulloſque pios alios Sacerdotes, qui Congregationi, quam Doctrinæ Chriſtianæ vocant, erant adſcripti, ſed cum hi puerorum multitudini ſatis non eſſent, plures alios ære conductos magiſtros allegit.

Interim cum in diea puerorum numerus, qui ad Scholas accedebant, Domino labores, ſtudium, ac vigilantiam JOSEPHI benedicente, adaugeretur, e Regione Tranſtiberim haſce Scholas in medium Urbis aſportare decrevit ſeculari anno MDC. recurrente; eaque de cauſſa domum ſitam inter forum Floræ & templum S. Andreæ de Valle, ita a celeberrima gentis de Valle Familia nuncupatum, conduxit; tuncque Clemente PP. VIII. apprime id ſuadente, ſodales ſuos in Congregationem Sacerdotum Secularium collegit, cujus Congregationis repugnans licet, & totis reluctans viribus Præfectus conſtituitur.

Neque hic locus eſt uberrimos fructus exponere, qui in Romanos, exteroſque pueros ex hujuſmodi Congregatione provenere; illud tamen præ omnibus dicendis ſufficiat, duo Sacri Cardinalium Collegii lumina & ornamenta Sylvium Antonianum, & Cæſarem Baronium illam ſummis laudibus cumulaſſe; quibus etiam accenſendum exiſtimamus judicium, quod de eiſdem Scholis dedit Ven. Dei Servus Joannes Leonardi Clericorum Regularium Matris Dei Congregationis Lucenſis Fundator, cujus Ven. Viri virtutes fuere jam per ſa: mei Benedictum PP, XIV. heroicæ declaratæ.

Paulus PP.V., qui XVII. Kalendas Aprilis MDCV. Petri Cathedram aſcendit, non ſolum quia bene erga Congregationem Scholarum Piarum erat affectus, verum etiam quia continuo Cintium Paſſeri Cardinalem Aldobrandinum, & Alexandrum Peretti Cardinalem Montaltum de eadem Congregatione omnia bona

nere Petræ altæ Salis non ignobilis Aragoniæ Regni Oppidi editum, CALASANCTIUM vocant, qui ſenio confectus nonagenario major, omnibuſque clarus virtutibus, in Urbe VII. Kalendas Septembris MDCXLVIII. ad S. Pantaleonis placidiſſimam mortem obiit;[1] quæ virtutes eum altiſſimis ita in Beato Viro defixæ fuiſſent radicibus, ut nunquam ulla ærumnarum, calamitatumve vi labefactari potuerint, nunquam loco dimoveri, fuerunt in cauſſa, ut vix biennio a felici ejus morte elapſo, Martius Cardinalis Ginetti[2], qui Pontificis perſonam gerebat ad eaſdem virtutes inquirendas cogitationes converterit.[3] Res tamen agitata non eſt in Congregat. Sacrorum Rituum uſque ad IV. Nonas Octobris MDCLXVII. per Scipionem Card. de Ilcio[4], quo etiam anno Clemens PP. IX. Commiſſionem introductionis Cauſſæ firmavit[5].

Idibus Aprilis MDCLXX. Cardinalis de Ilcio ex numero vivorum deturbatur, Gaſpar Card. Carpineus[6] in Cauſſæ Relatorem conſtituitur, quo accurante IV. Idus Augu-ſti

---

bona dicere, & Romanæ Urbis fortunas, quæ tales viros, magiſtros, & juventutis inſtitutores haberet, non ceſſabant laudare, ut a malevolis illam tutam, defenſamque redderet IX. Kalendas Aprilis eidem in Patronum dedit Ludovicum Torres Archiepiſcopum Montis Regalis S.R.E. Cardinalem Tituli Sancti Pancratii, & Bibliothecarium Apoſtolicum, cui anno MDCIX. VII. Idus Julii e numero vivorum ſublato, Benedictum Cardinalem Juſtinianum ſubrogavit.

Sedulam Cardinalis Juſtinianus, cui JOSEPHI virtutes, & quæ utilitas in Eccleſiam, & Rempublicam ex Congregatione Scholarum Piarum proveniret, optime erant perſpectæ, navare cœpit operam in iſtius Congregationis commodum, & incrementum; ac proinde, ut futuris etiam temporibus firma, ac ſtabilis remaneret, id ſummopere JOSEPHO efflagitante, effecit, ut XIX. Kalendas Februarii MDCXIV. per Litteras Pauli PP. V. Congregationi Lucenſi, de qua ſuperius diximus, uniretur; ſed cum ex hac ſocietate non multum commodi, & augmenti in Scholas Pias redundaret; idem Pontifex VIII. Idus Martii MDCXVII. haſce Scholas a Lucenſi Congregatione ſeparavit, ac novam ex Scholarum Piarum magiſtris Congregationem conſtituit, in qua vota ſimplicia, ut ajunt, per illius Alumnos emitterentur, eamque a ſuo nomine Paulinam appellavit, & eidem CALASANCTIUM in Præfectum dedit.

Anno MDCXXI. VII. Kalendas Februarii Paulus PP. V., qui JOSEPHUM, ejuſque Scholas tanto amplexatus fuerat amore, novem & ſexaginta annos natus moritur, eique V. Idus Februarii, quo die Conclavem fuerat ingreſſus, ſummo duo & quinquaginta Cardinalium conſenſu ſufficitur Alexander Ludoviſius, Pompeii, & Camillæ Blanchiniæ filius, Archiepiſcopus Bononienſis, Tituli S. Mariæ Tranſpontinæ, annum agens ſexageſimum ſeptimum, qui Gregorii PP. XV. nomine voluit inſigniri. Hic ſummam in JOSEPHUM habens venerationem, & indubiam ejus ſanctitatis opinionem, non modo propter heroicas, quibus refulgebat, virtutes, ſed etiam quia ad Conclavem venienti ſummos Eccleſiæ honores prophetico impulſu prædixerat, hanc ipſam Paulinam Scholarum Piarum Congregationem in veram Religionem erexit XIV. Kalendas Decembris MDCXXI.

His igitur tali pacto conſtitutis D. O. M., ut JOSEPHI virtutes, tamquam aurum in fornace probaret igne tribulationum, permiſit, ut inimico homine zizaniam ſuperſeminante, tales ac tantæ procellæ, ac tempeſtates in hanc bene moratam inſurgerent Familiam, ut Innocentius PP. X., cui adverſariorum, & malignantium minime comperta erat iniquitas XVI. Kalendas Aprilis MDCXLVI. illam ex Regulari Familia in Congregationem Presbyterorum Secularium adinſtar Congregationis S. Philippi Nerii redegerit.

Non multum autem temporis procella hæc, & calamitas Familiam Scholarum Piarum exagitavit. Nam IX. Kalendas Februarii MDCLVI. primum Alexander PP. VII. eaſdem Scholas Pias in Congregationem votorum ſimplicium reſtituit; ac tandem Clemens PP. IX. anno MDCLXIX. X. Kalendas Novembris iterum ad gradum veræ Familiæ Regularis eamdem ſummo Eccleſiæ, & Reipublicæ bono ſublimavit.

Qui plura de hac pia Familia ſcire deſiderat, conſulere poteſt Alexium a Conceptione, & Vincentium Talenti in *Vita* S. JOSEPHI CALASANCTII; Bartholomæum Piazza *in Encolog. Rom. Tract. 3. cap. 13. 14.*, Aſcanium Tamburini *de jur. Abbat. diſp. 24. quæſt. 8. num. 6.*, Philippum Bonanni Catalog. Ord. *Relig. par. 1.*, & eruditum Patrem Helyot *Hiſtoire des Ordres Monaſtiques, Religieux, & Militaires tom. 4. par. 3. cap. 39. pag. 181. edit. Pariſ. 1705.*

1 *Ex prim. Fact. concord.* §. 1.

2 *Martius Ginettus* Veliternus plurimis Romanæ Curiæ Muneribus ſatis illuſtris, fuerat enim utriuſque Signaturæ Referendarius, Congregationis Conſultæ a Secretis, & Domus Pontificiæ Præfectus, III. Kalendas Februarii MDCXXVI. ab Urbano PP. VIII. Diaconus Cardinalis S. Mariæ Novæ eligitur; ex qua Diaconia optavit primum Diaconiam S. Angeli in Foro piſcium, deinde illam S. Euſtachii. Ex Diaconis poſtmodum inter Presbyteros Cardinales cooptatus habuit Titulum S. Mariæ Angelorum, quod cum illo S. Petri ad Vincula commutavit, ex quo tranſitum fecit ad Sanctæ Mariæ Tranſtiberim. Hinc fit Epiſcopus Albanenſis, ex qua Eccleſia primum ad Sabinenſem, deinde ad Portuenſem tranſlatur. Obiit Romæ MDCLXXI.

3 *Cit. Fact. concord.* §. 2.

4 *Scipio de Ilcio* Senenſis primum Referendarius Signaturæ, hinc Firmi Prætor, tum anno MDCXXXI. Epiſcopus Pientinus, deinde Archiepiſcopus Piſanus, ac tandem anno MDCLVIII. Cardinalis Tituli S. Sabinæ conſtituitur ab Alexandro PP. VII. Deceſſit Idibus Aprilis MDCLXX.

5 *Cit. Fact. concord.* §. 3.

6 *Gaſpar Carpineus* Romanus Sacræ Rotæ Audi-tor

ſti MDCLXXXIV. quæſtio, quæ de non cultu dicitur, ſecundiſſimum exitum habuit [a]. Hinc de rumore, ſeu ſanctitatis fama III. Kalendas Auguſti MDCLXXXIX. diſceptatio fuit, [a] cui cum finis eſſet impoſitus, Poſtulatores, quibus unice in votis erat ſupremam manum quantocius Cauſſæ admovere, properarunt quammaxime ut Apoſtolicæ Sedis auctoritate de virtutibus, & miraculis Acta conficerentur, quorum validitate XIII. Kalendas Octobris MDCXCII. [a] diligentiſſime obſervata, tandem earumdem virtutum examini in Congregatione Antepræparatoria dictus eſt dies XIV. Kalendas Octobris MDCCVIII.

ROMANA

Beatificationis, & Canonizationis Ven. Servi Dei P. JOSEPHI A MATRE DEI Fundatoris Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum.

FACTUM CONCORDATUM

1 „ VEN. Servus Dei JOSEPHUS A „ MATRE DEI Fundator Cleri- „ corum Regularium Pauperum Matris Dei „ Scholarum Piarum natus de Anno 1556. „ in Oppido Peraltæ de la Sal [4] Regni Aragoniæ Diœc. Urgellen. ex nobili Familia „ Calaſantia, obdormivit in Domino 1648. „ die 25. Auguſti in Domo S. Pantaleonis „ de Urbe [5] ætat. ann. 92. cum magna ſanctitatis, virtutum, & miraculorum fama.

2 „ Fuerunt propterea de anno 1650. „ constructi Proceſſus per Eminentiſſimum „ Dominum tunc temporis Cardinalem Vicarium auctoritate Ordinaria tam ſuper „ vita, ſanctitate, & miraculis præfati Servi Dei, quam ſuper non cultu, & paritione decretis Sa: Me. Urbani VIII., & „ ſucceſſive per eumdem Eminentiſs. Urbis „ Vicarium deſuper prolata fuit ſententia „ favorabilis die 7. Septembris ejuſdem „ anni 1650.

3 „ Exhibitis deinde dictis Proceſſibus „ S. Rit. Congregationi, & deputato per „ decretum ſa: me: Alexandri VII. ſub „ die 8. Aprilis 1665. Eminentiſs. Cardinali de Ilcio in Relatorem Cauſſæ præfati Servi Dei, & ſubſequenter ſacta per „ eumdem relatione de vita, morte, & „ geſtis Ven. Servi Dei in Congregatione „ habita ſub die 4. Octobris 1667. coram „ ſel.

tor XI. Kalendas Jan. MDCLXX. a Clemente PP. X. Cardinalis Tituli Sanctæ Pudentianæ renunciatur; ex quo optavit primum Titulum S. Sylveſtri in Capite, deinde S. Mariæ Transtiberim. Obiit Epiſcopus Sabinenſis, & Domini PP. Vicarius VIII. Idus Aprilis MDCCXIV.

1 *Cit. Fact. concord.* §. 4.

2 *Cit. Fact. concord.* §. 6.

3 *Cit. Fact. concord.* §. 7.

4 De Peralta Salis agit Raymundus Dalman de Racoberti in libro idiomate hiſpano conſcripto, ac Matriti anno MDCLI. edito, cui titulus *Caſa de los Condes de Paralda*.

5 Hæc S. Pantaleonis Martyris Eccleſia, quæ Parochialia jura obtinebat, anno MDCXXIII. VII. Kalendas Martii a Gregorio PP. XV. Clericis Regularibus Scholarum Piarum fuit attributa, translata Parœcia in proximam Diaconiam S. Euſtachii.

Hujus S. Pantaleonis Martyris, qui artem medicam exercuit, quique Nicomediæ anno CCCXI. Galerio Maximiano imperante mortem pro Chriſti Fidei defenſione eſt paſſus, illuſtre tum in Oriente, tum in Occidente fuit nomen. Erat ejus memoriæ templum perantiquum Conſtantinopoli dicatum, quod vetuſtate collapſum Juſtinianus Imperator a fundamentis reſtituit, teſte Procopio *lib. 1. de ædificiis Juſtiniani Imperatoris*, qui pariter *lib. 5.* enarrat, eumdem Imperatorem, ut honores Sancto Martyri adaugeret, alterum ampliſſimum templum illius nomini inſcriptum in Palæſtina ædificaſſe.

Ejus Reliquiæ ſumma religione Conſtantinopoli in loco, qui Concordia dicebatur, ubi Œcumenica Synodus V. Conſtantinopolitana II. pro trium Capitulorum quæſtione fuit celebrata, ſervabantur; deque iis agit S. Joannes Damaſcenus *lib. 3. de Imaginibus*.

Sigebertus, Gemblacenſis in Brabantia Gallicana Cœnobii Monachus, qui anno MCXIII. obiit, refert *in Chronico*, caput S. Pantaleonis anno DCCCII. ex Africa in Galliam fuiſſe translatum, de cujus etiam translatione extat adhuc carmen Agobardi Epiſcopi Lugdunenſis. Ejus ſanguis Romæ in templo S. Mariæ in Vallicella: Neapoli in Æde S. Severi, & Ravelli, quæ Urbs quinque millia paſſus ab Amalphio diſtat, in Cathedrali Eccleſia religioſiſſime aſſervatur, ut enarrat Boldettus *Oſſervazioni ſopra i Cimiterj pag. 137.*, qui rem miram profecto addit, nempe in ejuſdem Sancti feſto, eumdem liqueſcere ſanguinem, quod etiam affirmant Lualdus *tom. 1. lib. 4. cap. 26.*, & Paulus Fuſchus *de Viſit. & regim. Eccl. lib. 1. cap. 8.*; qua occaſione ipſe Boldettus advertit tres omnino diverſos colores in eodem ſanguine tum apparere, primum nempe purum, ac rubore plenum, alterum fuſcum, ac tertium tandem terreum, qua ex re eruditus vir concludit pios illos Chriſtifideles, qui Martyrum ſanguinem in vitreas immittebant ampullas, arenam quoque, ac terram illo conſperſas ſæpiſſime collegiſſe *loc. cit. pag. 186.*

Google

„ fel. rec. Clementis IX. pro ſignanda Commiſſione introductionis Cauſæ dicti Ven. „ Servi Dei, placuit ipſi præfatam Commiſſionem ſignare ſub eodem die, & anno, quibus ſupra.

4 „ Vigore ejuſdem Commiſſionis diſcuſſum fuit in actis Sac. Rit. Congregationis „ dubium ſuper validitate Proceſſus auctoritate Ordinaria, & relevantia ejuſdem „ ſuper cultu non exhibito eidem Servo „ Dei, & paritione decretis fel. rec. Urbani VIII., & ad mei relationem, ſucceſſive deputati in Relatorem Cauſæ, Sacra „ Congregatio decrevit ſub die 12. Auguſti 1684. *Conſtare de ſufficienti paritione „ decretis S. M. Urbani VIII. ſuper non „ cultu*, & ſubinde hoc decretum fuit approbatum a fel. rec. Innocentio XI. ſub „ die 26. Auguſti ejuſdem anni, qui ſupra.

5 „ Porrectis deinde per Poſtulatores Cauſæ precibus huic Sac. Congregationi pro „ mei delegatione cum facultate ſubdelegandi Epiſcopos mihi bene viſos ad effectum „ conficiendi auctoritate Apoſtolica Proceſſum in Urbe, ſuper fama ſanctitatis, virtutum, & miraculorum in genere tantum præfati Ven. Servi Dei, Sac. Congregatio ſub die 2. Decembris 1684. benigne induſit cum præfixione termini unius anni, quo elapſo, alios terminos „ ſucceſſive conceſſit ad complementum „ ejuſdem Proceſſus.

6 „ Expleto deinde præfato Proceſſu, „ propoſitum per me fuit in S. Congregatione dubium: *An conſtet de validitate Proceſſus auctoritate Apoſtolica confecti ſuper fama ſanctitatis, virtutum, & „ miraculorum in genere, & teſtes in eo „ ſint rite, & recte examinati, necnon „ an conſtet de relevantia, itaut procedendum ſit ad inquiſitionem in ſpecie, „ in caſu &c.*, & declaratum fuit ſub die 30. „ Julii: *Conſtare de validitate prædicti „ Proceſſus, & etiam de illius relevantia, „ ſi Sanctiſſ. Domino noſtro placuerit*: & „ facta de prædictis fel. rec. Alexandro VIII. „ relatione, Sanctitas Sua benigne annuit „ ſub die 7. Novembris 1689.

7 „ Proſecutis propterea pluribus aliis „ Proceſſibus auctoritate Apoſtolica in ſpecie ſuper ſanctitate vitæ, virtutibus, & „ miraculis præfati Ven. Servi Dei, propoſitum per me fuit in Sac. Congregatione „ dubium: *An conſtet de validitate Proceſſuum auctoritate Apoſtolica in ſpecie in „ Urbe peractorum, teſtes in iiſdem ſint „ rite, & recte examinati, & jura producta ſint legitime compulſata in caſu &c.*, & ſub die 19. Septembris 1693. „ in omnibus fuit reſolutum: *Conſtare*: factaque relatione fel. rec. Innocentius XII. „ benigne annuit ſub die 30. Septembris „ ejuſdem anni 1693.

8 „ Nunc autem ſupplicantibus Poſtulatoribus, ſubſcripſi ſequens dubium cum „ Reverendiſs. Domino Fidei Promotore „ concordatum.

An conſtet de virtutibus Theologicis, Fide, Spe, & Caritate in Deum, & Proximum, & de Cardinalibus, Prudentia, Juſtitia, Fortitudine, Temperantia, & earum annexis in gradu heroico, in caſu, & ad effectum, de quo agitur.

G. Card. Carpineus.

Iterum, ac tertium VII. Idus Septembris MDCCXVII., & MDCCXXVIII. ad diſquiſitionem revocatis virtutibus, omnibuſque ad divinarum Litterarum, eccleſiaſticorum Canonum, & diſciplinæ Sac. Rituum Congregationis præcepta probe conſideratis, æternæ memoriæ Pontifex Benedictus PP. XIII. exoptatam dixit ſententiam;[1] quamobrem Joſephus Maria Cardinalis Imperialis[2], qui in hac Cauſſa partes Relatoris obtinebat, tunc cum Poſtulatoribus impigrè curam, cogitationemque omnem in mira-

 cula

1 *Ex ſecundo Fact. concord.* §. 1.

2 *Joſeph Renatus Imperialis* Januenſis Clericus Cameræ, ac Pontificii Ærarii Præfectus Idibus Februarii MDCXC. ab Alexandro PP. VIII. inter Diaconos Cardinales adſcribitur, donaturque Diaconia Sancti Georgii ad Velum aureum, qua dimiſſa Titulum Sancti Laurentii in Lucina optavit: deceſſit XVII. Kalendas Julii MDCCXXXVII.

cula contulit; proindeque effecit, ut de eiſdem Teati ſtatim inchoaretur inquiſitio, in qua teſtes locupletiſſimi teſtimonium dedere [1].

Poſt hæc cum nova in dies portenta, atque prodigia ab omnipotenti dextera Excelſi, Beati viri patrocinium Chriſtifidelibus invocantibus, oſtenderentur, atque demonſtrarentur, Leander Cardinalis Porzia [2] in Imperialis locum ſuffectus, amplam occaſionem Cauſſam hanc ad expetitum finem citiſſime perducendi nactus dedit operam, ut Florentiæ alii exararentur Proceſſus [3].

Jam erant Proceſſus hujuſmodi abſoluti, & ad judicium ſubeundum neceſſaria quæque parabantur, cum ad Poſtulatorum aures pervenit, in dubium a pleriſque adduci firma in poſterum uſas ſemper fuiſſe valetudine Virginem Chriſtinam Cecchetini Sanctimonialem Capuccinam, quæ plurimis, omnibuſve graviſſimis diu, multumque affecta, atque afflictata morbis, momento temporis Beati ope priſtinæ fuit ſanitati reſtituta, & Margaritam Tantari, quæ ſimul atque Joſephi expoſtulavit auxilium, a diuturno aneuriſmate illico libera evaſerat, hinc Poſtulatores non modo opportunum, quin potius neceſſarium exiſtimarunt, quæſtionem & hac de re inſtituere, [4] ut cum de eiſdem agendum foret miraculis, res dubitationem nullam haberet.

Feliciter, ut mente præconceperant, hæc nova diligentia Poſtulatoribus ceſſit, ſummo enim plauſu hæc fuere miracula excepta in tribus frequentiſſimis doctiſſimorum Patrum Conventibus, quorum unus in ampliſſima Franciſci Cardinalis Burgheſii [5] domo XVII. Kalendas Junii MDCCXLV., alter in Pontificiis Quirinalibus Ædibus XII. Kalendas Aprilis MDCCXLVII. penes Sac. Rituum Congregationis Cardinales, [6] ac tertius tandem apud ipſum Eccleſiæ lumen, & ornamentum Benedictum PP. XIV. IX. Kalendas Maii MDCCXLVIII. indictus fuit, atque celebratus.

ROMANA

Beatificationis, & Canonizationis Ven. Servi Dei P. JOSEPHI A MATRE DEI Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum piarum Fundatoris.

FACTUM CONCORDATUM.

1 „ POſt conſuetas binas prævias Con-
„ gregationes Antepræparatoriam,
„ & Præparatoriam propoſito in Congre-
„ gatione Generali coram ſa: me: Benedi-
„ cto XIII. habita die 7. Sept. anni 1728.
„ per el: me: Cardinalem Imperialem du-
„ bio ſuper heroicitate virtutum prædicti
„ Ven. Servi Dei, Sanctitas Sua auditis
„ prius DD. Conſultorum, deindeque Re-
„ verendiſſimorum DD. Cardinalium ſuffra-
„ giis, implorataque de more cæleſtis lu-
„ minis, & auxilii ope, ſequenti die 8. ejuſ-
„ dem menſis & anni Nativitati B. Mariæ
„ Virginis [7] dicata, ſollemniter pronun-
„ ciavit: *Conſtare de virtutibus Theolo-
„ galibus, Fide, Spe, & Caritate erga
„ Deum*

1 *Cit. Fact. concord.* §§. 2. & 3.

2 *Leander Porzia* Forojulienſis Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Caſſinenſis, ex Abate Sancti Pauli in via Oſtienſi Epiſcopus Bergomenſis, pridie Kalendas Maii MDCCXXVIII. S. R. E. Cardinalis Tituli Sancti Calliſti a Benedicto PP. XIII. declaratur; obiit IV. Idus Junii MDCCXL. dum Comitia pro novo eligendo Pontifice poſt mortem Clementis PP. XII. haberentur.

3 *Cit. Fact. concord.* §§. 5. 6. 7. & 8.

4 *Cit. Fact. concord*, §§. 12. 13. & 14.

5 *Franciſcus Burgheſius* Romanus a Benedicto PP. XIII. pridie Nonas Julii MDCCXXIX. Cardinalis Tituli S. Sylveſtri in Capite eligitur, ex quo optavit Titulum Sanctæ Mariæ Tranſtiberim; obiit Romæ Epiſcopus Portuenſis XI. Kalendas Junii MDCCLIX.

6 *Cit. Fact. concord.* §§. 15. & 16.

7 Etſi nonnulli contendunt feſtum Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis jam inſtitutum S. Auguſtini ætate fuiſſe, eo maxime quia in officio hujuſce ſollemnitatis ſermo ejuſdem ſancti Doctoris proſtat, nihilominus ſi attente perpendantur ea, quæ habet idem Doctor *in Sermone* 287., & 292. editionis Patrum Congregationis Sancti Mauri, ubi expreſſe aſtruit in Catholicum Orbem ſolius Chriſti Domini, & Sancti Joannis Baptiſtæ natalem diem tunc temporis agi: *Hinc attendat caritas veſtra, quam magni hominis nativitas facta ſit*, loquitur de Sancto Jo-

„ *Deum, & Proximum; ac de Cardinali-*
„ *bus, Prudentia, Juſtitia, Fortitudine,*
„ *& Temperantia, earumque annexis in*
„ *gradu heroico, in caſu, & ad effe-*
„ *ctum &c.*.

2 „ Abſoluto judicio ſuper virtutibus
„ cum juxta laudabilem Sanctæ Sedis pra-
„ xim tranſitus fieri deberet ad examen
„ miraculorum; & ad Poſtulatorum noti-
„ tiam perveniſſet, aliud miraculum recen-

C 2 „ ter

Joanne Baptiſta, *natales dies carnis nulli Prophetarum, nulli Patriarcharum, nemini Apoſtolorum celebravit Eccleſia; ſolos duos natales celebrat hujus, & Chriſti*; nemo erit, qui expoſitæ ſententiæ improbabilitatem non cognoſcat; neque negotium faceſſere debet laudatus ſermo, qui in officio hujus diei per Eccleſiam legitur, quamvis enim genuinus fœtus Sancti Auguſtini ſit, nihilominus non in Nativitate, ſed in Annuntiatione fuit pronunciatus, ut advertit inter cæteros Florentinus *in Notis ad Martyrologium* 8. *Septembris*: *Quamquam enim Sermo Divi Auguſtini in Eccleſia legatur, & ipſius revera ſit, Nativitati tamen accomodatus eſt; licet in Annuntiatione dictus fuerit*: pari etiam ratione Sauſſai opinio *in Martyrologio Gallicano* 8. *Septembris*, cui etiam adhæſit Saſſius *in Diſſertatione de Corporibus Sanctorum Gervaſii, & Protaſii num.* 16. exploditur, exiſtimantis Sanctum Maurillum Mediolanenſem Sancti Martini Turonenſis diſcipulum, quem Sanctus Ambroſius inter Lectores adnumeraverat, eum eſſet effectus Epiſcopus Andegavenſis, cæleſti impulſu motum feſtum hujuſmodi Nativitatis inſtituiſſe.

Romæ tamen ad finem ſaltem V. Eccleſiæ ſeculi ſollemnitas hujuſmodi fuit in morem recepta, & ſane in antiquo Sacramentario Gelaſiano *pag.* 117. quod Venerabilis Dei Servus Cardinalis Thomaſius edidit, invenitur Miſſa *in Nativitate Sanctæ Mariæ*, quæ vel ipſum Gelaſium PP. vel aliquem ex ipſius Prædeceſſoribus in auctorem agnoſcit: & in Sacramentario Gregoriano, tum juxta editionis Angeli Rochae quod extat *T.* 2. *p.* 1419. *operum S. Gregorii PP. I. editionis Pariſienſis* 1675., tum juxta editionis Menardi *p.* 128. adeſt Miſſa cum orationibus propriis, & Collecta, quæ in ſollemni ſupplicatione erat recitanda, quæ Miſſa forſan, ſicut & aliæ quamplurimæ huic Sacramentario poſt Gregorii Pontificatum fuit ſuperaddita, ut indicare videtur ipſa, de qua illic ſermo occurrit ſupplicatio, quam ſupplicationem Sergius PP. I. qui anno DCLXXXVII. Pontifex electus fuit, inſtituit, veluti in libro Pontificali habetur, præſcribens ut ex templo S. Adriani in foro Boario ad Baſilicam S. Mariæ Majoris Clerus populuſve ſupplicatum accederet; ex quibus antiquis monumentis erroris redarguimus Joannem Andream Schimidium eruditum virum, at a Catholica Communione alienum, qui in *Proluſionibus Marianis* Amſtelodami anno 1721. editis probare nititur Feſtivitatem hanc VIII. ſeculo in Romana Eccleſia minime fuiſſe cognitam, eo quia neque in Concilio Moguntino habito anno DCCCXIII., *Canone* 36. neque in Capitularibus Caroli Magni, & Ludovici Pii *lib.* 1. *cap.* 164. *lib.* 2. *cap.* 35. *lib.* 6. *cap.* 186. de eadem mentio occurrat, advertere enim debuit doctus vir, quod quæ diſciplinæ ſunt, non ſtatim per univerſum Catholicum Orbem amplexantur, ac proinde perperam inferri morem aliquem Romæ in VIII. ſeculo non viguiſſe, quia eadem conſuetudo non fuerat in Gallicanis Eccleſiis recepta.

Ad Gallias quod attinet, quidquid ſenſerit Thomaſſinus *de Dier. feſt. celebr. lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 1., qui autumavit ſeculo XI. feſtivitatem hujuſmodi in Galliis inſtitutam eo quod in *Sermone de Nativitate*, quem habuit Sanctus Fulbertus, qui ab anno MVII. uſque ad annum MXXVIII. vel ut alii volunt MXXIX. Carnotenſem Epiſcopatum obtinuit, legerit hæc verba: *Inter omnes Sanctus memoria Beatiſſimæ Virginis eo frequentius agitur, atque feſtivius, quo majorem gratiam apud Dominum creditur inveniſſe: unde poſt alia quadam ipſius antiquiora ſollemnia non fuit contenta devotio Fidelium, quin Nativitatis ſollemne ſuperadderet hodiernum*; certum eſt nihilominus IX. percurrente ſeculo invectam jam feſtivitatem hujuſmodi in Gallias fuiſſe, anno enim DCCCLXXI. Walterus Epiſcopus Aurelianenſis illam inter ſollemniores feſtivitates adnumeravit, ut eruitur *ex cap.* 18. *Conſtitutionum* ipſius Walteri, & *ex Notis Celotii*, quæ habentur *in Tom.* 8. *Collectionis Conciliorum Labbei p.* 648, *& ex T.* 6. *p.* 279. *Hiſtoria Eccleſiæ Gallicanæ*, quam an. MDCCXXXIII. publici juris effecit Jacobus Longreval Societatis Jeſu, ex quibus factum eſt, ut melioris notæ Scriptores a Thomaſſini opinione recederent, pro quibus omnibus ſatis ſint Fronto *in Notis ad Kalendarium*, Martene *de antiqua Eccleſiæ diſciplina in divinis celebrandis officiis cap.* 34. *num.* 1. Tillemont *nota* 5. *in Hiſtoriam Beatæ Virginis*, Baillet in *Hiſtoria hujuſce diei*, & Pagius Junior *in Breviario Romanorum Pontificum in Innocentio PP. IV. num.* 18.

De Hiſpaniarum provinciis nulla eſſe poſſet controverſia ſi convenirent, inter ſeſe Scriptores de Auctore libri *de perpetua Virginitate Sanctæ Mariæ*, qui reperitur *Tom.* 12. *Bibliotheca Patrum p.* 566. in ipſo enim legitur: *Nullius igitur Nativitas celebratur in mundo, niſi Chriſti, & ejus*, ſcilicet Virginis Deiparæ, *atque Beati Joannis*; & inferius: *Quod ſi præclara Sanctiſſimæ Virginis Nativitas univerſaliter tam ſancta, & tam glorioſa jure colitur*, jam VII. ſeculo eſſet adſcribenda, cum Sanctus Ildephonſus Archiepiſcopus Toletanus, quem plurimi eruditi viri hujuſce libri ſcriptorem volunt, obierit anno DCLXVII., verum quia Dacherius, aliique artis criticæ peritiſſimi viri Paſchaſio Radperto Abati Cœnobii Sancti Petri Corbejenſis ad Somonam in Diœceſi Ambianenſi, qui anno DCCCLI. deceſſit, idem attribuunt opus, idcirco nil hac de re firmandum duximus, ſed ſive Sanctus Ildephonſus, ſive Paſchaſius Radpertus hujus libri exiſterit auctor, nihilominus ex eodem invictiſſime demonſtratur IX. ſaltem Chriſtianæ Æræ ſeculo in Hiſpaniis feſtum hujuſmodi fuiſſe receptum.

Neque apud Latinos tantum verum & apud Græcos religione ſumma Nativitas Virginis colitur. Emmanuel Comnenus, qui per annos octo, & triginta ab anno MCXLIII. ad MCLXXXVIII. Imperii ſummam in Oriente tenuit ſanctione ſua conſtituit, ut Nativitatis Deiparæ dies totus feriatus eſſet, quod ad hæc uſque tempora, veluti egregie comprobat *loco laudato* Baillet, præſtant tum Græci omnes, tum Cophti, qui ſunt Chriſticolæ Regionem Ægypti incolentes.

Digitized by Google

„ ter contigiſſe in Civitate Teatina [1] , ad „ ſupplices proinde ipſorum preces Sacra „ Rituum Congregatio ſub die 27. Novem- „ bris ejuſdem anni 1728. remiſſoriales lit- „ teras expediri , atque relaxari decrevit „ pro opportunis ſuper eo recipiendis pro- „ bationibus; cui decreto Sanctiſſimus an- „ nuit die 22. Decembris ejuſdem anni .

3 „ Ad normam Apoſtolicæ hujus com- „ miſſionis conſtructo per Judices delegatos „ intra terminum præfixum , reſpective- „ que prorogatum ejuſmodi Proceſſu , eo- „ que ad Urbem delato , ſervatiſque ſer- „ vandis aperto , Sacra eadem Congrega- „ tio , inſtantibus Cauſſæ Poſtulatoribus , ſub „ die 9. Decembris 1730. poſſe diſpenſari „ cenſuit , ut dubium validitatis ejuſdem „ proponi , atque diſcuti de more poſſet in „ Sacra Rituum Congregatione Ordinaria „ abſque Conſultorum interventu , ſi San- „ ctiſſimo viſum fuerit : & Sanctitas ſua be- „ nigne annuit die 20. ejuſdem menſis & „ anni .

4 „ Propoſito proinde in vim ejuſmodi „ indulti in Congregatione Ordinaria ha- „ bita die 24. Novemb. ſequentis an. 1731. „ per cl: me: Cardinalem de Belluga [2] loco „ cl: me: Cardinalis Imperiali legitime im- „ pediti , ſequenti dubio : *An conſtet de* „ *validitate noviſſimi Proceſſus in Civitate* „ *Teatina Apoſtolica auctoritate conſtru-* „ *cti anno 1729. ſuper aſſerto novo mi-* „ *raculo , ac teſtes ſint rite & recte exa-* „ *minati in caſu , & ad effectum &c.* , Sa- „ cra eadem Congregatio , R. P. Fidei Pro- „ motore in ſcriptis , & in voce prius audi- „ to , reſcribendum cenſuit affirmative , ſi „ Sanctiſſimo placuerit : & Sanctitas ſua aſ- „ ſenſum ſuum præſtitit die 28. ejuſdem „ menſis , & anni .

5 „ E vivis poſt hæc erepto cl: me: Car- „ dinali Imperiali Ponente , ſeu Relatore „ Cauſſæ , ſa: mem: Clemens XII. ſub die 19. „ Februarii anni 1737. Reverendiſſimum „ Cardinalem Porzia eum omnibus & ſin- „ gulis facultatibus neceſſariis & opportu- „ nis in ejus locum ſubrogavit , ac depu- „ tavit .

6 „ His præhabitis , cum eo interim , „ quo a Cauſſæ defenſoribus opportunæ in- „ ſtruebantur probationes pro miraculorum „ examine , ad Poſtulatorum notitiam per- „ veniſ-

1 Urbs Marrucinorum caput in Aprutio Citeriori in limine Ulterioris , ad Aternum flumen in colle , media inter Auxanum ad Eurum , & Atriam ad Boream . De hac urbe cecinit *Sylvius* Italicus L. 17. v. 454. *Marrucina domus , clarumque Teate ferebat* . Marrucini antiqui hujus Regionis habitatores ſocietate cum Romana Republica juncti fuere , quam cum aliquando violaſſent anno Urbis conditæ CCCCXLIX. reſtaurare curarunt . P. enim Sulpicio Severrione , & P. Sempronio Sopho Conſulibus , adverſus Æquos arma Romani duxere , & eorumdem unum & quadraginta oppida intra dies quinquaginta oppugnando cepere , nomenque Æquorum prope ad internecionem deleverunt ; ea clade Marrucini commoti Romam oratores pacis repetendæ miſerunt , teſte Livio l. 9. *cap.* 33. & Diodoro Siculo *lib.* 20. de ipſis quoque nonulla refert Plinius *lib.* 3. *cap.* 12. Habet Teate Sedem Archiepiſcopalem ſatis illuſtrem , eo quia ipſam ſeculo XVI. occupavit Paulus PP. IV. tunc Joannes Petrus Caraſa , qui cum Sancto Cajetano Ordinem Clericorum Regularium , ab hac Eccleſia Teatinorum dictorum , inſtituit .

2 *Ludovicus Belluga e Moncada* Hiſpanus Epiſcopus Carthaginenſis , a Clemente PP. XI. III. Kalendas Decembris MDCCXIX. Cardinalis conſtituitur . Titulum habuit primum Sanctæ Mariæ Tranſpontinæ , poſt Sanctæ Priſcæ , deinde Sanctæ Mariæ Tranſtiberim , ac demum Sanctæ Praxedis . Ejus ſummas laudes immortalis memoriæ Pont. Benedictus PP. XIV. ſequenti expreſſit Lapide , quem in Templo Sanctæ Mariæ in Vallicella ad illius tumulum apponi curavit .

D. O. M.
LUDOVICO BELLUGA HISPANO
EX EPISCOPO CARTHAGINENSI
INVITUS ET RENUENS A CLEMENTE XI. P. M.
IN S. R. E. CARDINAL. COLLEGIUM COOPTATUS
HISPANIARUM APUD S. SEDEM PROTECTOR
JURIUM ROMANÆ ECCLESIÆ VINDEX
HOC UNUM CURAVIT
UT DEO NON HOMINIBUS PLACERET
VIR APOSTOLICO PROPAGANDÆ FIDEI ZELO
FLAGRANTISSIMUS
ECCLESIASTICÆ DISCIPLINÆ ASSERTOR
DE ALIMONIA PAUPERUM
DE INSTITUTIONE CLERICORUM
DE EDUCATIONE JUVENTUTIS SOLLICITUS
COLLEGIA SCHOLAS PIAS DOMOS SEMINARIA
ÆRE SUO FUNDAVIT
BENEDICTUS XIV. PONT. MAX.
PERENNE HOC AMORIS SUI MONUMENTUM
P. C. VIX. AN. LXXX. M. XI. D. XXIII.
HIC EX TESTAMENTO
UNA CUM S. PHILIPPI NERII FILIIS FILIUS
IPSE ET CONGREGATIONIS PROPAGATOR
RESURRECTIONEM EXSPECTAT .

„ veniſſet, alia nova miracula contigiſſe in Civitate[1] Florentina, expeditæ proinde fuerunt a Sacra Rituum Congregatione ſub die 6. Aprilis dicti anni 1737. aliæ litteræ remiſſoriales pro conſtruendo ſuper iis novo Proceſſu.

7 „ Et quia, priuſquam per Judices delegatos, atque reſpective ſubrogatos completus integraliter ſuiſſet alter iſte Proceſſus, alia deſuper nova, ac relevantiora miracula in eadem Civitate superveniſſent, a Deo, ut aſſerebatur, per interceſſionem ejuſdem Famuli ſui patrata; hinc inſtantibus Cauſſæ Poſtulatoribus, Sacra Rituum Congregatio ſub die 28. Nov. 1739. novas litteras remiſſoriales cum novis articulis, noviſque interrogatoriis relaxari decrevit pro recipiendis in eodem Proceſſu inchoato, & non adhuc abſoluto opportunis probationibus etiam ſuper recentioribus hiſce miraculis: & Sanctiſſimus annuit die 4. Decembris ejuſdem anni.

8 „ Completo tandem integraliter noviſſimo hoc Proceſſu, eoque ad Urbem per Judices delegatos tranſmiſſo, ſub die 27. Novemb. 1741., Sanctitas Veſtra illum, ſervatis ſervandis, aperiri mandavit.

9 „ Ac inſuper ſtante obitu cl: me: Cardinalis Porziæ ultimi Relatoris in Cauſſa deputati, eadem Sanctitas Veſtra die 4. Januarii ſequentis anni 1742. me in ejuſdem Cauſſæ Ponentem cum omnibus & ſingulis ſacultatibus neceſſariis & opportunis benigne deputavit.

10 „ Die 14. Aprilis ejuſdem anni 1742. Sacra Rituum Congregatio, inſtantibus Cauſſæ Poſtulatoribus, diſpenſari poſſe censuit, ut dubium validitatis præſati noviſſimi Proceſſus in Civitate Florentina compilati ſuper aſſertis novis miraculis, in Congregatione Ordinaria Sacrorum Rituum, abſquè Conſultorum interventu, proponi, & diſcuti poſſet, ſi Sanctitati Veſtræ placuiſſet: & Sanctitas Veſtra aſſenſum ſuum benigne præſtitit die 21. ejuſdem menſis, & anni.

11 „ In vim igitur ejuſmodi indulti, in Congregatione Ordinaria Sacrorum Rituum habita die 15. Septembris ejuſdem anni 1742. ſequens propoſui dubium cum R. P. Fidei Promotore jam concordatum: *An conſtet de validitate Proceſſus Apoſtolica auctoritate in Civitate Florentina recenter conſtructi ab anno 1738. ad 1741. ſuper aliis novis miraculis ab Altiſſimo per interceſſionem dicti Servi ſui patratis; ac teſtes ſint rite; & recte examinati in caſu, & ad effectum &c.*; & Sacra ipſa Congregatio, eodem R. P. Fidei Promotore in ſcriptis, & in voce prius audito, reſcribendum cenſuit affirmative, ſi Sanctitati Veſtræ viſum fuiſset; & Sanctitas Veſtra mentem Sacræ Congregationis benigne approbavit die 19. ejuſdem menſis, & anni.

12 „ Die 19. Januarii ſequentis an. 1743. Sacra Rituum Congregatio, inſtantibus iiſdem Cauſſæ Poſtulatoribus, novas litteras remiſſoriales relaxari poſſe decrevit pro recipiendis in eadem Civitate Florentina ulterioribus probationibus ſuper continuatione ſanitatis Sororis Chriſtinæ Ceccherini Monialis Capuccinæ, quæ interceſſione Servi Dei integram ſanitatem receperat a pluribus complicatis morbis, necnon Margaritæ Tantari, quæ pariter per interceſſionem ejuſdem Servi Dei miraculoſe ſanata aſſerebatur ab inveterato aneuriſmate: & Sanctitas Veſtra ejuſmodi reſcriptum benigne approbavit die 23. ejuſdem menſis, & anni.

13 „ Compilato autem novo hoc Proceſſiculo, eoque ad Urbem delato, eadem Sanctitas veſtra ſub die 22. Januarii ſequentis anni 1744. illum, ſervatis ſervandis, aperiri mandavit.

14 „ Quo

1 Urbs magni Ducatus Etruriæ Princeps, Arno flumine diviſa, duplicem habet arcem, a Septentrione ſeparatur a ditione Bononienſi monte Apennino, ad Meridiem habet Senenſem agrum, ad Orientem Romandiolam, & ad Occidentem Agros Piſanum & Lucenſem. Condita fuit a Syllæ militibus anno Urbis conditæ DCXLV. A Triumviris Octaviano Cæſare Auguſto, Marco Antonio, & Lepido Colonia Romanorum fuit effecta.

14 ,, Quo peracto , atque obtento a
,, Cauſſæ Poſtulatorihus ſub die 21. Mar-
,, tii 1744., cum ſubſequuto Sanctitatis Ve.
,, ſtræ aſsenſu, præltito die 8. ſequentis men-
,, ſis Aprilis , conſueto indulto proponen-
,, di , atque diſcutiendi duhium validita-
,, tis cjuſdem io Congregatione Sacrorum
,, Rituum Ordinaria ahſque iotcrventu Con-
,, ſultorum: tandem in Congregatione ha-
,, hita die 23. Januarii ſequentis anni 1745.
,, ſequens aliud propoſui dubium: *An con-*
,, *ſtet de validitate noviſſimi Proceſſus Flo-*
,, *rentiæ Apoſtolica auctoritate conſtructi*
,, *ſuper perſeverantia in ſanitate Sororis*
,, *Chriſtinæ Ceccherini Monialis Capucci-*
,, *næ, & Margaritæ Tantari ; ac teſtes*
,, *ſint rite & recte examinati in caſu, &*
,, *ad effectum &c.*; & Sacra eadem Con-
,, gregatio , audito prius tam in ſcriptis,
,, quam in voce R. P. Fidei Promotore,
,, reſcribenhum cenſuit affirmative , ſi San-
,, ctitati Veſtræ placuiſſet; ac Sanctitas Ve-
,, ſtra benigne annuit die 30. ejuſdem men-
,, ſis , & anni .

15 ,, Rehus ita diſpoſitis , ac inſtructis
,, per deſenſores Cauſſæ opportunis proba-
,, tionibus pro eorumdem miraculorum e-
,, xamine, ſub die 15. Junii ejuſdem an-
,, ni 1745. in ædihus meis habita ſuit Con-
,, gregatio Antepræparatoria ; ſucceſſive
,, ſub die 21. Martii mox elapſi anni 1747.
,, in Palatio Apoſtolico Quirinali altera
,, Congregatio Præparatoria pro diſcuſſio-
,, ne, & examine miraculorum ab Altiſſi-
,, mo per interceſſionem dicti Famuli ſui
,, poſt ejus obitum patratorum .

16 ,, Et eum modo hac ſuper re, juxta
,, laudabilem Sanctæ Sedis praxim, ſuper-
,, ſit tantum hahenda altera Congregatio Ge-
,, neralis coram Sanctitate Veſtra , idcirco
,, ad ſupplices Poſtulatorum preces ſub-
,, ſcripſi infraſcriptum dubium cum R.P. Fi-
,, dei Promotore jam concordatum, oempe
,, duhium :

An , & de quibus miraculis conſtet in caſu , & ad effectum , de quo agitur .

F. Card. Burgheſius Ponens .

Poſt hæc Benedictus PP. XIV., qui erga Familiam Clericorum Regularium Scholarum Piarum ſummam benevolentiam hahchat , quique io hac Cauſſa ſæpe , & quidem cum laude ſuerat verſatus, (ipſe enim cum in Advocatorum Conſiſtorialium Collegio erat adnumeratus Patroni partes gerens proſundam , & elaboratam defenſionem pro JOSEPHO in Congregatione Antepræparatoria exaraverat, & dum hooorabile Promotoris Fidei Munus ſuſtinuit de BEATI virtutibus Animadverſiones doctiſſimas litteris conſignaverat ,) heatitatis honores per Apoſtolicas litteras datas VII. Idus Aug. MDCCXLVIII. Ven. Viro attribuit , [1] qui honores ſollemni pompa , eleganti , ac prorſus magnifico apparatu in Vaticaoa Baſilica primum eidem præſtiti , ac exhibiti ſuere.

Quod cum ita eſset conſtitutum , nil aliud Poſtulatoribus cordi erat , quam eximium Virum , amatiſſimum Parentem ad Canonizationis faſtigium ſublimare ; hinc Altiſſimum , qui mirabilia facit ſolus, ut de Cælo vocem daret ſuam ſine ulla intermiſſione exorabant , eum nuntium optatiſſimum accipiunt Valentiæ , Urbs Hiſpaniarum celeberrima , Vincentiam Buadam puellam , quæ deſperata deplorataque crurum Paralyſi ita laborabat, ut neque ſtare, neque pedes in aliquem locum poſset inſerre , ſed lectulo teneretur aſſidue, perfecto crurum uſui BEATI ope reſtitutam: Tuderti in Pontificia Ditione Monialem Virginem Mariam Conſtantiam Caminati crudeli tabe pereſam , tumore ſcirrhoſo gravatam , liheram incolumemque evaſiſse; ac tandem in Civitate Plebis, quæ in Umbriæ Provincia ſita ſex millia paſsuum a Traſimeno diſtat, Annam Mariam Eleuteriam Pela ab enato in dextera aure polypo convaluiſse ; [2] quamohrem de hujuſmodi miraculis certa teſtimonia recipere , litteris , quæ remiſſoriales nominantur , a Sacrorum Rituum Congregatione obtentis , illico contenderunt .

Quæ teſtificationes cum ad Urhem eſſent delatæ , & Sacrorum Rituum Congregatio ad litterarum remiſſorialium , ac juris normam inſtitutas fuiſſe pronuntiaſſet , [3] de eiſ-dem

1 *Ex tertio Fact. concord.* §. 1, 2 *Cit. Fact. concord.* §. 2. 3 *Cit. Fact. concord.* §. 3.

dem miraculis, Eminentiſſimo & Reverendiſſimo Domino Marco Antonio Cardinali Columna Cauſsæ hujuſce Ponente id operam ſtudioſe dante, in conſuetis Antepræparatoria, ac Præparatoria Congregationibus, quarum prima in magnificis Familiæ Columnæ ædibus VIII. Idus Maii MDCCLXIV., altera in Quirinali XII. Kal. Aprilis MDCCLXV. fuit collecta; ac denique III. Idus Maii MDCCLXVI. in frequente Eminentiſſimorum Cardinalium, ac doctiſſimorum Conſultorum conſeſsu judicium fuit commiſsum.

ROMANA

Canonizationis BEATI JOSEPHI CALASANCTII A MATRE DEI Ordinis Scholarum Piarum Fundatoris.

FACTUM CONCORDATUM.

1 „ RElato ſollemni ritu in Beatorum
„ numerum JOSEPHO CALA-
„ SANCTIO A MATRE DEI Ordinis Schola-
„ rum Piarum Fundatore a ſan. mem. Be-
„ nedicto XIV. die 18. Auguſti anni 1748.
„ percrebeſcente in multis Diœceſibus, &
„ Provinciis miraculorum ſama, Cauſsæ Po-
„ ſtulatores poſt repræſentatas eidem Sanctiſ-
„ ſimo enixas preces Regum, Cardinalium,
„ Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Ge-
„ neralium multorum Ordinum impetra-
„ runt die 2. Martii 1750. a Reverendiſſi-
„ mis Sacræ hujus Congregationis Patribus,
„ ut, Cauſsa in ſtatu, & terminis reaſ-
„ ſumpta, agi poſſet de eodem BEATO Jo-
„ SEPHO inter Sanctos referendo: quam
„ gratiam die 9. ejuſdem menſis, & anni
„ idem Summus Pontifex confirmavit.

2. „ Hujus auctoritate decreti iidem Po-
„ ſtulatores impetrarunt die 8. Martii 1752.
„ litteras, ut vocant, remiſſoriales pro con-
„ ficiendo in Civitate Valentina [1] Proceſſu
„ ad probandum miraculum, quod diceba-
„ tur in ea Urbe a Deo, B. JOSEPHO inter-
„ cedente, patratum: item alio in Civi-
„ tate Tudertina [2] die 23. Maii 1753.: de-
„ mum tertio in Civitate Plebis [3] die 6. De-
„ cembris 1760.

3 „ Confectis his Proceſſibus, & ad Ur-
„ bem delatis, & in actis Sac. Congrega-
„ tionis exhibitis, Benedictus XIV. P. M.
„ benigne indulſit die 13. Februarii 1754.,
„ ut Valentinus, & Tudertinus ſervatis ſer-
„ vandis aperirentur per R. P. Sac hujus
„ Congregationis Secretarium, SANCTITAS
„ vero VESTRA iiſdem conditionibus, & clau-
„ ſulis annuit die 4. Julii 1761., ut eodem
„ ritu fieret apertio Proceſsus in Civitate
„ Plebis constructi.

4 „ Propoſito per cl. me. Cardinalem
„ Burgheſium Cauſsæ Ponentem die 15. Se-
„ ptembris 1756. dubio in Sacra Congrega-
„ tione de validitate Proceſsuum Valentini,
„ & Tudertini, eadem Sacra Congregatio
„ reſcribendum cenſuit affirmative: & ſa.
„ me. Benedictus PP. XIV. die 15. Septem-
„ bris 1756. ſententiam hanc confirmavit.

5 „ Mortuo interea cl. mem. Cardinali
„ Burgheſio Cauſsæ Canonizationis ejuſdem
„ BEATI Ponente ſeu Relatore, SANCTITAS
„ VESTRA die 15. Decembris 1759. juſſit, ut
„ eidem in Relatorem hujus Cauſsæ ego ſub-
„ roga-

1 Valentia Urba Hiſpaniæ Tarraconenſis, alias Conteſtanorum ad Turiam fluvium, qui paulo infra in ſinum Sucronenſem, nunc Valentinum dictum ſe exonerat, ampla, nobilis, elegans, & caput Regni Valentini. Anno Urbis conditæ DCXII. D. Junius Brutus Conſul hanc Urbem, ejuſque agros iis conceſſit, qui ſub Viciatho militaverant. De ejus incolia agit Plinius *lib.* 3. *cap.*3. Hæc regio habet ab Oriente Catalaniam, & Mare Mediteraneum, a Septentrione Aragoniam, ab Occidente Caſtellam novam, & Regnum Murciæ. Qui de hac urbe & Regno plura deſiderat conſulere poteſt Petrum Antonium Beuter in opere inſcripto *Primera parte de la Coronica general de Eſpaña. y ſpecialmente del Reyno de Valencia: Valentia* 1609. *& ſecunda parte donde ſe tratan las cobranças deſtas tierras, de poder de Moros por los Reyes de Aragon y Condes de Ravelona: Valentia* 1604., Laurentium Matteu & Sanz *in Tractatu de Regimine Urbis & Regni Valentiæ: Valentiæ* 1654., Martinum de Viciana *Coronica de la Cindad de Valencia y ſu Reyno: Valentiæ* 1564., & Michaelem Joannem Vimbodini *in Bibliotheca Valentina, ſeu de Viris illuſtribus Valentinis in Hiſpania.*

2 Tuder Urbs Umbriæ in colle apud Tiberim flumen media inter Peruſiam, & Narniam XX. millia paſſus utrinque diſtans. Ferdinandus Ughellius de ejus Epiſcopia agit *in toma* 1. *Italiæ Sacra*, & Joannes Baptiſta Poſſevini librum exaravit *de Vitis Sanctorum Tudertinæ Diœceſeos.*

3 Urbecula Umbriæ in Agro Peruſino, aliter Plebana Civitas, & Caſtrum Plebis; Ughellius differit de ejus Epiſcopis *in tom.* 1. *Italiæ Sacra.*

,, rogarer, & deputarer cum omnibus, &
,, ſingulis facultatibus neceſsariis, & op-
,, portunis.

6 ,, Impetrata per Poſtulatores facultate
,, a SANCTITATE VESTRA die 9 Febr. 1762.
,, ut in Sacra Congregatione dubium propo-
,, neretur de validitate Proceſsus in Civi-
,, tate Plebis confecti: eoque propoſito
,, die 20. Martii anni 1762. Sacra eadem
,, Congregatio reſcribendum cenſuit affir-
,, mative: & eadem SANCTITAS VESTRA de-
,, ciſis annuit die 3. Aprilis 1762.

7 ,, His peractis, habita fuit de more
,, prævia Congregatio Antepræparatoria
,, die 8. Maii 1765. in meis ædibus me præ-
,, ſente, ſuper dubio: *An & de quibus*
,, *miraculis conſtet poſt indultam eidem*
,, BEATO *venerationem*.

8 ,, Inſtante R. P. Fidei Promotore, ut
,, Proceſsus fieret in Civitate Tudertina ſu-
,, per perſeverantia ſanitatis Sororis Mariæ
,, Conſtantiæ Caminati Monialis Profeſsæ
,, in Vener. Monaſterio Ordinis Sanctæ Cla-
,, ræ ejuſdem Urbis ab antiquo, & deſpe-
,, rato morbo hecticali in tertio gradu, ſi-
,, ve maraſino una cum tumore ſcirrhoſo
,, annorum octo, quæ dicebatur obtenta
,, die 15. Januarii 1752., & ſuper quam
,, conſtructus Proceſsus fuerat antedictus an-
,, no 1753., Poſtulatores a SANCTITATE VE-
,, STRA impetrarunt menſe Martio 1765.,
,, ut diſpenſarentur a rigoroſa confectio-
,, ne Proceſsus, & ſcriberetur per Reve-
,, rendiſſimum Cardinalem Feroni Præfe-
,, ctum Congregationis Sac. Rituum Epiſco-
,, po Tudertino, ut audiret teſtes bene
,, informatos juxta inſtructionem Promoto-
,, ris Fidei.

9 ,, Proceſſiculo igitur facto, ſive capta
,, informatione juridica juxta mandata, ea-
,, que ab Epiſcopo Tudertino ad eumdem
,, Reverendiſſimum Cardinalem Sacræ hujus
,, Congregationis Præfectum, tranſmiſſa,
,, & R. P. Fidei Promotori communicata,
,, habita eſt altera Congregatio Præparato-
,, ria in Palatio Quirinali Apoſtolico die 21.
,, Maii 1765. coram Reverendiſſimis Sa-
,, crorum Rituum Congregationis Cardina-
,, libus ſuper eodem dubio: *An, & de qui-*
,, *bus miraculis conſtet poſt indultam ei-*
,, *dem* BEATO *venerationem*.

10 ,, Cum igitur una habenda remaneat
,, Congregatio Generalis coram SANCTITATE
,, VESTRA ſuper eodem miraculorum exami-
,, ne, inſtante, & deprecante Cauſæ Poſtu-
,, latore, ſubſcripſi infraſcriptum dubium
,, cum R. P. Fidei Promotore jam concor-
,, datum, & in ea diſcutiendum, & reſol-
,, vendum; dubium:

An, & de quibus miraculis conſtet poſt indultam dicto BEATO *venerationem in caſu, & ad effectum &c.*

M. A. Card. Columna Ponens.

Satis feliciter & ex Poſtulatorum ſententia judicium hujuſmodi fuit abſolutum, verum quid de eiſdem miraculis SUMMUS PONTIFEX ſentiret, nequaquam ſtatim indicandum duxit, ſed VIII. Kalendas Aprilis in ipſa celebritate Sanctiſſimæ Trinitatis [1] ſtatuit, ſanationes Sororis Mariæ Conſtantiæ Caminati, & puellæ Vincentiæ Buada inter miracula ſore adnumerandas.

RO-

[1] Eccleſia Romana utpote a Petro Apoſtolorum Principe edocta a primis Chriſtiani nominis ſeculis ſumma animi pietate, ac religione Deum Unum ac Trinum non tantum diebus Solis, quas Dominicas appellamus, verum ſingulis quoque diebus venerari conſuevit, plurimis cultus & obſequii argumentis, ſed præcipue hymno, quem Sanctus Baſilius Magnus, qui anno CCCLXX. Cæſareæ in Capadocia Epiſcopus fuit renuntiatus, ſcribens ad Amphilochium *Glorificationis hymnum* appellat, ſcilicet *Gloria Patri &c.* quo divina Unitas ac Trinitas collaudatur ſimul, & concelebratur; & hæc certe cauſſa fuit cur per pluſa ſecula de feſto Sanctiſſimæ Trinitatis inſtituendo minime fuit ſollicita: *Eccleſia ſiquidem Romana*, legitur *C. Quoniam: de Feriis, in uſu non habet, quod in aliquo tempore hujuſmodi*, Sanctiſſimæ Trinitatis, *celebret ſpecialiter feſtivitatem, cum ſingulis diebus Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, & cætera ſimilia dicantur ad laudem pertinentia Trinitatis.*

At VIII. Eccleſiæ ſeculo decurrente, & IX. ineunte hoc Religionis noſtræ præcipuum Myſterium in aliquibus peculiaribus Eccleſiis cœpit ſollemni feſto celebrari; & re quidem vera ad medium circiter VIII. ſeculi, ut nonnulli contendunt, rogatu Sancti Bonifacii Archiepiſcopi Moguntini Albinus Flaccus, ſeu Alcuinus Caroli Magni præceptor, qui anno DCCCIV.

Abas

ROMANA

Canonizationis BEATI JOSEPHI CALASANCTII a Matre Dei Fundatoris Ordinis Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum.

„ POſteaquam Pontif. Benedictus XIV.
„ ſuas per Litteras in forma Brevis
„ editas die ſeptima Auguſti anni milleſimi
„ ſeptingenteſimi quadrageſimi octavi Bea-
„ torum in album adſcripſerat Venera-
„ bilem Virum Josephum Calasanctium
„ Fundatorem Ordinis Clericorum Regu-
„ larium Pauperum Matris Dei Schola-
„ rum Piarum, reliquum erat, ut novis
„ miraculis dignaretur Deus teſtatam fic ſa-
„ cere ejus ſanctitatem, ut, qui jam San-
„ ctus erat in Cælo, Sanctus etiam reco-
„ leretur in Terris, ubi eximia reliquerat
„ heroicarum virtutum exempla, auctor-
„ que fuerat piiſſimi Ordinis, qui & in-
„ ſtruendis pueris utiliſſimus, & magnum
„ eſſet Chriſtianæ Reipublicæ ornamentum.
„ Hoc autem non diu expectatum eſt:
„ allata namque fuerunt tria præ aliis mi-
„ racula beati hujus viri interceſſione pa-
„ trata, quorum examen inſtitutum primo
„ in Congregatione Antepræparatoria die
„ octava Maii anni milleſimi ſeptingenteſi-
„ mi ſexageſimi quarti, mox in alia Præ-
„ paratoria die vigeſima prima Maii 1765.,
„ abſolutum tandem fuit in Congregatione
„ Generali habita die decimatertia hujus
„ menſis coram Sanctissimo Domino No-
„ stro Clemente Pontifica XIII., qui
„ Cauſſam referente Reverendiſſimo Car-
„ dinali Marco Antonio Columna, auditis
„ ſuffragiis Conſultorum omnium, & Re-
„ verendiſſimorum Cardinalium unanimi
„ ſententia exiſtimantium, duo ex illis,
„ nimirum inſtantaneas ſanationes, quæ
„ primo, & ſecundo loco proponeban-
„ tur, digna plane eſſe, ut inter divina
„ miracula recenſerentur, etſi differen-
„ dum tunc duxerit ſanctiſſimum judicium
„ ſuum, quoad Dei opem, & lumen ſuis
„ ſimul, & aliorum precibus imploraret:

D „ hac

Abas Sancti Martini Turonenſis obiit, primus omnium Officium de hac feſtivitate adornavit. Caturſus in Epiſtola data ad Carolum Magnum, qui Sancti Leonis PP. III. opera ad Occidentale Imperium anno DCCC. fuit ſublimatus, efficaciter apud eumdem inſtetit, ut feſtum hujuſmodi in Regni ſui Provinciis de Epiſcoporum conſenſu celebrari præciperet: *Ergo mi Rex, ſi vobis placet hoc conſilium pro his omnibus, pro te, & pro exercitu Chriſtianorum, ut unum diem poſt jejunium in anno in honore Sanctæ Trinitatis, & Unitatis, & Angelorum, & omnium Sanctorum celebrem conſtituas ſuper Regnum tuum cum conſilio Synodi Francorum.* Stephanus inſuper Epiſcopus Leodienſis, qui anno CMXX. vitam cum morte commutavit, Officium de hac ſollemnitate pro ſua Diœceſi compilari curavit, quod Riquerius, qui eidem in Epiſcopatu ſucceſſit per Diœceſim univerſam recitari mandavit, ut videre eſt apud Martene *de antiqua Eccleſiæ diſciplina in divinis celebrandis Officiis cap.* 28. *num.* 22.; qua ex re factum eſt, ut pedetentim hæc nova diſciplina ad viciniores Eccleſias tranſierit, atque libentiſſime fuerit amplexata, veluti candide fatetur Baillet agens de origine hujuſce feſtivitatis §. 1. *n.* 2.; & ſane Rupertus Abas Tuitienſis, qui anno MCXI. Paſchale PP. II. Petri Cathedram occupante, ac Henrico V. Occidentis Imperium moderante, floruit, *lib.* 11. *de divinis Officiis c.* 1., ſic de hoc feſto ſermonem inſtituit, quaſi per univerſas Occidentales Provincias in morem fuiſſet receptum. & Durandus, qui ad finem XIII. Seculi opera ſua conſcribebat *lib.* 6. *c.* 114. *in pleriſque vero locis*, inquit, *feſtum Sanctæ Trinitatis fit in octava Pentecoſtes.*

Sollemnioribus etiam cæremoniis feſtivitas hæc agebatur, ut advertit Joannes Abrincenſis, qui in libello *de Officiis Eccleſiaſticis* hæc habet: *Proxima Dominica cum novem Pſalmis, & antiphonis, cum novem lectionibus, & reſponſoriis celebretur* in honore *Sanctiſſimæ Trinitatis, eadem celſitudine, qua dies Aſcenſionis*; & in Capitulo Generali Ordinis Ciſtercienſis anno MCCXXX. ſtatutum fuit, *ut feſtum Sanctiſſimæ Trinitatis fiat cum tribus lampadibus, & Abas celebret in Conventu*, quod in præcipuis tantum feſtivitatibus fieri ſolebat.

Hiſce igitur aliiſque rationibus tandem motus Joannes PP. XXII., qui anno MCCCXXXIV. deceſſit, non reſtituit, ut exiſtimavit Hugo Menardus in *Notis ad Sacramentarium Gregorianum*, ſed de novo in Romana Curia celebrandum indixit hujuſmodi Sanctiſſimæ Trinitatis feſtum, ut legitur in *Summa Piſana*, & teſtatur Joannes Gerſon *in Tractatu de viſitatione Prælatorum*, inquiens: *De feſto Trinitatis ſolemnizando prout Papa noviter inſtituit*, cui concordant Suarez *de Religione lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 17., Martene *loco laudato cap.* 28., Thomaſſinus *de dierum feſtorum celebratione lib.* 2. *cap.* 18. *num* 13., Baillet *in Hiſtoria hujuſce feſtivitatis* §. 1. *n.* 4., Ciacconius *in Hiſtoria Joannis PP. XXII.*, Gavantus agens *de hac feſtivitate*, Gonzalez in *C. Quoniam: de Feriis*, Herrera *de origine divin. Offic. lib.* 2. *cap.* 52., Pagi *in Breviario Romanorum Pontificum*, Pater Merati *in Notis ad Gavantum tomo* 1. *part.* 2., & nunquam ſatis laudatus Pontifex Benedictus PP. XIV. *de Canoniz. lib.* 4. *part.* 2. *c.* 31. *n.* 1.

„ hac tandem die, qua altiſſimum recoli-
„ mus individuæ Trinitatis Myſterium,
„ quod Beatus idem Josephus ſpeciali ſem-
„ per veneratione, & cultu proſecutus eſt,
„ accitis coram ſe Reverendiſſimis Cardi-
„ nalibus Marco Antonio Columna Cauſ-
„ ſæ Relatore, & Feronio Sacrorum Ri-
„ tuum Congregationi Præfecto, necnon
„ R. P. Cajetano Forti Fidei Promotore,
„ meque infraſcripto Secretario, divino
„ iterum implorato præſidio, præſenti hoc
„ decreto declaravit, conſtare in tertio
„ genere tum *de miraculoſa ſanatione Sor.*
„ *Mariæ Conſtantiæ Caminati Monialis*
„ *profeſſæ in Ven. Monaſterio Ordinis S.*
„ *Claræ Civitatis Tuderti*, vulgariter di-
„ cto Montis Chriſti, *ab antiquo, & deſpe-*
„ *rato morbo hecticali, ac tumore ſcirrho-*
„ *ſo cum perfecta recuperatione virium*,
„ tum de alia *miraculoſa ſanatione Vin-*
„ *centiæ Buades puellæ Valentinæ a contu-*
„ *maci, & deſperata paralyſi crurum*.

„ Atque hoc decretum mihi infraſcripto
„ Secretario tradidit publicandum, & in
„ Acta Congregationis Sac. Rituum refe-
„ rendum. Hac die 25. Maii anni 1766.

Joſeph Maria Card. Feroni Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

S. Archiepiſcopus Theodoſiæ Sac. Rit. Congreg. Secretarius.

Ad hæc ſupererat Generalia penes Sanctissimum Comitia indicere, ut ad ſollemnem ejuſdem Beati Canonizationem poſſet procedi, quibus cum IX. Kal. Octobris conſtitutus fuiſſet dies, ſententiam ſapientiſſimorum Suffragatorum libenti animo clementiſſimus Pontifex excepit, ac IV. Idus Octobris [1] Canonizationis peragendæ decretum publicari mandavit.

R O-

1 Hanc præſertim diem, in qua decretum Canonizationis Beati Josephi emanaret, præ cæteris ſeligendam jure meritoque Sanctissimus Dominus Noster exiſtimavit, ſacra enim quodammodo Deiparæ Virgini erat, cui præcipuum præſtare obſequium inter Apoſtolatus ſui graviſſimas curas maxime gloriatur; octava namque dies a feſto Sancti Roſarii erat, qua plures fideles Sodalitiis Roſarii adſcripti ſollemnes etiam ſupplicationes in Virginis honorem inſtituunt. De origine hujus feſtivitatis paucis diſſeremus. Nonis Octobris MDLXXI. Fidelium claſſis, Sancti Pii PP. V., Philippi II. Hiſpaniarum Regis, & Venetorum Reipublicæ fœdere coacta memorabilem de Turcis Chriſtiani nominis infenſiſſimis hoſtibus ad Echinadas Inſulas, captis illorum triremibus centum & octoginta, cæteris diſſipatis, victoriam reportavit; hac de cauſſa ut poſterorum memoriæ tantæ, tamque magnæ victoriæ perpetuum remaneret monumentum, S. Pius PP. V., cui de Cœlo victoria hæc fuerat revelata, conſtituit, ut eadem die feſtum ſub titulo Sanctæ Mariæ de Victoria ageretur; at Gregorius PP. XIII., qui poſt S. Pium PP. V. Petri Cathedram III. Idus Martii MDLXXII. aſcendit, cogitatione revolvens hanc victoriam de immaniſſimis hoſtibus ea ipſa die obtentam, qua Fideles, qui Sodalitiis Roſarii nomen dederant, ſollemnes ſupplicationes peragebant, datis Litteris Kalendis Aprilis MDLXXIII. mandavit, ut qualibet prima Dominica die Octobris ad grates Deo, & Virgini ob hoc ſingulare, ac prorſus incredibile beneficium referendas ſollemnitas Roſarii celebraretur, atque in illis templis ubi altare Deo in honorem Virginis Roſarii fuerat erectum Officium ejuſdem Virginis ſub ritu dupplici recitaretur.

Sic res ſe habuit uſque ad Clementis PP. X. tempora, qui diu multumque a vidua Hiſpaniarum Regina Marianna exoratus VI. Kal. Octobris MDCLXXI. ſuis Apoſtolicis Litteris Clericis omnibus ſive Secularis, ſive Regularis ordinis per Hiſpaniarum Regna, aliaſque Provincias, quæ Catholici Regis moderabantur imperio conſtitutis, ut Officium Roſarii eadem die omnino recitarent, fecit facultatem.

Quia autem devotio Fidelium erga Roſarium Virginis videbatur in dies magis magiſque propagari, atque diſtendi, hinc piiſſimus Leopoldus Romanorum Imperator ab Innocentio PP. XII. vehementer cœpit efflagitare, ut per univerſum Catholicum Orbem feſtum hujuſmodi Roſarii eadem prima Dominica menſis Octobris præſcriberet celebrandum; & voti compos ſtatim fuiſſet effectus, niſi Innocentius PP. XII. morte præventus prohibitus fuiſſet firmare decretum jam hac de re emanatum a Sacrorum Rituum Congregatione.

Qui Innocentio proxime ſucceſſit Clemens PP. XI. per plures annos decretum hujuſmodi firmare diſtulit, ſed cum anno MDCCXVI. Carolus VI. Romanorum Imperator in Hungariæ Regno juſtam victoriam de Turcis in feſto Dedicationis Sanctæ Mariæ ad Nives, quo per Urbem Romam Confratres Roſarii ſupplicatum incedebant, fuiſſet conſequutus, cumque etiam in octava Aſſumptionis Corcyra Urbs Turcarum obſidione vallata libera evaſiſſet, V. Nonas Octobris ejuſdem anni laudatum Sacræ Congregationis decretum auctoritate ſua munivit, ſicque ab eo tempore per univerſam Eccleſiam feſtivitas hujuſmodi fuit in morem recepta.

ROMANA

Canonizationis B. JOSEPHI CALASANCTII a Matre Dei Fundatoris Ordinis Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum.

„ QUum Sanctissimus Dominus Noster Clemens PP. XIII. ex tri-
„ bus propoſitis miraculis in Cauſ-
„ ſa Romana Canonizationis Beati Jo-
„ ſephi Calasanctii a Matre Dei Ordi-
„ nis Clericorum Regularium Pauperum
„ Matris Dei Scholarum Piarum Fundato-
„ ris duo approbaverit in tertio genere:
„ miraculoſam nimirum Sororis Mariæ Con-
„ ſtantiæ Caminati Monialis profeſsæ in Mo-
„ naſterio Ordinis Sanctæ Claræ Civitatis
„ Tuderti, vulgo dicto Montis Chriſti, ſana-
„ tionem ab antiquo, & deſperato morbo
„ hecticali, ac tumore ſcirrhoſo cum per-
„ fecta recuperatione virium; & mirabilem
„ ſanationem Vincentiæ Buada puellæ Valen-
„ tinæ a contumaci, & deſperata paralyſi
„ crurum, ut ex decreto diei 25. Maii
„ currentis anni 1766., ſedulo de more in-
„ ſtiterunt poſtmodum Poſtulatores apud
„ Eminentiſſimum Cardinalem Columnam
„ Cauſæ Relatorem pro ſequentis dubii pro-
„ poſitione: *An ſtante approbatione duo-*
„ *rum miraculorum, quæ ſupervenerunt*
„ *poſt indultam eidem* Beato *veneratio-*
„ *nem, tuto deveniri poſſit ad ſollemnem*
„ *ejus Canonizationem?* Qui Poſtulatorum
„ votis benigne annuens in Generali Con-
„ gregatione habita coram Sanctitate
„ Sua die 23. Septembris ejuſdem anni,
„ cum ſupradictum dubium propoſuerit,
„ omneſque tam Reverendiſſimi Cardina-
„ les, quam Conſultores ſuffragium tulerint
„ affirmativum, eadem Sanctitas Sua,
„ ut accuratius Cauſam perpenderet, &
„ precibus magis inſiſteret ſuis, & aliorum
„ ad divinum promerendum auxilium, re-
„ ſolutionem differre cenſuit; hac autem
„ die, accitis coram ſe Reverendiſſimo Car.
„ dinali Feroni S. R. C. Præfecto, & R. P.
„ Carolo Alexio Piſani Fidei Promotore,
„ meque infraſcripto Secretario præſens Ca-
„ nonizationis Beati Josephi Calasanctii
„ quandocumque faciendæ decretum expe-
„ diri, ac publicari mandavit. Die 12. O-
„ ctobris 1766.

Joſeph Maria Card. Feroni S.R.C. Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

F. Macedonius Sac. Rit. Congreg. Secretarius.

TRanſeundum modo eſt, quia ſic Hierarchicus Ordo poſtulat ad Cauſſam Beati Josephi a Cupertino Ordin. Minorum[1] Conventualium Presbyteri, qui a Cupertino di-

citur,

1 Etſi anno MCCL. Innocentius PP. IV. *Fratres Minores Conventuales* nuncupaverit eos omnes Franciſcanæ Familiæ Alumnos, qui in Cœnobiis regularem vivebant vitam, ut ab illis diſcriminarentur, qui in ſaltibus atque ſylvis ab hominum conſortio remoti contemplationi vacabant, nihilominus tamen ſubſequentibus temporibus illis ſolummodo fuit hoc nomen attributum, qui pluribus a Romanis Pontificibus obtentis privilegiis, non adeo rigidiorem vivendi normam proſequebantur, quod nomen illis maxime proprium, & peculiare evaſit, poſtquam Leo PP. X., qui plurimum operis, & ſtudii contulerat, licet incaſſum, ut omnes, qui Franciſcanæ Familiæ nomen dederant, eamdem regulam, eaſdem conſuetudines ſectarentur, anno MDXVII. diſſidiis compoſitis, qui inter ſeverioris, & mitioris diſciplinæ amatores inſurrexerant, id Conventualium nomen illis dedit, qui Romanorum Pontificum privilegiis utebantur, atque ex eo tempore proprium & Conventuales Generalem Miniſtrum habere cœperunt.

Gloriatur quammaxime hæc religioſa Familia ſupra cæteras omnes, quæ Sanctum Franciſcum in parentem venerantur, quod ſacras exuvias Sancti Patriarchæ Franciſci, & S. Antonii Patavini tum Aſſiſii, tum Patavii ſumma veneratione cuſtodit.

Præclariſſimos ornatiſſimoſque Viros & ſcientia, & pietate præſtantes, ſicut retro actis temporibus, ſic modo etiam habet; ac nimium longum foret eos omnes enumerare, qui morum ſanctitate, vel ſcientia, & eccleſiaſticis dignitatibus famoſi hanc exornarunt Familiam, inter quos ſupra cæteros, emicuerunt, ut alios omnes omittam, Sixtus PP. IV., & Sixtus PP. V. Pontifices Maximi, & Laurentius Brancatius Cardinalis de Lauria, qui poſtquam omnia ſui Ordinis conſpicua obiit

citur, quia in eo Oppido XVI. Kalendas Februarii anno MDCIII. natalem diem eſt ſortitus. Ejus virtutes inutile, ac ſupervacaneum exiſtimo hic commemorare, cum ex inferius adducendis quilibet eas facillime poſſit cognoſcere, tantæ enim, ac tam magnæ fuerunt, ut ſtatim ac ſpiritum Deo reddidit cœptum fuerit cogitari de illo inter Sanctos referendo, ob hanc proinde cauſſam Neriti, in cujus Diœceſi finibus Cupertinum jacet, & primis ætatis, ac juventutis annis JOSEPHUS fuerat diverſatus, Aſſiſii, quam Urbem virtutibus, ecſtaſibus, aliiſque divinis chariſmatibus per annos XIV. illuſtraverat, & Auximi, quo in loco ſancte in Domino obdormivit, Ordinaria, ut ajunt, auctoritate de illius præclariſſimis geſtis, heroiciſque facinoribus Acta fuerunt adornata. [1]

Quæ Acta cum ad Urbem fuiſſent tranſmiſſa, & exacta trutina perpenſa pridie Kalendas Septembris MDCLXXXVI. cura, ac ſtudio Cardinalis Hieronymi Caſanate [2], qui perſonam Friderici Cardinalis Columnæ Cauſſæ hujuſce Ponentis agebat, de Cauſſa hac introducenda quæſtio in Sacrorum Rituum Ordinaria Congregatione fuit inſtituta, cujus Congregationis Eminentiſſimi Patres, cum neceſſariis omnibus Cauſſam hanc munitam præſidiis cognoviſſent, magnaque virtutum, & ſanctitatis fama ſuffultam, Commiſſionem introductionis ſignari poſſe exiſtimarunt; eorumque ſententiam Ven. Innocentius PP. XI. ratam, firmamque poſtmodum habuit. [3]

Quia autem Urbanus PP. VIII. anno MDCXXXIV. ne nimia quorumdam in venerandis Dei Servis ultra debitos fines pietas extenderetur, editis per Sanctiſſimæ Inquiſitionis Cardinales generalibus decretis expreſſe inhibuerat, ne impoſterum aliquid obſe-

obiit munia, & ſumma cum laude theologicas ſcientias in Archigymnaſio Romanæ Sapientiæ auditores docuit, & ſedulam pro Eccleſia, & Republica navavit operam inter Conſultores Sanctiſſimæ Inquiſitionis, & Congregationum Sac. Rituum, & Indicis ab Innocentio PP. XI. MDCLXXXI. Cardinalis fuit renuntiatus, & poſtmodum Bibliothecarius Apoſtolicus conſtitutus. Modo etiam hujus Ordinis ſuæ odorem ſummopere adauget Eminentiſſimus, & Reverendiſſimus D. Cardinalis Laurentius Ganganelli, de cujus ſcientia, pietate, aliiſque omnibus, quas mirifice poſſidet animi virtutes, ut ejus modeſtiæ, atque ſingulari verecundiæ parcamus, ne pauca quidem dicimus.

Conſpicuum etiam Inquiſitorum munus Religioſi hujuſce Familiæ exercent per Venetam Ditionem, & in celeberrimis Etruriæ Urbibus, Florentia nempe, Senis, ac Piſa, & maxime propagationi Evangelii incumbunt per Regnum Hungariæ, ac Moldaviæ, & Tranſilvaniæ Provincias: qui plura deſiderat, conſulere poteſt Dominicum de Gubernatis *Ord. Seraphic. tom. 2. lib. 9.*, Fortunatum Hoſpitel. *Antiquioritas Franciſcana*, Gabrielem Fabrum *Specul. Franciſc. Religion.*, & laudatum Patrem Helyot *Hiſtoire des Ordres Monaſtiques, Religieux & Militaires par. 5. cap. 22. tom. 7. pag. 151. Pariſ.* 1718.

1 *Ex prim. Fact. concord.* §§. 1. 2. & 3.

2 *Hieronymus Caſanate* Neapolitanus cum Romam veniſſet ſub Innocentio PP. X. primum Pontificii Cubiculi honore decoratur, inde efficitur Sabinae Gubernator, tum Fabriani, & Camerini, deinde Anconae, quas Urbes cum ſumma prudentia moderaſſet, an. MDCLVIII. Melitam Inquiſitor mittitur, unde Romam rediens conſtituitur a Secretis Congregationis de Propaganda Fide, poſtmodum Congregationis etiam Epiſcoporum, & Regularium, in quibus muneribus cum maximam ſemper integritatem ſervaverit, pridie Idus Junii MDCLXVIII. a Clemente PP. X. Diaconus Cardinalis Sanctæ Mariæ in Porticu renunciatur, quam Diaconiam primum cum illa Sancti Cæſarei, deinde cum altera Sanctæ Agathæ in Suburra commutavit. Sed tandem ad Presbyteros Cardinales tranſiens obtinuit primum Titulum Sanctorum Nerii, & Achillei, deinde Titulum Sancti Sylveſtri in Capite. Lectiſſimam, & copioſiſſimam ipſe Bibliothecam comparaverat ultra librorum volumina MMCCC. hanc teſtamento legavit Cœnobio Sanctæ Mariæ ſupra Minervam Ordinis Prædicatorum, quod Cœnobium ex aſſe hæredem inſtituerat earum rerum, quas in Ditione Pontificia habebat, ad ſummam ſcutorum Romanorum centum ſexaginta millium, cum onere alendi ſex e Theologis ſapientiſſimis ex Nationibus Italica, Gallica, Belgica, Germanica, Hiſpanica, & Anglica ſelectis, qui fidei, & morum controverſiis illuſtrandis operam darent, duoſque præterea Theologos, qui Summam Sancti Thomæ Aquinatis publice interpretarentur. Voluit inſuper Bibliothecam hanc publici juris fore, & quotannis novos libros emi in ſtudioſorum commoditatem. Obiit V. Nonas Martii MDCC. ſepultus in Laterano cum hac Epigraphe.

D. O. M.
HIERONYMUS CASANATE
NEAPOLITANUS
TITULI S. SYLVESTRI IN CAPITE
PRESBYTER CARDINALIS
S. R. E. BIBLIOTHECARIUS
OB. V. NON. MART.
ANNO JUBILÆI MDCC.
VIXIT ANNOS LXXX. D.XX.

3 *Cit. Fact. concord.* §. 3.

obſequii, quod publici cultus ſaperet erga illorum memoriam præſtaretur, & ne quid fraudis in re tanti ponderis, ac momenti patraretur, inviolabili lege conſtituerat, ne Sacrorum Rituum Congregatio de Servorum Dei Cauſſis, quorum beatificatio, & canonizatio expoſtulatur, cognoſceret, niſi per juridica acta eidem manifeſte conſtaret, vel nunquam publicum cultum illis Dei Servis fuiſſe exhibitum, vel ſi quando quid forte publico cultu redolens in illorum venerationem fuiſſet attentatum, jam omnino ab hoc factitando fuiſſe ceſſatum: hæc fuit ratio, cur & de exacta obedientia hujuſmodi Urbani PP. VIII. decretis, antequam ad graviora tranſitus fieret, oportuit in Sacrorum Rituum Congregatione ſermonem inſtituere.

Jam ob hanc cauſam vigilantiſſimi Epiſcopi Neritonenſis, & Auximanus eum animum ad conſtruendos Proceſſus de virtutum, & ſanctitatis fama appulerunt, etiam peculiaria acta colligenda exiſtimarunt, ex quibus evinceretur nunquam Dei Servum cultu, qui publicus dicitur, fuiſſe veneratum, & ſic poſtquam Summus Pontifex Commiſſionem introductionis Cauſæ ſubſcripſiſſet, ſine ulla mora quæſtio de non cultu agitaretur; ſed cum ampliſſimi Patres Sacrorum Rituum Congregationis animadvertiſſent per annos quatuordecim JOSEPHUM in Cœnobio Aſſiſienſi magna, ac prorſus incredibili ſanctitatis fama commoratum, timendumque foret, ne ex nimia Chriſtifidelium erga illius memoriam veneratione aliquid quod publicum cultum præſeferret fuiſſet forſitan intentatum; & quia plures effluxerant anni poſtquam Neriti, & Auximi de hac re fuerat inquiſitum, aliquis forſan potuiſſet ſuſpicari interea temporis decretis Urbanis eo locorum impune contraventum, prudentiſſime ſtatuere Aſſiſii teſtes & hac de cauſa examini ſubiiciendos, & Neriti, & Auximi per locorum Ordinarios videndum, ne cultus publicus per id tempus JOSEPHO fuiſſet attributus; quibus cum ſtatim obtemperatum fuiſſet, XIV. Kal. Auguſti MDCLXXXVII. partes etiam Cardinalis Columnæ gerente Cardinali Caſanate, ſententia, quam de non cultu tulerat Epiſcopus Auximanus communi calculo in Sacrorum Rituum Congregatione Ordinaria fuit comprobata.[1]

De ſanctitatis fama ſecundum in morem receptam diſciplinam erat tunc in genere, ut ajunt, inquirendum, quapropter quia in Urbe viri lectiſſimi, & ornatiſſimi aderant, qui teſtimonium dicere in Cauſſa parati erant, Sacrorum Rituum Congregatio Gaſpari Cardinali Carpineo Urbis Vicario commiſit, ut ad hanc famam comprobandam eoſdem teſtes ad examen evocaret, quo examine expleto, feliciter in Ordinaria Congregatione III. Nonas Aprilis MDCLXXXVIII. de ipſa fama fuit diſceptatum[2]; datis deinde cura Cardinalis Columnæ[3] remiſſorialibus litteris ad exarandos Apoſtolica auctoritate de JOSEPHI virtutibus, & miraculis Proceſſus Auximi, Aſſiſii, & Neriti,[4] iiſque ſummo ſtudio & diligentia abſolutis, eorum validitatem III. Idus Martias ſecularis anni MDCC. penes Ordinariam Congregationem Sacrorum Rituum in quæſtionem revocavit Cardinalis Coſtagutus,[5] qui ab anno MDCXCIV. per Innocentium PP. XII. Cardina-

1 *Cit. Fact. concord.* §. 4.

2 *Cit. Fact. concord.* §. 5.

3 *Fridericus Columna* ex Ubaldorum modo de Baldeſchis Familia, vir utique doctus, & eruditus, ſummo ſplendore publica, & quidem conſpicua munera ſuſtinuit; primum enim Præturam Faventinæ Civitatis, deinde Provinciæ Sabinæ juſtiſſime adminiſtravit; hinc Legatus ad Helvetios mittitur, quam Legationem cum maxima doctrinæ, & prudentiæ fama obiiſſet, Congregationis de Propaganda Fide a Secretis renunciatur, & poſtmodum Aſſeſſor Tribunalis Sanctiſſimæ Inquiſitionis conſtituitur; interim cum Anna Maria Tarquinia Clementis PP. X. Proneptis Ægydio Columnæ de Sciarra in matrimonium fuiſſet copulata, velletque hac de cauſa aliquem Clemens Pontifex ex hac familia ad Cardinalitiam evehere dignitatem, neque aliquis tunc eſſet ad tantum honorem idoneus, ideo Fridericus in Columnenſium Familia, cui affinis erat, adoptatur, declaratur ab eodem Pontifice Cardinalis Tituli Sancti Marcelli, ex quo optavit Titulum Sanctæ Anaſtaſiæ. Obiit IV. Nonas Octobris MDCXCI.

4 *Loc. cit.*

5 *Joannes Baptiſta Coſtagutus* Romanus Idibus Februarii MDCXC. ex Annonæ Præfecto Cardinalis Tituli Sancti Bernardi ab Alexandro PP. VIII. declaratur, ex quo optavit Titulum Sanctæ Anaſtaſiæ. Obiit poſtridie Nonas Martii MDCCIV.

dinali Columnæ, qui diem clauſerat extremum fuerat ſubrogatus [1].

Poſt hæc de JOSEPHI virtutibus ſollemne inſtituendum erat judicium, cui cum omnia neceſſaria parantur, mortem obiit Cardinalis Coſtagutus, in cujus loco Relator eligitur Thomas Maria Cardinalis Ferrarius [2], qui v. Kalendas Decembris MDCCXIV. Congregationem Antepræparatoriam habuit, [3] ex qua cum Poſtulatoribus innotuiſſet non modicum Cauſſæ præſidium ex Ordinariis Proceſſibus, quos omnino neglexerant, acceſſurum, illos etiam juxta juris regulas fuiſſe compilatos Nonis Decembris MDCCXVI. per Ordinariam Sacrorum Rituum Congregationem declarari obtinuere [4].

Quia autem examini ſubiicere prius oportuit nonnulla Scripta, quæ JOSEPHO attribuebantur, non potuere ſtatim ad Præparatoriam Congregationem devenire, ſed cum hoc examen per Cardinalem Caſini [5] Nonis Februarii MDCCXVIII. ultimam manum recepiſſet, [6] tandem Cardinalis Ptolomæi, [7] qui poſt Caſini in Cauſſæ Ponentem fuerat conſtitutus VII. Kalendas Februarii MDCCXXIII. Congregationem Præparatoriam convocavit; [8] ſed cum quæ adverſus virtutum JOSEPHI fulgorem, & heroicitatem fuerant per Fidei Promotorem appoſita atque objecta, nequaquam propulſata, & eliminata ex Suffragatoribus nonnulli exiſtimaſſent, Franciſcus Antonius Cardinalis Finy [9], qui Ptolomæo in Cauſſæ Ponentem fuerat ſuffectus, alteram Præparatoriam Congregationem XVI. Kalendas Septembris MDCCXXXIV. indicere duxit opportunum, cui Congregationi cum aliquibus detentus impedimentis minime poſſet intereſſe, partes ſuas Eminentiſſimo Domino Alexandro Cardinali Albani demandavit [10]. Difficultates fere omnes, quæ in mora antea fuerant, clariſſimis reſponſionibus in hac Congregatione explanatæ fuere, quapropter, ne in longum virtutum judicium protraheretur, curavit, ut coram ſa: me: Clemente PP. XII. XIV. Kalendas Julii MDCCXXXV. Generalis Eminentiſſimorum Patrum, & Reverendiſſimorum Conſultorum Conventus haberetur, in quo fere omnes Suffragatores ampliſſimi in ſecundam abjere ſententiam.

NERITONEN.

Beatificationis, & Canonizationis Ven. Servi Dei P. JOSEPHI A CUPERTINO Sacerdotis Profeſſi Ordinis Minorum Conventualium Sancti Franciſci.

FACTUM CONCORDATUM

BEATISSIME PATER.

1 „ IN Oppido Cupertini Diœceſis Neritonenſis ex piis, honeſtiſque parentibus die 17. Januarii anno 1603. ortum habuit Servus Dei JOSEPHUS. A tenera ætate non pauca futuræ ſanctitatis ſpecimina edens, cum exinde adoleviſſet, Religioni Minorum Conventualium

1 *Cit. Fact. concord.* §. 6.

2 *Thomas Maria Ferrarius* Mandurienſis Ordinis Patrum Prædicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter ſcientia, ac pietate ſpectabilis, qui etiam per morbum Patris Recanati ſumma cum laude Prædicatoris Apoſtolici munus ſuſtinuit. Ab Innocentio PP. XI. pridie Idus Decembris MDCXCV. Cardinalis declaratur, Tituloque Sancti Clementis donatur. Obiit XIII. Kalendas Septembris MDCCXVI.

3 *Cit. Fact. concord.* §. 7.

4 *Cit. Fact. concord.* §. 8.

5 *Franciſcus Maria Caſinus* Aretinus, qui magna virtutum, ac ſcientiæ ſpecimina inter Minores Capuccinos dederat, & celeberrimi Oratoris fama officium Concionatoris Apoſtolici ei ab Innocentio PP. XII. demandatum plures per annos expleverat, XV. Kalendas Aprilis MDCCXII. in Cardinalium Collegio a Clemente PP. XI. adſcribitur. Titulum habuit Sanctæ Priſcæ, deceſſit XVI. Kalendas Martii MDCCXIX.

6 *Cit. Fact. concord.* §. 9.

7 *Joannes Baptiſta Ptolomæus* Piſtorienſis Societatis Jeſu, vir ſatis illuſtris ſcientia, aliiſque animi virtutibus ad Cardinalitiam evehitur dignitatem XV. Kalendas Aprilis MDCCXII. a Clemente PP. XI. Titulum obtinuit Sancti Stephani in Monte Cœlio. Obiit XIV. Kalendas Februarii.

8 *Cit. Fact. concord.* §. 10.

9 *Franciſcus Antonius Finy* Minervienſis Archiepiſcopus Damaſcenus, Benedicti PP. XIII. Admiſſionum Magiſter ab eodem Summo Pontifice Cardinalis Sanctæ Mariæ in Via conſtituitur VII. Kalendas Februarii MDCCXXVIII., ex quo primum optavit Titulum Sancti Sixti, poſtea Sancti Petri ad Vincula, tum Sanctæ Mariæ Transtiberim. Obiit Neapoli Nonis Aprilis MDCCXLIII.

10 *Loc. cit.*

Digitized by Google

„ lium nomen dedit. Magnarum virtutum
„ exercitio toto vitæ ſuæ decurſu incum-
„ bens, mirabilium donorum copia, Domino
„ largiente, claruit. Poſt multas tribula-
„ tiones, quas in ſpiritus probationem for-
„ titer, & hilariter pertulit, dum in Cœ-
„ nobio proprii Ordinis Auximi degeret,
„ gravi morbo correptus, ſingulari pietate
„ die 18. Septembris anno 1663. animam
„ Deo reddidit.

2 „ Fama ſanctitatis, & miraculorum,
„ quæ, illo adhuc vivente, non pauca
„ Chriſtiani Orbis Regiones pervaſerat,
„ tunc adeo percrebuit, ut, concepta ubi-
„ que erga ipſum devotione, plurimorum
„ etiam graviſſimorum virorum teſtimonio
„ interveniente, ſollemnis Canonizationis
„ honore dignus haberetur.

3 „ Quamobrem ſuper ſanctitate vitæ,
„ virtutibus, & miraculis, auctoritate Ordi-
„ naria cum Neriti,[1] tum Aſſiſii,[2] & Auxi-
„ mi[3] confectis Proceſſibus, iiſque ad Ur-
„ bem delatis, ac ſucceſſive apertis, ad re-
„ lationem clar. mem. Cardinalis Caſana-
„ te, vicem clar. mem. Cardinalis Colu-
„ mnæ Cauſſæ hujuſmodi Relatoris deſigna-
„ ti, ſupplentis, in Congregatione Ordi-
„ naria, iiſdem Proceſſibus diſcuſſis, die 31.
„ Auguſti anno 1686. reſolutum fuit, poſ-
„ ſe ſignari Commiſſionem introductionis
„ Cauſſæ, prout ſubſequenter Dei Servus
„ Innocentius XI. benigne annuit, eam-
„ demque Commiſſionem propria manu ſi-
„ gnavit.

4 „ Exinde, cum deveniendum eſſet ad
„ examen duorum particularium Proceſ-
„ ſuum eadem auctoritate compilatorum
„ Neriti, & Auximi, ad Urbem pariter
„ tranſportatorum, ſuper paritione decre-
„ torum ſan. mem. Urbani VIII. de non
„ cultu Servo Dei præſtito, opportunum
„ viſum fuit alterum conſimilem Proceſſum
„ in Civitate Aſſiſii conſtruere, ubi Dei
„ Servus quatuordecim annos moram tra-
„ xerat, quo completo, factiſque ſimul
„ nonnullis diligentiis, continuationem
„ ejuſdem non cultus in Civitate Auximi,
„ & in Diœceſi Neritonenſi adminiculanti-
„ bus pro tempore, quod ſupradictorum
„ duorum Proceſſuum conſtructionem ſub-
„ ſecutum fuerat, cum hæc omnia in unum
„ conſpirarent, die 19. Julii 1687. referen-
„ te, ut ſupra, loco Ponentis, clar. mem.
„ Cardinalis Caſanate, propoſitum fuit du-
„ bium: *An Sententia Ordinarii Auxi-*
„ *mani ſuper non cultu lata ſit confir-*
„ *manda in caſu, & ad effectum, de*
„ *quo agitur &c.*: Sacra Congregatio cen-
„ ſuit eſſe confirmandam, hiſque Summi
„ Pontificis approbatio acceſſit.

5 „ Delegato deinceps per eamdem
„ Congregationem Eminentiſſimo Vicario
„ ad conficiendum hic in Urbe Proceſſum
„ ſuper fama ſanctitatis in genere prædicti
„ Servi Dei, eoque abſoluto, die 3. Apri-
„ lis 1688., proponente Cardinali Columna,
„ ad trutinam revocatum fuit dubium:
„ *An conſtet de validitate Proceſſus auto-*
„ *ritate Apoſtolica Romæ confecti ſuper fa-*
„ *ma ſanctitatis, virtutum, & miracu-*
„ *lorum in genere prædicti Servi Dei, &*
„ *an teſtes in eo ſint rite, & recte exami-*
„ *nati; necnon de relevantia, adeout poſ-*
„ *ſint concedi litteræ remiſſoriales in ſpe-*
„ *cie, in caſu &c.*: reſcriptumque fuit:
„ *affirmative*, Summo Pontifice annuente;
„ deindeque expeditæ fuerunt dictæ litteræ
„ pro conficiendis Proceſſibus ſuper virtu-
„ tibus, & miraculis in ſpecie in Civitati-
„ bus Auximana, Aſſiſienſi, & Neritonenſi.

6 „ In-

1 Neritum Urbs Salentinorum in Meſſapia Regione, nunc eſt Epiſcopalis Sedes, ſubjecta Archiepiſcopo Brunduſino, de cujus Epiſcopis differit Ferdinandus Ughellius *tom. 1. Italiæ Sacræ*.

2 Aſsiſium, vel Æſiſium Urbs Umbriæ diſtat 4. millia paſſus a flumine Claſio, 11. a Peruſia, a Fulginio 9., & 14. ab Eugubio. Celeberrima Urbs quia S. Franciſcus Ordinis Minorum Inſtitutor in ea natale ſolum habuit. De hac Urbe, & ejus Epiſcopis Ughellius *tom. 1. Italiæ Sacræ*,

3 Auximum, vel Auxumum Urbs Provinciæ Piceni in colle ad Muſonem fluvium ab Ancona 12. millia paſſus diſtans in Meridie, fere totidem inter Æſium ad Occaſum, & Lauretum ad Ortum. De hac Urbe conſule, ſi lubet, Samuelem Bochartum in *Geographia*, Cluverium in *Italia antiqua*, Ludovicum Martorellum in opere italice inſcripto *Memorie iſtoriche della Città di Oſimo Venet.* 1705. De Epiſcopis Auximanis agit Ferdinandus Ughellius *tom. 1. Italiæ Sacræ*.

6 „ Interea, defuncto clar. mem. Car-
„ dinali Columna, in ejus locum ſan. mem.
„ Innocentius XII. die 24. Aprilis 1694.
„ Cardinalem Coſtagutum ſubrogavit, quo
„ in Congregatione Ordinaria die 13. Mar-
„ tii 1700. referente dubium validitatis
„ dictorum Proceſſuum in ſpecie conſtru-
„ ctorum, necnon legitimæ compulſatio-
„ nis jurium, favorabilis emerſit reſolutio,
„ cui deinceps laudatus Pontifex aſſenſum
„ præſtitit.

7 „ Per obitum clar. mem. Cardinalis
„ Coſtaguti, cum in munere Ponentis ſuc-
„ ceſſiſſet clar. mem. Cardinalis S. Clemen-
„ tis, die 27. Novembris 1714. habita fuit
„ Congregatio Antepræparatoria ſuper du-
„ bio: *An conſtet de virtutibus Theolo-
„ galibus, & Cardinalibus dicti Servi
„ Dei in gradu heroico.*

8 „ Biennio poſt examinata validitate
„ Proceſſuum Neritonenſis, Aſſiſienſis, &
„ Auximani auctoritate Ordinaria confe-
„ ctorum, die 5. Decembris 1716. appro-
„ bationem illa obtinuit cum conſueto aſ-
„ ſenſu Pontificis.

9 „ Commiſſa hinc reviſione quarum-
„ dam cantiuncularum, & meditationum,
„ quæ per Servum Dei fuerant elucubratæ,
„ & aliorum manuſcriptorum, quæ illi tri-
„ buebantur, necnon quorumdam ſcripto-
„ rum P. Michaelis Angeli Roſmi Abatis
„ Caſſinenſis, factaque ſimul perquiſitione
„ in Civitatibus, & Diœceſibus Feretrana,
„ & Foroſempronienſi per confectionem
„ juridicorum Proceſſuum, ex quibus con-
„ ſtitit, nil fuiſſe repertum, ad relatio-
„ nem Cardinalis Caſini, interim demor-
„ tuo Cardinali S. Clementis, ſuffecti, Con-
„ gregatio Ordinaria, eodem ſan. mem.
„ Clemente XI. approbante, die 5. Fe-
„ bruarii anno 1718. reſcripſit: *Procedi
„ poſſe ad ulteriora.*

10 „ Coacta deinceps die 26. Januarii
„ anno 1723. in Palatio Apoſtolico Vatica-
„ no Congregatione Præparatoria ſuper præ-
„ notato dubio virtutum in gradu heroi-
„ co, Ponente Cardinali Ptolomæo, cui
„ locum aperuerat mors Cardinalis Caſini
„ præcedenter ſecuta, altera ſucceſſit in
„ Palatio Apoſtolico Quirinali die 17. Au-
„ guſti anno 1734. mei Ponentis, eidem
„ Cardinali Ptolomæo ſubrogati, vicem
„ obeunte Eminentiſſimo Cardinali Alexan-
„ dro Albano.

11 „ Quo in rerum ſtatu, in Congre-
„ gatione Generali, quæ coram Sancti-
„ tate Veſtra die 19. Julii currentis, Deo
„ dante, habebitur, proponendum mihi
„ erit ſuprarelatum dubium, jamdiu ante,
„ Fidei Promotore audito, ſubſcriptum:
An conſtet de virtutibus Theologalibus Fide, Spe, & Charitate, & de Cardinalibus Prudentia, Juſtitia, Fortitudine, & Temperantia, ac annexis in gradu heroico.

F. A. Card. Finy Ponens.

Summa animi voluptate tum Eminentiſſimos Cardinales, tum Reverendiſſimos Conſultores de JOSEPHI virtutibus quid ſentirent, candide aperientes, Clemens PP. XII. fel. record. Pontifex audivit, attamen mentem ſuam declarare ſuperſedit uſque dum Altiſſimum, quod in arduo, ac difficili quolibet negocio peragere in more habebat, orationes inter & preces conſuleret. Verum XVIII. Kalendas Septembris MDCCXXXV. cum Eccleſia quammaxime gauderet ob feſtivam Deiparæ Virginis [1] Aſſumptionem in Cælum; noluit amplius rem in longum protrahere, ſed

1 Licet S. Epiphanius addubitaverit *hæreſi* 78. mortem obiiſſe, nec ne, Deiparam Virginem: *Quærant veſtigia Scripturarum, & invenient utique neque mortem Mariæ, neque an mortua ſit, an non mortua, neque an ſepulta ſit, an non ſepulta...., Non omnino definio hoc, & non dico, quod immortalis manſit, ſed neque affirmo, an mortua ſit.* Nihilominus communis Eccleſiæ ſenſus tenet, illam revera mortales exuvias fuiſſe exutam, & non ſolum ſtatim beatifica viſione recreatam, ſed etiam paulo poſt ſuper omnes Angelorum Choros redivivo corpore exaltatam. *Virginis privilegium eſt, quod cum corpore ſuo, uti credimus, in Cælo vivit*, inquit Hugo de Sancto Victore *lib. 3. Erudit. Theolog. ex miſcell. ſecundi Codicis cap.* 125.

De hujuſmodi Deiparæ Virginis privilegio altum eſt apud Patres primorum Seculorum ſilentium, nos enim minime probare poſſumus teſtimonia illa,

ſed ſollemni decreto virtutes Joſephi revera heroicas fuiſſe declaravit.[1]

Multa ſatis gravia, & digna, quæ ad examen in ſupremo Senatu revocarentur, in

---

quæ a nonnullis in medium proferuntur, veluti ex ſermonibus Sanctorum Athanaſii, Hieronymi, & Auguſtini deſumpta, hujuſmodi namque ſermones cum eruditioribus convenimus inter apocrypha eſſe amandandos. Hiſce tamen non obſtantibus, plurea tum Græcos, tum Latinos habemus Patres, qui expreſſis rotundiſque verbis de Virginis Aſſumptione loquuntur. Sic Gregorius Epiſcopus Turonenſis *lib. de Miraculis cap.* 4., S. Gregorius PP. I., qui *in ſuo Sacramentario* hanc orationem in ſollemnitate Aſſumptionis poſuit: *Veneranda nobis, Domine, hujus diei feſtivitas opem conferat ſalutarem, in qua Sancta Dei Genitrix mortem ſubiit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quæ Filium tuum de ſe genuit incarnatum*: quid enim amabo ſibi volunt ea verba, *nec tamen mortis nexibus deprimi potuit*, quam indicare cum redivivo corpore Virginem in Cælum fuiſſe aſſumptam. S. Ildephonſus Toletanus *Sermone* 6. *de Aſſumptione*, Andreas Cretenſis *Oratione* 2. *de Laudibus Aſſumptæ Virginis*, Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus *Oratione* 2. *in Dormitione Deiparæ*, S. Joannes Damaſcenus *Oratione* 2. *in Dormitione Beatæ Mariæ*, Fulbertus Carnotenſis *Sermone* 2. *de Nativitate*, S. Petrus Damiani *Sermone de Aſſumptione*, S. Bernardus, ac Petrus Bleſenſis *Sermone de Aſſumptione*, & inter Theologos Scholaſticos eorum omnium facile princeps S. Thomas Aquinas 3. *par. quæſt.* 27. *art.* 1., & *quæſt.* 83. *art.* 5., & *opuſc.* 4. *in expoſitione Salutationis Angelicæ*; quibus ſi addatur communis Eccleſiæ ſenſus, cui ſummam adhibendam eſſe reverentiam & ipſe Iſaacus Caſaubonus fatetur in *Exercit.* 14. §. 11. *Eccleſiæ ſenſum ne tacitum quidem eſſe contemnendum*, jam nemo erit, qui ſine maxima temeritatis, & dubiæ ſuſpectæque fidei nota poſſit Aſſumptionem Virginis in dubium revocare, ut advertunt Ven. Petrus Caniſius *lib.* 5. *de Deipara Virgine cap.* 5., Melchior Canus *de Locis Theologicis lib.* 12. *cap.* 20., Claudius Joly *Diſſert. de verbis Uſuardi*, Thomaſſinus *in Tractatu de dierum feſtorum celebratione lib.* 2. *cap.* 20., & Natalis Alexander *in Hiſt. Eccleſ. Seculi I. cap.* 4.

Ut de hujus feſti antiquitate aliqua dicantur, adnotare liceat Jacobum Pamelium in *Notis ad Epiſtolas S. Cypriani* Epiſcopi Carthaginenſis exiſtimaſſe IV. Eccleſiæ Seculo jam per Eccleſiam celebratum fuiſſe: *Certe Dormitionis, ſive Aſſumptionis Beatæ Virginis feſtum celebratum conſtat jam ab ætate Divi Hieronymi, & Auguſtini*, eique concordare videtur eruditus Pater Michael Lequien in ſua editione Operum S. Joannis Damaſceni *tom.* 2. *pag.* 857., ſed quia hujuſce rei certa nobis non ſuperſunt monumenta, quibus Pamelii aſſertio comprobetur, & certo certius hujus feſtivitatis epocham figere neſciamus, nihilominus ſexto, vel ſaltem ſeptimo ſeculo recentiorem illam exiſtimare non poſſumus; & re quidem vera, ut jam ſuperius innuimus, S. Gregorius PP. I., qui in ſuo Sacramentario antiquum Gelaſianum inſeruit, XVIII. Kalendas Septembris pro hujuſmodi feſtivitate Miſſam propriam, & orationes aſſignavit, ex quo argumentum deſumimus, etſi non certum, ſaltem tamen maximæ probabilitatis pro vindicanda feſti hujus antiquitate, cum hæc Miſſa fœtus forſan fuerit alicujus Romani Pontificis, qui Gelaſium inter & S. Gregorium PP. I. Eccleſiam rexerat, niſi velimus dicere Sanctum Pontificem celebritatem hanc ex Civitate Conſtantinopolitana, in qua diu ipſe Apochriſarium egerat, Romam tranſvexiſſe.

Baronius enim *in notis in Martyrologium*, Florentinus *in notis ad Martyrologium* XV. *Kalendas Februarii*, Mabillonius *in Liturgia Gallicana lib.* 2., Pagius *in Breviario Romanorum Pontificum in Sergio I.*, Martene *de antiqua Eccleſiæ diſciplina in divinis celebrandis Officiis cap.* 39. certum exiſtimant multo ante S. Pontificis ætatem in principe Orientis Urbe veneratione ſumma ſollemnitatem hanc fuiſſe celebratam; idque ex Nicephoro *in hiſtoria lib.* 17. *cap.* 28. comprobari contendunt, qui cum aliquas Virginis feſtivitates per Conſtantinopolitanos Imperatores de novo inſtitutas indicaſſet, ſubjungit, Mauritium Imperatorem Aſſumptionem Virginis XVIII. Kalendas Septembris præcepiſſe celebrandam, neque alia ratione motum Nicephorum dicunt ad diem celebritatis hujuſmodi (quod in aliis facere omiſit) enuntiandam, niſi quia, ut habetur in Euchologio Græcorum XV. Kalendas Februarias ante ipſum Mauritium ſub *dormitionis* titulo feſtum hoc explebatur.

De hac ipſa feſtivitate ſub Aſſumptionis nomine fit expreſſa mentio in antiquo Martyrologio Hieronymiano, quod ſupra mille annos antiquitatis habet, apud Martene *in novo Theſauro Anecdotorum tom.* 3. *pag.* 1559., in Martyrologio Morbacen. in veteri Kalendario ſeptingentos ante annos ſcripto, plurimiſque aliis vetuſtis Kalendariis, atque Martyrologiis, quæ in Vaticana Bibliotheca aſſervantur.

Sed antequam ultimam manum huic notæ imponamus, non abs re erit diverſa alia nomina indicare, quibus in antiquis monumentis feſtivitas hæc fuit nuncupata. Vel enim dicitur *ſomnus*, ſeu *dormitio Sanctæ Mariæ*, ut apud Theodorum Balſamonem Patriarcham ſchiſmaticum Antiochenum *in Can.* 3. *Apoſtolorum*, vel *mors*, ut *in novella* Emmanuelis Comneni, & in *Euchologio Græcorum*, veluti obſervavit Hugo Menardus *in Sacramentario Gregoriano pag.* 174., vel *pauſatio*, ut in Kalendariis Romanis editis ab Allatio, & Frontone, in Vaticanæ Baſilicæ Evangeliſtario, in vetuſto Miſſali Vallicellano *Sollemnia de pauſatione Sanctæ Mariæ*, in Codice Vaticano, qui fuerat Monaſterii Farfenſis, *Vigilia pauſationis Sanctæ Mariæ, & Sanctæ Mariæ pauſatio*, quæ verba pariter etiam occurrunt in Codicibus a Venerabile Cardinali Thomaſio editis, ex quibus præterquamquod aliquid contra veritatem Aſſumptionis deduci poſſit; potius eadem innuitur, & confirmatur: *pauſatio* enim id temporis ſignificat, quo mortem inter & reſurrectionem jacuit in ſepulchro Deiparæ corpus, ut erudite demonſtravit quidam Clericus Regularis Teatinus, qui Apologiam pro Ven. Cardinali Thomaſio litteris conſignavit, eo quia, dum de reviſione Operum illius doctiſſimi, piiſſimique Cardinalis in Sacra Rituum Congregatione ageretur, ex Cenſoribus unus, qui certe antiqua monumenta, eccleſiaſticamque diſciplinam ne labiis quidem deguſtaverat, illum inſimulaverat parum pie de Virginis Aſſumptione ſenſiſſe, quia codices ediderat, in quibus feſtivitas hæc *pauſatio* appellabatur.

1 *Ex ſecundo Fact. concord.* §. 1.

" tio ſub die 15. Septembris ſequentis an-
" ni 1736. remiſsoriales litteras expediri,
" atque relaxari decrevit pro opportunis
" ſuper eo recipiendis probationibus ; cui
" decreto Sanctiſſimus annuit die 18. ejuſ-
" dem menſis, & anni.

2 " In ſequelam Apoſtolicæ hujus Com-
" miſſionis constructo per Judices delegatos
" intra terminum præfixum, reſpectiveque
" prorogatum ejuſmodi Proceſsu, eoque ad
" Urbem delato, ſervatis ſervandis, aperto,
" ſub die 23. Martii 1743. conſuetum iidem
" Poſtulatores obtinuerunt indultum diſcu-
" tiendi dubium validitatis ejuſdem in Con-
" gregatione. Ordinaria abſque interventu
" Conſultorum.

3 " E vivis poſt hæc erepto cl: me: Car-
" dinali Finy Ponente, ſeu Relatore Cauſ.
" ſæ, Sanctitas Veſtra ſub die 18. Aprilis ſe-
" quentis an. 1744. me in ipſius locum cum
" omnibus & ſingulis facultatibus neceſsa-
" riis & opportunis benigne ſubrogavit, at-
" que deputavit.

4 " Die 16. Maii ejuſdem anni 1744.
" Sacra Rituum Congregatio, me referen-
" te, validitatem ſupradicti Proceſsus ap-
" probari poſse cenſuit, ſi Sanctitati Veſtræ
" placuiſset, & Sanctitas Veſtra aſsenſum
" ſuum præſtitit die 20. ejuſdem menſis,
" & anni.

5 " His præhabitis, ſub die 2. Martii
" mox elapſi anni 1751. habita fuit in Æ-
" dibus meis Congregatio Antepræparato-
" ria; ſucceſſiveque die 16. Novembris ejuſ-
" dem anni in Palatio Apoſtolico Quirinali
" altera Congregatio Præparatoria ſuper e-
" xamine tam antiquorum, quam ſupradi-
" cti alterius receotioris miraculi.

6 " Et cum modo ſuperſit tantum ha-
" benda poſtrema Congregatio Generalis
" coram Sanctitate Veſtra; idcirco ad ſup-
" plices Poſtulatorum preces ſequens ſub-
" ſcripſi dubium cum R. P. Fidei Promoto-
re jam concordatum, nempe dubium:

An, & de quibus miraculis conſtet in caſu, & ad effectum, de quo agitur,
A. Card. Tanarius Cauſsæ Ponens.

Die S. Patriarchæ Franciſco ſacra poſtquam ad ejus aram provolutus in Baſilica Sanctorum XII. Apoſtolorum omnipotenti Deo incruentum Sacrificium, & Hoſtiam placationis obtulerat, ex propoſitis miraculis duo Benedictus Pontifex duxit probanda; ſententias deinceps Eminentiſſimorum Cardinalium, ac Reverendiſſimorum Conſultorum, ut receptam ſervaret conſuetudinem; requiſivit, an tuto eſset ad Beatificationem Josephi deveniendum, ac tandem honores Beatis debitos per litteras in forma Brevis expeditas x. Kalendas Martii MDCCLIII. Josepho tribui mandavit,[1] ut eleganti ornatu peractum in Baſilica Vaticana fuit.

Tunc Chriſtifidelium pietas, animique devotio, & veneratio erga Beatum Virum ferveſcere magis magiſque in dies cœpit ob continua præſertim, quæ ad ejuſdem interceſſionem ab Altiſſimo edebantur prodigia, quæ tanta, tamque frequentia erant, ut mole ſua, & rerum varietate dubios, incertoſque Poſtulatores redderent, quæ in ea fœcunda prodigiorum meſse præſertim ſeligerent, ut Apoſtolico judicio probarentur; ſed cum diu deliberaſsent, ſequentia elegerunt.

In Oppido non ignobili, quod per viam Prænestinam, aut Lavicanam iter habentibus occurrit nomine *Zagarola*[2] erat virgo Maria Magdalena Panzironi appellata, quæ in ipſo ætatis flore adverſa cœpit laborare valetudine multis, diverſiſque morbis afflictata, quos cum per annos plurimos tolleraſſet, in tumorem incidit ſcirrhoſum, qui cum in ſtomaco inſideret, non ſolum animam ei intercludebat, verum & ad extré-

E 2 mum

1 *Ex 3. Faſt. concord.* §. 1.
2 Zagaruolum Caſtrum Campaniæ Romanæ in Ditione Pontificia viginti millia paſſus a Roma diſtans, aliqui illud credunt ædificatum ſuper Gabii ruderibus; gaudet Ducatus titulo.

mum agonem ita eam redegerat, ut jamjam morituram cognati, affineſque deflerent. Forte ex iis, quæ adſtabant, Mulier quædam inſerit inter digitos Infirmæ Reliquias, & ad tumorem imaginem JOSEPHI apponit. At mirabilis Deus in Sanctis ſuis! Quæ moritura credebatur e lecto ſtatim proſiliit, ad cœnam domeſticam venit, & ſummo mane gratias Deo, & JOSEPHO actura templum petiit.

Auximi qua in urbe BEATI corpus requieſcit, agaſo, cui nomen erat Bernardinus Sinigaglieſe, licet ſiniſtrum ſemur ab erodente herpete excruciatum, depaſtumque haberet, tamen paupertate coactus agere jumenta ad multos dies non intermiſit, donec violenta ſebri correptus, immanibuſque doloribus divexatus, invitus quamvis & reluctans, lectulo ſuit detentus. Dolores inter & cruciatus quandoquidem a JOSEPHO auxilium expoſtulat, tum precanti per viſum JOSEPHUS apparet, eique Litanias Virginis ſecum imperat recitare, ſanitatemque promittit. Incipiunt alternatim Litanias dicere uſque ad ea verba, quibus Virgo ſalus infirmorum vocitatur; tum viſum diſparuit, & Bernardinus ita perfecte ſanatum, viribuſque reſtitutum ſe cognovit, ut poſtridie ejus diei ad interruptum opus pergeret.

Mira quidem relata prodigia ſuere, ſed ſtupendum ſupra modum illud profecto ſuit, quod Serviliani, Diœceſis Firmanæ Oppidum, accidit an. MDCCLVI.. Benedicta enim Pierangelini ob enatas in corde polypoſas moles poſt diuturnum per multos annos protractum morbum ad extremum uſque ſuerat redacta, cum JOSEPHI interceſſione, cujus Reliquiæ ad ejus pectus ſuerant applicitæ e corde hujuſmodi polypoſis molibus divulſis, & contra ipſius naturæ leges per ſectam venam, quam ſalvatellam Medici omnes vocant, excluſis, perfecte ita ſanitati ſuit reſtituta, ut haud multo poſt ad templum accedere, Exomologeſim explere, ſacraque Euchariſtia reſici potuerit.

De tribus hiſce miraculis eorum rumore permoti Cauſſæ Poſtulatores a Sacrorum Rituum Congregationis Eminentiſſimis Patribus obtinuere, ut Apoſtolica auctoritate Romæ, Auxumi, & Firmi inquiſitiones inſtituerentur, quæ cum ad ultimum finem eſſent perductæ v. Nonas Martii MDCCLXI. earum validitas [1] per Cardinalem Galli [2] poſtremum hujuſce Cauſſæ Relatorem apud eamdem Sacram Congregationem ſuit in judicium feliciſſime adducta.

Diſceptatio autem de ipſis miraculis; quæ nonniſi XIV. Kal. Septembris MDCCLXIV. in Congregatione Antepræparatoria penes eumdem Cardinalem Galli ſuerat incepta, & in Præparatoria in Quirinali Aula IV. Idus Decembris MDCCLXV. proſecuta, [3] non potuit tamen abſolvi, ante quam ob nonnullorum doctiſſimorum Suffragatorum dubietatem, per novum examen conſtaret certiſſime nunquam inpoſterum eiſdem, aliiſque ſimilibus morbis afflictatam ſuiſſe Mariam Magdalenam Panzironi, de cujus miraculoſa ſanatione primo loco diſputabatur, & hæc cauſſa ſuit, cur Romam ſanata ipſa, aliiſque omnibus, qui hac de re teſtimonium dicere debebant, accerſitis, apud eumdem Eminentiſſimum Cardinalem, adſtante etiam R. P. D. Cajetano Forti tunc Fidei Promotore, novus ſuerit Proceſſiculus compilatus, [4] ex quo cum ad evidentiam uſque apparuerit, nunquam ſequenti tempore eiſdem morbis correptam ſanatam Virginem, IX. Kalendas Octobris MDCCLXVI. coram SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO CLEMENTE PP.XIII. Generalia Comitia ſuere indicta, in quibus rationibus omnibus recte perpenſis, atque ponderatis, cum nullius ponderis difficultates oppoſitas exi-

1 *Cit. Fact. concord. a §. 2. ad 8.*

2 *Antonius Andreas Galli* Bononienſis Abbas Canonicorum Regularium Sanctiſſimi Salvatoris a Benedicto PP.XIV., cui optime egregiæ viri virtutes erant perſpectæ Cardinalis Tituli Sancti Petri ad Vincula VI. Kalendas Decembris MDCCLIII. declaratur, ac poſt per mortem Cardinalis Beſozzi Major Pœnitentiarius conſtituitur: deceſſit Romæ MDCCLXVII.

3 *Cit. Fact. concord. §. 9.*

4 *Cit. Fact. concord. §. 10.*

exiſtimaſſent Eminentiſſimi Patres, & doctiſſimi Suffragatores, eadem tria miracula tanti fecere, ut digna judicarent quæ per Apoſtolicum SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI oraculum firmarentur.

NERITONEN.

Canonizationis B. JOSEPHI A CUPERTINO Sacerdotis Profeſſi Ordinis Minorum Conventualium S. Franciſci.

FACTUM CONCORDATUM.

1 „ POſtquam inclytus Minorum Con-
„ ventualium Ordinis alumnus Ven.
„ JOSEPHUS A CUPERTINO, probatis jam a
„ fe. rec. Clemente XII. die 15. Aug. 1735.
„ ejus virtutibus in gradu heroico, proba-
„ tiſque deinde a ſa. me. Benedicto XIV.
„ die 4. Octobris anni 1752. duobus mira-
„ culis ab Omnipotenti Deo ad illius in-
„ vocationem dudum patratis, fuit inde me-
„ rito ab eodem Benedicto XIV. inter Bea-
„ tos adſcriptus, edito hac de re Brevi die 20.
„ Februarii ſequentis anni 1753.

2 „ Cum illico in ejuſdem anni decur-
„ ſu, ac deinceps cœpta ſint pluribus in
„ locis nova fieri miracula ad ejuſdem
„ BEATI interceſſionem, quibus Deus Opti-
„ mus Maximus, veluti totidem de Cælo ſi-
„ gnis videbatur amicum ſuum, ut ſupe-
„ rius etiam in terris ad Canonizationis ho-
„ nores aſcenderet, invitare; hinc interim
„ vita functo Cardinali Tanara Cauſſæ Re-
„ latore, ad Poſtulatoris preces placuit
„ eidem Pontifici ſa. me. Benedicto XIV.
„ me infraſcriptum in ejus locum ſubroga-
„ re, edito decreto die 6. Julii 1754.

3 „ Propoſito deinde in Sacra Congrega-
„ tione dubio ſuper ſignatura Commiſſionis
„ reaſſumptionis Cauſſæ, cum enixis vo-
„ tis, piiſque inſtantiis Regum, Archie-
„ piſcoporum, & Epiſcoporum, eadem
„ Sacra Congregatio affirmative reſpon-
„ dit die 13. Julii 1754., cui reſolutio-
„ ni idem Summus Pontifex annuit, &
„ Commiſſionem reaſſumptionis propria ma-
„ nu ſignavit die 17. ejuſdem menſis, & an-
„ ni 1754.

4 „ Inſtante poſtmodum Poſtulatore pro
„ conceſſione remiſſorialium ad effectum
„ conſtruendi Apoſtolica auctoritate Proceſ-
„ ſus ſuper tribus reſpective miraculis, pri-
„ mum ſcilicet in Urbe, alterum in Civi-
„ tate Auximana, ac tertium in Diœceſi
„ Firmana, Sacra eadem Congregatio ejuſ-
„ modi litteras benigne conceſſit ſub tribus
„ reſpective diebus 30. Auguſti 1755., 13.
„ Decembris 1756., & Julii 1757. eodem
„ Summo Pontifice approbante ſub re-
„ ſpectivis diebus 10. Septembris 1755.,
„ 13. Decembris 1756., & 27. Julii 1757.

5 „ Completo autem ante omnes Auxi-
„ mano Proceſſu, eoque ad Urbem perla-
„ to, Sacra Congregatio ejus aperitionem
„ indulſit die 26. Martii 1757., annuente
„ Sanctiſſimo die 2. Aprilis ejuſdem anni.

6 „ Translato deinde ad Epiſcopatum
„ Carpentoracten. Epiſcopo Septempeda-
„ no, qui unus erat ex tribus Epiſcopis pro
„ Firmani Proceſſus conſtructione delega-
„ tis, extinctaque proinde ejus juriſdictio-
„ ne, Sacra Congregatio ad humillimas
„ preces Poſtulatoris illius juriſdictionem
„ tanquam Epiſcopi Carpentoracten. pro
„ dicti Proceſſus continuatione prorogavit
„ die 10. Decembris 1757., aſſentiente
„ Summo Pontifice die 17. ejuſdem menſis,
„ & anni; eodemque Proceſſu abſoluto, &
„ ad Urbem perlato, SANCTITAS VESTRA ad
„ ejus aperitionem, ſervatis ſervandis, de-
„ veniri poſſe indulſit die 11. Octobris 1758.

7 „ Cumque elapſus interim eſſet termi-
„ nus trium annorum pro conſtructione Ro-
„ mani Proceſſus aſſignatus, eadem SANCTI-
„ TAS VESTRA præfatum terminum ad alios
„ ſex menſes benigne prorogavit die 24.
„ Novembris anni 1759. eodemque Proceſſu
„ ſubinde completo, & in actis Sacræ Con-
„ gregationis exhibito, eadem SANCTITAS
„ VESTRA, ut ſervatis ſervandis, aperiri
„ poſſet, indulſit die 26. Aprilis 1760.

8 „ Propoſito deinde, ex prævia SANCTI-
„ TATIS VESTRÆ ab interventu Conſultorum
„ diſpen-

„ diſpenſatione indulta die 17. Sept. 1760.
„ in Sac. Rituum Congregatione Ordinaria:
„ dubio: *An conſtet de validitate Proceſſuum,*
„ *in Civitatibus, & Diœceſibus Auximana,*
„ *& Firmana, necnon in Urbe auctorita-*
„ *te Apoſtolica conſtructorum &c.* eadem
„ Sacra Congregatio, audito etiam in vo-
„ ce, & in ſcriptis R. P. Fidei Promotore,
„ *affirmative* reſpondit die 3. Martii 1761.
„ quam reſolutionem SANCTITAS VESTRA
„ benigne approbavit die 7. ejuſdem menſis,
„ & anni.

9 „ Opportune poſtmodum ad examen
„ relevantiæ miraculorum contentorum in
„ dictis Proceſſibus ſemel atque iterum de-
„ ventum eſt; & primo quidem in Congre-
„ gatione Antepræparatoria habita in meis
„ ædibus die 18. Septembris anni 1764., de-
„ inde in altera Præparatoria habita in Pa-
„ latio Apoſtolico Quirinali die 10. Decem-
„ bris elapſi anni 1765.

10 „ Cumque ex benigna SANCTITATIS
„ VESTRÆ diſpenſatione die 15. Februarii cur-
„ rentis anni 1766. novus etiam, ſed abſque
„ ſollemni formalitate, Proceſſiculus acceſ-
„ ſerit coram me, & cum interventu R. P.
„ Promotoris Fidei in Urbe inſtructus ſuper
„ continuatione ſanitatis Mariæ Magdale-
„ næ Panzironi, de qua primum miracu-
„ lum prædicatur.

11 „ Illud nunc ſupereſt, ut Cauſſa in Con-
„ gregatione Generali habenda coram SAN-
„ CTITATE VESTRA proponatur, ad quem effe-
„ ctum ſequens in ea diſcutiendum, & cum
„ R. P. Promotore concordatum ſubſcripſi
„ dubium:

An, & de quibus miraculis poſt indultam eidem BEATO *venerationem conſtet in caſu, & ad effectum, de quo agitur?*

D. A. A. Card. Galli Ponens.

Decretum autem, quo tria hæc jam examinata, & diſcuſſa miracula BEATI JOSEPHI A CUPERTINO probarentur, ſtatim emanandum, minime SUMMUS PONTIFEX exiſtimavit opportunum, ſed preces Altiſſimo hac de re fundere prius aſſidue decrevit, cæteroſque id quoque peragere hortatus eſt, quibus exemplum dare non prætermiſit, in genua quotidie provolutus ante Divinum Euchariſtiæ Sacramentum; quod licet a feliciſſimis glorioſiſſimiſque ſui Pontificatus initiis facere nunquam omiſerit, tamen per id tempus longius ferventiuſque præſtabat, verum IV. Idus Octobris MDCCLXVI. cum per religioſiſſimos Patres Ordinis Prædicatorum octava ſollemnitatis Roſarii [1] celebraretur, cujus JOSEPHUS, dum in vivis erat, devotiſſimum ſeſe oſtendit, ad ſe evocavit Eminentiſſimos Cardinales Antonium Andream Galli Cauſſæ Ponentem, & Feroni Sacrorum Rituum Congregationis Præfectum, ac Illuſtriſſimos Dominos Carolum Alexium Piſani Fidei Promotorem, & Vincentium Macedonium, qui ejuſdem Congregationis eſt a Secretis, illiſque adſtantibus, oraculo ſuo hæc ipſa miracula roboravit, cujus rei decretum edi, ac in tabularium Sacræ Congregationis referri juſſit.

N E-

1 Optimo quidem jure Ordinis Fratrum Prædicatorum Alumni præ cæteris in feſtivitate Roſarii celebranda ſui animi pietatem præſeferunt, nam certa illa precandi formula, quam Roſarium appellamus, in auctorem agnoſcit S. Dominicum ejuſdem Prædicatorum Ordinis parentem; quæ res, etſi per coevos Scriptores minime comprobetur, tamen ſatis ſuperque noſtro judicio firmari videtur ex continua, ac nunquam interrupta traditione, quæ viguit, ſemperque viget in florentiſſimo Prædicatorum Ordine, qui maximæ ſibi laudis ducit Dominicum hanc precandi formam primum inveniſſe, & ex Conſtitutionibus Leonis PP. X., S. Pii PP. V., Gregorii PP. XIII., Sixti PP. V., Alexandri PP. VII., Ven. Innocentii PP. XI., & Clementis PP. XI, qui omnes hanc laudem S. Dominico attribuunt, quibus accedunt quamplurima antiqua monumenta, quæ ad evidentiam uſque oſtendunt ejuſmodi precandi morem poſt S. Dominici obitum per Patres Ordinis Prædicatorum quammaxime fuiſſe propagatum, ut videri poteſt in *Bibliotheca eorumdem Patrum* Echard *tom. 1. pag.* 352., *& tom. 2. pag.* 271.. Quæ omnia monumenta cum ab erudito Baillet, vir alioquin rigidioris criticeѕ, attente fuiſſent conſiderata, in cauſſa fuere, ut ſcribere non dubitaverit ſine magno piaculo non poſſe hanc gloriam Sancto Dominico detrahi.

NERITONEN.

Canonizationis BEATI JOSEPHI A CUPERTINO Sacerdotis Profeſsi Ordinis Minorum Conventualium Sancti Franciſci.

,, POſtquam Ven. Dei Servus JOSEPHUS
,, A CUPERTINO Sacerdos profeſſus, ac
,, inclytus Alumnus Ordinis Minorum Con-
,, ventualium S. Franciſci fuerat a ſel. rec.
,, Benedicto XIV. in Beatorum album ad-
,, ſcriptus per Breve editum die 20. Februa-
,, rii anni 1753., illico in ejuſdem anni de-
,, curſu, ac deinceps cœpta ſunt pluribus
,, in locis nova fieri miracula ad ejuſdem
,, BEATI interceſsionem, quibus Deus Opti-
,, mus Maximus, veluti totidem de Cælo
,, ſignis, videbatur amicum ſuum (qui *cum*
,, *adhuc incola teneretur in terra, præ ve-*
,, *hementiſſimo Dei ſui deſideria eamquam*
,, *domeſticus haberetur in Cælis*), [1] ut ſu-
,, perius etiam ad Canonizationis honores
,, aſcenderet, invitare.

,, Ex quibus cum tria miracula ad invo-
,, cationem dicti BEATI poſtmodum patrata;
,, fuerint examini propoſita in tribus de
,, more Congregationibus, Antepræparato-
,, ria die 18. Septembris 1764., Præpara-
,, toria die 10. Decembris 1765., ac tan-
,, dem Generali coram SANCTISSIMO die 23.
,, Septembris currentis anni 1766. coacta:
,, primum videlicet *ſubitæ ſanationis Ma-*
,, *riæ Magdalenæ* Panzirani *ab immani diu-*
,, *turno ſcirrhoſo, ac maligno tumore in*
,, *epigaſtrio, quo ad extremum vitæ diſcri-*
,, *men adducta fuerat, quin ultra eodem*
,, *morbo laboraverit*; alterum *liberationis*
,, *Benedictæ Pierangelini a peſſima invete-*
,, *rata tordis organica affectione funeſtiſ-*
,, *ſimis ſtipata ſymptomatibus*; *miro inſu-*
,, *per modo per duarum molium perito-*
,, *rum artis medicæ judicio uti polypoſa-*
,, *rum, ſive polyporum exiſtimatarum, e*
,, *diſſecta vena ſalvatella cum educto ſan-*
,, *guine expulſionem, ſecutæ in inſtanti*:
,, poſtremum denique ſupra numerum *per-*
,, *fectæ, ac inſtantaneæ Bernardini Sini-*
,, *gaglieſe ſanationis ab herpete moleſtiſ-*
,, *ſima in grave ac pertinax ulcus exedens,*
,, *ſive corroſivum converſo, peſſimis comi-*
,, *tantibus ſymptomatibus*.

,, Cumque SANCTITAS SUA, auditis Re-
,, verendiſsimorum Cardinalium, & Con-
,, ſultorum ſuffragiis, reſolutionem adhuc
,, differre cenſuerit, ut rem maturius deli-
,, beraret, & ſuis, aliorumque precibus a
,, Patre luminum divinum imploraret auxi-
,, lium: quod cum abunde peregerit, idem
,, SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER PAPA
,, CLEMENS XIII. ſupradicta tria miracula
,, in tertio genere conſtare ſollemniter de-
,, crevit; atque ita, accitis coram ſe Re-
,, verendiſsimis Cardinalibus Galli Cauſſæ
,, Relatore, & Feroni Sacrorum Rituum
,, Congregationis Præfecto, necnon R. P.
,, Carolo Alexio Piſani Fidei Promotore,
,, meque infraſcripto Secretario, declara-
,, vit.

,, Idemque Decretum publicari, atque
,, in Acta Sacrorum Rituum Congregatio-
,, nis referri mandavit. Hac die 12. Octo-
,, bris 1766.

Joſeph Maria Card. Feroni S. R. C. Præfectus,

Loco ✠ Sigilli.

V. Macedonius S. R. C. Secretarius.

VI. Kalendas Februarii MDCCLXVII. Generalis Conſeſſus dictus eſt, quo an tuto ad JOSEPHI ſollemnia Canonizationis eſſet deveniendum quæreretur, ut auditis Patrum ſuffragiis, tandem inter Sanctos BEATUS JOSEPH adnumeraretur. In hoc frequentiſsimo Cardinalium, ac Conſultorum Conventu nemo unus fuit, qui non opinaretur, honores Sanctis debitos tribui etiam BEATO JOSEPHO poſſe, idque libentiſsimo & attento animo ab Eminentiſsimis Suffragatoribus SUMMUS PONTIFEX excepit, ſed prudentiæ legibus innixus ad aliam diem diſtulit animum ſuum explicare, interim Divinum Numen orationibus conſulere volens.

Illuxit denique dies IV. Nonas Februarii, quo Purificationis Deiparæ memoriam ſollemni ritu Eccleſia recolit. PONTIFEX ad Sacel-

[1] *Ex cit. Brevi.*

Sacellum Paulinum venerat ubi cereorum [1] benedictione expleta, Eminentiſsimis Patribus, Reverendiſſimis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, cæteriſque Romanæ Curiæ Præſulibus, qui in Pontificio Sacello locum habent benedictos cereos distribuerat, Sacroque etiam quamdevotiſſime adſtiterat, cum ad ſe accerſivit Eminentiſſimos Dominos Cardinales Feroni Sacrorum Rituum Congregationis Præfectum, & Laurentium Ganganelli Ordinis Minorum Conventualium, nam Eminentiſſimus Galli Cauſæ Ponens adverſa premebatur valetudine, & Fidei Promotorem, ac Congregationis Secretarium, deditque in mandatis ſtatim emanandum decretum fore, quo declararetur poſſe quandocumque BEATI JOSEPHI Canonizationem expleri.

NERITONEN.

Canonizationis BEATI JOSEPHI A CUPERTINO Sacerdotis Profeſſi Ordinis Minorum Conventualium Sancti Franciſci.

„ ADmirandum BEATI JOSEPHI A CU-
„ PERTINO Sacerdotis Profeſſi incly-
„ ti Minorum Conventualium Ordinis San-
„ cti Franciſci alumni ſanctitatem, qui
„ toto

1 Sollemnis hac die cum cereis accenſis prius per Sacerdotem benedictis inſtituitur ſupplicatio, cujus rei allegoricam rationem aſſignat Ivo Epiſcopus Carnotenſis *in Serm. 11. de Purificatione*, ſicut enim, inquit, Beatiſſima Virgo infantem Jeſum in ulnas geſtans, ejus recognovit majeſtatem, quæ noſtrorum peccatorum tenebras diſſipavit, ita Chriſtifideles dum ardentes cereos in manu geſtant, in ipſis cereis propriam carnem, & imbecillitatem, ac in illorum ſplendore gratiam, qua mentes hominum illuſtrantur, debent recognoſcere.

Joannes Gerſon Cancellarius Pariſienſis *de directione cordis conſiderat. 21.* allegorico ſenſu poſthabito, inquit, quod feſtum Purificationis *Candelaria* vulgo *dicitur, quia portantur candelæ ardentes illo die in honorem puriſſimæ, & lucidiſſimæ Virginis Mariæ, quæ prius portari apud Gentiles conſueverant in venerationem cujuſdam Deæ, & in luſtratione Urbis Romanæ*. Quis autem fuerit, qui hoſce ardentes cereos in ſollemni ſupplicatione inſtituerit deferendos, minime exponit Gerſon, nec conveniunt inter ſe eruditi, cum nonnulli cum Baronio autument ſupplicationem hujuſmodi per Sergium PP. I. fuiſſe inſtitutam eo quia, ut Anaſtaſius, ſeu quiſque eſt auctor libri Pontificalis habet, præcepit, ut hac die e templo S. Adriani in foro boario ad S. Mariæ Majoris Clerus, populuſque ſupplicatum procederet.

Nos ab horum ſententia libentiſſime recedimus, & cum Menardo in *Notis ad Sacramentarium S. Gregorii PP. I.*, Henſchenio *ad diem ſecundam Februarii*, Rocca *tom. 1. edit. Romæ 1719. pag. 215.*, & Saxio *in Diſſertat. Apologetica corporum Sanctorum Gervaſii, & Protaſii* §. 14. exiſtimamus hanc ſupplicationem multo ante Sergium PP. fuiſſe per Eccleſiam ſtatutam, ut *amburbialia*, quæ Februario menſe celebrabantur, omnino eliminarentur, quæ dicebantur etiam *Februalia*, ſive *luſtrationes*; februare namque Sabinorum lingua, ut adnotavit Ovidius *Faſtorum lib. 2. verſ. 19.* expiare, ſeu purgare ſignificabat, & hoc ipſum denotabat verbum luſtrare, quod a Græco λύειν deducitur; hinc *februa* dicuntur *purgamina*, ſive *piamina*, & ipſe Februarius menſis ita fuit nuncupatus, ut *loc. cit. verſ. 49.* innuit Ovidius, quod tum populus februaretur, ideſt luſtraretur, aut purgaretur, cum enim antiquitus menſis iſte terminus, ac anni finis eſſet, ut habet Vopiſcus *in Aureliano cap. 20.* in eo convenientius videbatur totius anni peccata purgare.

Hiſce ſacris Urbs, agri, & etiam univerſus populus luſtrabatur: Urbs luſtrabatur cum inſignis aliqua calamitas accidiſſet, vel grave ſcelus fuiſſet perpetratum, ſacrificio quod *amburbium* vocabant, ut exponit Feſtus *ea voce*, tunc enim hoſtiam, quam *amburbialem* appellabant, circa Urbem ducebant, teſte Lucano *lib. 1. verſ. 592.*: agri luſtrabantur circumitione, ut videre eſt apud Virgilium *Ecl. 5. ver. 74.*, & ſacrificio pro felici proventu frugum *Georgic. lib. 1. verſ. 341.* quod ſacrificium *ambarvale* dicebatur, & a Fratribus Arvalibus expleri ſolebat.

Populus luſtrabatur quinto quoque anno a Cenſoribus in Campo Martio ſue, ove, & tauro circum exercitum ductis, & mox immolatis, quod ſacrificium *Suovetaurilia*, *vel Solitaurilia* dicebatur; ſic Feſtus *hac voce*: idque Romani vocabant luſtrum condere, ut Livius *lib. 1. cap. 44.*

Quam luſtrandi conſuetudinem congrue, & religioſe Chriſtiana mutavit Religio; cum eodem menſe, hoc eſt hodierna die in honorem Sanctæ Genitricis, & perpetuæ Virginis Mariæ non ſolum Clerus, ſed omnis plebs Eccleſiarum loca cum cereis, & diverſis hymnis luſtrantibus circumeunt, inquit S. Ildephonſus Toletanus, qui VII. Seculo floruit *tom. 12. Bibliotheca Patrum pag. 589.*, illique conſentit S. Eligius ejus fere coetaneus.

Hinc nemo non videt quam a vero aberraverit Hoſpinianus Scriptor Heterodoxus dum in tractatu *de origine Feſtorum pag. 52.* loquens de hoc Purificationis feſto ſcripſit. *Inſtitutum eſt autem feſtum hoc cum ſuis cæremoniis ad imitationem feſti ethnici*; non enim ad imitandas, ſed potius ad eliminandas Ethnicorum ſuperſtitiones inſtituta feſtivitas hæc fuit.

Hiſce tamen non obſtantibus, non denegamus Sergio PP. I. laudem, quod hanc ſupplicationem ante ipſum inſtitutam bene ordinaverit, præceperitque ab Eccleſia S. Adriani ad Liberianam Baſilicam pergere, ut adnotat ad rem Martene *de antiqua Eccleſiæ diſciplina in divinis celebrandis Officiis cap. 15.*, & eruitur ex Auctore libri Pontificalis: *Conſtituit autem, ut diebus Annunciationis, Nativitatis, & Dormitionis Sanctæ Dei Genitricis ſemperque Virginis Mariæ, ac Sancti Simeonis, quod Hypapantem Græci appellant Litania exeat a S. Adriano, & ad Sanctam Mariam Populus occurrat.*

„ toto peregrinationis ſuæ tempore ad Deum
„ in corde ſuo aſcenſiones diſpoſuit, adeo
„ ut homo cœleſtis videretur, tribus noviſ-
„ ſime miraculis eximiis, Omnipotente
„ Numine conteſtante, die 12. Octobris an-
„ ni 1766. a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO
„ PAPA CLEMENTE XIII. ſollemniter appro-
„ batis, tandem, uti in more poſitum eſt,
„ in Congregatione Generali, habita die 27.
„ Januarii proxime elapſi coram SANCTITA-
„ TE SUA, ad propoſitum dubium deventum
„ eſt: *An ſtante approbatione prædictorum*
„ *miraculorum tuto procedi poſſit ad ſollem-*
„ *nem dicti* BEATI *Canonizationem*: in qua
„ licet omnes Patres in adfirmantem deſcen-
„ diſſent ſententiam, æquum tamen SAN-
„ CTISSIMUS DOMINUS NOSTER ſublime hu-
„ juſmodi judicium protrahere cenſuit, ut,
„ invocato prius conſilii, & veritatis Spiri-
„ tu, de ejus vultu prodiret, a quo veluti
„ fonte ſanctitatis radii promanant, quibus
„ ita BEATI JOSEPHI pectus accenſum fuit;
„ ut tam in Jeſum, qui juſtorum eſt caput,
„ quam in Deiparam, ex qua ſicuti ex ejus
„ collo vitales gratiæ ſpecialius profluunt in
„ amicos, vehementiſſima uſque ad eſta-
„ ſim raptus exæſtuaret caritate, cupiens
„ diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.

„ Hac igitur infraſcripta recurrente die
„ Purificationis, qua Dei Genitrix lege ſu-
„ perior ſeſe legi ſubmiſit, & ſe templo,
„ ſuumque Filium templi Dominum Re-
„ demptorem noſtrum obtulit, ut ritualis
„ legis obſervaret, SANCTITAS SUA, per-
„ acto ſacroſancto Miſſæ Sacrificio, adſtan-
„ tibus Reverendiſſimis Cardinalibus Fero-
„ ni Sacrorum Rituum Congregationi Præ-
„ fecto, & Ganganelli in locum Reveren-
„ diſſimi Cardinalis Galli Relatoris, necnon
„ R. P. Carolo Alexio Piſani Fidei Promo-
„ tore, meque infraſcripto Secretario, præ-
„ ſens Canonizationis BEATI JOSEPHI A CU-
„ PERTINO quandocumque faciendæ decre-
„ tum publicari, & in Actis Sacrorum Ri-
„ tuum Congregationis recenſeri manda-
„ vit. Die 2. Februarii 1767.

Joſeph Maria Card. Feroni Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

V. Macedonius Sac. Rit. Congreg. Secretarius.

BEATUS HIERONYMUS ÆMILIANUS Venetæ gentis gloria, & præclarum ornamentum tanto virtutum, & ſanctitatis ſplendore, dum in humanis egit, refulſit, ut ſtatim ac VI. Idus Februarii MDXXXVII. mortem in oppido Somaſchæ obiit, honores qui per fideles erga viros illos, qui jam de manu Domini coronam juſtitiæ receperunt, exhibentur, & ſibimetipſi præſtari meruerit [1]; verum cum religioſiſſima Clericorum Regularium Familia, quæ ab oppido Somaſchæ nomen obtinet [2], quæque HIERONY-

1 *Ex prim. Fact. concord.* §§. 1. & 2.

2 Statim ac HIERONYMUS ÆMILIANUS ſuperos petiit, Angelus Marcus Gambarana, qui inter primos ſocios ac diſcipulos fuerat a HIERONYMO allectus, ut Congregatio Somaſchæ in dies adaugeretur, atque uberiores in vinea Domini Sabaoth fructus ederet, cognovit neceſſarium omnino fore, ut per Sedem Apoſtolicam aliquo approbationis privilegio muniretur. Hinc idem Gambarana Romam petiit, & a Paulo PP. III. obtinuit anno MDXL., ut Apoſtolica ſanctione inſtitutum, ac vivendi norma, qua Somaſchæ Congregationis alumni utebantur, firmaretur, cui Pauli PP. III. ſanctioni novum robur, ac firmamentum adjecit anno MDLXIII. Pius IV., qui eoſdem Somaſchenſes pluribus cumulavit privilegiis, & affecit beneficiis.

Neque his contentus Gambarana, ut eamdem Congregationem firmam ſtabilemque redderet, illam in Regularem voluit Familiam erigere; quamobrem Romam miſſo Aloyſio Baldonio, cui id dederat negocii, ut efficaciſſime penes Pontificem ea de re ageret, effecit, ut Sanctus Pius PP. V. VIII. Idus Decembris MDLXVIII. per ſuas Apoſtolicas litteras in forma Brevis directas, eamdem Congregationem veram Regularem Familiam declararet, atque illis, qui eidem Congregationi nomen dederant ſollemnia Religionis vota emittendi poteſtatem faceret.

Hiſce Apoſtolicis litteris obtentis, Angelus Marcus Gambarana cum aliis quinque ex Congregationis ſenioribus coram Cæſare Gambara Epiſcopo Dertonæ, cui hanc provinciam Pontifex demandaverat, ſollemnia religioſa vota nuncupavit; idque cæteri omnes poſtmodum præſtitere præter unum Primum de Comitibus, qui adverſa afflictatus valetudine, licet in eadem Congregatione ad obitum uſque permanſerit, opportunum non exiſtimavit ſe eiſdem votis obſtringere.

Ex eo tempore Generalem Præpoſitum hæc Congregatio habuit, quod munus omnium ſuffragiis coactus ipſe Gambarana, qui tantum operis, ac ſtudii in ipſius Congregationis ſplendorem ac incrementum contulerat, omnium primus ſuſtinuit. Quamplurimis privilegiis Congregatio hæc fuit a Romanis Pontificibus condecorata. Sixtus PP. V. anno MDLXXXV. illam a juriſdictione Epiſcoporum immunem liberamque voluit. Clemens PP. VIII. anno MDXCIV. illius Con-

Digitized by Google

MUM in parentem habet, ac veneratur, votis inſtaret efficaciſſimis, ut Sedis Apoſtolicæ inviolabili ſanctione HIERONYMI nomen glorioſum redderetur, & honores illi, qui tunc certis finibus continebantur, per univerſam Eccleſiam extenderentur, hinc anno MDCXIV. id operam præſertim dedit, ut Venetiarum, Tarviſii, Bergomi, Brixiæ, Papiæ, & Mediolani per locorum Ordinarios teſtes, qui de virtutibus, & miraculis HIERONYMI teſtimonium dicere poſſe videbantur ad examen vocarentur, ut quam citiſſime de ÆMILIANO inter Sanctos referendo apud Apoſtolicam Sedem ageretur [1].

Summa diligentia, ac cura Acta hæc fuere a vigilantiſſimis Præſulibus adornata, ac Romam ad Sacrorum Rituum Congregationis Eminentiſſimos Patres tranſmiſſa, qui cum perquam diligenter rumorem, ſeu famam ſanctitatis, quæ inde ſurgebat optime conſideraſſent, Commiſſionem introductionis Cauſſæ ſignandam fore exiſtimarunt, quod benigne præſtitit VII. Kalend. Junii MDCXXIII. Gregorius PP. XV. [2].

Erant tunc pluribus in Urbibus, quas eximiis HIERONYMUS condecoraverat virtutibus, ut Cauſſa hæc neceſſariis non deſtitueretur præſidiis, Apoſtolica auctoritate Proceſſus exarandi, quapropter Poſtulatoribus Cauſſæ rem acrius agentibus Pridie Nonas Novembris litteras remiſſoriales Sacra Congregatio dedit, ut Mediolani, Brixiæ, & Tarviſii Apoſtolica auctoritate Acta hæc compilarentur; hinc V. Nonas Junii MDCXXIV. Venetias, tum IV. Kalendas Februarii MDCXXV. Bergomum, & IX. Kalendas Maii Papiam, ac tandem XIII. Kalend. Septembris MDCXXVII. Somaſcham [3] alteras remiſſoriales litteras direxit, ut eo etiam locorum locupletiſſimi conficerentur Proceſſus.

Cum hiſce Proceſſibus ultima manus fuiſſet appoſita, continuo viris lectiſſimis, ornatiſſimiſque, ac in omnium ſcientiarum genere, & præcipue hiſce in Cauſſis verſatiſſimis Joanni Baptiſta Coccino, Philippo Pirovano, & Clementi Merlino Rotæ Auditoribus traditi fuere, ut ad trutinam revocarentur. Summa cura, vigilantia, ac ſtudio Acta hæc, ex quibus HIERONYMI virtutes quammaxime comprobabantur, viri eximii pervolverunt, maturaque deliberatione penſarunt, & ut mos tunc obtinebat perſpicuam litteris mandarunt Relationem [4], quam anno

MDCXXX.

Conſtitutiones probavit; ac tandem Paulus PP. V. anno MDCV. primum omnia, quibus fruebatur privilegiis nova Conſtitutione firmavit, hinc anno MDCVII. ea privilegia, quibus Ordines, quos Mendicantium vocant, ſunt affecti, eidem elargitus eſt, ac denique anno MDCIV. Somaſchenſibus Clericis conceſſit, ut Sacramenta poſſent miniſtrare illis, qui in eorum Collegiis diem clauderent extremum, & illorum cadavera poſſent terræ mandare.

Plura Clerici Somaſchenſes Collegia moderantur, in quibus juventutem ſcientiis, boniſque moribus informant, quorum omnium ſane princeps eſt illud, quod Romæ habent, quodque Clementinum vocant. Illud enim Clemens PP. VIII. anno MDXCV. a fundamentis erexit, ac Somaſchenſibus dedit incolendum, ut ſcientias, & pietatem Dalmaticos pueros docerent, qui pueri, licet anno MDCXXVII. per Urbanum PP. VIII. Lauretum fuiſſent translati, Collegium tamen Clementinum ſub cura ipſorum Somaſchenſium permanſit; ad ipſum enim ephebi pueri majorum gloria, ac nobilitate præſtantes, ut a Religioſis viris litteris, boniſque moribus imbuantur non ſolum a Romanæ Urbis patriciis viris, ſed ab exteris, remotiſque nationibus etiam mittuntur.

Qui plura de Congregatione Somaſchæ ſcire deſiderat conſulat, ſi lubet, Auguſtinum Turturam *in vita* HIERONYMI ÆMILIANI, Bollandum *tom.2. Februarii*, Auguſtinum Barboſam *de Jure Eccl. cap.41. n.160.*, Aſcanium Tamburinum *de Jure Abatum tom.2. diſp.24. quæſt.4. num.86.*, Sylveſtrum Maurolicum *Mare oceano di tutte le Religioni lib.1. cap.68.*, Hermantium *Etabliſſement des Ordres Religieux*, Hieronymum Rubeum *Bullæ, & Privilegia Pontificia Congregationis Somaſchæ, & Diplomata a diverſis Pontificibus Clericis Regularibus Congregationis Somaſchæ conceſſa*, & laudatum Helyot *Hiſtoire des Ordres Monaſtiques Religieux, & Militaires par. 3. tom.4. pag.323. Paris 1715.*

1 *Cit. Fact. concord. §.2.*

2 *Cit. Fact. concord. §.2.*

3 *Cit. Fact. concord. §.2.*

SANCTISSIMO D. N.

URBANO VIII. P. O. M.

4 „ ÆTernus æque, ac amantiſſimus rerum omnium conditor, & parens Deus, Beatiſſime
„ Pater, in primogenitis olim Judaicæ Synagogæ convallibus electam ſibi vineam plantaverat (Hieremia
„ 2.d. Iſaia 5.a.b. Matthæus 21. d. C.5. *Cum igitur 35.q.*
„ 2.) amoris ſui ſepem beneficiorum lapidibus firmatam tutiſſima illi circumdederat ſecuritate, ſparſerat
„ illius in ſinu fœcundiſſimum veritatis ſemen, turrim in medio ipſius gloria, & honore excelſam
„ ædificaverat, ſacroſanctum divinæ legis torcular
„ extruxerat in ea; ſe illi denique prodigum adeo
„ gratiarum oſtendit Dominus, ut nihil ultra debue-
„ rit

MDCXXV. Urbano PP. VIII. obtulerunt, qua clariſſimis, rotundiſque verbis teſtati ſunt, & de Actorum validitate, & virtutum Hieronymi ſplendore, atque heroicitate, ſeu ut vulgo dicunt, de relevantia, ita certum ex actis ipſis deduci argumentum, ut quando-

F 2 cum-

» rit facere huic vineæ ſuæ, quam fecerit. Fuit vinea Domini exercituum domus Iſrael, & viri Judæ germen ejus delectabile, vel potius cultores dilecti. Expectavit benemeritus Paterfamilias, ut uvas dulciſſimæ produceret gratitudinis, ſed iniquiori agricolarum ignavia, vel perfida ſoli ſterilitate, converſa in pravum vinea aliena ingratiſſimæ fecit labruſcas amaritudinis. Hinc juremerito indignatus ultionum Deus abſtulit ſepem ejus, ut eſſet in direptionem, diruit maceriam ejus, ut fieret in conculcationem; poſuit eam deſertam, ne putaretur, aut foderetur, ſed ut aſcenderent ſuper eam vepres, & ſpinæ, mandavitque nubibus Cœli, ne pluerent ſuper eam imbrem. Malos vero agricolas male perdidit auferens illis Regnum Dei. Ignis enim inSynagogam peccantium veluti ſtuppam collectam. (*Eccleſ.* 16. *a*.21.6.) & in gentem incredulam exarſit ira conſumationis. Sed ſponſus ille, qui ut tempus putationis advenit, egreditur in agrum, moratur in villis. (*Cantic.* 6.*a*.) & mane ſurgit ad vineam, ut videat, ſi floruit vinea, ſi flores fructus parturiunt, ſi floruerunt mala punica, qui denique dilectam ſuam introducit in cellam vinariam, non potuit eſſe diutius ſine vinea. Alteram idcirco vineam uberiori quidem, & amœniori ſolo (Hieremia 2.*d*.) fœcundiſſimis ſcilicet Catholicæ Eccleſiæ collibus amantiſſimi Patris ſollicitudo ſibi plantavit, eam ſcilicet, quam factam dilecto ſuo in cornu filio olei, cecinit ſponſa. Elegit divini ſponſi providentia ex ea lapides, firmiſſimam nempe petram illam, (Matthæus 21. *d.* & *c.*) a qua marmoream plane per tot ſecula ſtabilitatem immota Romanorum Pontificum ſucceſſio agnoſcit, lapidem illum ſcilicet, quem reprobaverunt ædificantes, (*Pſal.* 117.) & tamen factus eſt in caput anguli, ſuper quem qui ceciderit, confringetur, & qui eum conteret, ſuper quem ceciderit. Sepſit eam Angelorum cuſtodia, ſalutaribus munivit Sacramentis, certiſſima aſſiſtentis gratiæ ſuæ ſecuritate firmavit; in medio illius, hoc eſt in Romanæ Urbis collibus, cognatis nimirum Cœlo verticibus, & Catholicæ fidei præcordiis, ædificavit turrim, ſupremi ſcilicet ſpeculam Epiſcopatus, ſparſit ipſius in ſinu putiſſimum evangelicæ ſemen veritatis, extruxit in ea ſanctiſſimæ Crucis torcular, quo nobis ſuaviſſimus Dominicæ paſſionis liquor, & pretioſiſſimum ſanguinis nectar exprimeretur, & ne amplius cultorum perfidiam experiretur, providus Paterfamilias (*ad Galat.* 5. *d.*) dilectiſſimam hanc vineam ſuam melioribus locavit agricolis, deditque genti facienti fructus, eos ſcilicet fructus caritatis, gaudii, pacis, patientiæ, benignitatis, bonitatis, longanimitatis, manſuetudinis, fidei, modeſtiæ, ac denique caſtitatis, quibus Eccleſiæ Catholicæ vineam laborioſi agricolæ, feraceſque itidem divinæ viris palmites uberrima propagatione fœcundarunt.

„ Hos inter agricolas inſignem ſollicitæ pietatis, ac laborioſæ ſanctimoniæ locum vindicavit ſibi Hieronymus Æmilianus laudatiſſimus Congregationis Somaſchæ Fundator, quem apparet non conſumpſiſſe incaſſum laborem ſuum, dum terra produxit illi germen ſuum (*Levit.* 26.), & arbores poma præbuerunt, ea ſcilicet poma, ac germina quæ ex fœcundiſſimis ejuſdem Congregationis arboribus non ſine ingenti utilitate, ac ſuavitate Eccleſia quotidie decerpit.

„ Hunc igitur Virum de Eccleſiæ Catholicæ vinea tam bene meritum tuos ad pedes ſiſtimus, Pater Beatiſſime, ut quemadmodum ille plurimum operatus eſt in ea, ſic, quoniam bonorum laborum glorioſus eſt fructus, poſt mercedem illam, quam in divinæ gloria beatitatis illius ſollicitudini reddidit Deus, qui contemplatur omnes labores hominum (*Sap.* 3. *d.*), & induſtrias, tuæ non errantis vocis præconio dignus judicetur, qui in hac eadem vinea conſuetum accidentalis gloriæ incrementum comedat, & bibat immortalitatem, fruaturque lætitia ex labore ſuo (*Eccl.* 5. *d.*), quo vere ſub ſole juſtitiæ laboraſſe eum numero dierum vitæ ſuæ, clariſſime conſtabit ex ſerie Relationis iſtius, quam tribus diſtinctam capitibus S. V. oculis ſubiiciemus, ut lynceum in inſignem hujus Servi Dei ſanctitatem defigens obtutum faciliima aſpiciat, primo virtutes in promovendis ad Canonizationem omnino neceſſarias; ſecundo ea intueatur argumenta, quæ ad ejuſdem ſanctitatis probationem plurimum conducunt, famam nempe ipſius ſanctitatis, ſepulcri venerationem, nec non miraculorum demonſtrationes, quæ pariter in Canonizandis neceſſario requiruntur, ut tradunt Canoniſtæ in C. 1. ubi Innocentius *num.* 1., Hoſtienſis *num.* 5. *ante fin.*, Joannes Andreas *n.* 14., Ancharanus *n.* 5. *de reliq. & vener. Sanctor.*, & paſſim in aliis Relationibus firmatum fuit: tertio ac denique Proceſſuum validitatem, nec non legalitatem examinis teſtium agnoſcat.

De Virtutibus Theologicis, et primo de Fide.

3 „ Et quoniam nihil aliud eſt ſanctitas, quam generalis quædam virtus omnium virtutum actus complectens, quos per imperium ordinat in bonum divinum, omnium ſcilicet opera virtutum referens in Deum, Sanctus Thomas 2. 2. *quæſt.* 81. *art.* 8. *in corp.*, hinc propterea quemadmodum intelligimus in homine ad nobiliſſimæ ſanctitatis præconia candidato exigi neceſſario virtutes, in quibus vitæ excellentia, & totius ſanctimoniæ conſiſtit fundamentum; ita etiam agnoſcimus requiri apprime Theologicas, Fidem ſcilicet Spei, & Caritati quibus fides ipſa vivificatur, conjunctam, de quibus 1. *Corinth.* 13. *Nunc manent Fides, Spes, Charitas*, quibus ſcientia, & prophetia militant, ut dicit ibi Gloſſa, & propter quæ in animo ædificanda omnium divinorum librorum machinamenta conſurgunt, teſte Auguſtino, qui tamen etiam docet multos per hæc tria in ſolitudine ſine codicibus vivere, cum homo fide, ſpe, & caritate ſubnixus, & eas inconcuſſe retinens non indigeat Scripturis, niſi ad alios inſtruendos. Fides tamen nos Deo ſupponit, Spes erigit, Caritas unit. Has vero virtutes Theologicas, deducta a Græcis denominatione, appellamus, quia Deum habent pro objecto in quantum

„ per

cumque Sanctitati Suæ viſum opportunum foret, poſſet ad graviora in Cauſſa procedi [1].

Quia autem hujuſmodi Relationes, licet maximæ ſemper habitæ fuerint auctoritatis, nihilominus tamen roboris firmitatem nequa-

---

1 *Cit. Fact. concord.* §. 3. „ per eas recte ordinamur in Deum, ſeu quia a ſolo Deo nobis infunduntur, & a ſola divina revelatione in ſacris Scripturis traduntur S. Thomas 1. 2. *q.* 65. *art.* 1. *in corp.*

„ De his ideo agendum eſt prius, com cæteras antecedant virtutes in eo, quod animam ad finem ordinant ſupremum, cæteræ autem circa ea, quæ ſunt ad finem illum, verſentur.

2 „ Has vero inter virtutes primarium ſibi vindicat locum Fides, quæ primæ innixa veritati totam ſupernaturalis ædificii ſuſtinet machinam, non alicujus indiga virtutis, quæ ipſam præcedat. Hæc tamen eſt firmiſſima illa petra, ſuper cujus ſtabilitate Sapientia ædificavit ſibi domum, fundavitque columnas Eccleſiæ, *Rerum autem ſperandarum ſubſtantia, argumentumque non apparentium* definitur ab Apoſtolo *ad Hebr. cap.* 11., quem paſſim ſequuntur ſacri Interpretes S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 4. *art.* 1., Magiſter Sententiarum *in* 3. *diſtinct.* 23., S. Bonaventura *ibidem art.* 1. *quæſt.* 1., S. Antoninus *in* 4. *part. tom.* 8. *cap.* 2., cujus definitionis ea demum ratio eſt, quia per Fidem futura bona menti noſtræ quodammodo ſunt præſentia, ita ut quæ ſperantur in futuro, ſubſiſtant in nobis, & per illam met, quaſi per non apparentium certitudinem, ea, quæ ſunt inviſibilia, quodammodo videantur. Unde per ipſam, tanquam per mentis habitum inchoatur in nobis vita æterna faciens intellectum non apparentibus aſſentire. S. Thomas *loco cit. quæſt.* 4. *art.* 1., & tradunt Canoniſtæ *in C. firmiter de Sum. Trinit. & Fide Cath.*

3 „ Hanc autem in Servo Dei Hieronymo Æmiliano mirabiliter eluxiſſe conſtat. Venetiis enim, hoc eſt in fortiſſimo adverſus Turcarum immanitatem antemurali, & religioſiſſimo contra infidelium impietates Catholicæ Fidei propugnaculo ſuos habuit natales anno Domini 1481., ubi ex nobiliſſimis inter patritios Venetos gentilibus, legitimos, ac pios ſortitus eſt parentes, Angelum Æmilianum, & Leonoram Maurocenam, ut conſtat ex libro Avogariæ communis Venetiarum, in quo per Officiales publica deſignatos auctoritate filii patritiorum Civitatis illius deſcribi conſueverunt, quos inter *fol.* 123. de anno 1501. adſcriptus reperitur præfatus Dei Servus Hieronymus cum expreſſione nominis parentum, & ætatis tunc annorum 20., cui quidem libro, utpote publica auctoritate conſcripto, ac per publicos Officiales cuſtodito videtur plena fides adhibenda ex iis, quæ tradunt Bartholus, *& alii communiter in L. quædam §. nummularios ff. de edend.*, Gravet *de antiq. temp. par.* 1. *n.* 2[illegible]0. *& conſ.* 549. *n.* 2., Seraphinus *deciſ.* 431. *n.* 6. *&* 4[illegible]. *num.* 1., hæcque tanto magis procedunt in caſu iſto, in quo primum concurrit jurata matris atteſtatio ibidem enunciata, quæ plurimum ſuffragatur *L. etiam* ubi DD. *ff. de probat.*, Speculatus *in tit. de teſtibus* §. 1., Bartholus *conſ.* 92. *num.* 4. *par.* 1., Auſrerius *ad Capellam Tholoſanam quæſt.* 3. *num.* 4.; ſecundo cum eadem matris atteſtatione concordant ibidem teſtimonia aliorum nobilium, qui medio juramento ex communi reputatione, ac publica voce, & fama idem teſtati ſunt. Puteus *dec.* 506. *lib.* 2. *in correctis*; tertio accedunt quamplures teſtes in hac Cauſſa examinati, qui deponunt, ſe Hieronymum vidiſſe, & cognoviſſe, nempe juxta *quartum* in Proceſſu Bergomenſi IX. teſtis annorum 96. *fol.* 37. *terg.*, in Proc. Mediol. XXVIII. annor. 100. *fol.* 154., in Proc. Somaſchæ XXVIII. annorum 85. *fol.* 61., & XXIX. annorum 82. *fol.* 62., & alii de auditu, ac relatione a majoribus, ſcilicet in Proc. Brixiæ primus annorum 85. *fol.* 15., ſecundus annorum 72. *fol.* 20. *terg.*, in Proc. Veneto ſecundus annorum 50. *fol.* 93. *terg.*, tertius annor. 60. *fol.* 99., in Proceſſu Mediolanenſi teſtus annor. 30. *fol.* 32., ſeptimus annorum 45. *fol.* 35., XXI. annorum 66. *fol.* 101., & XXXIV. annorum 60. *fol.* 196.; ex quorum teſtium depoſitionibus conſtat, non modo Hieronymum fuiſſe in rerum natura, ſed de legitimo matrimonio natum fuiſſe ex præfatis ſcilicet Angelo Æmiliano, & Leonora Maurocena conjugibus, ideoque cum plures ex teſtibus prædictis deponant de matrimonio, & filiatione ultra ſexaginta annos, ſufficiunt non ſolum pro adminiculis, ſed etiam principaliter ad pleniorem probationem, ut ex Puteo *dict. deciſ.* 506. *lib.* 2. *in correctis*, alias ponderavimus in Relationem *B. Thomæ de Villanova in art. de Fide.*

4 „ Firmata igitur ſincera natalium nobilitate, ex qua intelligimus, Hieronymum ad excipiendos Fidei ſplendores, vel prima naturæ elementa apprime paratiſſima habuiſſe, tranſitum faciamus ad inſpiciendam Fidei lucem per Baptiſmum infantiæ ipſius infuſam, illum enim in eadem Venetiarum Civitate baptiſmali unda regeneratum Chriſto de communi, publicoque a majoribus auditu, ac propria credulitate deponunt in Proc. Mediolani *jux.* 5. VI. teſtis *fol.* 32., VII. *fol.* 35. *ſuper* 3. *fol.* 101., & in Proc. Venetiarum *jux.* 5., II. *fol.* 93.; ac idem teſtantur vitæ illus Scriptores, nempe P. Auguſtinus Turtura *pag.* 6. *verſus finem.*

5 „ Et comprobatur ex eo, quod agitur de Baptiſmo illius, qui inter Catholicos non natales ſolum Baptiſmo procurari ſolitos, ſed vitam, mortemque habuit *Cap. ſi eos* ubi Gloſſa *in verb. contendimus de conſecrat. diſt.* 4. *Cap. Presbyt. in fin. verbo conſecretur* 68. *diſtin.*, Hoſtienſis *in ſumma de Presb. non baptizat. ſub num.* 2. *verſ. ſed ſi quis*, Caſtellinus *Canoniz. Sanct. quæſt.* 4. §. *quæro juxta præmiſſa verſ. contrarium eſt verum*, & paſſim in aliis Relationibus fuit firmatum.

6 „ Exceptos autem ab infantia chriſtianæ, Catholicæque Fidei ſplendores adulta quoque, ac in poſtremum vitæ ſpiritum provecta ætate retinuiſſe, ac conſtantiſſimo ſinu conſoviſſe Hieronymum deponunt in Proceſſu Mediolanen. *juxta* 6. XXI. *fol.* 99., XXVI. *ſuper* 12. *fol.* 140. *a terg.*, & XXVIII. *fol.* 155., *& ſuper* 12. XXXII. *fol.* 185., quibus addi poſſunt in Proc. Mediol. *jux.* 6, primus *fol.* 19., VI. *fol.* 33., XXI. *fol.* 99., in Proc. Tarviſino I. *ſuper* 6. *fol.* 19. *terg.*, in Proc. Brixien. I. *jux.* 6. *fol.* 16., II. *ſuper eodem fol.* 21., qui aſſerunt, Servum Dei Hieronymum cum perſeverantia uſque ad extremum vitæ ſpiritum omnia generaliter impleviſſe Fidei præcepta, redduntque rationem ex illius operibus, & cognita vitæ ſanctitate, cum quibus

„ teſti-

Digitized by Google

quaquam obtinebant, niſi Sacrorum Rituum Congregationis acceſſiſſet approbatio; hinc VI. Kalendas Septembris MDCXXXI. Cardinalis Cæſarinus, qui Relatorem in hac Cauſſa agebat, laudatorum Proceſſuum validitatem in judicium penes ejuſdem Congregatio-

---

„ teſtibus concordant etiam relati Scriptores, nempe Auguſtinus Turtura *in ejus vita c.* 14. *pag.* 207. *uſque ad finem pag.* 209., & Scipio Albanus item *in ejus vita*, *& præcipue fol.* 22. *a terg.*, & in epiſtola ab eo relata Vicarii Epiſcopi Bergomen. de ejus morte *fol.* 24., & denique Pater Andreas Stella *in ejus vita* ſæpe, & præcipue *fol.* 40. *terg.*

7 „ Etenim virtus Fidei ad tria reducitur præcepta, quorum primum eſt credere, ſecundum ſcire, tertium debito, & opportuno tempore confiteri res Fidei, quæ omnia præſtitit HIERONYMUS.

8 „ Nam, quantum attinet ad credulitatem, quæ & Deo glorioſam, & homini meritoriam præſtat rationem ad Deum ipſum cognoſcendum dum Regi gloriæ, & Filio de Deo Patre enarranti, qui nec falli, nec fallere poteſt, captivato tanquam in certiſſimæ veritatis obſequium intellectu, credimus ſine cautione rationum, quam quærunt Gentiles, abſque ſignorum fidejuſſione, quam depoſcunt Judæi, ut teſtantur Apoſtolus 1. *Corinth.* 1., & Matthæus 12. & 16., HIERONYMUS in novitate ſenſus ſui, tanquam peccator converſus, & vere accedens ad Dominum corde credidit ad juſtitiam, ut faceret ſecum miſericordiam ſuam. Recordatus enim infallibilis Chriſti D. N. promiſſionis, qua apud Matthæum 2., & Marcum 11. in oratione credentes quæcomque petiiſſent (*Ad Hebr.* 11. 6. Tobia 13. 6.) accepturos ſpopondit, cum de anno 1511. bello inter Venetorum Rempublicam, & Maximilianum Cæſarem fervente, poſt egregiam patriæ operam in Caſtrinovi, cui tunc ÆMILIANUS præſidebat, obſidione fortiter navatam in hoſtium manus veniſſet, & obſcuro aſperrimoque detentus carcere, nec non infima turris profunditate catenis, compedibuſque devinctus, cum imminentis ſibi mortis periculum expaveſceret, humano deſtitutus præſidio, cogitatum ſuum direxit ad Dominum, vere credens in oratione, tantaque ſe Deo Opt. Max., ac Beatiſſimæ Virgini fide commendavit, voto inſuper in ejuſdem Dei Genitricis honorem nuncupato, ut ſtatim meruerit ſemel, atque iterum ejuſdem Virginis apparitione recreatus, receptæ mirabiliter clavis beneficio liberari e carcere, nec non medios inter hoſtes incolumis illæſuſque perduci ad Tarviſinam civitatem, ubi votum perſolvit, prout rei geſtæ ſeriem latius enarrantes de publica voce, & fama, nec non de auditu a majoribus deponunt in Proceſſu Tarviſino *ſuper* 6. primus *fol.* 19., II. *fol.* 21., III. *ſuper* 5. *&* 6. *fol.* 23., *&* *juxta* 6., in Proceſſu Venetiarum I. *fol.* 89., II. *fol.* 94., in Proc. Mediolanen. VI. *fol.* 33., VII. *fol.* 35., XXI. *fol.* 99. XXX. *fol.* 173., in Proc. Brixien. *jux.* 6. II. *fol.* 20., qui teſtes de publica voce, & fama, nec non de auditu a majoribus, ut dictum eſt, tam in hoc, quam in aliis toto Relationis iſtius decurſu deducendis, plenam veluti in antiquioribus ultra 100. annos faciunt probationem, Speculator *in tit. de probat. §. nunc dicamus col. penult. verſ. Conſilium*, Hoſtienſis *in C. inter dilectos. col.* 4. ubi Abbas *num.* 6. *de fid. inſtrum.*, Innocentius *in C. veniens num.* 6. *ver. & non mireris de verb. ſignif.*, late Felinus *in Cap. veniens* 1. *num.* 26. *de Teſtib.*, *& in Cap. cauſam num.* 9. *ver. ſed dicas de probat.*, Aym. *de antiq. temp. part.* 1. *§. viſo in hac parte*, Gab. *de præſcript. concl.* 1. *num.* 89., & in terminis Canonizationum paſſim per majores noſtros, & nos etiam in aliis Relationibus fuit firmatum.

9 „ Et ceſſat tanto magis difficultas in caſu illo, in quo prædictorum teſtium depoſitiones aliunde adminiculantur, & primo quidem ex antiqua tabella, quæ ad publicam ſuperioris facti conteſtationem Tarviſii fuit appenſa in templo B. Virginis cum inſcriptione manu HIERONYMI ipſius efformata, nec non una cum manicis, compedibus, & pila marmorea, quæ omnia ÆMILIANUS in ſuæ liberationis fidem ad Eccleſiam præfatam ſecum detulit, & ibidem hodie etiam aſſervantur, ut in eodem Proc. Tarviſino *fol.* 17., ubi habetur inſcriptio tabellæ formiter exemplata, prout etiam de his omnibus formiter deponunt teſtes præfati. Secundum vero adminiculum deſumitur ex auctoritate eorum, qui hujus Servi Dei vitam, vel ex profeſſo conſcripſerunt, vel incidenter hujus inſignis facti mentionem ſuis in hiſtoriis fecerunt: ex illis enim idem teſtantur Scipio Albanus *in vita* Venetiis impreſſa anno Domini 1600. *fol.* 9., Auguſtinus Turtura *in vita* Mediolanenſibus typis mandata anno 1620. *p.* 27., & Andreas Stella typis Vicentinis anno 1605. *fol.* 10. *terg.* *&* 11. *terg.*; ex illis vero, qui ſcilicet hoc factum narrant incidenter, concordant Philippus Ferrarius *in catalogo Sanctorum* Mediolani impreſſo *ſub die 7. Mar.* 1613., Bernardinus Guidonus Patavinus *in libro miraculorum B. Mariæ Virg. Tarviſinæ* impreſſo Tarviſii de anno 1597., ut in dicto Proceſſu Tarviſino *fol.* 24. *terg.*, & Philippus Aſtulphus in *univerſali hiſtoria Imaginum B. Mariæ Virg.* impreſſa Venetiis de anno 1623.; qui quidem libri & ſi a privatis hominibus conſcripti, plurimum tamen ſuffragantur ad comprobandam rei geſtæ veritatem, ut illis ſaltem veluti hiſtoriis fides adhibeatur in facto præſertim antiquo, ad tradita communiter per DD. *in L.* 1. *ff. ſi cert. pet. & in Cap. inter dilectos*, ubi Felinus *n.* 12. *de fid. Inſtrum.*, *&* in *Cap. cum cauſſam de probat.* cum aliis per nos latius deductis in Relationibus Cauſſarum ſan. me. Gregorii Papæ X. *in articulo ſanctitatis in genere*, & Servi Dei Fratris Petri Regalati *in articulo de fama, communique opinione ſanctitatis*.

10 „ Proxima vero credulitatis HIERONYMI erga res Fidei præſtant nobis argumenta primo, non ſolum zelus, quo blaſphemantes increpabat, ut in Proc. Mediolanen. deponit XXVI. *jux.* 12. *fol.* 140., & concordant tradita per Auguſtinum Turturam *in loco præcitato fol.* 242., quæ latius in articulo caritatis infra ponderabimus, ſed præcipuum illud odium, quo hæreticos, cæteroſque Catholicæ Fidei hoſtes proſequebatur, ut ex dicto ipſiuſmet HIERONYMI in Proceſſu Mediolanen. *juxta* 6. deponit VII. Teſtis *fol.* 36.: hujuſmodi enim odium, tanquam bono in culpam impietatis informatum zelo, non aliunde, quam ex puriſſima virtute Fidei naſcebatur, ideoque perfectum juremerito poteſt appellari juxta illud (*C. odio* 86. *diſt. Pſal.* 138. *d.*) *Perfecto odio oderam illos*. Secundo aſſidua cum

„ Deo

tionis EE. Patres adduxit, qui nullam rationem habendam judicarunt examinis decem & ſeptem teſtium, qui in Mediolanenſi, quatuor, qui in Veneto, trium vero, qui in Bergomenſi Proceſſibus teſtimonium dixerant, eo quia ad normam, & regulam litte-

---

„ Deo converſatio per orationem, in qua ſæpius pernoctare conſuevit, ut inferius ſuo loco dicemus, orationi enim Fides conjungitur, unde *Pſalm.* 66. *Miſerere mei, quoniam in te confidit anima mea*, & apud Jacobum 1. *Poſtulet in fide nihil hæſitans*. Tertio contemptus mundi, quo duce ſecularibus illecebris, atque honoribus renuncians, ſe totum ſpirituali, & Apoſtolicæ tradidit diſciplinæ, ut in Proceſſu Mediolanen. *ſuper* 12. deponit XXXII. teſtis *fol.* 185., *& ſuper eodem* XXVI. *fol.* 140.; non alia enim, quam credulæ fidelitatis luce potuit humanarum rerum humilitatem, & ſpiritualis vitæ ſublimitatem cognoſcere, cum hujuſmodi conſilia, per quæ, relictis omnibus, Chriſtum ſequimur, non ſine divino recipi, perficique poſſint auxilio, ac præſertim non ſine Fidei conſtantis impulſu, ut teſtatur S. Antoninus *in Sum. par.* 4. *tit.* 8. *cap.* 3. §. 2. 4., & denique plurimum conferunt miracula, quæ HIERONYMI viventis interceſſione Deus glorioſe operatus eſt, ut inferius ſuo loco proponemus; hæc enim non ſine magna Fide fieri, aut impetrari poſſunt a Deo, ut teſtatur S. Antoninus *loco præcit.* §. 7., & ad credulitatis prærogativam referuntur apud Marcum *ult. Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur. In nomine meo Dæmonia eiicient, linguis loquentur novis, ſerpentes tollent &c.*, & apud Matthæum 17., ubi increpans Chriſtus Dominus Diſcipulorum incredulitatem, inquit: *Si habueritis fidem ſicut granum ſynapis, dicetis huic monti tranſi hinc, & tranſibit*, quod etiam repetit apud Lucam *cap.* 17., & concordant ea, quæ habentur apud Marcum 10. & 12., Joannem 14., Matthæum 9., & *Hebræorum* 11.

11 „ Quantum vero attinet ad ſecundum præceptum, quod ad neceſſariam rerum Fidei ſcientiam pertinet, evidenter conſtat, Servum Dei HIERONYMUM huic integre ſatisfeciſſe, cum non ſolum ipſe ad ſalutem ſciverit neceſſaria, ſed alios quoque præcipuo ſtudio, ac diligentia edocuerit. Poſtquam enim ſeculo renunciavit, tam in oppido Somaſchæ, quam aliis etiam in locis in hoc potiſſimo labore deſudavit, ut pueros, cæteroſque rerum ad ſalutem neceſſariarum ignaros erudiret, & ſymbolicis Catholicæ Fidei articulis inſtrueret, ut deponunt in Proc. Mediolanen. *ſuper* 12. XXVI. *fol.* 140., *& juxta* 6. XVIII. *fol.* 75. *a terg.*, XXI. *fol.* 99., XXVIII. *de viſu fol.* 155., *& ſuper.* 12. XXXII. *fol.* 185.

12 „ Tertium denique, ac poſtremum Fidei præceptum, quod in externa rerum Fidei confeſſione conſiſtit, ut innuit Chriſtus Dominus apud Matthæum c. 10. *Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in Cælis eſt*, & docet Apoſtolus *ad Roman.* 10. ibi: *Corde enim creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem*. HIERONYMUS adamuſſim implevit, cum Catholicam Fidem, atque doctrinam ad ultimum uſque vitæ ſpiritum non retinuit ſolum corde credendo ad juſtitiam, ſed tam facto, quam ore confitendo ad ſalutem [*C. æſtimant cum ſeq.* 11. 9. 3.] tutatus eſt conſtantiſſime, ut deponunt in Proc. Mediol. *ſuper* 12. XXVI. teſtis *fol.* 140., *&* XXXII. *fol.* 185., quod etiam comprobat non tam zelus ille, quo Catholicæ Fidei incolumitati proſpicere cupiens paulo antequam moreretur Chriſtianam Fidem Vicario Bergomenſi ſuppliciter commendavit, ut ex epiſtola ejuſdem Vicarii refert Albanus *in vita hujus Servi Dei fol.* 24, ſed etiam oratio ab ipſomet HIERONYMO pro Fidelium reformatione compoſita, in qua Chriſtum Dominum enixe deprecabatur, ut rem chriſtianam ad eumdem ſanctitatis ſtatum, quo Apoſtolorum ſtetit temporibus, revocaret, teſte eodem Albano *fol.* 22., & dicetur inferius in articulo caritatis in Deum.

13 „ Ad quorum comprobationem ſufficit advertiſſe, HIERONYMUM vitæ, & actionum ſuarum directorem habuiſſe virum Catholicæ Fidei ſumme defenſorem, hoſtemque hæreticæ pravitatis acerrimum, nempe fel. rec. Paulum IV. P. O. M., cui tunc in minoribus conſtituto, & Teatinæ Eccleſiæ Archiepiſcopo ſe in via Domini inſtituendum, dirigendumque, audita ſane docentis voce, & inclinatis in magiſtrum auribus [*Proverb.* 5. *c.*] commiſit, ut in Proc. Mediolan. *jux.* 6. deponit XVIII. teſtis *fol.* 75. *a terg.*, & comprobat Evangeliſta de Dorate *in vita* HIERONYMI, quæ habetur manuſcripta in Proc. Papien. *fol.* 13., cum quo concordant alii Scriptores, nempe Andreas Stella *in ejus vita fol.* 17. *a terg. & fol.* 18., item Auguſtinus Turture *pag.* 65.

DE SPE.

14 „ ET quoniam certa excellentis boni cognitio excitat ejuſdem boni appetitum, nec non illius obtinendi fiduciam, & teſte Auguſtino *in lib. de civit. Dei*: *prius eſt ſanos oculos habere, quod fit per fidem, deinde aſpicere, quod fit per ſpem*, hinc merito Theologicas inter virtutes proximum fidei locum Spes obtinet, quæ definitur: *Certa expectatio futuræ beatitudinis ex gratia, ac meritis proveniens*. Magiſter *in* 3. *Sent. diſtinct.* 26. *cap.* 1., S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 17. *art.* 2.: prima pars hujus definitionis videtur deſumpta ex gloſſa Haymonis ad illud Apoſtoli ad *Roman.* 5. *Probatio vero ſpem*, dicentis Spem eſſe certam futuræ gloriæ expectationem: ſecunda autem pars, quæ gratiam contemplatur, & merita, fundatur in eo, quod Spes duobus quaſi baſibus innititur, divinæ ſcilicet liberalitati, quæ ſibi ſervientes remunerat, ut decet eam, nec non divinæ pariter juſtitiæ, quæ ſibi ſervientibus ſolvit, quæ promiſit. Hujus virtutis objectum eſt vita æterna, ut comprobat Apoſtolus *ad Hebr.* 6. *Habemus ſpem ſicut anchoram animæ tutam, ac firmam, & incedentem ad interiora velaminis*, hoc eſt incedere facientem ad beatitudinem cœleſtem, ut ibidem Gloſſa exponit, & confirmat S. Thomas *loco præcitato*, quod clarius etiam declarat idem Apoſtolus *ad Hebr.* 10. *Rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis, cognoſcentes vos habere meliorem, & manentem ſubſtantiam*; quod quidem objectum principaliter conſiſtit in gloria animæ, non autem in gloria corporis idem S. Thomas *ubi ſupra art.* 25. *ad* 1. *qu.* 18. *art.* 2. *ad* 4. *& in* 3. *par. q.* 7. *ad* 1.

15. „ HIERONYMUS vero Spem, ac fiduciam habuiſſe in Deum, & in certam futuræ beatitudinis expe-

„ ctatio-

Digitized by Google

litterarum remiſſorialium minime fuerant interrogati; tantique hunc defectum fecere, ut noluerint ullo pacto ea de re aliquid e Sacrorum Rituum diſciplinæ rigore remittere, etſi IV. Idus Januarii MDCXXXII. efficaciſſime hac de cauſſa Poſtulatores ſupplicaſſent,

„ ctationem opera ſua, ac cogitatus direxiſſe, comprobant.

16 „ Primo in liberam vindicata ſecuritatem [*Prover.* 19.] corporis ſalus, quam præcedentibus ad Deum orationibus, & in Beatiſſimam illius Genitricem votis mirabiliter conſecutus eſt, ut ſuperius dictum. Id enim adſcribendum eſt Spei, quia ſperans in Deo ſalvabitur, & ut teſtatur etiam Apoſtolus *ad Roman.* 8. *Spe ſalvi facti ſumus*, quibus conſentit illud Suſannæ apud Daniel 3. quæ inter lacrymis ſublatis in Cœlum oculis, & corde in Domino fiduciam habente providam innocentis ſuæ puritatis tutelam obtinuit, *Dei enim adjutorium paratum eſt ei, qui de ipſo confidit*, ut dicit Bernardus *ſuper Cantic.*

17 „ Secundo generoſus ille contemptus, quo ingentem pecuniam a Franciſco tunc Mediolani Duce ſibi oblatam recuſavit accipere, ut in Proc. Mediol. *ſup.* 13. *deponunt* XXI. *fol.* 104., XXVI. *fol.* 140., qui ſubdit quadam in tabula factam hujuſmodi depictum reperiri in Eccleſia Sancti Bartholomæi, & XXIX. *fol.* 164., cum quibus concordat teſtimonium Pauli Areſii Epiſcopi Dertonenſis in libello, quem de tribulatione, illiuſque remediis compoſuit *lectione* 34. juxta impreſſionem Dertonæ anni 1624. *fol.* 544. Probe enim norat HIERONYMUS bonum eſſe confidere, & ſperare in Domino [*Pſal.* 117.], quam in hominibus, atque Principibus.

18 „ Tertio profuſa illa in pauperes liberalitas [*C. gloria Epiſ.* §. *Socrates* 12. *q.* 2., qua ut deponunt prædicti XXVI., & XXIX. teſtes evangelicis conſiliis obediens, ut perfectus eſſet, vendidit omnia, quæ habebat, & dedit pauperibus, quo haberet theſaurum in Cœlo, & Chriſtum ſequeretur; in paupertate enim Spes gloriatur, cum ſit arbor fœcundiſſima, uberes habens fructus, quam abundanter irrigat Dei miſericordia. (Ieremia 17. 6.) *Nam confidens in Domino erit quaſi lignum, quod tranſplantatur ſuper aquas, quod ad humorem mittit radices ſuas non timens cum venerit æſtus*, quia aſcendit de deſerto paupertatis humanæ affluens [*Cantic. ult.*] deliciis Paradiſi.

19 „ Quarto ipſiuſmet Servi Dei Epiſtola in Proc. Papien. *fol.* 26. partem cujus ad pleniorem Spei illius, atque in Deum confidentiæ fidem ex vulgari in latinum idioma traductam hic ſubiicimus. = Et quia noſter finis eſt Deus, totius fons boni, in quo ſolo, ut orantes dicimus, non autem in aliis, debemus confidere, id permiſit benignus Dominus, ut augeret fidem in vobis, ſine qua Chriſtus multa non poteſt miracula operari, ut inquit Evangeliſta, & ut veſtras exaudiat orationes. Vos enim elegit in pauperes, tribulatos, afflictos, defeſſos, contemptos denique, ac rerum corporalium præſentia, non pauperis quidem, & vobis adeo dilecti, & cari parentis veſtri corde deſtitutos. Id vero ignotum cur fecerit: tria tamen poſſunt conſiderari. Primum quo benedictus Dominus oſtendat vos in filiorum ſuorum numerum ſe deſignaſſe, ſi tamen in viis eius permanebitis, prout cum omnibus amicis ſuis ſe geſſit, quos denique provexit ad ſanctitatem. Secundum ut in ſe ipſo ſolo, non autem in aliis, fidem veſtram augeat, quia, ut dixi, exhibet, opera ſua tantum in illis Deus, qui omnem ſpem, atque confidentiam in ipſo unice collocarunt, illoſque implevit caritate magna in ipſis operando. Ideoque ſi ſpes, & confidentia vobis non defuerit, magna in vobis operabitur, exaltando humiles, unde auferens vobis me ipſum, & quodcumque gratum aliud vobis inſtrumentum, vos ipſos in hoc bivium deduxit, aut deficietis in fide, & ad mundana redibitis, aut permanebitis fortes in fide; & hac ratione vos experietur. Tertium ut purget vos, prout aurum probatur in fornace; excrementa enim, & fœcea auro intermixtas ignis abſumit, probatum vero aurum conſervatur, ac magis perficitur: ſic bonus Dei Servus, qui in ipſo confidit, & ſperat, in tribulationibus fortiter permanet, deinde vero recreatur, recipitque in hoc mundo eemuplum illius, quod ad divinum amorem relinquit, & in alio vitam æternam poſſidet. Id ſane præſtitit Sanctis omnibus, nec non populo Iſraelitico, cui poſt afflictiones Ægypti dedit manna ad manducandum in deſerto, nec non terram promiſſionia. Scitis etiam id vobis a me ipſo & aliis certo promiſſum, ſi fortes manebitis in tentationibus, Dominum ſuis affuturum vobis conſolationibus, & in hoc quidem mundo temporaneis, in alio autem prorſus æternis, & in hoc viſibilem quamdam retineo certitudinem noſtræ ſocietati in hoc mundo locum pacis eſſe deſignatum. Has vero litteras hac ſolum de cauſſa vobis exaravi, ut binos mihi pueros remittatis, quibus præfatam promiſſionis terram, quam locum pacis appellabimus, oſtendam =

20 „ Quinto, & denique hanc Servi ſui Spem, & confidentiam præclaris teſtimoniis comprobavit Deus. Primo enim ſitiens HIERONYMUS, nec alium converſus ad fontem, quam uberrimum illum totius conſolationis, aquam perennem ex aridi montani ſaxi viſceribus mirabiliter elicuit. Secundo cum non parvam orphanorum multitudinem tribus panibus divina providentia multiplicatis abundanter ſatiavit, ut de utroque inferius inter miracula ſuo loco dicemus.

DE CARITATE.

21 „ POſtrema Theologicas inter virtutes nunc ſupereſt Caritas, ſine qua cæteræ non reputantur virtutes, & ex qua tanquam ex radice univerſa bona naſcuntur; eas enim inter virtutes, quæ ordinant ad Deum, ipſa eſt propinquior fini, Deo ſcilicet, quem habet pro fine, & pro materia, eum Deum propter ſe ipſum diligat.

22 „ Hæc enim virtus a Magiſtro Sententiarum *in* 3. *diſtin.* 27., quem paſſim omnes ſequuntur, definitur eſſe dilectio, qua diligitur Deus propter ſe, & proximus propter Deum, vel in Deo. In Deo dicitur propter illos, qui juſti ſunt, qui per gratiam manent in Deo, propter Deum autem dicitur, quantum ad illos, qui nondum ſunt juſti, qui adhuc amandi ſunt, ut juſti fiant, & in Deo per gratiam maneant. Verſatur autem circa duo mandata adimplenda, quorum primum Dei reſpicit dilectionem, & hoc eſt primum, & maximum in Lege mandatum. *Deuteron.* 6. & habetur *in C. omnis in fin.* 3. *diſtinct.*: alterum vero ad proximi dilectionem pertinet. Matthæus c. 22., ubi Chriſtus Dominus merito docet in

„ his

caſſent, quin etiam novas remiſſoriales literas IV. Idus Aprilis dedere, ut denuo Acta illa, quæ Romam fuerant tr...ſmiſſa; cum illis, quæ in publicis eccleſiaſtic^is tabulariis per

„ duobus mandatis univerſam Legem pendere, &
„ Prophetas, ut teſtatur etiam Apoſtolus *ad Roman.* 13.,
„ quia ut eleganter inquit Textus *in C. caritas col.* 1. *de*
„ *pœnit. diſt.* 2. = Si caritatem Deo exhibeamus, &
„ proximo de corde puro, & conſcientia bona, &
„ fide non ficta, facile peccato reſiſtimus, bonis om-
„ nibus abundamus, ſeculi blandimenta contemnimus,
„ & omnia, quæ difficilia ſunt humanæ fragilitati, vel
„ aſpera, etiam cum dilectione perficimus, ſi tamen
„ Deum cum caritate perfecta, quæ nobis ab illo eſt,
„ ex toto corde, ac ex tota anima, & ex totis viribus
„ diligamus; ex ea enim parte quis peccat, ex qua
„ minus diligit Deum, quoniam ſi ex toto corde dili-
„ gamus, nihil erit in nobis, unde peccati deſideriis
„ ſerviamus. Et quid eſt Deum diligere, niſi illi co-
„ pulari, animo concipere fruendæ viſionis ejus affe-
„ ctum, peccati odium, mundi faſtidium, diligere
„ etiam proximum, quem in ſe cenſuit diligendum,
„ in ipſo amore ſervare legitimum modum, nec per-
„ vertere dilectionis ordinem conſtitutum. Illi vero
„ pervertunt, nec modum diligendi cuſtodiunt, qui
„ aut mundum, qui contemnendus eſt, diligunt, aut
„ corpora ſua, minus diligenda, plus diligunt, aut pro-
„ ximos non ſicut ſe ipſos, aut qui Deum pluſquam ſe
„ ipſos forte non diligunt =

De Caritate in Deum.

23 ET quantum attinet ad dilectionem in Deum,
„ quem toto ex corde, anima, mente, ac for-
„ titudine tenemur diligere ex præſcripto Legis, de
„ quo locis ſuperius citatis, & habetur etiam *Deute-
„ ron.* 11. *Eccleſiaſt.* 7. & 13., Luc. 1. ac 10., & Joann.
„ 4., in hac ſane amantiſſimum Dei ÆMILIANUM ex-
„ celluiſſe apparet.

24 „ Primo quia totus erat plenus caritate in
„ Deum, ut de communi reputatione, ac fama, nec
„ non de auditu a majoribus deponunt in Proc. Bri-
„ xien. *jux.* 6. primus teſtis *fol.* 16., II. *ſuper eod. fol.*
„ 20. *terg.*, & in Proceſſu Mediolanen. ſuper it.
„ XXIX. teſtis fol. 164., qui conſentaneam reddunt ra-
„ tionem ex bonis operibus, quibus, ut proxime con-
„ ſiderabimus, aſſidue, & ad extremum uſque vitæ
„ ſpiritum vacavit HIERONYMUS; ex operibus enim
„ colligitur bonum alicujus teſtimonium, ut notant
„ Abbas, & Hoſtienſis *in C. quod Dei timorem, de ſtat.
„ Monach.*, & virtutes præſertim, quas ex toto Rela-
„ tionis illius decurſu ÆMILIANI animum ſplendide il-
„ luſtraſſe conſtabit, luculentam fidem inſinuant quan-
„ tum hic Servus Dei laboraverit, ac in eo deſudave-
„ rit, ut exacte mandata divinæ Legis ſervaret, ut
„ in Proceſſu Mediolanen. *juxta* 6. conſiderant pri-
„ mus *fol.* 19., ſextus *fol.* 33., XXI. *fol.* 99., in Pro-
„ ceſſu Tarviſino primus *ſupra* 6. *fol.* 19. *terg.*, in Pro-
„ ceſſu Brixiæ *jux.* 6. idem primus teſtis *fol.* 16., ſe-
„ cundus *ſuper eodem fol.* 21., & in Proc. Veneto
„ *jux.* 6. II. fol. 94. *terg.*, divinæ enim Legis obſervan-
„ tia eſt primum, præcipuumque argumentum cari-
„ tatis in Deum, juxta illud Joannis 14.: *Si diligitis
„ me, mandata mea ſervate*, ubi poſtmodum ſubdit,
„ *qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt, qui me
„ diligit*, & inferius adjicit: *Si quis diligit me, ſermo-
„ nem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, &
„ ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*,
„ *qui non diligit me, ſermones meos non ſervat*, ita ut
„ Deum diligere nihil aliud ſit, quam mandata ejus
„ ſervare, ut docet Archidiaconus *in C. caritas eſt
„ col.* 2. *de pœnit. diſt.* 2.

25 „ Secundo, quia ut ſuperius ponderatum fuit in
„ articulo fidei, præcipuo proſequebatur odio hære-
„ ticos, atque Eccleſiæ inimicos, quaſi cum Hiero-
„ nymo *in epiſtolis* dicens; *Nationes adverſariorum
„ immortali odio proſequimur*, & cum Davide [*Pſal.*
„ 118.] *Iniquos odio habui*, [*Pſal.* 138.] *Nonne qui
„ te oderunt, oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſce-
„ bam?* Nec non ulterius acriter increpabat blaſphe-
„ mantes, cæteroſque ludis deditos, & feſta Deo ſol-
„ lemnia choreis profanantes; ita ut ex hujuſmodi
„ zelo, quo domum Dei, hoc eſt honorem zelabat il-
„ lius, qui ſe diligentes diligit, & ſe honorificantes
„ glorificat, ardentiſſimæ in Deum caritatis, & amo-
„ ris argumenta merito deſumantur, ad Textum *in C.
„ quid crudele* 23. *qu.* 4., & *in vita* hujus Servi Dei
„ ponderat Auguſtinus Turtura *lib.* 4. *c.* 5. *pag.* 241.,
„ & 42. *verſus finem*, qui ex ſeniorum Somaſchen-
„ ſium traditione inſigne factum de duobus fratribus
„ inter convicia blaſphemantibus eleganter recenſet
„ in hæc verba = Sed nullum forte illuſtrius ardentiſſi-
„ mæ caritatis argumentum erat ingenti illo dolore,
„ quo ex divina offenſa afficiebatur, & peracerbo ani-
„ mi cruciatu, quem Numine læſo experiebatur. Eſt
„ qui juramento affirmet a Somaſchenſibus jam gran-
„ dævis octogenariis nempe, teſtibuſque oculatis au-
„ diviſſe, quod ſubjiciam. Duo fratres Somaſchen-
„ ſes ne, an ex alio vico, non proditur, mutuis, ac
„ diuturnis implicati diſcordiis, odiis inter ſe capita-
„ libus diſſidebant, cumque alter Vercuragum peteret,
„ alter Vercurago Somaſcham rediret, in ipſo clivi
„ deſcenſu ſibi occurrerunt: utriuſque ad alterius con-
„ ſpectum mota ira, excitati vindictæ motus, efferve-
„ ſcente ſcilicet circa præcordia, totoque corpore
„ ebulliente ſanguine. Inde exorta rixa, & primo
„ verbis agi cœpta res eſt, ſed ita ut inter jurgia, &
„ minas alter alterum maledictis, & injuriis laceſſe-
„ ret, impias omnino, & immanes, prout ab hujuſmo-
„ di genere fieri aſſolet, in Deum, Sanctiſſimam-
„ que Matrem blaſphemias frequentiſſimas uterque
„ effunderet. Ut primum duo illi obviam ſe habuere,
„ forte ſupervenit etiam HIERONYMUS cum aliis, ini-
„ tioque contentionis audito, occurrit, medium ſe in-
„ terponit, hortatur, & rogat, iras ut deponant, &
„ linguas a blaſphemiæ ſcelere coarctent. Quid, aje-
„ bat HIERONYMUS, mali commeruit Dominus no-
„ ſter, quid Beatiſſima Virgo, quæ in re vobis dam-
„ no, aut offenſioni fuit, ut tam diris a vobis pro-
„ ſcindantur execrationibus? Cumque videret, clauſas
„ eſſe monenti aures, & hortationibus, ac pre-
„ cibus jam obduruiſſe pectora, illeque horrendum
„ blaſphemiarum ſonum amplius ferre non poſſet,
„ tanquam Numinis injuria plane diſrumperetur, eo-
„ dem in luto, ubi erat, genua ponit, & vos, inquit,
„ a tanto blaſphemiæ ſcelere vel admoniti linguas
„ non continetis? En ego in me ipſum ulciſcar ſce-
„ lus veſtrum, luam diræ blaſphemiæ pœnas, ego cœ-
„ leſti, ut potero, occurram vindictæ; tum os infi-
„ cit luto, dentibus carpit, toto ore cœnum verſat,
„ mandit, & dentibus terit, ad eoſque iterum non ſine
„ lacrymis, veſtris inquit linguis, & ore pluſquam ſa-
„ crile-

Google

per locorum Ordinarios ſervabantur, quæ paſſim originalia vocant, rite recteque denuo compararentur [1].

Dum comparatio hæc inſtituitur, Eminentiſſimi Patres, quibus negocia Sanctiſſimæ Inquiſitionis adverſus impios hæretico-

---

1 *Cit. Fact. concord.* §. 4.

„ crilego male Deum, Beatiſsimamque Virginem accipitis; ego lingua, oreque meo tandiu cœnum volutabo, donec a diris deſiſtatis, læſoque Numini ſatisfiat: eumque ita, & lutum ore ſumere, & veluti dentibus mandere, illoſque objurgare pergeret, non tulit divina bonitas, ut tantus de Numinis injuria conceptus dolor, & tam nobilis ad eam avertendam Hieronymi conatus irritus concideret. Siquidem illi tam raro, inſolitoque facto vehementer permoti, ſtupore defixi hæſere, irarumque non nihil reſtinctis ardoribus, maledictis etiam abſtinuerunt; tunc Hieronymus pacem expetere, pacem urgere per Chriſti Domini, Beatiſsimæque Virginis merita pacem implorare, & deprecari, hoc Sanctiſſimis illis Nominibus tribuerent, ajebat, quæ tam diris execrationibus fœde laniſſent, ut pœnitentiæ, ſatisfactioniſque loco pacem inirent, pacem darent. Nec ægre Hieronymi factis, & dictis obdurata pectora ſunt emollita, poſitæ iræ, ſublata rixa, & non ſine mutuis lacrymis, gaudioque reconciliatione facta, in fraternam conſuetudinem ſtatim redierunt: ita inveteratas iras, & dira blaſphemiæ crimina inuſitata ad eam diem Hieronymi pœnitentia caſtigavit, & ſuſtulit „.

26 „ Ad præfatum vero zelum, quo divinæ offenſioni amantiſſimus Dei ſtudebat Hieronymus occurrere, pertinet etiam cura, quam in peccatoribus, ac meretricibus præſertim convertendis collocabat, ut deponit in Proceſſu Mediol. xxix. teſtis *ſuper* 15. *fol.* 165., xix. *fol.* 77., in Proc. Bergomen. *juxta eumd.* 15. ii. *fol.* 22. *terg.*, iii. *ſuper.* 9. & 15. *fol.* 25., cum quibus concordat Pellegrinus de Pellegrinis auctor libelli inſcripti *Opus divinum de ſacra, & fertili Bergomenſi vinea*, ut in Proc. Bergomen. *fol.* 45.

27 „ Tertio perfecta Hieronymi Caritas in Deum intelligitur ex eo, dum gentilitiæ nobilitatis commoda, honores, divitiaſque rejecit, ut eleganter comprobat Textus *in C. Caritas in fin. de pœnit. diſt.* 2., ac ſpiritualis, & quidem auſterioris vitæ inſtitutum amplexus, inediam, vigilias, labores, afflictationes corporis, ac cætera hujuſmodi inferius ſuis locis ponderanda dilexit, quæ gradus eſſe ad perfectionem caritatis in Deum obtinendam tradidit S. Thomas 2. 2. *q.* 186. *art.* 1.: tanto enim quis frigeſcit a curis ſeculi, quanto ſurgit ardentius in amorem Dei, & Jacob, qui Angelum tenuit, uno mox pede claudicavit, [*Gen.* 32.] quia qui vero amore ſublimia reſpicit, jam in hunc mundum duplicibus deſideriis incedere neſcit, ut inquit Gregorius.

28 „ Quarto & denique confert ardentiſſimum illud deſiderium reformationis morum in Eccleſia Dei, pro qua deprecabatur aſſidue, compoſita, ut ſuperius etiam ponderatum fuit, quadam orationis formula in hæc plane verba: *Domine Jeſu Chriſte rogamus te pro infinita bonitate, ut totam Chriſtianitatem reformes, & dirigas ad eam normam ſanctitatis, quæ floruit temporibus Apoſtolorum tuorum*; quæ quidem orationis formula in hanc uſque diem retinetur, & hodie etiam recitari conſuevit per orphanos, qui vivunt in Orphanotrophiis a Servo Dei Æmiliano erectis, ut in ipſius *vita* teſtantur Albanus *fol.* 22., Tortura *lib.* 4. *c.* 5. *pag.* 244., & Stella *fol.* 28. *terg.*

De Caritate in Proximum.

29 „ SED quoniam præcipuum divini amoris argumentum exhibere ille dicitur, qui ſervat mandatum illud, quod Chriſtus Dominus apud Joannem 15. ſpecialiter ſuum, ac proprium profitetur, nempe *hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem*, & 1. Joannis 4. *hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat fratrem ſuum*; propterea maximum, ac primum divinæ dilectionis præceptum proxime illud conſequitur, quo tenemur proximum noſtrum, ſicut nos ipſos diligere, hoc eſt, ut quem potuerimus hominem beneficentia, conſolatione, vel informatione doctrinæ, vel diſciplinæ coercitione, ad colendum Deum adducamus.

30 „ Quemadmodum vero hujuſmodi virtus eluceſcit potiſſimum in exercitio operum pietatis, atque miſericordiæ, ſic intelligimus illam in Servo Dei Æmiliano ſui regiam principatus collocaſſe. Amantiſſimus enim proximi ſui Hieronymus, poſtquam in melioris ſenſus reformatione converſus ad Dominum, omnes a ſe iniquitates, in quibus fuerat (Ezechiel 18.) prævaricatus, projecit, faciens ſibi cor novum, & ſpiritum novum, (*Pſal.* 84.) audivit quid loqueretur in ſe ipſo miſericors Deus, loquens pacem in eos, qui convertuntur ad cor, ideo ſicut expertus ipſe fuerat quam benignus, miſericors, & præſtans ſuper (Johel. 2. d.) malitia ſit Dominus, ita quoque ut divinæ bonitatem clementiæ aliorum animis infunderet, peccatores ad viam ſalutis ſollicita caritate, ac diligenti ſtudio revocare procuravit, quod ſane potiſsimum aſſequutus eſt in mulieribus impudicis, quarum innumeras ad Deum per pœnitentiam perduxit, ita ut primus omnium conventus integros pœnitentium hujuſmodi mulierum Bergomi, & Cremonæ intra ſepta Monaſteriorum concluſerit, ut deponunt in Proceſſu Mediolanen. *ſuper* 15. xviii. teſtis *fol.* 77., xxix. *fol.* 165., in Brixien. i. *fol.* 16. *juxta* 6., in Bergomen. i. *jux.* 15. *fol.* 19., ii. *juxta eumdem fol.* 22. & *ſuper* 9. *fol.* 22., necnon iii. *ſuper* 6. 9. & 15. *fol.* 24. *terg.* & *fol.* 25.. Hoc vero ſalutis alienæ deſiderio non tenebatur ſolum Hieronymus erga ſingulos, ſed erga univerſos etiam Chriſtifideles, quos, ut jam attigimus, juxta Apoſtolorum tempora reformari, compoſita ad id oratione, deprecabatur a Domino.

31 „ Peſte autem, ac fame de anno 1528., ac ſequentibus debacchante Venetiis, non potuit caritatis ſuæ viſcera continere Hieronymus, ſed miſertus ſuper afflictionem pauperum, quos præcipue calamitas ea tangebat, in ipſos univerſas patrimonii ſui facultates diſtribuit, ut in Proc. Mediolanen. *jux.* 6. iv. teſtis *fol.* 27., *ſuper* 15. xviii. *fol.* 77., & in Proc. Bergomen. i. *juxta* 15. *fol.* 19., ii. *juxta* 15. *fol.* 21. & *juxta* 6. *fol.* 22., iii. *jux.* 16. *fol.* 25., in Papien. i. *fol.* 15., qui ſubdit hinc Hieronymo inſaniæ notam ab hominum ſtultitia irrogatam, & in Veneto *juxta* 4. i. *fol.* 87. *tergo*, & *jux-*

rum conatus ſunt demandata, anno MDCXXXIV. generalia emanarunt decreta, quibus cautum ſuit, nequis Dei Servis, qui neque ad Beatificationis, neque ad Canonizationis honores fuerant per Sedem Apoſtolicam evecti, publicum, religioſumque cultum, & venera-

» juxta 6. III. fol. 99. terg., ac IV. fol. 105., qui de
» audita a nepte ejuſdem HIERONYMI referunt, pro-
» fuſam adeo fuiſſe ÆMILIANI in pauperes liberalita-
» tem, ut aliquando Venetiis degens, dum parata
» ſibi pecunia non ſuppeteret, proprium ſudariolum,
» ac cingulum ipſum, quo patritii utuntur, peten-
» tibus eleemoſynam pauperibus tradiderit; ita ut
» cognati, ac concives id traherent in ſtultitiam,
» quam propter Chriſtum viris ſanctis conſuevit opi-
» nio vulgi irrogare, juxta Apoſtolum ad Corinth. 4.
» eoque officioſa hujuſmodi in pauperes devenit ca-
» ritate HIERONYMUS, ut non ſolum languentes in-
» viſeret, ad Sacramentorum medelam hortaretur,
» ad mortem æquo animo excipiendam animaret, ut
» aſſerunt in Proc. Mediolanen. idem XXIX. teſtis ſu-
» per 11. fol. 164., in Papien. II. fol. 17. terg., & con-
» cordat Albanus in vita hujus Servi Dei fol. 11. terg.,
» ſed fidelium cadavera inquireret, & propriis hu-
» meris ſublata ſepulturæ mandaret, ut in Proceſſu
» Mediolanen. ſuper 15. XXIX. fol. 165., & juxta 6.
» IV. fol. 27., XVIII. fol. 78., in Brixien. I. fol. 18., & con-
» cordat Albanus loco citato fol. 12, & Bartholo-
» mæus Spatafora in Oratione habita in funere M. An-
» tonii Trivisani Ducis Venetiarum, de qua in Proc.
» Mediolanen. fol. 289. terg.; adeo ut eum de an-
» no 1537. nova peſtiferi morbi lues Bergomenſem
» ditionem late depopularetur, inter hæc inſignis
» pietatis officia peſtilenti morbo correptus vitam
» apud Somaſchenſes reliquerit; in Proc. Mediola-
» nen. XXVI. ſuper 11. fol. 140., & XXIX. ſuper eo-
» dem fol. 164.; ex quibus non jam conſtantis ad obi-
» tum uſque caritatis perſeverantiam, ſed perfectio-
» nem quoque, ac magnitudinem intelligimus, dum,
» ut proximo ſuccurreret HIERONYMUS, mortem ipſe
» ſubire non dubitavit, majorem enim hac dilectio-
» nem nemo habet, quam ut animam ſuam ponat quis
» pro amicis ſuis, ut inquit Salvator noſter Chriſtus
» Dominus apud Joannem 15., & comprobat Textus
» in C. qui vult. de pænit. diſt. 2., C. niſi cum pridem
» §. verum de renunc., & facit C. non omnis 5. q. 5.
32. » Præcipuam vero ex peculiari veluti inſti-
» tuto caritatem mire profeſſus eſt ÆMILIANUS erga
» orphanos, & pueros derelictos, ut ad ipſum pla-
» ne referri poſſit illud Pſalm. 9. tibi derelictus eſt
» pauper, orphano tu eris adjutor. Cum enim ea-
» dem peſtilentis morbi lues, & ſæviſſima annonæ
» caritas, quæ non Venetias ſolum, ſed omnem fe-
» re Italiam, præſertim vero miſeras Galliæ Ciſal-
» pinæ civitates invaſerant, pleroſque pauperum ab-
» ſumpſiſſent, ac propterea quamplures ex paupe-
» ribus pueri parentibus orbati per vicos, & caſtel-
» la humano deſtituti præſidio, non ſine evidenti
» corporis, animæque periculo vagarentur, miſera-
» tus Dei Servus eorum fortunam ſolidæ caritatis co-
» gitationes in eorumdem ſalutis ſecuritatem, ac vi-
» tæ tutelam direxit: hinc cœpit ipſos inquirere,
» in unum colligere, fidei rudimentis imbuere, vi-
» ctum pro illis, & ſe ipſo parare, partim artis opi-
» ficio, cui una cum illis ipſe quoque vacabat, ut
» cum Apoſtolo poſſet dicere (Act. 20.) Ad ea, quæ
» mihi opus erant, & his qui mecum ſunt, miniſtra-
» runt manus iſtæ, partim procuratis piorum eleemo-
» ſynis, quas etiam, erecto præcedentis Crucis vexil-
» lo, pueros per civitates deducens comparabat,
» adeoque in eorum cura verſabatur, ut affectione
» vere pluſquam paterna ipſos educare feſtinaret,
» prout in puncto de hujuſmodi Orphanotrophiis, qui
» pueros parentibus, atque ſubſtantiis deſtitutos cer-
» tis locatos domiciliis divini timoris intuitu ſuſten-
» tant, loquitur elegans Textus in L. omnia priv. C.
» de Epiſc. & Cler.
33 » Nec Venetiis ſolum immenſa in pauperes
» iſtos ÆMILIANI caritas contenta eſt, ſed ad alias
» quoque civitates fœcunda propagatione diffuſa,
» Mediolanum nempe, Comum, Bergomum, Pa-
» piam, Brixiam, ac denique Veronam, in quibus
» ad tam pii operis conſervationem, atque incremen-
» tum quamplura Orphanotrophia ſatagente Servi
» Dei caritate fundata, ut colligitur ex litteris fel.
» rec. Pauli Tertii P.O.M. ſuper prædictorum Hoſpi-
» talium confirmatione anno 1540. emanatis, in
» quibus HIERONYMI caritas commendatur, ut con-
» ſtat ex Proceſſu Papien. fol. 21. a tergo, in quo
» dictæ litteræ habentur regiſtratæ, & comprobant
» teſtes, qui prædicta omnia uno ore deponunt,
» nempe in Proc. informativo Papien. II. fol. 17., Me-
» diolanen. juxta 6. I. fol. 19., II. juxta 4. fol. 21., IV.
» juxta 6. fol. 27., VI. juxta eumdem fol. 33., XVIII. ſu-
» per 15. fol. 77. terg., XXVI. fol. 141., XXVIII. juxta 6.
» fol. 153., XXIX. ſuper. 15. fol. 165., in Brixien.
» juxta 6. I. fol. 16., II. ſuper eodem fol. 20. tergo, in
» Bergomen. I. juxta 15. fol. 19., II. juxta 15. fol. 22.
» & ſuper 20. fol. 22. terg., III. juxta 6. & 15. fol. 24.
» & 25., in Veneto I. juxta 4. fol. 87. terg., II. jux. 6.
» fol. 94., III. juxta eumdem fol. 99., & in Proc. Somaſ-
» chæ XXIX. fol. 62., cum quibus concordant locis
» citatis fol. 11. Evangeliſta de Dorate in Proceſ. Pa-
» pien. fol 13. & 14. Inſtrumentum depoſiti quarum-
» dam pecuniarum pro fabrica Hoſpitalis Bergomen.,
» ut in Proc. Bergomen. fol. 43. terg., Jura producta,
» & compulſata in Proc. Mediolanen. fol. 376., Pau-
» lus Morigia in Theſauro rerum Mediolanen. c. 22., Syl-
» veſter Merula in libro inſcripto Mare oceano di tut-
» te le Religioni del mondo lib. 5. pag. 394., Epiſto-
» la dedicatoria Hieronymi Molphetæ ad libellum in-
» ſcriptum Dell' unione ſpirituale di Dio con l'anima
» di Frà Bartolomeo Cappuccino di Città di Caſtello
» Proc. Bergomen. fol. 46., in qua narratur, HIE-
» RONYMUM infirmum, & ad extremam redactum
» anguſtiam, atque incommoda, noluiſſe, quamvis
» nobiliorum precibus ſollicitatum, a pauperum ſuo-
» rum conſortio recedere; & tandem memoria
» extracta ex archivio domus Collegii Papienſis
» in libro ſignato G. in Proc. Papienſi fol. 24.
» & 25.
34 » Paternam vero, quam in pauperes ſuos e-
» locabat HIERONYMUS dilectionem, & curam in-
» telligimus quidem ex eo, dum panem ex piorum
» eleemoſynis recollectum, deteriorem ſibi adſer-
» vabat, meliorem vero erogabat in pauperes, ut
» in Proc. Mediolanen. deponunt ſuper 11. XVIII.
» fol. 78., & ſuper 17. XXVI. fol. 141. terg., & in
» Proc. Bergomen. I. juxta 19. fol. 19.; dum pro-
» priis manibus puerorum capita porrigine, ſeu alo-
» pecia corrupta, atque fœtentia purgabat, excuſſa
» ſanie, aſſiduaque medicamentorum applicatione
» cura-

nerationem exhibere auderet, niſi conſtaret certiſſime plures continuoſque actus, ex quibus cultus hujuſmodi poſſet comprobari adverſus illorum memoriam a piis fidelibus jam centum per annos fuiſſe patratos. Hiſce decretis minime ſeſe obſtringi exiſtimarunt

Con-

„ curabat, ut inter cæteros de viſu, traditione a majoribus, ac publica voce, & fama deponit in Proceſſu Mediolanen. XXVIII. teſtis annorum 100. *ſuper* 20. *fol.*157. *terg.*, & concordant in Proc. Bergomen. *juxta* 15. *ar* 20. ſecundus *fol.*22., III. *fol.* 25. *terg.*, in Papien. I. *fol.*17., & idem Evangeliſta de Dorate in *vita manuſcripta*, quæ habetur in d. Proc. Papien. *fol.* 13.

35 „ Sed præcipuum, ac inſigne caritatis HIERONYMI eoſdem in pauperes argumentum ſuggerit nobis ea laudabilis conſilii providentia, qua non præſentibus tantum, ſed futuris proſpiciens, ut uberrimum dilectionis ſuæ fructum perenni hæreditatis ſucceſſione in poſterorum quoque commoda transfunderet, primariis viris non divitiis minus, quam auctoritate conſpicuis in unum collectis, anno 1527. non tam caritatis in pauperes, quam fidelium reformationis intuitu ſubliniora Congregationis Somaſchæ fundamenta jecit in imo profundæ humilitatis, cui quidem Congregationi ea providus Fundator inſtituta præſcripſit, ut ne dum communi Regularium more in Eccleſiis illius Alumni Sacra facerent, divina Officia alternantibus modulis decantarent, Sacramenta fidelibus pie adminiſtrarent, verbum Dei enunciarent, ſed præcipua pietatis ſollicitudine, non ſolum præclaræ indolis adoleſcentes in Seminariis, Academiis, & convictorum Collegiis bonis inſtituerent moribus, pietate, ac religione informarent, ſtudiorum denique ſolida immortalitatis gloria cumularent, verum longe utiliori, ac ſpecioſo perfectioris caritatis inſtituto, quo hujuſmodi Congregatio poteſt merito gloriari, puerulos parentibus, ac omni deſtitutos auxilio in unum colligerent Xenodochia, & Orphanotrophia eorum uſui erigerent, eorumdem animos morum probitate, mentem chriſtianis exornarent virtutibus, Catholicæ Fidei rudimenta, divinæque legis præcepta tenellæ adhuc, & infirmæ ætati inſtillarent, ac denique eoſdem variis artibus, & opificiis ad honeſtioris vitæ ſecuritatem inſtruerent, prout de Congregationis illius fundatione deponunt in Proceſſu Mediolanen. *juxta* 6. I. teſtis *fol.*19. *terg.*, IV. *fol.*27., VI. *fol.*33., XXI. *fol.*99., XXXII. *juxta* 10. *fol.*184. *terg.*, in Proc. Tarviſino II. *ſuper* 6. *fol.*21., in Brixien. I. *juxta* 6. *fol.*16., II. *juxta eumdem fol.*20., in Bergomen. *juxta* 10. III. *fol.* 25. *terg.*, in Papien. I. *fol.*251. *terg.*, nec non concordat Sylveſter Merula in libro inſcripto *Mare oceano di tutte le Religioni del mondo libro* 5. *fol.* 394., Auguſtinus Turtura *in ejus vita lib.*2. *cap.*9. *uſque ad fin. libri, lib.*3. *cap.*1. 2., & 3., Andreas Stella *item in ejus vita fol.*3., & *a fol.*28. *uſque ad* 31., Albanus in *vitæ inſcriptione*, & *fol.*17. *etiam a terg.*, Paulus Areſius *de tribulationibus pag.*544. *num.*18., Philippus Ferrarius *in Catalogo SS.* impreſſo Mediolani 1613. *ſub die* 7. *Martii*, ac idem *in alio Catalogo generali SS., qui in Martyrologio Romano non ſunt ſub die eadem*, & Joannes Baptiſta Caſtaldus Clericus Regularis *in vita B. Cajetani Thienæi p.*30.

DE VIRTUTIBUS CARDINALIBUS, ET PRIMO DE PRUDENTIA.

36 „ THeologicas proxima ſucceſſione contingunt virtutes Cardinales, quas una cum caritate, tamquam invicem connexas, infundi docet S. Thomas *par.*1. *q.*55. *art.*1., & *art.*3. *in corp.*, & ad integrandum perfectæ ſanctitatis ædificium in Servis ſuis collocare Deum teſtatur *Sap.*8. dicens ſobrietatem, & prudentiam docet, & juſtitiam, & virtutem, quibus utilius nihil eſt in vita hominibus. Has vero Cardinales nuncupamus, aut a cardinis in oſtio ſtabilitate, vel quia eamdem ſtabilitatem animæ conferunt iſtæ virtutes, vel quia ſicut oſtium cardini innititur, ſic tota converſatio bona illis firmiter inhæret; aut propter præeminentiam, ſive principalitatem, quam habent reſpectu cæterarum virtutum, cum cardines primæ partes Cœli, terræ, ac maris appellentur, ut de Cœlo *Deuteron.* 30.: *Si ad cardines Cœli fueris diſſipatus, inde retrahet te Deus*: de terra 1. *Reg.*2. *Domini enim ſunt cardines terræ*: & de mari Job 36. *Cardines quoque maris operiet*. Has inter principatum obtinet Prudentia, quæ cæteris lumen præfert, & teſte Divo Thoma 2. 2. *quæſt.*67. *art.*14., & *quæſt.*166. *art.*2. *ad primum* cum caritate, ut dictum eſt, infunditur, omniumque virtutum moralium eſt completiva, animamque dirigit, ac tenet in veritate utili, ne per ignorantiam, vel errorem, aut curioſitatem ab ea recedat. Verſatur autem in eligendis, adſcribitque ſibi partem cognitionis, unam ſcilicet ex illis quatuor, ex quibus manare honeſtatem Tullius (*Lib. de Offic.*) affirmat. Definitur a Gregorio *ſuper illud Matth.* 15. *Erant qui manducaverunt quatuor millia &c.* eſſe rerum vitandarum, appetendarumque cognitionem; quod videtur deſumptum ab eodem Tullio (*Lib. de Offic.*), qui prudentiam appetendarum, fugiendarumque ſcientiam definivit. Hinc juremerito virtutem illam tamquam totius vitæ ſpiritualis regulam Apoſtolis in eorum miſſione præcepit Chriſtus Dominus (Matth. 10.) inquiens: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes*.

37 „ Hanc autem in Servo Dei ÆMILIANO abundanter eluxiſſe conſtat, non ſolum antequam converteretur ad Dominum, dum in Reipublicæ adminiſtratione id conteſtatus eſt, quemadmodum in Proc. Mediol. *ſuper* 16. deponit XXVII. teſtis *fol.*150., ita ut antonomaſticam magni capitis denominationem in glorioſam prudentiæ laudem fuerit apud cæteros ſapientiſſimos Patres aſſequutus, ut teſtatur Evangeliſta de Dorate *in illius vita* in Proc. Papien. *fol.*13., ſed in admirabili ſui ipſius converſione docuit in eadem ſe præcelluiſſe, dum caute ambulans, & provide redimens tempus in dierum malitia, non conformatus huic ſeculo, ſed reformatus in novitate ſenſus ſui, ſe ipſum, ut diximus, a mundanis abdicavit illecebris, vitamque ſuam tamquam in ſecuritatis aſylo repoſitam inter humilitatem Deo conſecravit, ſpiritualem nimirum, ac religioſam amplectens diſciplinam, quam non ſibi tantum, ſed cæteris quoque, in futura etiam more prudentis proſpectum intendens, ut inquit Seneca *de quatuor virt. cap. de prud.* non ſine inſigni

„ pru-

Digitized by Google

Congregationis Somaſchæ Alumni; nam ſeptem & nonaginta antequam decreta ipſa prodirent effluxerant anni, in quibus publice HIERONYMUM pluribus in locis devoti Chriſtifideles quam religioſiſſime fuerant venerati; nihilominus tamen eadem Sacra Inquiſi-

„ prudentiæ argumento præſcripſit. Ii enim habendi ſunt ſapientiores, quam reliquum mortalium vulgus, qui ſe ipſos a mundi ſegregant conſortio, & vitam ſuam Deo conſecrant, ut *in oratione de laudibus Baſilii* inquit Nazianzenus, & prudentis eſt, humilem ſtatum deligere, cum Seneca in *lib. quat. principalium virtutum in dicto cap. de Prudentia* præcipiat, ne altiori nos rei imponamus, in qua ſtantibus nobis tremendum, aſcendentibus cadendum ſit.

38 „ Poſt converſionem vero, veram ſane perfectamque oſtendit Prudentiam, eam ſcilicet, quæ in omnibus habentibus gratiam reperitur, & quæ ad bonum totius vitæ finem recte conſiliatur, judicat, & præcipit, ut inquit S. Thomas 2. 2. *qu.47. art.2. & art.14.*, ubi eam definit rectam agibilium rationem finem, ejuſque cognitionem præſupponentem, ex qua tanquam ex principio rationem mediorum ad finem ſumit.

39 „ Dum opportuna ad ſalutis ſecuritatem media diligenter inquirens, ut tamquam prudens dirigeret greſſus ſuos, viris pietate, ac ſanctitate inſignioribus ſe ſocium adjungebat, quo eorum inſtrueretur exemplis, juvaretur orationibus, prudentia, conſilioque regeretur. Ideo enim e Canonicorum Lateranenſium ordine ſpiritualem ducem, & conſcientiæ ſuæ moderatorem primo delegit Sacerdotem, non minus doctum, quam pium, ut *in illius vita* aſſerunt Albanus *fol.10.*, Stella *fol.14.*, Turtura *pag.45. & 46., & per totum cap.13. lib.1.*, deinde autem æterni Patris providentia ſortitus eſt Ioannem Petrum Caraffam Archiepiſcopum Teatinum, poſtea in Pontificatu Paulum IV. appellatum, cujus, ut jam diximus, opera, conſilioque aſſidue HIERONYMUS utebatur, eique tantum deferebat, ut nihil eo inconſulto moliretur, ut ex iiſdem Scriptoribus teſtantur Stella *fol.17. a terg.*, *& 18.*, *&* Turtura *pag.65., & 66.*

40 „ Prudentiæ autem eorum, a quibus regebatur in via ſalutis, ſuam ipſe quoque in eliminandis e corde ſuo vitiis, virtutibuſque admittendis adjungebat ÆMILIANUS. Aggreſſus enim evellere quam inimicus homo in ejus animo ſuperſeminaverat zizaniam, dum veterno peccatorum conſopitus detineretur, ita ſibi cum vitiis agendum putavit, ut non omnia ſimul juſto prælio adoriretur, ſed quaſi ſingulorum viribus diviſione imminutis ſeorſim bellum inferret, interitumque moliretur. Itque tentatum ex animi ceſſit ſententia, nam cum aliquod vitium ex iis, cui diu, multumque aſſueverat, contrariæ virtutis actibus quatere, & pietatis machinis evertere conaretur, non longam poſt oppugnationem tandem victoria potiebatur, eoque proſtrato, & penitus dejecto, aliud in aciem provocabat, rurſumque adverſæ virtutis exercitiis oppugnatione inſtructa, non prius deſiſtebat, quam expugnato vitio, virtus in animo dominaretur, tum ad reliqua pari pugnæ, victoriæque curſu pergebat, ut his plane verbis eleganter diſſerit Turtura *pag.56.*, cum quo concordant Albanus *fol.10. uſque ad 11.*, & Stella *fol.16. terg.*, quæ ſane pugnandi ratio ad Prudentiam pertinet, quæ in bello ſpirituali triumphat: *Vir enim ſapiens fortis eſt, & vir doctus robuſtus, & validus*, (*Prov.24.*), quia cum diſpoſitione init bellum, habetque ſalutem inter multa conſilia *Prov.24.*, & in parva civitate inventus eſt pauper, & ſapiens, qui liberavit urbem per ſapientiam ſuam, *Eccleſiaſt.9.*, ſicut e contrario ſtultitia, vel imprudentia in bello ſpirituali ſuccumbit, Baruc.3. *Quoniam non habuerunt ſapientiam, perierunt propter ſuam inſipientiam.* Hiſque bellandi artibus, & oppugnationum machinis adverſus vitia non ſolus ipſe utebatur, ſed cæteros quoque informabat. Cum enim nobilis quidam exemplo, ac HIERONYMI exhortatione oppreſſam ſceleribus conſcientiam exonerare aggreſſus, accurata, & diligenti confeſſione, collectum per multos annos peccatorum exitiale virus evomuiſſet, quæreretque diligenter quibuſnam gradibus in poſterum certam ſalutis rationem inire, & illius veſtigia poſſet inſiſtere, hoc unum amico ingerebat HIERONYMUS, ſi peccatorum labe deſerta, ea puritas cordis eſt in votis, quæ non indigne Chriſtum Dominum excipiat hoſpitio, certum aliquod, & ſingulare vitium primo aggreſſus, eo ſatis idonea, te judice, caſtigatione emendato, ad reliqua ſeorſim perge, & brevi recuperatam ſanitatem experiere: ita in hæc verba ſubjungit idem Turtura *pag. 57.*, cui conſentiunt Albanus, & Stella *locis ſuperius citatis*.

41 „ Eamdem quoque Prudentiam ſingulari teſtimonio comprobavit ÆMILIANUS in præſcribendis Somaſchenſi Congregationi ſuæ tam ſalutaribus ordinationibus, ac piis inſtitutis, nec non in ſuſcepto, curatoque ejuſdem Congregationis, pauperumque orphanorum regimine, atque adminiſtratione, ut deponunt in Proceſ. Mediolanen. *ſuper 16.*, XX. *fol. 94. terg.*, XXI. *fol.104. terg.*, XXVI. *fol.141. terg.*, XXVII. *fol.150.*, XXIX. *fol.165. terg.*, nec non *ſuper 4.* LXII. *fol.407. terg.*, qui nonnullas ex prædictis conſtitutionibus optimo orphanorum regimini, & Congregationis profectui valde conſentaneas recenſet, quæ omnia luculenter comprobant nonnullæ epiſtolæ a HIERONYMO ſcriptæ, ut in Proc. Papien. *fol.16.*, & Mediolanen. *fol.374.*, ex quorum tenore inſignem hujus Servi Dei Prudentiam licet demirari, quæ quidem litteræ in hanc uſque diem præcipua veneratione aſſervantur, ut meminit in Proc. Mediolanen. XX. teſtis *ſuper 16. fol. 94. terg.*

DE JUSTITIA.

42 „ PRudentiæ proxima ſuccedit Juſtitia, quæ morales inter virtutes primum jure merito locum ſibi vindicat, S.Thomas 2.2. *qu.58. art.12.* cum juſtitia habita omnes aliæ virtutes habeantur, teſte Ambroſio *in Hexamerone*, Auguſtino *lib.4. de Civitate Dei*, & Text. *in Auth. ut omnes obed. Judic. Prov. col.5. in princ.*. Hæcque, prout inter virtutes Cardinales refertur, quodammodo generalis eſt, quantum attinet ad imperium, cum exterarum virtutum opera poſſit imperare, ad ea tamen exequendum, ſeu eligendum ſine cæteris virtutibus non ſufficiat: definitur autem communiter eſſe conſtans, & perpetua voluntas jus ſuum unicuique tribuens, vel ſecundum D.Thomam 2. 2. *q.58. art.1. in corp.* habitus, ſecundum quem aliquis con-

quiſitionis Congregatio Pridie Nonas Februarii MDCLIV. omnino interdixit, ne hic cultus in poſterum HIERONYMO exhiberetur, cui decreto, veluti obedientiſſima Eccleſiæ filia obtemperandum ſtatim duxit Congregationis Somaſchæ piiſſima Familia: & hoc pacto

„ conſtanti, & perpetua voluntate jus ſuum unicuique tribuit, quod videtur deſumptum ex Tullio *prima Rhetoricorum*, qui Juſtitiam eſſe habitum mentis, communi utilitate ſervata, ſuam unicuique tribuentem dignitatem deſcribit. Illius vero partes ſunt virtutes illi annexæ videlicet religio, pietas, obſervantia, veritas, gratia, ſeu gratitudo, vindicatio, amicitia, ac liberalitas, ut docet idem Angelicus Doctor *loca cit. quæſt.* 80. *art. unic.*, qui pariter loquitur ex ſententia Tullii *alleg. Rhetor. cap.* 1.

43 „ Omiſſis autem conſulto iis Juſtitiæ partibus, quas in aliarum virtutum examina tam ex deductis, quam deducendis, luculenter deprehendimus, cæteras Juſtitiæ partes non defuiſſe intelligimus HIERONYMO, qui primam adoleſcentiam ferventi in patriam caritate ejuſdem defenſioni, atque tutelæ in equeſtri militia dicavit, ut *in illius vita* teſtantur Albanus *fol.* 8. *a tergo*, Stella *fol. pariter* 8. *terg.*, & Turtura *pag.* 11.: Caſtronovo cum tribus militum centuriis Prætor datus a patria, cum imminentis potentiſſimi hoſtis legati, ni Caſtro excederet, aut deditionem acceleraret, ſæviores minas intentarent, generoſe reſpondit, ſe devotum caput habere libertati patriæ, atque adeo ſibi ſtatutum vita potius, quam loco cedere, quod quidem ſæpius facto comprobavit ÆMILIANUS, dum ter hoſtes oppidum aggreſſos, ſemper ipſorum cæde aditu prohibuit, ut his plane verbis aſſerit Turtura *loco cit. pag.* 22., & concordat Stella *fol.* 9. *terg.*, & 10.: idem etiam colligitur ex accurata illa innocentia, qua in nepotum ſuorum facultatibus adminiſtrandis verſatus eſt; nam cum iiſdem multæ, atque amplæ variis in locis res, rationeſque cum multis eſſent a patre contractæ, earum ille procurationem ſuſcepit accuratiſſimam, & illorum mercaturis faciundis (neque enim id patritiæ nobilitatis majeſtatem apud Venetos lædit) reique augendæ ſe diligenter, atque integre tradidit, ut inquit Turtura *pag.* 38., & 41., Stella *fol.* 12., Albanus *fol.* 8. *terg.* & 9., & conveniunt in Proc. Mediol. *ſuper* 17. XXI. *fol.* 104. *terg.*, & XXVI. *fol.* 141. *terg.*. In iſtius autem innocentiæ ampliſſimam fidem ſufficit advertiſſe liberalem illam, quam omnium ſuarum facultatum in pauperes fecit diſtributionem, quam alias ponderavimus; impoſſibile eſt enim contra Juſtitiæ præceptum aliena retinuiſſe illum, qui propria copioſe adeo profuderat, ut de ipſo illud Davidis jure merito poſſit uſurpari (*Pſal.* 111.): *Diſperſit, dedit pauperibus, juſtitia ejus manet in ſeculum ſeculi*. Huc pertinet tandem exacta illa Juſtitiæ diſtributivæ ratio, quam erga pauperes ſuos ſervavit HIERONYMUS, exiſtimans enim panem a ſe pro ipſis emendicatum iiſdem ex Juſtitiæ præſcripto deberi, timens, ac tremens pro ſui ſuſtentatione duriorem, deteriorem, ac mucidum manducabat, meliorem vero, tanquam erogantium liberalitate puerulis deſtinatum, reſervabat, ut deponunt in Proc. Mediolanen. *ſuper* 17. XXI. *fol.* 104. *terg.*, XXVI. *fol.* 141. *terg.*, XXIX. *fol.* 165. *terg.*, XXXIV. *fol.* 200. *terg.*, & XXXIX. *fol.* 235. *terg.*.

DE FORTITUDINE.

44 „ PRudentiam, juſtitiamque ſequitur Fortitudo, quæ juxta D. Thomam 2. 2. *quæſt.* 123. *art.* 7. *in corp.* animi firmitatem importat, cum eumdem animum in gravibus, & maximis periculis firmet, timorem cohibeat, audaciamque moderetur, ut inquit idem Angelicus Doctor *loco præcit. art.* 3. & 4.: verſatur enim hæc virtus circa ardua, & terribilia, facitque ut animus, nec prave timendo, nec temere audendo deſciſcat a bono opere, ut diſſerit Auguſtinus *lib.* 83. *quæſtionum q.* 31.. Partes illius integrales ſunt quatuor: ſcilicet quoad actum ingrediendi fiducia, atque magnificentia; quo vero ad actum ſuſtinendi patientia, atque perſeverantia, quæ omnes partes cum in ÆMILIANO eluceant, ſatis oſtendunt Fortitudinis virtutem ipſi non defuiſſe. Nam quantum attinet ad moralia virtutis hujus cunabula, ut jam attigimus, propter patriæ bonum, ac Reipublicæ defenſionem pubertatis ſpatia vix ingreſſus HIERONYMUS, ſponte ſeſe equeſtri commiſit militiæ, ut pateſaceret ſe conſtanter non ſolum temporalia mala, quæ duritiæ militaris intuitu animum hominis, ac adoleſcentis præſertim ab his difficilioribus eligendis, ac ſuſtinendis facile avertunt, rejeciſſe timorem, circa quem immediate virtus iſta verſatur, fortiter reprimendo, verum & pericula mortis perpetua in bello, & aſſidue imminentia generoſe, ac fortiter ſubiiſſe, quam ſane animi firmitatem, tunc præcipue conteſtatus eſt HIERONYMUS, cum in Caſtrinovi Præfectura intentatas ab hoſtibus minas impavido negligens corde, legatis deditionem ſollicitantibus reſpondit, ſe ſaluti patriæ caput devoviſſe.

45 „ Quæ omnia ante admirabilem ipſius converſionem patrata laudabilem Fortitudinem in HIERONYMI animo domicilium habuiſſe confirmant, ut in ſimili teſtatur Ambroſius *in C. fortitudo* 23. *quæſt.* 3. dicens fortitudinem, quæ bello tuetur patriam, vel domi defendit infirmos, eſſe plenam juſtitiæ, & facit Textus *in Cap. ſi quis fortitudinem ead. cauſa, & quæſt.*: majora tamen perfectioris Fortitudinis hujus Servi Dei argumenta ſuggerunt nobis labores inter inſignia pietatis officia continuo, ut jam in articulo de caritate attigimus, ad mortem uſque exantlati in infirmorum curatione, quorum, ac puerorum præſertim ſaluti, non ſine ſtomachi faſtidio, ac naturæ perhorreſcentia conſuli poterat: in mandandis ſepulturæ defunctorum cadaveribus, quæ propriis humeris excipiebat: in itineribus, quæ pro colligendis orphanis, pro meretricibus, ac peccatoribus convertendis, pro iiſdem alendis, ac certis locandis ſedibus, diu, noctuque forti animo ſuſcepit. Nec minora inſinuat inſignis illa æquanimitas, ac patientia, qua quaſcumque vel graviſſimas offenſiones tam verbis, quam factis ab hominum illatas improbitate excepit, & depoſuit, ut in Proc. Bergomen. aſſerunt *jux.* 18. IX. teſtis *fol.* 39., in Mediolanen. IV. *jux.* 6. *fol.* 26. *terg.*, XXI. *juxta* 18. *fol.* 105., XXIX. *ſuper eodem fol.* 166., & in Proc. Tarviſino I. *ſuper* 6. *fol.* 19. *terg.*, itaut quemadmodum HIERONYMO permulta erant, quæ in ejus venerationem obſequia deferebantur, ita cum inter mendicandum alios obviam haberet ſeſe dicteriis, & ſcommatibus irridentes, vel conviciis palam proſcindentes, hos ille

pacto Cauſſa hæc, quæ per viam Caſus, ut ajunt excepti, procedebat, ſtetit ad tempora uſque Alexandri PP. VII. [1].

Moleſte tamen ferebant religioſiſſimi HIERONYMI filii venerabilem, dilectiſſimumque Parentem, quem certo tenebant a Domino in

---

1 *Cit. Fact. concord.* §. 3.

„ le obturata aure præteriret, mirifice lætus, quod pretioſiora quam peteret, ac magis optata dona recipetet, nobilem ſcilicet ludibrii, & contumeliarum ſtipem, eratque perfamiliare, cum ad communem miſericordiam colligendam totus ſquallore deformis, ac macie, craſſa tunicula tectus prodiret, ſibilis, & convicíis excipi, inſequente a tergo, velut amentem laſciviente puerorum turba, ita ſcilicet ſummus in ore pallor, attrita lacerna, humeroque pendentes muntice, ſquallens, & promiſſa barba ludibriis, & probris facile opportunum apud inſanum vulgus reddebant. Diu autem tulit indignum infimæ plebis contemptum HIERONYMUS, nunquam animo vel leviſſime commotus, ut in hæc plane verba recenſet Turtura *pag.* 156. & 157., cum quo concordat Stella *fol.* 16. & 33., & Evangeliſta de Dorate in Proc. Papien. *fol.* 14., & conveniunt in Proc. Veneto *juxta* 4. 1. *fol.* 88., & in Papien. 1. *fol.* 15.; & quadam vice in area D. Marci Venetiis, cum improbus quidam furens, ac frendens plurima in eum maledicta conjeciſſet, ac tandem ſe eidem barbam carptim convulſurum minatus eſſet, HIERONYMUS hac tanta, & inſigni accepta injuria nihil commotus, quinimo minanti barbæ evulſionem ſereno, & hilari vultu paullum inflexa cervice, & producto capite mentum porrexit, & blando oculo hominem intuitus placido ore, & ad riſum plane compoſito, en, inquit; barbam, ſi Deo ita cordi eſt, ut lubet age, ut refert idem Turtura *pag.* 44. & 55., cum quo concordat Stella *fol.* 16., & Albanus *fol.* 11., & concordant in Proc. Bergomen. *juxta* 18. IX. *fol.* 39., in Mediolanen. XXI. *fol.* 105.

46 „ Poſtremo cum perfectiſſimus ſit Fortitudinis actus martyrium, ut docet D. Thomas 2. 2. *q.* 124. *art.* 1. *in corp.*, hinc intelligimus HIERONYMO perfectiſſimam non defuiſſe Fortitudinem, qui vitam propriam caritatis fervore obtulit Deo in holocauſtum ſacrificans ſe ipſum in ſalutem proximi, dum peſtilenti morbo laborantibus miniſtrans eadem correptus lue apud Somaſchenſes interiit, ut jam diximus. Quam quidem mortem ſpeciem quamdam eſſe martyrii teſtatur Dionyſius Alexandrinus *lib.* 7. *hiſtor. cap.* 16. & 17., prout etiam Eccleſia Prid. Kal. Martii defunctos in peſte laborantium Officiis martyres memorat, ac veneratur teſte Cardinali Baronio *in Martyrologio Romano*.

DE TEMPERANTIA.

47 „ POſtrema ſupereſt Temperantia, ad quam generaliter ſumptam pertinet cavere circa omne opus virtutis, nequid parum, vel nimis fiat juxta illud Horatii,

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos ultra, citraque nequit conſiſtere rectum.

„ ideoque in hunc ſenſum accepta dicitur moderatio quædam, quam in operationibus, paſſionibuſque humanis ratio ponit, quod omni virtuti morali commune eſt. Si vero conſideretur antonomaſtice, in quantum refrenat appetitum ab iis, quæ maxime alliciunt hominem, & in quantum verſatur circa delectationes moderandas, & ſic circa bonorum ſenſibilium concupiſcentias, atque triſtitias ex eorumdem bonorum privatione, ſeu abſentia manantes, eſt ſpecialis virtus, ut docet S. Thomas 2. 2. *q.* 141. *art.* 2. in *corp.*, & ab Auguſtino *de lib. arb.* definitur eſſe affectio coercens, & cohibens appetitum ab iis, quæ turpiter appetuntur.

48 „ Hæc ſane non defuit ÆMILIANO, qui ingrediens vias Domini, vix deguſtata melioris ſenſus ſuaviſſima novitate, bonis temporalibus, divitiiſque rejectis, facultatibus in pauperes profuſis, poſt habitiſque honoribus, ac dignitatibus, per quas ampliſſimum in patriam meritum paraverat, humilis, ut diximus, ac ſpiritualis vitæ inſtitutum amplexus, mundanis renunciavit illecebris, & ſenſus ſuos aſſidua jejuniorum, pœnitentiæ, exterarumque mortificationum exercitatione ab omni voluptatum, ſenſualitatiſque lenocinio vindicavit, ut conſtabit inferius, dum de pœnitentia agemus.

49 „ Eam vero abſtinentiæ partem mire profitebatur, quæ ex ſuo nomine ciborum ſubtractionem importat, juxta D. Thomam 2. 2. *q.* 146. *art.* 1., per quam ſcilicet caſtigatur corpus non ſolum contra luxuriæ illecebras, ſed adverſus etiam gulæ oblectationem, quo in tentationum lenocinia homo fortius inſurgat, & Dæmonis irritamenta conculcet. HIERONYMUS in cibo, potuque temperatiſſimus, nulla temporis, aut valetudinis habita ratione, ad obitum uſque ſolo pane, eoque deteriori, & aqua parciſſime etiam utebatur, ut deponunt in Proc. Mediolanen. *ſuper* 19. XXI. *fol.* 105., XXVI. *fol.* 141., XXIX. *fol.* 166., XXX. *fol.* 173., XXXIII. *ſuper* 24. *fol.* 191., XXXVII. *ſuper eodem fol.* 219., cum quibus concordant Albanus *fol.* 21., & Turtura *pag.* 185., & patebit inferius, dum de jejunio, & pœnitentia agetur; hancque vivendi rationem ubique ſibi adeo conſtans ſervabat, ut nec in itinere, vel apud hoſpites, pretioſiores cibos ſibi, ac cæteris commenſalibus appoſitos conſueto pane, & aqua contentus, deguſtare voluerit, ut teſtantur Evangeliſta de Dorate in Proc. Papien. *fol.* 13. *terg.*, Stella *fol.* 26., & Turtura *pag.* 193.

50 „ Quanto autem erga Temperantiæ virtutem ſtudio polluerit HIERONYMUS, vel ex eo etiam poteſt intelligi, dum poſt erogatas in pauperes divitias ſuas, voluntariam amplexus paupertatem, non alium cibum, quam laboribus, & arte comparatum ſibi, & puerulis ſuis procuravit, ut in Proc. Veneto *jux.* 6. *deponit.* III. teſtis *fol.* 101. *terg.*, & in Brixien. *ſuper eod.* II. *fol.* 21., & concordant Albanus *fol.* 21., & Turtura *pag.* 108., quam quidem tam in cibo, quam potu ÆMILIANI abſtinentiam inſigni Deus Omnipotens comprobavit gratitudinis teſtimonio, dum HIERONYMUS nihil cogitans de craſtino, minuſve de quotidiano pane ſollicitus inter annonæ anguſtiam non modicam orphanorum multitudinem, tribus panibus mirabiliter multiplicatis, abundanter ſatiavit, & aquam perennem ex aridis montani ſaxi viſceribus elicuit, ut inter miracula inferius ſuo loco dicetur.

51 „ Nec diſſimilem moderationem oſtendit HIERONY-

in Cœlis ſuperabundantem laborum ſuorum mercedem recepiſſe, eumdem corona gloriæ in terris deſtitui, hanc ob rem inſtantius ab Alexandro PP. VII. efflagitarunt, ut Cauſſæ curſum jam interruptum ad expetitam metam auctoritate ſua dirigeret; horum

„ ronymus in veſtitu dum vilioribus pannis, undequaque paupertatem, & humilitatem præſeferentibus utebatur, ut deponunt in Proc. Mediolanen. ſuper 19. xxi. *fol.* 105., xxvi. *fol.* 142., xxix. *fol.* 166., *&* xxx. *fol.* 173. *terg.*

52 „ Eam vero temperantiæ partem, quæ pro rationis menſura venerearum delectationum appetitum coercet, & caſtitas appellatur juxta D. Thomam *q.* 151. *art.* 2., non defuiſſe intelligimus Hieronymo, qui poſt converſionis ſuæ diem ita carnis impuritates, & illecebras in proximo abhorruit, ut ad illas profligandas non ſolum pietatis ſuæ officia erga meretrices a turpitudinis cæno ad piam honeſtatem, ac pœnitentiam traductas erogaverit, ut ſuperius fuit dictum in articulo caritatis in proximum; ſed proprias divitias profuderit, ut periclitanti virginum pudicitiæ, ſubminiſtratis ad connubia ære proprio dotibus, conſuleret, prout teſtantur Albanus *fol.* 10. *terg.* *&* *fol.* 15., & Turtura *pag.* 51.; unde multo magis eaſdem impuritates a ſe ipſo eliminaſſe cenſendus eſt Hieronymus, qui ita ſevere corpus ſuum caſtigavit, & in ſervitutem redegit abſtinens tam exacto rigore, ac parſimonia in cibo, & potu, quo carnis immunditiam e cordis ſui domicilio coerceret, & pravos voluptatum motus conſopiret.

De Virtutibus annexis.

53 „ Æquum eſt, ut in eo, qui Theologicarum, ac Cardinalium virtutum tam miris eluxit radiis, cæterarum quoque non deſiderentur virtutum ſplendores, quibus ad exemplar perfectiſſimum puriſſima integræ ſanctitatis lampas ſuper Eccleſiæ candelabrum poſita exardeſcat.

Du Ouediuntia.

54 „ Nobis igitur ad cæterarum virtutum lucem convertentibus oculos, prima ſeſe offert Obedientia, quæ definitur eſſe voluntas implendi mandatum Superioris, interque Juſtitiæ partes adſcribitur, cum Creatori, & creaturæ tanquam Superioribus ſit debita, S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 104. *art.* 2. *&* 3.

55 „ Hanc Creatori rerum omnium Deo exhibuiſſe Hieronymum apertiſſime conſtat, quia non ſolum Catholicæ Fidei præcepta implevit, ut aſſerunt in Proc. Mediol. *juxta* 6. vi. *fol.* 33., in Tarviſino 1. *ſuper eodem fol.* 20., in Brixienſi *juxta eumdem.* 1. *fol.* 16., ii. *ſuper eodem fol.* 21., & in Veneto *juxta eumdem* 6. ii. *fol.* 95., ſed conſilia quoque evangelica paratiſſimo animo amplexus eſt, dum, ut perfectus eſſet, vendidit omnia, quæ habebat, & dedit pauperibus, tollens crucem ſuam, ut Chriſtum ſequeretur (Matth. 19.). Nec inferiorem profeſſus eſt Obedientiam erga Superiores eccleſiaſticos, ut iidem teſtes deponunt: imo ut perfectioris Obedientiæ meritum cumularet, ita ſe, voluntatemque ſuam conſcientiæ ſuæ moderatoribus, ut dictum eſt, in omnibus tam internis, quam externis actionibus ad ſpiritualis vitæ profectum ſubjecit, nihil ut proprii retinuerit, quo menſurari Obedientiæ perfectionem, ac meritum docet Gregorius *ult. moral. cap.* 13., ut deponunt in Proc. Mediol. *ſuper* 21. xviii. teſtis *fol.* 78., xxi. *fol.* 106., lxii. *ſuper* 1. *fol.* 401., qui concludunt abſque confeſſarii conſenſu Hieronymum auſum non fuiſſe codicem meditationum S. Auguſtini dono ſibi oblatum accipere, & conveniunt Evangeliſta de Dorate in Proc. Papien. *fol.* 13. *terg.*, Stella *fol.* 43., & Turtura *pag.* 273.

Du Oratione.

56 „ Poſt obedientiam prodit ſeſe in conſpectum Oratio, quæ dicitur aſcenſus mentis in Deum, cui tanquam præcipuus religionis actus debetur, proindeque ad juſtitiam pertinet, S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 83. *art.* 14. *in corp.*; quantum vero in Oratione præſtiterit Hieronymus, præter ea, quæ in miraculorum hujus Servi Dei interceſſione patratorum diſquiſitione conſtabunt inferius, abunde demonſtrat mira illius e carceribus liberatio, dum effuſæ ad Deum, & Beatiſſimam illius Genitricem preces non ſolum quaſi fumus aromatum Cœlos aſcenderunt in conſpectum Dei, ſed ſicut odor balſami benigniſſima ejuſdem miſericordiarum Patris viſcera penetrarunt, & ſupremis Cœli ſedibus non evocantes tantum, ſed trahentes in odorem unguentorum ſuorum Deiparam Virginem, quam præſentem Patronam adjutricem, ac ducem piiſſimam expertus eſt, ut in articulo Fidei deduximus.

57 „ Hinc propterea Orationis meritum, atque virtutem Æmilianus expertus jure optimo eidem ſemper impenſiſſime addictus vacavit; non ſolum enim ſtatis temporibus per vias, plateas, in itinere, domi, foriſque litanias, Pſalmos, & laudes Domino decantabat, ſed in ipſis artium operibus ante, & poſt prandium, ac cœnam, diu, noctuque totus in hoc exercitio reſidebat, ac pernoctabat, vocalem cum pueris, ſociis, ruſticis, aliiſque pro temporis opportunitate, mentalem vero in eremo Somaſchæ uſurpans, ut in Proceſſu Mediol. referunt *ſuper* 6. iii. *fol.* 25., *ſuper* 22. xxi. *fol.* 106., xxvi. *fol.* 142., xxxi. *fol.* 179., xxxix. *fol.* 239., in Brixien. 1. *ſuper* 22. *fol.* 18., & in Papien. 1. *fol.* 15., cum quibus concordant jura producta, & compulſata in Proc. Mediol. *fol.* 377. Albanus *fol.* 10. 12. 19. 21. *&* 22., Stella *fol.* 13. 24. 27. 37. *&* 38., & Turtura *pag.* 52. 88. 89. 115. 118. *&* 204.

De Humilitate.

58 „ POST orationem ſe nobis conſpicieodam præbet Humilitatis virtus annexa temperantiæ, quæ animum perfecte moderatur, ne magis, quam decet, in excelſa tendat, Sanctus Thomas 2. 2. *quæſt.* 161. *art.* 1., reſpicitque ſubjectionem hominis ad Deum, propter quem aliis humiliando ſe ſubilcit, Vignetus *de virtut. temper. cap.* 7. §. 5. *verſ.* 8., S. Antoninus *in* 1. *par. cap.* 12.

59 „ Hanc vero præ cæteris dilexit Hieronymus qui vere, ut conſtat ex deductis, humiliavit ſe uſque ad mortem, non enim, ut diximus, ipſe ad excelſa, & quæ erant ſupra ſe, efferebatur, ſed

„ con-

rum expoſtulatis Pontifex permotus Idibus Novembris MDCCLXIII. Commiſſionem, quam vocant reaſſumptionis Cauſſæ propria manu firmavit.

Sta-

„ contemptis honoribus, dignitatibuſque rejectis, fa-
„ cultatibus, ac divitiis in pauperes profuſis, exi-
„ nanivit ſe ipſum uſque ad mortem. Aſpernabatur
„ enim humanos honores, quinimo reputabat ſe vi-
„ lem, abjectum, ac magnum peccatorem, ut inquit
„ Evangeliſta de Dorate in Proc. Papien. *fol.* 14. *terg.*
„ & conferunt jura extracta ex archivio Collegii Pa-
„ pien., de quibus in Proc. Papien. *fol.* 24. *terg.*, &
„ epiſtola ejuſdem in Proc. Papien. *fol.* 28., in qua
„ ſe pro nihilo habere profitetur, & faciunt ponderata
„ per Turturam *pag.* 261., 267., *&* 270.; eoque per-
„ fecta illius Humilitas devenerat, ut ſe ipſo melius
„ exemplum ad proximi inſtitutionem a Deo depo-
„ ſceret, ut in epiſtola, de qua in Proc. Papien.
„ *fol.* 27. *terg.*, & iiſdem epiſtolis ſervum pauperum
„ ſe inſcriberet, ut in Proc. Papien. *fol.* 28.: tota
„ namque illius vita, omnes illius actiones, non Hu-
„ militatem ſolum, ſed viliorem quamdam animi pro-
„ pter Deum abjectionem præſeferunt, ut vidimus, &
„ dicunt in Proc. Mediol. *ſuper* 20. XX. teſtis *fol.* 94.
„ *terg.*, XXI. *fol.* 105. *terg.*, XXVI. *fol.* 142., XXIX.
„ *fol.* 166. *terg.*, XXX. *fol.* 174., XXXI. *fol.* 279.
„ *terg.*, XL. *fol.* 244., & in Bergomen. *ſuper* 19.
„ II. *fol.* 22., cum quibus conveniunt Evangeliſta
„ de Dorate in Proceſſu Papien. *fol.* 13., *&*
„ 14., Albanus *fol.* 12., *&* 19., Stella *fol.*
„ 35., Turtura *pag.* 184., & fuſius *pag.* 261. 267.,
„ *&* 270., qui omnes enarrant infima miniſteria,
„ quibus aſſidue, ac libenter vacabat ÆMILIANUS,
„ hoc enim eſt Humilitatis maximum argumentum,
„ cujus rei exemplum habemus 1. *Reg.* 25. in Abigail,
„ quæ Davidi illius conjugium optanti reſpondit, ecce
„ famula tua ſit in ancillam, ut lavet pedes ſervo-
„ rum domini mei. Quemadmodum etiam amor, &
„ voluptas propriæ vilitatis comprobat Humilitatem
„ ÆMILIANI, cum dicat Bernardus verum humilem
„ vilem velle reputari, ac gaudere de ſui contemptu,
„ in quo ſane præluxit HIERONYMUS, qui, ut diximus,
„ inter convitia, & opprobria exultabat, exemplo
„ Apoſtolorum, qui ibant gaudentes a conſpectu Con-
„ cilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu
„ contumeliam pati *Actor.* 5., quam quidem contume-
„ liam non ſentit, qui gloriam non quærit, nec timet
„ confundi in conſpectu hominum, qui ſolum glo-
„ riam quærit apud Deum, ut teſtatur Gregorius.

DE PAUPERTATE.

60 „ HUmilitati proxima ponit ſeſe ante oculos
„ Paupertas, cujus eſſentiam cognoſcere
„ non datur, cum teſte Auguſtino inveſtigando ſingu-
„ larum rerum naturas, non inveniatur quid ſit Pau-
„ pertas, cum ſit privatio; intelligitur tamen quan-
„ doque pro paupertate divitiarum contemptus juxta
„ illud Senecæ: nemo dignus Deo, qui opes non
„ contempſerit: vel paupertatis amor juxta illud Ber-
„ nardi *Pauperiem æquo animo ferre virtus patientiæ*
„ *eſt, ſponte appetere ſapientiæ laus eſt*. Inſignem er-
„ go ſapientiæ laudem promeruit ÆMILIANUS, qui
„ ſponte appetens Paupertatem non tam facultatum,
„ quam animi, invenit eam inter profuſam illam li-
„ beralitatem, qua, ut ſæpius repetitum eſt, bona ſua
„ inter pauperum officia erogavit, & dignitates, ho-
„ noreſque, ac commoda rejecit. Inventam vero con-
„ ſtantiſſime ad obitum uſque retinuit, non ſolum in
„ tenuitate victus, quem eleemoſynis, laboribuſque
„ ſibi comparavit aſſidue, ſed etiam in vilitate ve-
„ ſtitus, ac ſpiritus humilitate, qua temporalia quæ-
„ libet aſpernabatur, ut aſſerunt in Proc. Mediolanen.
„ *juxta* 6. I. *fol.* 20., II. *fol.* 22. *terg.*, IV. *fol.* 27.,
„ XVIII. *fol.* 76., XXVI. *juxta* 14. *fol.* 141., *&* *juxta*
„ *eumdem* 6. XXXIV. *fol.* 197., *&* *fol.* 305. *terg.*,
„ in Bergomen. *juxta eumdem* II. *fol.* 21., III. *fol.*
„ 25., & in Brixien. II. *fol.* 21., & concordant Al-
„ banus *fol.* 17. *ter.* 18. *ter.*, *&* 19., Stella *fol.* 30., *&*
„ 32. *terg.*, Turtura late *pag.* 264. *uſque in fin.*, & ju-
„ ra extracta ex archivio Somaſchæ, de quibus in
„ Proc. Mediolanen. *fol.* 372. *terg.*

DE POENITENTIA.

61 „ POſtrema supereſt virtus Pœnitentiæ, cujus
„ habitus reſidet in voluntate, operatur-
„ que deſtructionem peccati: in hunc ſenſum acce-
„ pta, quantum reſpicit debitam Deo ſatisfactionem
„ in ſpiritu contribulato, pertinet ad vindicativam,
„ quæ eſt pars juſtitiæ. Hanc ſane in HIERONYMO de-
„ prehendimus; primo ex vehementi illo dolore, quo
„ de commiſſis in divinam offenſionem peccatis indo-
„ luit, dum poſt mutatas in lucem tenebras, anteactæ
„ curſum vitæ recogitans, ante Chriſti Domini cruci
„ affixi imaginem proſtratus non ſine abundanti lacry-
„ matum profluvio, eumdem ferventiori ſpiritu de-
„ precabatur, ne Judicis, ſed Salvatoris partes ſe-
„ cum ſuſtineret, ut teſtantur Albanus *fol.* 10. *etiam*
„ *terg.*, Stella *fol.* 13. *terg.*, Turtura *pag.* 48. dicens
„ ÆMILIANUM vitam omnem confeſſione accuratiſſi-
„ ma recognoviſſe, crebros gemitus, ſuſpiria, & la-
„ crymas ſubinde confeſſionem interpellantes ſatis
„ aperta veræ pœnitentiæ ſigna prodiiſſe, & *pag.* 204.
„ ſubdit ſanctæ contemplationis receſſu in Somaſchen-
„ ſi eremo pœnitentiæ ſtudium incrementa in HIERO-
„ NYMO ſumpſiſſe, dum ibi breviores, quam antea
„ ſomnos, ſæva hyeme, & Cœlo obrigente de nu-
„ do ſolo carperet, corpus arctiori inedia caſtigaret,
„ perenni lacrymarum fonte manante, ſuperioris vitæ
„ ſordes, animæque maculas abluere, aſperiori ver-
„ berum flagellatione, patrata in Deum ſcelera Pœ-
„ nitentiæ fructibus emendare, quæ & ſimilia de hu-
„ juſmodi pœnitentiæ rigore repetit *pag.* 43. 52. 82.,
„ & 102., & concordant in Proceſſu Mediolanen. 2.
„ *juxta* 6. *fol.* 19. *terg.*, *ſuper* 24. XXVIII. *fol.* 158.,
„ XXX. *fol.* 174. *ſuper* 11., XXXIII. *fol.* 190., XXXIV.
„ *fol.* 200., XXXVII. *ſuper* 24. *fol.* 219., LXII. *ſu-*
„ *per* 4. *fol.* 406., & in Papien. I. *fol.* 15., & II. *fol.*
„ 17., Albanus *fol.* 21. *terg.*, qui omnes conveniunt,
„ hunc Servum Dei duriſſimam egiſſe Pœnitentiam,
„ & conſueviſſe lectulo ſaxis compoſito indormire, qui
„ quidem lectulus in hanc uſque diem conſpicitur ex-
„ cavatus in rupe apud Somaſchenſem arcem, cui Ere-
„ mi cognomentum ÆMILIANI auſteritas, & ſolitudo
„ tribuit, ut conſtat ex illius inſcriptione, quæ ha-
„ betur in Proc. Mediolanen. *fol.* 294., & ex litte-
„ ris judicum remiſſorialium ad Sac. Rituum Con-
„ gregationem tranſmiſſis, de quibus in Proc. Soma-
„ ſchæ *fol.* 1.

62 „ Se-

Statim Mediolani, in cujus Diœceſis finibus Somaſchæ oppidum eſt ſitum, & in ipſa urbe Roma, quia teſtes locupletiſſimi aderant, Apoſtolica auctoritate Acta quamdiligentiſſime exarata fuere, ut ex eiſdem ad evidentiam uſque evinceretur poſt ſanctiſ-

H ſimum

---

62 „ Secundo eamdem pœnitentiæ virtutem in HIERONYMO agnoſcimus ex certo emendationis propoſito peccatorum dolorem inſequente, quod nobis abunde ſuadent facultatem in pauperes diſtributio, mira pietatis opera, fervens in Deum, proximumque caritas, vehemens non ſolum in ſe ipſo, ſed etiam in aliis peccatorum odium, ſolidus honorum, dignitatumque deſpectus, admirabilis antnactæ vitæ mutatio, æternæ ſpes vitæ, propagandæ fidei zelus, ac alia denique, quæ ad perfectum ſanctitatis exemplar in hoc Servo Dei ponderavimus.

63 „ Unde ex his omnibus vitæ excellentiam in HIERONYMO ÆMILIANO latiſsime comprobantibus abſoluta remanet prima pars hujus Relationis. Quemadmodum enim deſtructis per pœnitentiam peccatorum omnium reliquiis, novum indutus eſt hominem HIERONYMUS, ſic heroicarum virtutum omnium, ut vidimus, ſplendidiſsima circumdatus corona Cœlum aſcendere, & paratam ſibi ſempiterno in ſolio poſsidere ſedem promeruit, ut conſtabit in illius obitu, a quo ſecunda pars hujus Relationis ſumet initium.

DE OBITU, CONCURSU AD SEPULTURAM, ET FAMA SANCTITATIS.

64 „ POſt virtutum fidem, quæ ÆMILIANI ſanctimoniam conteſtatur, nunc ea, Pater Beatiſsime, ſubiiciemus argumenta, quæ ad genericam ſanctitatis probationem maxime conferunt, obitum nempe ſanctitati vitæ non diſſimilem, fidelium ad ſepulturam concurſum merito ſane æqualem, quod inſignis in proximum pietas contraxerat, famam denique ſanctitatis ſolido ipſius ſanctitatis ædificio ſubnixam, quam in promovendis ad Canonizationem neceſſariam eſſe ex pluribus concludit Caſtellanus *de Canonizat. Sanctor. q. 5. verſ. ex his collig.*, & plurimum ad ſanctitatis probationem conducere tradit Auguſtinus de Ancona *de poteſt. Eccleſ. q. 15. art. 3. & 5.*

65 „ Et quantum attinet ad obitum. Exuebat hyemem annus a partu Virginis milleſimus, quingenteſimus trigeſimus ſeptimus, cum Joannes Petrus Caraffa ad Cardinalatum jam evectus, HIERONYMUM ſibi perfamiliarem, & jam in ſpiritualibus alumnum nomine Pontificis Romam accerſebat, quo ſalutarem in Reipublicæ Chriſtianæ commoda, utilitatemque operam elocaret. Ea de re præhabita, ut moris erat, ad Deum oratione, poſtquam apud confratres diſſeruit HIERONYMUS, aperuitque ſe a Chriſto evocatum ad Superos, ſubita peſtilentis morbi, quem in infirmos officioſa ingeſſit pietas, correptus lue, poſt ſuſcepta devotiſſimo ſpiritu, nec inferiori contritione Eccleſiæ Sacramenta, anno ætatis ſuæ quinquageſimo ſexto inter filiorum, ac fratrum, quos ipſi caritatis fervor pepererat, ejulatus ac lacrymas, benemeritam Creatori apud Somaſchenſes reddidit animam, ita in Proceſſu Mediolanen. VIII. *fol.* 76., XXI. *fol.* 99. *terg.*, in Bergomen. II. *jux.* 7. *fol.* XI., in Brixien. I. *fol.* 16. *terg.*, in Veneto II. *fol.* 95. *terg.*, Turtura *pag.* 209. & XIO., Albanus *fol.* 2X., qui ſubdit antequam HIERONYMUS infirmaretur, cuidam ex orphanis infirmo oſtenſam velut in ſomnis ſedem ornatiſſimam fuiſſe a puero, qui illam ÆMILIANO paratam aſſeruit, in quo concordat in Proc. Mediolanen. XXI. teſtis *fol.* 99., Stella *fol.* 40., Albanus *fol.* 22., Turtura *pag.* 226.; & quoad alia faciunt jura extracta ex archivio Domus Collegii Papien. ut in eod. Proc. Papien. *fol.* 25., Stella *fol.* 38. *a terg.* 39. *etiam a terg.*, & 40., Turtura *pag.* 207. & XII., & facit epiſtola Vicarii Bergomen., quam refert Albanus *fol.* 24., quam hic in latinum idioma traductam ſubiicienius. *Scia exploratam jam vobis eſſe mortem, quam* HIERONYMUS *noſter* ÆMILIANUS *chriſtiani exercitus dux fortiſſimus una cum duobus aliis ſuis ex iſto regimine ſubiit; valetudinis, & infirmitatis, obitusque ſucceſſum non ſcribo, ne corda veſtra dolore diſrumpantur. Videbatur ad propriam ſecuritatem Paradiſum manibus continere, diverſimode ſuos hortabatur, ſemperque vultu adeo læto, ac ridenti, ut ſe intuentes in ſui dilectionem caperet, & Chriſti amore inebriaret. Ita de obitu ſuo certus videbatur, quemadmodum mihi exploratum eſt, has me ſcribere. Aiebat ſe omnia ſua diſpoſuiſſe, & cum Chriſto ſuas iniiſſe pactiones, nulla ipſi mentio Venetiarum, aut propinquorum, id unum ipſius in ore frequens, Chriſtum ſequi. Hinc abiit ante feſtu natalitia, ſed prius ad me venit in Epiſcopali Auditario, illicque mea provolutus ad genua, mihi fidem Chriſti commendavit, a me ipſa veniam depoſcens. In diſcedendo ea uſus licentia quaſi in poſterum nuſquam videndus. Nec viſus, obiit Somaſchæ non ſine proborum quorumdam Papienſium, Comenſium, & Bergomenſium præſentia. Hodie commemorationem illius in nonnullis hiſce Eccleſiis habuimus, reliquum die Mercurii abſolvetur, ac ſi Summus Pontifex, vel Paſtor noſter interiiſſet. Vivens enim in abſtinentiam, ac vitæ humilitatem ſeſe redegerat, ut ad inferiora deſcenſus prohiberetur. Ita ſane placuit Deo &c.*

66 „ Quantum vero attinet ad concurſum, quo Servi Dei ſepulturam fideles frequentarunt. Poſtquam e vivis ad meliorem vitam evolavit HIERONYMUS, illius cadaver fuit delatum ad Eccleſiam S. Bartholomæi, ubi ingens populi frequentia illud plurium dierum ſpatio inhumatum retinuit, ut aſſerunt in Proceſſu Mediol. *juxta* 8. XXIX. teſtia *fol.* 16X., & XXI. *juxta* 7. *fol.* 99. Poſtmodum vero ad levam ejuſdem Eccleſiæ partem fuit repoſitum in tumulo ex decoctis lateribus confecto, atque e terra elevato, prout tunc temporis uſus patiebatur, ut deponunt in Proc. Mediolanen. *jux.* 7. XXVIII. *fol.* 155. *terg.*, LVII. teſtis *fol.* 343. *terg.*, in Brixien. I. *fol.* 16. *jux.* 7., in Somaſchenſi XXIX. *fol.* 62., qui teſtatur de viſu, & in Bergomenſi *juxta eumdem* 7. IX. *fol.* 38., ibique permanſit quouſque ſa. me. Carolus Card. Borromæus in Diœceſana ſui Archiepiſcopatus viſitatione inde, vel ex Concilii Tridentini præſcripto, vel decentioris loci religione amotum ſub altari majore juſſit recondi, ut *juxta* 7. in Proc. Bergomen. affirmat IX. teſtis *fol.* 38., in Mediolanen. XXX. *fol.* 171. *terg.*, LVII. *fol.* 343., & concordat Albanus *fol.* X2. *terg.*, ubi in hanc uſque diem aſſervatur, ut aliqui ex prædictis teſtibus aſſerunt, & patet ex viſitatione fa-

„ cta

ſimum Inquiſitionis decretum, quod cultum publicum, qui HIERONYMO exhibebatur, eliminavit, nunquam ſubſequentibus annis aliquid, quod publici cultus ſaperet, in illius honorem, ac venerationem ſuiſſe intentatum; hiſce Actis abſolutis, ea de re in Sacro-

---

„ cta per judices in Proc. Mediolan. *fol.* 128.

67 „ Frequens vero populi concurſus ad ſepulturam hujus Servi Dei late deducitur ex teſtibus infraſcriptis, qui concludunt innumeram tam Somaſchenſium, quam exterorum circumadjacentium multitudinem non ſolum confluxiſſe, ſed etiam nunc, & quidem proceſſionaliter, ut ajunt, confluere ad inviſendum hujus Servi Dei glorioſum in terris ſepulcrum, ut illius corpus veneretur, ſeque ejuſdem interceſſioni devotis orationibus commendet. Ita in Proc. Bergom. *juxta* 8. IX. *fol.* 38. & *juxta* 25. *fol.* 39. *tergo*, in Mediolanen. XXVI. *fol.* 138., XXIX. *fol.* 162., LVII. *juxta* 7. *fol.* 343., in Brixien. I. *fol.* 16. *tergo*, in Somaſchen. *ſuper* 2. I. *fol.* 9. *terg.*, II. *fol.* 12., VII. *fol.* 23., & alii quamplures, quibus accedit decretum electionis in Protectorem de perſona ÆMILIANI factæ per Somaſchenſes, ut in Proc. Somaſchen. *fol.* 65.

68 „ Quantum denique attinet ad famam ſanctitatis, quemadmodum inter lucidiſſima virtutum omnium ſplendores, hæc viventem ÆMILIANUM fuerat comitata: ſic immortalibus hominum animis perpetua ſucceſſione innixa defunctum majoribus etiam incrementis in hanc uſque diem proſequuta eſt, ut concludunt in Proc. Mediol. XXVI. teſtis *juxta* 7. *fol.* 137. & *juxta* 8. *fol.* 138., XXVIII. *jux.* 6. *fol.* 154. *terg.* & *juxta* 7. *fol.* 156., XXIX. *jux. eumdem.* 7. *fol.* 161. *terg.*, XXX. *juxta* 6. & 7. *fol.* 170. & 171. *terg.*, XXXII. *jux.* 6. *fol.* 182., LXVII. *fol.* 425., in Brixien. I. *juxta* 7. *fol.* 16., II. *juxta* 6. & 7. *fol.* 20. *tergo*, in Bergomen. II. *juxta* 7. *fol.* 21., IX. *juxta eumdem fol.* 38. & 39. *tergo ſuper* 25., in Somaſchen. XXX. *fol.* 63., XXXI., *fol. eodem a tergo*, & *fol.* 64., & in Veneto I. *juxta* 4. *fol.* 87. *etiam a tergo* & *juxta* 7. *fol.* 90. *terg.*, II. *juxta* 7. *fol.* 95. *tergo*, & 97. *ſuper* 6., III. *juxta* 6. *fol.* 100. *tergo* & 102. *ſuper* 7., IV. *juxta* 4. *fol.* 104. *tergo*, VI. *fol.* 127., & alii quamplures, cum quibus concordant Stella *fol.* 41. *tergo*, & Turtura *pag.* 227., qui omnes conveniunt hunc Servum Dei ab omnibus communiter habitum fuiſſe Sanctum, & virtutibus omnibus ornatiſſimum.

69 „ Hanc vero ſanctitatis famam tanto magis comprobant ea, quibus conceptam de ÆMILIANI ſanctimonia opinionem exterioribus velut argumentis, atque expreſſionibus fideles conteſtantur. Votivæ ſcilicet tabellæ, vota argentea, atque oblationes ejuſdem ſepulcro appenſæ, de quibus in Proceſſu Somaſchen. II. *fol.* 12., VII. *ſuper* 2. *fol.* 23., in Mediolanen. XXIX. *juxta* 9. *fol.* 162. *tergo*, & in Bergomen. IX. *juxta* 8. *fol.* 38., & conſtat ex dicta viſitatione ſepulcri in Proc. Mediol. *fol.* 126., ac etiam ex litteris per judices remiſſoriales ad Sac. Rituum Congregationem tranſmiſſis, de quibus in principio Proceſſus Mediolanen. veneratio, quam hujus Servi Dei imaginibus præſtant fideles, ut in Proceſſu Somaſchenſi aſſerunt I. teſtis *ſuper* 2. *fol.* 9. *terg.*, III. *fol.* 14., VII. *fol.* 21. *tergo*, & alii quamplures. Nec non plurimum confert veneratio, quam erga ejuſdem corpus oſtendit idem ſa. me. Carolus Card. Borromæus, qui illud devote viſitavit, eidemque thura obtulit, ut deponunt in Proc. Mediolanen. IV. *juxta* 9. *fol.* 27. *terg.*, XXIX. *ſuper* 25. *fol.* 167., XXX. *juxta* 7. *fol.* 171.. Poſtremo accedit decretum, quo Somaſchenſes Servum Dei HIERONYMUM elegerunt in Protectorem, ut in Proc. Somaſchæ *fol.* 65., & ad propoſitum facit in eodem Proc. *ſuper* 2. I. teſtis *fol.* 9. *a terg.*, aſſerens eam nonnullorum fuiſſe religionem in ÆMILIANUM, ut illius imaginem militaribus ſignis impreſſerint. Quibus omnibus videtur adiici poſſe non ſolum maxima odoris fragrantia, quæ ex ejuſdem corporis reliquiis manat, & late diffunditur, ut de ſenſu proprio teſtatur in Proc. Brixien. I. teſtis *juxta* 7. *fol.* 16., quam etiam odoris ſuavitatem Sanctum Carolum in Eccleſiæ ingreſſu ſenſiſſe, ideoque in eadem Eccleſia Beati alicujus tumulatum fuiſſe corpus cognoviſſe, aſſerit de auditu ab iis, qui interfuerunt in Proc. Mediol. LVII. teſtis *juxta* 7. *fol.* 343. *terg.*, ſed etiam virtus conceſſa aquæ mananti e fonte, quem in montanis aridi ſaxi viſceribus ÆMILIANI ad Deum oratio mirabiliter impetravit, & quæ in hanc uſque diem magna habetur in veneratione, & ad plurium infirmitatum medelam aſſidue adhibetur, ut latius deducetur in ſecundi miraculi diſquiſitione. Unde ex his omnibus negari non poteſt, quin ultra virtutum probationes inſignia in hoc Servo Dei concurrant argumenta ſanctitatis.

DE MIRACULIS.

70 „ SUpereſt igitur, ut tranſitum faciamus ad miracula, quorum demonſtrationes, ſicut certam magis, atque indubitatam aſſerunt fidem ſanctitati, ſic juxta S. R. E. ritum, ſacrorumque Canonum ſanctiones, atque præſcripta in promovendis ad Canonizationem omnino requiruntur a DD. *in C.* I. *de reliq. & vener. Sanctor.*, & de communi omnium ſententia teſtatur Caſtellanus *de Canonizatione Sanctorum q.* 5. *verſ.* 5., & paſſim per majores noſtros, ac nos fuit in præcedentibus Sanctorum Relationibus firmatum. In quo quidem articulo, omiſſis conſulto diſputationibus, quæ miraculorum eſſentiam, requiſita, operationes, gradus, probationemque reſpiciunt, de quibus iidem majores noſtri, ac nos etiam ſæpiſſime diſceptavimus, nonnulla ſubiiciemus miracula ex illis, quæ Omnipotens, & in Sanctis ſuis mirabilis Deus, ÆMILIANO intercedente, operatus eſt. Plura enim hunc Servum Dei tam viventem, quam defunctum patraſſe miracula aſſerunt teſtes, nempe in Proc. Veneto *juxta* 8. III. *fol.* 102., in Bergomenſi I. *juxta* 26. *fol.* 19. *terg.*, IX. *juxta* 26. *fol.* 39. *tergo*, in Somaſchenſi I. *ſuper* I. *fol.* 8. *terg.*, XVIII. *ſuper* I. *fol.* 45., in Mediolanenſi I. *ſuper* 2. *fol.* 21., VI. *juxta* 9. *fol.* 33. *tergo*, VII. *ſuper* 26. *fol.* 36. *tergo*, XX. *ſuper eod. fol.* 95., XXIX. *jux.* 9. *fol.* 162. *terg.*, XXXI. *ſuper* 26. *fol.* 180., L. *ſuper eodem fol.* 306., & alii quamplures, ad quorum confirmationem poteſt ponderari deſcriptio rerum exiſtentium penes ſepulcrum Servi Dei, de qua in Proc. Mediol. *fol.* 126., nec non tenor litterarum per judices remiſſoriales tranſmiſſarum ad Sac. Rituum Congregationem, de quibus in initio Proceſſus Mediolanen., & Somaſchen., & concordant ſcriptores Albanus *fol.* 23. *terg.*, Stella *fol.* 41. *terg.*, & Turtura *pag.* 221.. Primo igi-

„ tur

crorum Rituum Congregatione xviii. Kalendas Februarii mdclxxxvii. cura, ac ſtudio Cardinalis Antonii Barberini Cauſſæ Ponentis quæſtio fuit inſtituta [1].

H 2 Ut

1 *Cit. Fact. concord.* §. 6.

„ tur loco proponemus nonnulla ex miraculis, quæ Æmilianus vivens, Deo operante, patravit, ſecundo autem loco aliqua ex iis ſubiiciemus, quæ idem Omnipotens Deus defuncti Servi ſui interceſſione operatus eſt.

MIRACULUM PRIMUM IN VITA

Panem multiplicat.

71 » CUM quadam die Beatus hic Dei Servus in loco Somaſchæ exiſtens non parvam orphanorum multitudinem circum ſe haberet, iique fame premerentur, ac tres tantummodo panes ad manum eſſent, nec aliunde ob locorum, niviumque incommoda peti poſſent, præhabita ad Deum oratione, elatiſque in Cœlum oculis, panes præfatos Crucis impreſſione ſignatos fregit, inque togæ lacinia poſuit, orphaniſque alacriter diſtribuit, quibus non ſolum illi ad ſatietatem omnes refecti ſunt, ſed etiam panis quantitas non modica ſuperfuit. Ita aſſerunt de publica voce, & fama, ac de auditu a ſenioribus, & iis, qui miraculo præfato interfuerunt in Proc. Papien. i. *fol.* 15. *tergo*, ii. *fol.* 17., in Mediol. *ſuper* t. vii. *fol.* 37. *terga*, xviii. *fol.* 80., xx. *fol.* 96., xxi. *fol.* 107., xxxix. *fol.* 237., lxii. *ſuper* 4. *fol.* 405., & in Brixien. iii. *fol.* 25. cum quibus concordant Turtura *pag.* 223. 224. 225. *& duabus ſequentibus*, Stella *fol.* 36., Ferrarius in *Catalogo Sanctorum pag.* 140.

72 » Id vero adſcribendum eſſe miraculo patet evidenter, quia, ut advertit in Proc. Mediol. xxi. teſtis *ſuper* 1. *fol.* 107. non poterant tres ſoli panes ad tot, ſexaginta nempe circiter puerorum præſertim famelicorum, ſatietatem ſufficere, & multo minus ſupereſſe. Unde referendum venit ad dexteram illius, qui mandavit nubibus deſuper, & januas Cœli aperuit pluens filiis Iſrael manna ad manducandum (*Pſal.* 77. *c.*), & panem Cœli dedit eis, cibaria mittens in abundantia. Ea demum ratione, qua ſive iſta panis fracti multiplicatio fit per creationem novæ materiæ, quæ antiquæ, & præexiſtenti materiæ addita illam multiplicet, & cum hic modus multiplicandi iſtam materiam in ſui ſubſtantia excedat omnem potentiam, facultatemque totius naturæ creatæ, jure merito miraculum illud venit referendum ad primum gradum, juxta ſententiam D. Thomæ *par.* 1. *q.* 92. *art.* 3. *in reſponſione ad primum*, a quo non diſſentit Bannes *ibi dub.* 2. *concluſ.* 4., & illi expreſſe aſſentit Velentia in *ſuis Commentariis tom.* 1. *diſp.* 7. *quæſt.* 1. *punct.* 2. *object.* 5., & diximus in ſimilibus terminis in Relatione S. Iſidori *in ſecundo miraculo in vita, & 6. poſt mortem*, nec non in Relatione Servi Dei Bertrandi *in* 9. *miraculo*. Aut vero hujuſmodi multiplicatio fit a Deo, non per creationem novæ materiæ, ſed per additionem alterius materiæ jam creatæ, ſecundum aliam opinionem, Bannes *ubi ſupra*, & quia licet natura poſſit multiplicare per additionem novæ materiæ, tamen non poterat inducere hujuſmodi multiplicationem in ſubjecto iſto, in quo fuit facta, cum deficeret additio novæ materiæ, miraculum illud obtinet ſecundum gradum juxta theoricam D. Thomæ *par.* 1. *q.* 105. *art.* 8. *in corpore verſ. uno modo*, quam paſſim in Sanctorum Relationibus Rota ſequitur, ut nuper fuit dictum in Relatione ſa. me. Pii V. *in articulo de miraculis in genere*.

73 » Ad hujus miraculi confirmationem accedit, quod quidam nomine Martinus, aſſervato præfati panis fruſtulo, quem inter alios Æmiliani orphanos a Hieronymo diſtributum comederat, plurium infirmitates, ac languores curavit, ut de auditu ab eodem Martino deponunt in Proceſſu Brixien. iii. *fol.* 25., in Mediolanen. xxi. *ſuper* 1. *fol.* 107., & in Papien. iii. *fol.* 17.

74 » Et hanc panis multiplicationem ſemper apud homines adſcriptam fuiſſe miraculo affirmant omnes ſupradicti teſtes, prout etiam interceſſione hujus Servi Dei relatam fuiſſe aſſerit in Proc. Mediolanen. *ſuper* 1. xxi. teſtis *fol.* 107., & comprobant præmiſſæ ad Deum Æmiliani preces, nec non ſanctiſſimæ Crucis ſignum ſuper iiſdem panibus ab eodemmet Æmiliano impreſſum.

75 » Hoc idem miraculum comprobatur per miraculum ſecundum poſt mortem ſanationis iſchiadis inveteratæ narratum in hujus multiplicationis panis conteſtationem, ut conſtabit in explicatione ſecundi miraculi poſt mortem.

MIRACULUM II. IN VITA

Aquam perennem e montano saxo elicit.

76 » ACcidit aliquando, ut Hieronymus Æmilianus in monte Somaſchæ degens ſiti non modica premeretur, nec aqua ulla, qua reficeretur, adeſſet, confugit fidelis ad Dominum, qui convertit petram in ſtagna aquarum, & rupem in fontes aquarum; (*Pſal.* 113.) exaudivit divina bonitas preces, quæ a tam pio pectore fundebantur, & e quodam ſaxo lateri montis inhærente, paucorumque ſpatio cubitorum a lapideo Beati Viri lectulo diſtante, aquam emiſit, quæ guttatim decidens, vaſculo quodam ab Æmiliano excepta eſt, abundeque neceſſitatibus ejus ſuffecit. Hæc deinde jugiter manare perſeveravit, hodieque manat, ac in magna veneratione a vicinis populis habetur, illiuſque potu in dies infirmi non pauci a ſuis liberantur languoribus, ac priſtinæ ſanitati reſtituuntur. Ita in Proc. Mediolanen. eodem modo de publica voce, & fama, audituque a ſenioribus *ſuper* 5. deponunt v. *fol.* 31. *terg.*, vii. *fol.* 38., xii. *fol.* 55., xx. *ſuper* 9. *fol.* 97., xxi. *ſuper* 5. *fol.* 108. *terg.*, xxxiii. *ſuper* 11. *fol.* 190. *terg.*, xxxvii. *ſuper* 5. *fol.* 220., & xxxix. *ſuper eodem fol.* 237. *terg.*, & conferunt per judices remiſſoriales ad Sac. Rituum Congreg. tranſmiſſæ litteræ, de quibus in initio Proceſſus Somaſchenſis, qui judices teſtantur hujuſmodi aquam ad diverſas regiones morbis medendis adhibendam ſolere aſportari; & fons iſte aquæ vivæ guttatim defluens habetur deſcriptus in Proc. Mediolanen. *fol.* 294. *terga*, & concordat Turtura *pag.* 184.

77 » Id autem miraculoſum eſſe cenſuimus, quia naturæ facultates excedit, ut fons aquæ ex aridis montani ſaxi viſceribus citra quodcumque nativi humoris principium, ſed ad ſolas hominis pre-

„ ces

Ut autem ad diſquirendas HIERONYMI virtutes tandem aliquando animum Eminentiſſimi Patres converterent, oportebat prius de validitate Proceſſuum, de qua tam grave dubium antea fuerat obortum, denuo diſputare; hinc Cardinalis Brancatius, namque

» ces eliciatur. Qui quidem exceſſus non conſide-
» ratur quantum ad ſubſtantiam facti, cum natura
» poſſit fontes, & aquas e terræ viſceribus educere,
» ſed conſideratur quantum ad ſubjectum, in quo fit,
» & quantum ad modum, quo fit, nempe in mon-
» tano ſaxo, ac repente præviam poſt orationem,
» abſque eo quod aliquod ſpatium temporis fuerit con-
» ſumptum, hominiſque adhibitum miniſterium in
» ſaxo excavando, & aqua educenda, unde jure-
» merito miraculum iſtud ad ſecundum, & tertium
» gradum referendum duximus, ut de perſimili caſu
» diximus in Relatione S. Iſidori *in tertio miraculo in*
» *vita*. Quod vero fons iſte ad orationem ÆMILIANI
» manaverit, aſſerunt de publica voce, & fama te-
» ſtes præfati, qui idcirco affirmant id paſſim mira-
» culo fuiſſe adſcriptum, prout etiam Turtura *p.* 187.

78 » In hanc vero ſententiam ea nos præſertim
» impulit conſideratio, qua animadvertimus aquam
» hujuſmodi magna apud incolas, atque etiam ex-
» teros in veneratione in hanc uſque diem haberi,
» illiuſque potu infirmos non paucos a ſuis languo-
» ribus quotidie ad priſtinam ſanitatem revocari, ut
» deponunt præfati teſtes, & concordant judices re-
» miſſoriales in epiſtolis miſſivis ſupra relatis, & evi-
» denter confirmat ſeitum miraculum poſt mortem
» ſanationis febris lethalis potu aquæ hujuſmodi pa-
» tratum, ut inferius explicabitur. Quod denique
» HIERONYMI tribuendum ſit interceſſioni probant te-
» ſtes, qui aſſerunt ÆMILIANUM, eam, effuſa ad D.
» O. M. oratione, impetraſſe, ut neceſſitatibus ſuis
» conſuleret.

MIRACULUM I. POST MORTEM.

CLAUDUM SANAT.

79 » POſtquam venerabilis Dei Servus HIERO-
» NYMUS ÆMILIANUS vitam, quam ſancte
» vixerat, beato fine concluſit, corpus ejus ad Ec-
» cleſiam S. Bartholomæi loci Somaſchæ delatum eſt,
» quo continuo ingens populi multitudo, fama ſan-
» ctitatis illius excita confluxit: qua de cauſa per
» multos dies eodem in loco adſervatum eſt, antequam
» ſepulcro conderetur. Erat vicino in loco Calol-
» zo nuncupato, vir quidam nomine Antonius Ma-
» zolenus cruribus, pedibuſque peſſime affectus,
» eorumque uſu captus, adeout nec ſine fulcris pro-
» cedere, atque etiam cum illis ægre loco ſe move-
» re poſſet, & multos quidem per annos invetera-
» tum malum erat, nec humano remedio curabile
» putabatur. Hic non modo ÆMILIANUM, dum vi-
» veret, nulla in veneratione habuerat, verum etiam
» jugiter ei fuerat infenſus, qui ab amicis admoni-
» tus eſt, ut quandoquidem BEATI VIRI corpus adhuc
» inhumatum multis clarere miraculis fama vulgaret,
» etiam ipſe eo contenderet, infirmitati ſuæ auxilium
» petiturus. Cum itaque ad locum, in quo venera-
» bile corpus expoſitum erat, ſe deferri curaſſet,
» propius accedens, PATER HIERONYME, inquit, ſi
» verus ille Dei Servus es, quem te omnes eſſe
» credunt, noli recordari, me tibi adverſatum fuiſſe,
» ſed impetra mihi a Deo ſanitatem, & me cunctis
» miraculum hoc manifeſtaturum promitto: quibus
» dictis, pedes ÆMILIANI exoſculatus eſt, & ſtatim
» cruribus, pedibuſque priſtino vigori reſtitutis, ab
» omni prorſus languore convaluit, Deumque, & San-
» ctos ejus magnificans, fulcris ibidem in miraculi
» memoriam appenſis, domum remeavit. De publi-
» ca voce, & fama, audituque a ſenioribus factum
» iſtud concludunt in Proceſſu Mediol. XVIII. teſtis
» *ſuper* 1. *fol.* 80. *terg.* deponens de auditu a quodam
» Antonio, qui interfuit, XXI. *ſuper* 10. *fol.* 109. *jux-*
» *ta* 8., XXVII. *fol.* 146. *terg.*, XXIX. *fol.* 162., XXXIV.
» *fol.* 198., XXXIX. *fol.* 233., XL. *fol.* 243., XLI. *fol.* 248.,
» XLV. *fol.* 269., & LXII. *fol.* 407.

80 » Curationem hujuſmodi miraculoſam aperte
» demonſtrat primo ponderata qualitas morbi, qui
» nulla medicamentorum applicatione abſceſſit, cum
» tamen ſit certiſſimum, convulſionem, ſeu mem-
» brorum attractionem difficillimæ curationis eſſe, li-
» cet medicamenta adhibeantur, ut tradit Hierony-
» mus Caprivac. *in prax. lib.* 1. *cap.* 25., & Fernelius
» *de partium morbis, & ſymptomatibus lib.* 5. *cap.* 3.
» §. *concluſio*.

81 » Secundo id clariſſime oſtendit inſtantanea
» curatio, quæ ſecundum naturam ab hujuſmodi mor-
» bis omnino aliena eſt, ut docent auctores præfati
» *locis citatis*, & dicit Archidiaconus *in C. nec mirum*
» *num.* 6. 26. *q.* 5., & in Relatione B. Thomæ de Vil-
» lanova in his terminis diximus *in* 5. *poſt obitum mi-*
» *raculo*, & in Relatione Servi Dei Paſchalis Baylon.
» *in* 4. *pariter miraculo poſt mortem*.

82 » Unde cum factum iſtud naturæ vires, fa-
» cultatemque excedat, & quoad ſubjectum, in quo
» fit, & quoad modum, ad ſecundum, & tertium
» gradum pertinet, & referendum procul dubio ve-
» nit ad dexteram illius, qui virtutem curationum
» hujuſmodi a ſe ipſo inchoatam, ut patet apud Mat-
» thæum *cap.* 11. in dilectos ſuos paſſim transfert, &
» de Petro, & aliis nuper diximus in Relatione Servi
» Dei Fratris Petri Regalati *in ſimili poſt mortem*
» *quinto miraculo*.

83 » Hanc vero ſanationem propriam fuiſſe in-
» terceſſionis ÆMILIANI abunde ſuadet præcedens
» commendatio, & illius corporis contactus.

SECUNDUM MIRACULUM POST MORTEM.

ISCHIADEM INCURABILEM SANAT.

84 » VEronica de Manentibus monialis Bergo-
» menſis acerbiſſima iſchiade (vulgo ſcia-
» ticam vocant) multos menſes dextero in femore
» vexata eſt, accedente etiam ulcere fiſtuloſo, at-
» que eo redacta, ut ſine fulcris incedere nullate-
» nus poſſet: ſeptuagenaria mulier erat, adeoque
» malum invaluerat, ut omnino inſanabile credere-
» tur. Audiverat hæc panem quondam ad BEATI hujus
» VIRI fidem eſſe multiplicatum, nec non poſt obi-
» tum ejuſdem fuiſſe ipſius precibus ſanitatem cui-
» dam infirmo reſtitutam; ad eum igitur confugit,
» & quadam die priuſquam cubitum ſe reciperet,
» ei ſeſe commendans, ſi vera eſt, inquit, fama,
» quæ de te circumfertur, panem a te, dum vive-
» res, eſſe multiplicatum, & poſt obitum ſanitatem
» ægro redditam, me quoque, ſi Deo ita placet,
» atque

que Antonius Barberini Cauſſæ Ponens ab Urbe diſceſſerat, xi. Kalendas Junii mdclxx. judicium validitatis Proceſſuum in Sacrorum Rituum Congregatione agitavit, tuncque Eminentiſſimi Patres exiſtimarunt, ſi Summus Pontifex juris, & S. R. Congregationis

„ atque ad animæ ſalutem conducit, hoc morbo li-
„ bera. Oratione peracta, in lectulo ſe compoſuit, &
„ quæ doloribus acutiſsimis miſerandum in modum
„ vexati conſueverat, nullo plane dolore affecta eſt,
„ eumque advenisſet hora, qua matutinæ preces re-
„ citari ſolent, ſurrexit expedite, atque ad Cho-
„ rum, ut vocant, abſque fulcrorum adminiculo
„ ſe contulit, nec ullo poſtmodum inceſſus impedi-
„ mento, morbive, aut doloris incommodo labora-
„ vit.

85 „ Factum iſtud in Proc. Bergomen. deponit
„ de facto proprio eadem ſoror Veronica teſtis xi.
„ *fol.* 50., Joannes Paulus nobilis medicus xii. teſtis
„ *fol.* 51., & Peregrinus de Boſillis alter medicus xv.
„ teſtis *fol.* 53., & refert Turtura *in ejus vita fol.* 228.,
„ & confirmat tabella ipſius Veronicæ cum inſcri-
„ ptione miraculi ad ſepulcrum, ut in Proc. Medio-
„ lan. in viſitatione ſepulcri *fol.* 126.

86 „ Hujuſmodi vero curationem fuiſſe miracu-
„ loſam cenſuimus, primo ex qualitate morbi, qui
„ jam effectus erat inſanabilis, prout non ſolum ex
„ dicto periti afferit ipſa Veronica, ſed etiam, ut
„ præfati medici atteſtantur, cauſſam deducentes ex
„ eo, quia mulier jam erat ſeptuagenaria, morbus
„ dudum erat inveteratus, & accedebat præſertim
„ fiſtuloſum ulcus, quod eruperat prope juncturam,
„ cui iſchiades adnaſcitur, quibus accedit, quod li-
„ cet adhibita fuiſſent magis ad im' 'næ ſolatium,
„ quam ad aliquam ſpem ſalutis varii generis me-
„ dicamenta, illa tamen nihil profuerant.

87 „ Secundo fidem miraculo adſtruit ſubſecuta
„ in inſtanti poſt orationem Veronicæ ſanitas, cum ta-
„ men certum ſit, vim morbi diuturni naturæ viri-
„ bus, vel medicorum pharmacis expelli non poſſe,
„ niſi longo temporis ſpatio Fernelius *de part. morb.*
„ *& ſymptomatibus lib.* 5. *cap.* 3. §. *concluſio*, Capri-
„ vac. *in prax. lib.* 1. c. n5.

88 „ Unde cum nullo rite operantis naturæ, ar-
„ tiſve miniſterio, ſed ad ſolas Hieronymo effuſas
„ preces ægra tam cito, atque integre convaluerit,
„ id ſane inter miracula ſecundi, ac tertii gradus adnu-
„ merandum venit, tanquam emanatum ex meritis,
„ & interceſſione Æmiliani, ut ægra aſſerit, quod
„ etiam comprobant præcedentes infirmæ preces.

TERTIUM MIRACULUM POST MORTEM.

Cancrum inveteratum depellit.

89 „ Brigida de Peregrinis monialis Bergomen-
„ ſis per annos 15. cancro quodam labora-
„ vit in naſo, qui non modo ipſi moleſtiam conti-
„ nuam, ſed aliis etiam monialibus ob ſui defor-
„ mitatem, nauſeam movebat non modicam, cum-
„ que varia diu fruſtra eſſent adhibita remedia, qua-
„ dam die ſumpto Sacroſanctæ Euchariſtiæ Sacramen-
„ to mente in Deum elevata, ipſum precata eſt, ut
„ Æmiliani meritis, de quo in Sanctorum numerum
„ referendo tunc agebatur, ſanitatem ſibi reſtituere di-
„ gnaretur, promittens ſe miraculum hoc cunctis
„ manifeſtaturam, & pauciſſimorum ſpatio dierum
„ omnino, ipſa etiam non animadvertente, morbus
„ evanuit; ita in Proc. Bergomen. deponunt de fa-
„ cto proprio eadem Brigida *juxta* 9. *fol.* 29. *de viſu*
„ i. teſtis *juxta* n6. *fol.* 19. *tergo*, ii. *juxta* 9. *fol.* n t.
„ *tergo & fol.* 23., & iii. *juxta* 8. *fol.* 35., & refert
„ Turtura *pag.* 232. *&* 233.

90 „ Curationem hanc miraculo adſcripſimus,
„ primo quia cancer iſte jam per multos annos inva-
„ luerat, atque ulceratus apparebat, ita ut omnino
„ eſſet inſanabilis, ut de medici, ac chirurgi aſſer-
„ tione deponunt præfati teſtes, cum quibus con-
„ cordat omnis medicorum ſchola, nempe Galenus
„ n. *de criſib.* 12. *& lib.* 2. *art. cur. ad Glau. cap.* 10.
„ Hyppocrates *tom.* n. *claſſ.* 3. *lib.* 2. *prædictionum*
„ *col.* 8. *poſt princip. fol.* 450. *&* 6. *lib. Aphoriſm.*
„ *aphor.* 38., Paulus *lib.* 4. *cap.* 26., Cornelius Celſus
„ *lib.* 5. *c.* 28., & Avicenna *lib.* 4. *fen.* 3. *tract.* n. *cap.* 16.
„ dicens: illud oportet ſperari de cura cancri, quo-
„ niam cum incipit fortaſſe eſt poſſibile, ut prohi-
„ beatur, ne addatur ſuper illud, quod ipſe eſt, &
„ conſervetur, ita ut non ulceretur, & accidit in
„ quibuſdam horis, ut ſanetur incipiens, confirma-
„ tus vero non.

91 „ Secundo deduximus miraculum ex ſubſe-
„ quuta inter anguſtum adeo tempus ſanitate, unde
„ cum naturæ facultates id excedat, & quoad ſubje-
„ ctum, in quo emanavit, & quoad ordinem, ſeu
„ modum, reponendum venit inter miracula ſecundi,
„ & tertii gradus, ut firmavimus in his terminis in
„ Relationibus B. Thomæ de Villanova *in ſecundo*
„ *poſt obitum miraculo*, S. Tereſiæ *in* 5. *poſt mortem*,
„ Aloyſii Gonzagæ *in primo poſt obitum*, & San-
„ ctæ Reginæ Eliſabethæ *in quarto in vita*.

92 „ Referendum vero eſſe interceſſioni Æmilia-
„ ni aſſerit ipſa Brigida, ac reliqui teſtes de audi-
„ tu, & comprobant effuſæ ad Hieronymum preces,
„ & in illius gloriæ incrementum facta promiſſio.

MIRACULUM QUARTUM POST MORTEM.

Articulari morbo laborantem sanat.

93 „ Franciſcus Rocchus de Paluariis incola lo-
„ ci de Piſcarena Mediolanen. diœceſis ar-
„ ticulari morbo totius corporis juncturas infeſtante
„ detinebatur, qui non modo incedendi facultatem
„ ei ademerat, verum etiam ut ne pedibus quidem
„ conſiſtere ſine adminiculo poſſet, effecerat, nervi
„ quoque ſiniſtri cruris, dexterique brachii contracti
„ erant, & poſt remedia fruſtra adhibita, ne inſana-
„ bile malum foret, medici timebant. Complures
„ jam menſes in hunc modum laboraverat, dolori-
„ bus miſerrime divexatus, eoque devenerat, ut
„ cadaveris potius, quam hominis figuram præſe-
„ ferre videretur: cum ad præsbyterum quemdam
„ Curatum Garlati alienis brachiis ipſum utrinque
„ ſubſtentantibus, adductus eſt, qui eum monuit,
„ ut ſe B. Hieronymo Æmiliano, cujus fama ſan-
„ ctitatis late per eas terras ſeſe diffuderat, com-
„ mendaret. Genibus itaque non ſine magna diffi-
„ cultate flexis orationem Dominicam, & ſalutatio-
„ nem Angelicam protulit, opemque Æmiliani im-
„ ploravit, quo peracto, abſque alieno auxilio ſurre-
„ xit, ac deinde presbyter præfatus manum capiti
„ ejus imponens, ipſe quoque Hieronymum pro in-
„ firmi

nis diſciplinæ rigorem ob nonnullos, qui in Proceſſibus conſtruendis defectus irrepſerant, moderaſſet, ſtatim ad virtutum examen tranſeundum [a] ., Clemens PP. X. , qui tunc

a *Cit. Fact. concord.* §.7.

„ firmi ſanitate rogavit, nec multo poſt Franciſcus pedibus inde digreſſus eſt, bacillo tantummodo ſuffultus, & magis, magiſque in dies convaleſcens, quindecim circiter dierum ſpatio perfectæ ſanitati reſtiturus eſt. Ita hujus facti veritatem in Proc. Mediol. *ſuper* 26. concludunt de facto proprio idem Franciſcus XLIV. teſtis *fol.* 265. *terg.*, LIV. mater ejuſdem Franciſci *fol.* 326., LVII. qui eſt idem Curatus Garlati *fol.* 348., LX. medicus, qui infirmum curaverat *fol.* 369.

94 „ Curationem iſtam miraculo adſcripſimus, primo ex qualitate morbi, vel inſanabilis, vel ſaltem difficilis adeo curationis, ut fere incurabilis exiſtimetur, prout de omnibus articulorum affectionibus inquit Galenus 10. *de compoſit. medic. per loc.* c. 2.: eſt enim paſſio in nervis conſtituta, & virus quoddam occultum, & inexplicabile tantæ contumaciæ, atque malignitatis, ut Fernelius *lib.* 6. *cap.* 18. morbum iſtum, qui arthritis appellatur, medicorum opprobrium nuncupaverit, & concordat atteſtatio ipſius medici curantis incurabilitatis ſaltem quoad brachii attractionem ex eo deducentis, quod adeo valida erat in brachio majoris nervi contractio, ut in cubiti cavitate dignoſceretur, quam ob cauſam ſecundum rationem naturæ deſperandum erat, ut ad priſtinam conſtitutionem nervus exacte poſſet redire, unde in hoc miraculum obtinet ſecundum gradum juxta theoricam D. Thomæ.

95 „ Secundo id deduximus ex modo recuperatæ valetudinis, quia juxta Galenum loco præcitato hujuſmodi articulorum affectiones curari non poſſunt, niſi generoſis, ac extremis medicamentis per materiæ vacuationem, & repulſionem, vel temporis diuturnitate, ut etiam concordat præfatus medicus, qui circumſcripta brachii contractione, quam inſanabilem fuiſſe pronunciat, quoad reliqua aſſerit infirmitatem ſaltem in annum protrahendam.

96 „ Unde cum nullis adhibitis medicamentis, ſed præhabita ſolum ad ÆMILIANUM oratione, æger ex ſe incontinenti aſſurrexerit, & ſolo bacello ſuffultus valide deambulaverit, breviſſimoque nonnullorum dierum ſpatio integre convaluerit; hinc etiam agnovimus miraculum ad interceſſionem hujus Servi Dei referendum, ut in aliis Relationibus diximus, nempe Aloyſii Gonzagæ *in* 8. *poſt obitum*, & B. Felicis a Cantalicio *in ſecundo*.

MIRACULUM QUINTUM POST MORTEM.

SANGUINIS FLUXU, PERICULOSISSIMAQUE FEBRE LABORANTEM SANAT.

97 „ SOror Margarita Coſta Mediolanenſis cum peſſimo ſanguinis fluxu diu laboraſſet, accedente febri continua, graviſſimiſque doloribus, ad extremum vitæ diſcrimen pervenit. Tentata erant incaſſum humana remedia, confugit ad divina, cumque ſaxeam quamdam particulam lecti hujus Servi Dei penes ſe haberet, ea ſibi ſuper ventre, ac dorſo ter ſignum Crucis efformavit, BEATUMQUE VIRUM, ut ſanitatem ſibi a Deo impetraret, enixe rogavit, & illico febris abſceſſit, ſanguiniſque fluxus, & omnis ceſſavit dolor, priſtinæque ſanitati reddita eſt.

98 „ Ita factum illud in Proc. Mediolanen. *ſuper* 26. concludunt eadem ſoror Margarita XII. teſtis *fol.* 54., X. teſtis *fol.* 47. *tergo* quoad morbum, & recuperatam ſanitatem deponit de viſu, quo vero ad modum deponit de auditu ab eadem Margarita, prout etiam XIII. *fol.* 57. *tergo*.

99 „ Hujuſmodi vero ſanationem fuiſſe miraculoſam deprehendimus ex eo, quod licet fluxus ille ſanguinis, qui ægram non ſine periculoſiſſima febri, magniſque doloribus ad extremum vitæ ſpiritum redegerat, potuerit una cum aliis naturaliter ceſſare.

100 „ Id tamen abſque medicamentis, & in inſtanti poſt invocatum ÆMILIANI ſubſidium, ac efformatum ſuper ventre, ac dorſo ter ſignum Crucis, evenire non poterat, hincque intelligimus inter miracula tertii gradus ad hujus Servi Dei interceſſionem referendum.

MIRACULUM SEXTUM POST MORTEM.

LETHALEM FEBRIM DEPELLIT.

101 „ FRanciſcus a Porta chirurgus Mediolanenſis febri maligna, & frenetica tenebatur, & jam vehementius malum invaluerat, quam ut a medicis curari poſſet, qui actum eſſe de infirmo pronunciaverant: cum certior factus, multos, qui aquam B. HIERONYMI ÆMILIANI bibiſſent, ſanitatem eſſe conſecuros, ut ea ſibi adferretur, petiit: allata eſt, eamque infirmus bibit, ac rurſum de illa ſibi adferri poſtulavit, atque eam etiam hauſit HIERONYMUM invocans, emiſſo inſuper voto, quo ſepulcrum ejus ſe viſitaturum, veſtituque cinericii coloris uſurum promiſit. Quibus peractis, ſomno correptus, atque a noctis medio uſque ad orientem auroram dormivit, ſudore undequaque effluens: poſtquam vero expergefactus eſt, omnino ſe a febri liberum eſſe cognovit, medicique attoniti, & ſtupentes, non aliter eum, ac ſi a mortuis reſurrexiſſet, intuiti ſunt. Ipſe aliquot poſt diebus, recuperatis viribus, lectum deſeruit.

102 „ Factum in hunc modum concludunt in Proc. Mediol. de facto proprio idem Franciſcus teſtis XXIII. *juxta* 8. *fol.* 115. *de viſu*, XXIV. ejuſdem frater *juxta* 4. *fol.* 119., XXV. mater ipſius Franciſci *juxta eumdem fol.* 123., & XXII. phyſicus *fol.* 113.

103 „ Id miraculo adſcribendum eſſe patet, concurrit enim primo gravitas morbi, quem lethalem faciebat febris malignitas eo perducta, ut de infirmi ſalute deſperatum eſſet, quemadmodum ex medicorum judicio iidem teſtes aſſerunt, & imminentis mortis periculum arguebat etiam, juxta medicorum axiomata, delirium, quo æger tenebatur.

104 „ Concurrit ſecundo repentina ſanatio, ut patet ex ſuperiori narratione, cum nullis præcedentibus remediis, aut purgationibus, ſed ſolummodo

„ poſt

Digitized by Google

tunc Catholicam Eccleſiam gubernabat, non ſolum benigne e juris rigore cenſuit remittendum, verumetiam Pridie Idus Martii MDCLXXI. facultatem fecit, ut virtutes BEATI VIRI diſcuterentur [1].

Antequam autem quæ neceſſaria ad judicium

1 *Cit. Fact. concord.* §.8.

» poſt ebibitam integre ad mediam circiter noctem
» aquam ÆMILIANAM, in aurora ſe priſtinæ ſanitati
» reſtitutum æger cognoverit, quam celerem operan-
» di rationem non inveniunt medici ſecundum facul-
» tatea naturæ, quæ ſucceſſive, & per diuturnas al-
» terationes ſuos producit effectus, ita ut veniat id re-
» ponendum inter miracula tertii generis, ut ſæpe
» diximus, & iure merito adſcribendum interceſſioni,
» ac meritis ÆMILIANI, prout abunde comprobant
» imploratum ejuſdem auxilium, votum in ipſius ho-
» norem nuncupatum, & ejuſdem aqua ebibita. Pro
» cujus miraculi adminiculo conſideravimus virtutem,
» qua hujuſmodi aquam Servi ſui Interceſſione dona-
» vit Deus ad infirmorum medelam, ut in ſecundo
» miraculo ponderavimus.

105 „ Nec dicatur, hujuſmodi curationem poſſe
» tribui virtuti naturali hujus aquæ, quia præter id,
» quod potius humorum malignitatem debebat auge-
» re, in omnem eventum, cum parva amphora con-
» tineretur, aperte conſtat, eam non fuiſſe in tali quan-
» titate, quæ ſalutarem hujuſmodi effectum potue-
» rit producere, præſertim cum parva hæc quantitas
» pluribus vicibus diſtributive fuerit ſumpta, ut con-
» ſtat ex iiſdem teſtibus.

MIRACULUM SEPTIMUM POST MORTEM.

HERNIA LABORANTEM SANAT.

106 „ FRanciſcus Manſonius incola loci Bripſi
„ diœceſis Mediolanenſis, inteſtinis ex
» quodam lapſu a ſede ſua divulſis, peſſima affectus
» eſt hernia, quippe cujus tumor ad magnitudinem
» pugni prominceret. Doloribus diſcruciabatur acer-
» biſsimis; & non modo ſolitas exercitii ſui functio-
» nes obire non poterat, verum, & comedebat
» ægerrime, & maxima cum difficultate incedebat,
» ita ut poſt quindenos, vicenoſque paſſus in terram ſe
» præ dolore proſternere cogeretur. Biennium hunc
» in modum miſer vexatus fuerat, remediis, quæ
» adhibuerat varia, nihil proficientibus, cum ad invo-
» candum ÆMILIANI auxilium cujuſdam amici ſui
» monitu excitatus eſt, filium ſuum ejuſdem generis
» morbo laborantem hujus meritis, precibuſque ſa-
» natum eſſe dicentis. Itaque BEATI VIRI ſepulcrum
» Franciſcus viſitavit, piiſque precibus, ut ſanitatem
» ſibi a Deo impetraret, eum rogavit, ac ſtatim me-
» lius ſe habere cœpit, cumque aliquandiu id viſi-
» tare perſeveraſſet, & paulatim convaleſceret, qua-
» dam nocte per quietem videre ſibi viſus eſt ÆMI-
» LIANUM, eo plane modo, ac figura, qua vulgo
» depingi ſolet, ac deinceps longe majori celeritate
» convaluit: ſiquidem intra octiduum tumor omnis
» ſubſedit, clauſa, & conſolidata eſt apertura, de-
» pulſoque penitus dolore, priſtinam recepit incolu-
» mitatem, ut concludenter deponunt in Proc. So-
» maſchen. ſuper primo idem Franciſcus v. teſtis *fol.*
» 18., XIII. illius nepos *fol.* 33., XXVI. pariter ejuſdem
» nepos *fol.* 58., & XXVII. chirurgus *fol.* 59. *terg.*, qui
» conteſtes quoad morbum, & ſanitatem deponunt
» de viſu, & certa ſcientia.

107 » Id autem miraculo attribuendum cenſui-
» mus, ſtante gravitate morbi, cui adhibita nihil
» profecerunt medicamenta, & qui, ut idem chi-
» rurgus teſtatur, licet etiam accurate medicamen-
» ta adhibita fuiſſent, vix fuiſſet ſanabilis, attenta
» maxime ſenectute infirmi, unde cum citra quam-
» cumque medicamentorum applicationem, poſt vi-
» ſum in ſomnis ÆMILIANUM, tam brevi octo die-
» rum intervallo perfecte convaluerit infirmus, id in
» omnem eventum reponendum venit inter miracula
» tertii generis, cum ſaltem modum celeris hujuſ-
» modi operationis in invaleſcentis jam herniæ cura-
» tione, aſſequi natura non valeat, ut de ſimili ſana-
» tione fuit dictum in Relatione D. Ludovici Bertran-
» di in octavo miraculo.

108 „ Nec obſtat ſanationem non fuiſſe inſtanta-
» neam, ſed a viſione ÆMILIANI ad recuperatam
» uſque integre ſalutem octo dies fuiſſe elapſos: quia
» non eſt neceſſe miraculum fieri in inſtanti, ſed ſuf-
» ficit fieri etiam ſucceſſive, dummodo, ut in caſu
» iſto, eo præcipue tempore licet longiuſculo con-
» tingat, quo ex natura rei contingere non potuiſſet,
» ut ex Bellamera *in C. nec mirum num.* 5. *verſ. ſed*
» *quæro* 26. *q.* 5., & ex ſententia Rotæ in aliis Re-
» lationibus nuper deduximus, in Relatione Servi Dei
» Petri Regalati *miraculo tertio poſt mortem*, & in
» puncto fuit de ſimili curatione reſolutum in Rela-
» tione S. Iſidori *in* 9. *miraculo*.

109 » Quod autem miraculum iſtud emanaverit ad
» interceſſionem ÆMILIANI deponunt teſtes, & com-
» probant viſitatio ſepulcri, effuſæ ad HIERONYMUM
» preces, & viſus in ſomnis ÆMILIANUS.

MIRACULUM OCTAVUM POST MORTEM.

INFANTEM PESSIMA AFFECTUM, MORTIQUE PROXIMUM SANAT.

110 „ HIeronymus Franciſcus filius Dionyſii
„ Campelli incolæ Vallis Molinæ Medio-
» lanen. diœceſis infans quatuor circiter menſium
» miſerrima infirmitate correptus eſt, eoque redactus,
» ut conſumptis carnibus, vix oſſibus hæreret, homi-
» niſque figuram præſeferret. Tertium jam menſem
» miſellus languebat, quo temporis ſpatio nihil ex-
» crementi egeſſerat, maternum lac, ſi quando ſuxiſ-
» ſet, reiiciens, interque matris ulnas identidem de-
» ficiens, cum quadam die omni motu deſtitutus exa-
» nimi ſimilis permanſit, quod mater videns, eumque
» vita ſpoliatum exiſtimans, ad ÆMILIANI opem con-
» verſa eſt, eique infantem, quam maximo cordis
» affectu commendavit, nec non emiſſo voto promi-
» ſit, eum ſe ad illius ſepulcrum, ſi ſanitate donare-
» tur, delaturam. Voto nuncupato, infans moveri,
» meliuſque ſe habere cœpit, & paucorum ſpatio die-
» rum perfectæ incolumitati reſtitutus eſt, adeo ut non
» ſolum nulla remaneret morbi veſtigia, ſed etiam
» illis, qui languentem eum viderant, perſuaderi
» non poſſet, eumdem ipſum eſſe infantem, quem
» paulo ante in tam miſero ſtatu conſtitutum ad-
» ſpexiſſent.

Ita

dicium rite recteque conſtituendum, & opportuna exiſtimabantur, pararentur, Deus, qui Famulum ſuum inter mortales quam- maxime magnificare decreverat, pluribus prodigiis ſanctitatem illius manifeſtius declaravit, firmavitque; quæ prodigia cum ad Poſtu-

111 „ Ita factum concludenter narrant in Proc. Somaſchæ ſuper primo mater pueri XIV. teſtis de facto proprio *fol.35. tergo*, cum qua concordat XVI. pater pueri *fol.40. tergo*, XV. *fol.58. tergo*, XVII. *fol.* 43. & XXIII. *fol. 52. tergo*, qui conteſtes quoad morbum, & ſanitatem deponunt de viſu, quo vero ad modum curationis de auditu.

112 „ Curationem iſtam miraculo duximus adſcribendam. Quia, ut omnes teſtes conveniunt, ea erat morbi gravitas in puero iſto, ut de ſalute illius eſſet penitus deſperatum, quod veroſimiles circumſtantiæ ſuadent, nempe primo violenti morbi diuturnitas in tenello præcipue corpuſculo: ſecundo ipſius corpuſculi ea extenuatio, ut conſumptis omnino carnibus, vix oſſibus hæreret, humanique ſpeciem corporis præſeferret: ex quibus duobus reſultat impoſſibilis curatio ad tradita per Galenum *primo de differentiis febrium* cap. 8. dicentem eos, qui ad exquiſitum maraſmum, aut tabem devenerint, & pluribus menſibus in eodem perſeveraverint, impoſſibile eſſe curare: tertio nutrimenti, lactis ſcilicet ejectio, quæ naturam ad vitæ uſum jam prope inhabilem deſignat: quarto nulla excrementorum expulſio: quinto denique deliquia identidem ſupervenientia, unde ſtante hac morbi gravitate, quæ puerum ad extremum vitæ redegerat, aut id cenſendum eſt miraculum ſecundi gradus, cum excedat facultates naturæ in ſubjecto, in quo fit, juxta ſæpius citatam theoricam Sancti Thomæ, vel in omnem caſum tam celer ad integram ſalutem tranſitus, non poteſt non adſcribi miraculo tertii generis, quoad modum brevis operationis, cui natura eſt inferior. Nam ex ſententia Hyppocratis *2. aphor.* 7. quæ longo tempore extenuantur corpora, longo etiam refici debent, in extenuatis enim ut in caſu iſto, longo tempore corporibus, tum carnes conſumptæ, tum aliæ partes graciles redduntur, per quas coctio in animalibus, & diſtributio, ac ſanguificatio, nec non nutritio perficiuntur, quo fit, ut ea corpora extenuata, quæ curationem admittunt, non valeant tantum alimenti conficere, quantum corpori opus eſſet, quam ob cauſſam ea longiori tempore reficere oportet, ut in hæc verba, inquit Galenus *in Comm. illius aphoriſmi*. Patet igitur, id eſſe referendum interceſſioni hujus Servi Dei, prout etiam aſſerunt omnes teſtes, & comprobant maternæ preces, ac voti nuncupatio.

NONUM, ET ULTIMUM MIRACULUM POST MORTEM.

SURDASTRI AUDITUM CORRIGIT.

113 „ Hieronymus Ripa Cauſidicus incola loci Galbeati diœceſis Mediolanen. cum eſſet annorum duodeviginti, auditu impeditiore eſſe cœpit, unde creſcente proceſſu temporis vitio, factum eſt, ut multa paſſim eorum, quibus cum loqueretur, verba non intelligeret. Vitabat is hac de cauſſa Magnatum colloquia, ne vel quid dicerent non percipiendo, ipſe non convenientia reſponderet, vel ſermonem repeti poſtulando, eis exhiberet moleſtiam. Invaluerat longo annorum tractu malum, & jam ſexagenario major Hieronymus erat, cum, ut de infante quodam meritis ÆMILIANI ſanato teſtimonium perhiberet, erogatus eſt. Senſit hic rapi ſe in admirationem divinæ potentiæ Sanctos ſuos miraculorum gloria illuſtrantis, nec non ad Beatum hunc Dei Servum pro auditu perfecte recuperando confugere conſtituit. Itaque priuſquam ad teſtimonium dicendum accederet, Eccleſiam, in qua ÆMILIANI corpus adſervatur, ingreſſus eſt, ubi flexis ad illius ſepulcrum genibus, ut aurium ſibi vitium corrigeret, pio eum cordis affectu rogavit, promittens, ſi voti compos fieret, ter in anno ſe peccata ſua pœnitentiæ Sacramento expiaturum. Perrexit deinde ad judicem, ut coram eo, quod de infantis ſanitate compertum haberet, deponeret, a quo cum ſuper articulis interrogaretur, ſtatim animadvertit, omni ſe auditus impedimento liberatum; cuncta enim, quæ ſibi dicebantur, clare intellexit, nec ulla verborum repetitione opus fuit. Verum cum dubius adhuc hæreret, an ſibi id accideret, quod judex, qui ſurdaſtrum ipſum eſſe probe noſſet, altius loqueretur, an quod revera perfectum recuperaſſet auditum: tunc quidem manifeſtare miraculum diſtulit, ſed paulo poſt eum domum nonnullis amicorum comitatus regrederetur, perque viam quæcumque inſimul differerent, adamuſſim intelligeret, plane ſibi auditus impedimentum depulſum eſſe cognovit, remque totam comitibus primum, deinde domeſticis aperuit, qui certatim in miraculi experientiam ſubmiſſa voce loquentes, perſpexerunt verum eſſe id, quod Hieronymus affirmaret, Deumque laudaverunt mirabilem in Sanctis ſuis.

114 „ Ita aſſerit de facto proprio in Proceſſu Somaſchenſi idem Hieronymus XLII. teſtis *fol.* 73., quod etiam teſtatur in litteris ſuper hoc ad judicem a ſe tranſmiſſis *fol.* 72., & concordant XLIV. *fol.* 78. *& a terg.*, & XLIII. *fol. 76. tergo*, & LXXVII. qui conteſtes quoad morbum, & ſanitatem deponunt de certa ſcientia, quo vero ad modum de auditu ab eodem Hieronymo.

115 „ Curationem vero iſtam miraculo adſcribendam cenſuimus, primo ex gravitate morbi, qui, ut ipſe Hieronymus, & alii teſtes affirmant, jam a 44. annis erat adeo inveteratus, ut impoſſibilis eſſet curationis in homine præſertim pluſquam ſexagenario, unde factum illud tanquam excedens vires naturæ in ſubjecto, in quo fit, connumerari debet inter ſecundi gradus miracula.

116 „ Secundo idem judicavimus ex modo, atque ratione recuperati auditus, ſcilicet in inſtanti, nulliſque adhibitis medicamentis, unde, & quantum ad hoc attinet, miraculum iſtud ad ſecundum gradum debet referri.

117 „ Quod autem ad ÆMILIANI interceſſionem emanaverit, iidem teſtes deponunt, & comprobant emiſſa ad ejuſdem ſepulcrum oratio, nec non voti nuncupatio.

De

Poſtulatorum aures perveniſſent, tanti ponderis & momenti habita illa fuere, ut de eiſdem Apoſtolica auctoritate in Diœceſi Mediolanenſi Acta ſtatim compilari curarint, quorum validitas Cardinalis Columna, qui perſonam Petri Cardinalis Vidoni agebat, in

I

DE VALIDITATE PROCESSUUM, AC LEGITIMO EXAMINE TESTIUM, ET PRIMO DE PROCESSU TARVISINO.

118 „ Supereſt, Pater Beatiſſime, ut ad poſtremum hujus Relationis partem ultimum facientes gradum, de Proceſſuum validitate, legitimoque teſtium agamus examine, ex quibus non ſolum ſanctitatis vitæ, ſed miraculorum etiam deductæ ſunt in HIERONYMO probationes. Et quoad Proceſſus nempe Tarviſinum, Venetum, Bergomen., Brixien., Papien. Mediolanen., atque Somaſchenſem cenſuimus de illorum validitate ſatis conſtare, prout etiam teſtes in iiſdem rite, ac recte examinatos.

119 „ Nam quantum attinet ad Proceſſum Tarviſinum. Poſtquam fel. rec. Gregorius XV. immediatus S. V. anteceſſor ſupplicibus Ser. Venetorum Reipublicæ, nec non Somaſchenſis Religionis totius libellis benigniter inclinatus Cauſſam hanc Sac. Rituum Congregationi cum ampliſſimis commiſit facultatibus, ut in hoc Proc. *fol.* 2.; in vim Commiſſionis prædictæ fuerunt de anno 1623. per eamdem Sac. Cong. Rituum expeditæ litteræ remiſſoriales, ac compulſoriales directæ Reverendiſſimo Epiſcopo Tarviſino, nec non Vicario illius Generali, & Cathedralis Eccleſiæ Archidiacono *dicto fol.* 2. & 3. cum clauſula, ut duo ſaltem conjuncti procedant, quæ litteræ judicibus ut ſupra deputatis præſentatæ fuerunt *fol.* 1. per R. Joannem Antonium Pallinum dictæ Congregationis de Somaſcha Sacerdotem profeſſum, & ad hanc Cauſſam a Præpoſito Generali nomine totius Congregationis procuratorem ſpecialiter deputatum, & pro debita illarum executione inſtantem, ac docentem de legitimo mandato procuræ *fol.* 13.

120 „ Cum vero judices præfati acceptaſſent dictas litteras declarando ſe judices competentes, deputarunt notarium, ac nuncium: poſtmodum jurantes de fideliter exercendo officium *fol.* 1. *terg.*, nec non pro certo loco, & tempore audientiarum deſignarunt cameram ſolitæ reſidentiæ Vicarii, ac ſingulos dies non feriatos incipiendo a mane hora tertia, & a prandio ab hora vigeſima *fol.* 12.

121 „ Et ſucceſſive in vim dictarum litterarum remiſſorialium deventum fuit ad examen trium teſtium, qui formaliter fuerunt examinati, prævia nempe illorum inductione facta per procuratorem *fol.* 13. *terg.*, ac citatione, ſeu monitorio per judices decreto, ac per nuncium contra quemlibet ipſorum perſonaliter executo *fol.* 14., nec non etiam præſtito per eoſdem teſtes juramento de veritate dicenda *fol.* 18. *terg.*, prout etiam ſingillatim fuerunt examinati, deponentes primo juxta interrogatoria, deinde ſuper articulis in remiſſoria contentis, ut *a fol.* 18. *tergo uſque ad fol.* 24., ex quibus evidenter conſtat, teſtes rite, ac recte examinatos, cum de juriſdictione judicum, qui examinarunt, appareat ex litteris remiſſorialibus, iiſdem, ut ſupra directis, & de forma per eos rite ſervata conſtet ex teſtium inductionibus, citationibus, juramentis, ac depoſitionibus, primo ſuper interrogatoriis, & deinde ſuper articulis, ut patet.

122 „ Fuit etiam per eumdem procuratorem productus Proceſſus alias auctoritate Ordinaria in eadem Curia Epiſcopali Tarviſina confectus, in quo continetur depoſitio unius teſtis, qui tunc juratus depoſuit ſuper quodam miraculo nec non regiſtrum ejus miraculi deſumptum ex *libro Miraculorum B. Virginis de Tarviſio*, & illius hiſtoria in tabella inſcripta, ut *a fol.* 15. *uſque ad fol.* 18., qui Proceſſus conſtructus fuerat ab eodem notario in hac Cauſſa deputato, & ab eodem de mandato eorumdem judicum extractus, fideliter collationatus, & ſubſcriptus cum interpoſitione decreti *fol.* 14. *terg.*, fuit etiam corroboratus per acceſſum ipſorummet judicum ad Eccleſiam *fol.* 15., ubi reperitur originale alterius ſimilis tabellæ, cujus exemplum, inſtante eodem procuratore, per eumdem notarium extrahi, & facta collatione, omnia in præſenti Proceſſu regiſtrari juſſerunt, ita ut de legalitate hujus compulſationis non videatur poſſe dubitari.

123 „ Totus tandem Proceſſus iſte ad procuratoris inſtantiam, & judicum decretum *fol.* 26. tranſumptatus, & per notarios deputatos *dicto fol.* 26. & *a tergo* auſcultatus, & collationatus, hacque collatione per eoſdem judices approbata *fol.* 27. ſubſcripſerunt ſe tam notarii *dicto fol.* 26. *terg.* quam judices in litteris ad Sac. Congregationem una cum Proceſſu tranſmiſſis, quas litteras ab ipſis judicibus ſubſcriptas, vim ſufficientis ſubſcriptionis in dicto Proceſſu habere cenſuimus: idem vero Proceſſus, prævio judicum decreto, *dicto fol.* 27. clauſus fuit, & conſignatus portitori ad Urbem transferendus, qui portitor ſuper fideli-tranſportatione juravit *dicto fol.* 27., quod juramentum, licet ſolummodo contineret obligationem de conſignando Proceſſu tabellario Urbis exiſtenti Venetiis, tamen cenſuimus ſufficere; denique tranſlatus ad Urbem, & Sac. Rituum Congregationi præſentatus fuit, ejuſdem S. Congregationis auctoritate apertus, & per duos teſtes legitime recognitus, ut in regiſtro recognitionum in Urbe confecto *fol.* 1. & 2. *tergo*.

124 „ Unde, his ſtantibus, negari non poteſt, quin ſit in forma probanti, cum ad illum effectum ſufficiat ſubſcriptio notarii de illo rogati, ut tradunt communiter ſcribentes in *Auth. Si quis in aliquo C. de edendo*, Rota *dec.* 1. *de fid. Inſtrum. in nov. & dec.* 4. *eod. terg. in antiq.*, Veralla *dec.* 170. *pars.* 1.

DE PROCESSU VENETO.

125 „ Vigore ejuſdem Commiſſionis fuerunt ſub eadem forma de anno 1624. directæ aliæ litteræ remiſſoriales Reverendiſſimo Archiepiſcopo Amaſienſi apud Sereniſſimam Venetorum Rempublicam S. V. Nuntio, nec non duobus Canonicis Eccleſiæ Patriarchalis Venetiarum *fol.* 3., quibus fuerunt præſentatæ *fol.* 1. per Rev. Marcum Antonium prædictæ Religionis Somaſchenſium Sacerdotem profeſſum, & in hac Cauſ-

in Sacrorum Rituum Congregatione vi. Kalendas Februarii mdclxxx. felici fauſtoque eventu ad diſputationem revocavit [1].

Cognoſcebant Poſtulatores maximum præſidium, & non modicam utilitatem huic Cauſſæ acceſſurum, ſi cultus, qui ex decretis

---

1 *Cit. Fall. concord.* §.9.

„ Cauſſa procuratorem legitime conſtitutum, & docentem de legitimo mandato procuræ *fol.*30. a judicious admiſſo *fol.*30. *tergo*; ad cujus procuratoris inſtantiam iidem judices ſimul congregati, litteris præfatis apertis, ſe pronunciarunt judices competentes, deputarunt notarium, qui juravit in forma *fol.*2. *terg.*, nec non etiam deputarunt nuncium, a quo pariter juramentum exegerunt *fol.*3.: deſignarunt inſuper pro certo loco, & tempore audientiarum palatium ſolitæ reſidentiæ præfati Nuncii Apoſtolici, & pro examine teſtium Monialium, & infirmorum Monaſteria, & domos reſpective, nec non quoslibet dies non feriatos *fol.*29., nec non deputarunt interpretem, qui debitum præſtitit juramentum *dicto fol.* 29. *tergo*: inſuper contra teſtes per dictum procuratorem inductos *fol.*36. 42. *tergo*, inſtante eodem procuratore, fuit decreta citatio *dicto fol.*36. 43. 48. *tergo.* 63., ac contra ſingulorum perſonam executa per curſorem *fol.* 39. 45. 71., iidem vero teſtes poſt præſtitum in forma juramentum *fol.*41. *terg.*47. *terg.* 53. *tergo* in locis reſpective deputatis, ſingillatim, ac formiter fuerunt examinati, primo juxta interrogatoria, deinde ſuper articulis *fol.* 86. *uſque ad fol.*109., itaut dubitari non poſſit, quin rite, ac recte fuerint examinati.

126 „ Præterea, præviis debitis citationibus, de quibus *fol.*68., & 69. *tergo*, de mandato eorumdem judicum fuerunt legitime compulſatæ partitæ librorum Monaſterii, & Hoſpitalis ad effectum probandi obitum teſtium alias examinatorum, qui libri fuerunt exhibiti *fol.* 71. 73., & 115. *tergo*, & partitæ extractæ *fol.* 75., & 118. cum originali collationatæ, a notario ſubſcriptæ *fol.*129., ac demum recognitæ *fol.*106. & 109., & *fol.*119. & *ſeqq.*

127 „ Depoſitiones duarum Monialium, quæ alias auctoritate Ordinaria fuerunt examinatæ, fuerunt in hoc Proceſſu productæ *fol.*54., ac regiſtratæ, nec non corroboratæ per formalem repetitionem earumdem Monialium, de qua *fol.*103. *uſque ad fol.*109.

128 „ Alterius vero teſtis alias auctoritate Ordinaria examinati in Curia Patavina, depoſitio fuit regiſtrata in hoc Proceſſu *fol.*122. *uſque ad* 30. cum atteſtatione fidelis extractionis, & collationis, & legalitatis Epiſcopi *fol.*124., quia jam teſtis ille obierat, prout de obitu illius legitime fuit dictum per authenticam atteſtationem *fol.*130.

129 „ Juribus ergo hujuſmodi productis, & regiſtratis, dictorum judicum decreto *fol.*130. *tergo*, ad ejuſdem procuratoris inſtantiam fuit Proceſſus iſte exemplatus, & adhibito altero notario ſpecialiter adjuncto, auſcultatus, & cum originali collationatus, ac decreto per eoſdem judices interpoſito *fol.* 130. *tergo*, ab ipſis judicibus *fol.* 137., nec non notariis *fol.*136. ſubſcriptus, clauſus, & ad Urbem transferendus fuit conſignatus portitori deputato, qui debitum præſtitit juramentum *fol.*135. & *ſeqq.*

130 „ Demum Sac. Rituum Congregationi in Urbe præſentatus, prævio illius decreto, fuit apertus, inſtante R.D. Victore Cappello Procuratore Generali ejuſdem Congregationis Somaſchæ, & formiter per tres teſtes recognitus, ut in eodem regiſtro recognitionum *a fol.*1. *uſque ad* 5. *a tergo.* ex quibus omnibus aperta reſultat probatio validitatis illius Proceſſus.

De Processu Bergomensi.

131 „ Simili modo præſentatis aliis remiſſorialibus litteris ab eadem S.Congregatione in vim Commiſſionis prædictæ relaxatis in civitate, & Diœceſi Bergomen. Vicario Generali Epiſcopi Bergomen. Præpoſito Cathedralis Eccleſiæ, & R. P. D. Carrariæ ejuſdem Eccleſiæ Canonico judicibus deputatis *fol.*2., & inſtante eodem R.P. Joanne Antonio Pallino apertis, fuit per eoſdem judices deputatus notarius, & curſor, qui ſolitum juramentum præſtiterunt *fol.*1., & *a terg.*, & admiſſo mandato procuræ *fol.*15., deſignatum fuit tempus, & locus audientiæ, reſervata ſibi expreſſe per dictos judices facultate mutandi, & eligendi alterum locum toties, quoties *fol.*13., prout illum bis poſtea mutarunt *fol.*17. *a terg.*

132 „ Succeſſive ab eodem procuratore fuerunt inducti novem teſtes *fol.*14. *tergo* & 15., contra quos decreta fuerunt monitoria, ſeu citationes *fol.*15. per curſorem deputatum perſonaliter executæ *fol.*16., & ad inſtantiam Pauli Cedrelli a dicto Pallino ſubſtituti *fol.*17., prævio eorumdem teſtium juramento in locis noviter deputatis fuerunt examinati, primo juxta interrogatoria, deinde ſuper articulis, ut a *fol.*18. *uſque ad fol.*41., ita ut de illorum examinis legalitate non videatur dubitandum.

133 „ Producta etiam fuerunt legitime ab eodem procuratore diverſa jura, videlicet particulæ librorum, quæ, prævio judicis decreto *fol.*41. *terg.* per acta ejuſdem Curiæ Epiſcopalis Bergomen. fuerunt formiter extractæ, & cum originali collationatæ cum notarii ſubſcriptione, & legalitate.

134 „ Item productæ fuerunt depoſitiones quinque teſtium defunctorum, qui alias auctoritate Ordinaria fuerunt examinati, de quorum cujuſque obitu per authenticas Parochorum atteſtationes doctum fuit *fol.*55. 56., quæ omnia jura per notarium hujus Cauſſæ, eorumdem judicum decreto, fuerunt in Proceſſu regiſtrata a *fol.* 41. *uſque ad* 56.

135 „ Ac demum ad inſtantiam R.P. Joannis Caltæ procuratoris ab eodem Pallino ſubſtituti, ac docentis de legitima ſubſtitutione *fol.*57., prævio judicum decreto *fol.*56. *tergo* fuit tranſumptatus, auſcultatus, & collationatus, nec non prævio eorumdem judicum decreto *fol.*59. *tergo*, & 60., fuit a notariis ſubſcriptus cum eorum legalitate *fol.*59. & *a tergo*, & 60., & clauſus una cum litteris judicum reſponſivis ad Sac. Rituum Congregationem una cum Proceſſu, decretis, & habentibus vim ſubſcriptionis, ut diximus, quam etiam ſubſcriptionem pro legalitate notarii appoſuit Vicarius unus ex judicibus &c. fuit conſignatus fideli,

„ ac

tis Sanctiſſimæ Inquiſitionis HIERONYMO præſtari fuerat interdictus, per Sacrorum Rituum Congregationis Cardinales in medium reſtitueretur: hac igitur de cauſſa humillimas preces eidem Sacræ Congregationi per Joannem Franciſcum Cardinalem Albani, qui

poſt

„ ac jurato portitori (de quo quidem juramento ſatis conſtat ex atteſtatione judicum in dictis litteris ad Sac. Congregationem una cum Proceſſu transmiſſis emanata), & ad Urbem tranſlatus, ubi ejuſdem Sacræ Congregationis decreto apertus, ac in forma per duos teſtes recognitus fuit, ut in dicto regiſtro recognitionum *fol.* 3. *a tergo*, & 6. *pariter a tergo*, ex quibus ſatis clara deducitur validitas hujus Proceſſus.

136 „ Nec officit, quod præfati judices remiſſoriales in poſtremis decretis ſuper deputatione notarii adjuncti, & collatione Proceſſus, ſeorſim proceſſiſſe videantur, & non ſimul, ac conjunctim juxta formam præſcriptam in litteris remiſſorialibus; quia reſpondetur, quod forma in dictis litteris præſcripta debet intelligi quoad ſubſtantiam, & integram ſeriem Proceſſus, ideoque cum in præcedentibus decretis de faciendo tranſumpto, collatione, & conſignatione, legitime per eoſdem judices conjunctim factis *fol.*56. *tergo*, abſolvatur, ac terminetur ſubſtantia, ac ſeries Proceſſus, reliqua ſubſequentia decreta videntur ſolum ad ipſius probationem, pro qua ſufficit, quod fuerit extractum, & ſubſcriptum ab ipſomet notario actuario, etiam abſque ullo alio decreto judicis, aut alia ſollemnitate *L. unum C. de teſtamentis*, & tradunt omnes *in Auth. Si quis in aliquo C. de edendo*, Rota *deciſ.*1. *de fid. Inſtrum. in antiq. s. m.* Gregorius *deciſ.*38. *num.*1., & *ſeqq.*, & *deciſ.* 59. *num.*4.; ſed ulterius poteſt reſponderi, dictos judices conjunctim proceſſiſſe, cum incontinenti, & immediate unus poſt alterum eadem decreta in eodem loco exiſtens interpoſuerit, quæ ideo eadem eſſe videntur, *ad Text. in L. lecta ver. dicebam*, ubi Jaſon num.14. *L. cum antiquitas C. de Teſtam.*, late Tiraquellus *ad L. Si unquam in verbo largitus num.*117. *C. de revoc. don.*, quod procedit etiam ubi conjunctio, & ſimultas pro forma requiritur, nam & circa formam idem operatur, quod incontinenti, & abſque intervallo ſuppletur, ac id, quod in ipſo actu præſtatur Baldus in *L. fin. C. de fideicom.*, quem ſequitur Brunus *de forma tit. de Implemento, & obſervantia formæ fol. mihi* 77. *col.*1. *in fine, & col. ſeq. ver. & pro prædictis*; & in ſimili facit, quod dicitur de arbitris, ut ſimul judicaſſe dicantur, etiamſi diverſis horis diei judicaverint, ex quo modicum intervallum, non dividit ſententiam, ut poſt Speculatum *tit. de Arbitris* §. *ſequitur num.*60., tradit idem Brunus *tit. ex quibus conſiſtant forma, & ſolemnitas in* 7. *limitatione fol. mihi* 29. *col.*4. *in fin. verſ. & dixit ſpeculator*.

DE PROCESSU BRIXIENSI.

137 „ IN vim prædictæ Commiſſionis fuerunt ab eadem Sac. Rituum Congregatione expeditæ aliæ litteræ remiſſoriales directæ Archidiacono, Archipresbytero, nec non Præpoſito Cathedralis Eccleſiæ Brixien. judicibus deputatis *fol.*2., qui ſimul congregati, illis acceptis, & apertis *fol.*3., ac iterum poſt emendationem defectus datæ in Urbe auctoritate ejuſdem Sacræ Congregationis factam coram iiſdem reproductis *dicto fol. tergo*, ſe declararunt judices competentes *fol.*2., & inſtante R. P. Joanne Calta docente de legitimo procuræ mandato *fol.* 11. *tergo*, & a judicibus antedictis admiſſo *fol.* 11. *tergo*, deputarunt notarium *fol.* 1. *tergo*, ac nuncium *fol. eodem tergo*, & ab illis juramentum de more receperunt *fol. eod. ter.*, loca, & tempora pro audientia deſignarunt *fol.*2., & ſucceſſive duos teſtes per eumdem procuratorem inductos *fol.*13. *terg.* per curſorem, prævio judicum decreto *fol. ibidem*, citatos *fol.*14., & 19. *terg.*, & formaliter juratos *fol.* 15., & *fol.* 20., loco deputato, examinarunt primo juxta interrogatoria, poſtea ſuper articulis: primus ut a *fol.*15. *uſque ad* 18. *tergo*, & II. *a fol.*20. *uſque ad fol.* 22., ex quibus non poteſt illorum examinis validitas controverti.

138 „ Quo vero ad depoſitiones teſtium prædefunctorum, qui alias per acta ejuſdem Curiæ Epiſcopalis auctoritate Ordinaria fuerunt examinati eorumdem judicum decreto *fol.* 22. *terge* per eumdem notarium archivi cuſtodem ab illo fuerunt extractæ, & in Proceſſu regiſtratæ *a fol.* 24. *uſque ad fol.*27. *tergo*, nec non ſuper obitu, & eorumdem teſtium qualitate, prævia citatione *primi fol.* 18., & II. *fol.*23., & juramento *fol.*26. *tergo* & 27., fuerunt examinati duo teſtes, & productæ atteſtationes Parochorum *fol.* 22. *tergo* cum legalitate *fol. eodem*. Quo vero ad jura extra dictum Proceſſum compulſata, cenſuimus illa non eſſe in forma probanti, cum non ſint in corpore dicti Proceſſus.

139 „ Demum facto totius Proceſſus tranſumpto, eoque per notarium uno cum altero ad id ſpecialiter adjuncto *fol.*28. *tergo* auſcultato, & collationato, prævio ipſorummet judicum decreto *fol.*28.; fuit Proceſſus ille ſubſcriptus ab iiſdem notariis *fol.* 28. *tergo*, & 29., nec non judicibus, tam in notariorum legalitate *fol.*29. *a tergo*, quam in litteris ad Sac. Congregationem una cum Proceſſu tranſmiſſis, quæ dictam ſubſcriptionem abunde ſupplent, ut jam diximus.

140 „ Ac deinde clauſus portitori deputato, & jurato *fol.*30. conſignatus ad Urbem fuit tranſportatus, & S. Rituum Congregationis decreto apertus, atque in forma recognitus per duos teſtes, ut in dicto regiſtro *fol.*1. *a tergo*, & *fol.*14., unde ſatis remanet probata hujuſmodi Proceſſus validitas.

DE PROCESSU PAPIENSI.

141 „ EAdem prorſus ratione fuerunt in civitate Papien. deputati alii judices remiſſoriales, nempe Vicarius, Archidiaconus, & Præpoſitus Cathedralis Eccleſiæ *fol.*2. *tergo*, qui acceptis litteris remiſſorialibus, inſtante R. P. Joanne Maria Guicciardo a prædicto Pallino procuratore ſubſtituto, & docente de legitimo mandato *fol.* 2. illas aperuerunt, & ad inſtantiam R. P. Joannis Caltæ a R. Victore Cappello Præpoſito S. Blaſii montis citorii Urbis procuratore generali, & ſpeciali ad infraſcripta nominato, & ſolemniter ordinato pariter procuratoris ſubſtituti, & de

ſuffi-

poſt Petrum Vidoni Cauſſæ Ponens fuerat renuntiatus, XIV. Kalendas Aprilis MDCXCIII. porrexere. Difficiles ea in re prudentiſſimi Patres ſeſe exhibuere, nec minime a decre-

„ ſufficienti mandato docentis *fol.* 10., procedendo ad ulteriora declararunt ſe judices competentes *fol.* 8. *tergo*, duos notarios, & duos nuncios, & quemlibet eorum inſolidum deputarunt *fol.* 9., ac ab unoquoque eorum ſolitum juramentum receperunt *fol.* 9. *tergo*, locum, & tempus de more pro audientiis deſignarunt *fol. ibidem*.

142 „ Poſt hæc fuerunt etiam compulſatæ litteræ diverſorum Pontificum *fol.* 21.; item capitula libri Conſtitutionum *fol. eodem*, & litteræ miſſivæ hujus Servi Dei facientes ad Cauſſam, prævio monitorio contra archiviſtam *fol.* 20., qui coram judicibus illas exhibuit, & recognovit *fol. eodem tergo*, & 21., & de mandato eorumdem judicum eædem litteræ fuerunt per notarium in hac Cauſſa deputatum exemplatæ, collationatæ, & in Proceſſu regiſtratæ *fol.* 21.

143 „ Depoſitiones quoque teſtium defunctorum, qui per acta ejuſdem notarii in Curia Epiſcopali Papien. auctoritate Ordinaria alias receptæ fuerunt, prævio dictorum judicum decreto *fol.* 12. fuerunt per eumdem notarium extractæ, & in Proceſſu inſertæ *fol.* 13., & ſuper morte, & qualitate teſtium fuerunt inducti duo teſtes *fol.* 29., quibus, prævio judicum decreto *fol. eodem tergo* perſonaliter citatis per alterum ex curſoribus deputatis *fol. eodem tergo*, prævio juramento *fol.* 30., examinati duo teſtes *fol.* 30. *tergo*, & 31., nec non productæ atteſtationes obitus extractæ de libris Parochorum cum legalitate *fol.* 31. *tergo*.

144 „ Quibus ita peractis, inſtante eodem procuratore, Proceſſus fuit tranſumptatus, & a notario adjoncto fideliter auſcultatus, & interpoſito per eoſdem judices decreto, ac eorum *fol.* 32., & *o tergo*, & deinceps notariorum additis ſubſcriptionibus fuit clauſus, & traditus certo portitori jurato *fol.* 33., qui illum ad Urbem tranſtulit, ubi S. Congregationis decreto apertus fuit, ac legitime recognitus per duos teſtes, ut in regiſtro *fol.* 8.

De Processu Mediolanensi.

145 „ IN vim Commiſſionis præfatæ fuerunt ab eadem Sac. Rituum Congregatione relaxatæ aliæ litteræ remiſſoriales directæ Vicario Generali, Primicerio, nec non Horatio Caſato Canonico Metropolitanæ Eccleſiæ Mediolanen. *fol.* 2., qui litteris hujuſmodi receptis, atque apertis *fol. eodem tergo*, ad inſtantiam præfati procuratoris Pallini legitimum procuræ mandatum exhibentis *fol.* 151. deputarunt notarium, atque curſorem *fol.* 1. *tergo*, & ab unoquoque juramentum exegerunt *fol. eodem tergo*, nec non deſignarunt loca, & dies audientiarum cum ſolita reſervatione *fol.* 15.

146 „ Primum vero in ipſa civitate Mediolanen. in locis ad id deputatis examinarunt decemnovem teſtes ab eodem procuratore inductos, & per curſorem deputatum monitos, & juratos, qui rite, excepto ſecundo non interrogato ſuper tertio interrogatorio, depoſuerunt primo juxta interrogatoria, deinde ſuper articulis a *fol.* 18. *uſque ad fol.* 84., quemadmodum etiam fuerunt eadem ratione examinati alii ſex teſtes *fol.* 88. *uſque ad fol.* 124. citati, & jurati e D. Matthæo Benaglia, tamquam procuratore ſubſtituto e præfato Pallino, prout de legitime ſui ſubſtitutione docuit *fol.* 84. *tergo*, cujus ſubſtitutionis tenor habetur *fol.* 86. *terg.*

147 „ Poſtea cum iidem judices ſe contuliſſent ad oppidum Somaſchæ Diœceſis Mediolanen., & in Monaſterio Sancti Bartholomæi Plebis Olginati ejuſdem Diœceſis, inſtante procuratore, certum nuncium juratum *fol.* 125. *tergo* pro exequendis citationibus, ac certa loca pro examinandis teſtibus denuo deputaſſent *dicto fol.* 125.; acceſſerunt una cum notario ad Eccleſiam ipſam Sancti Bartholomæi, ubi iiſdem decernentibus *fol.* 126., & præſentibus, fuerunt deſcriptæ imagines, & tabellæ appenſæ ad ſepulcrum Servi Dei, quæ omnia una cum rogitu viſitationis corporis ejuſdem, prævio eorumdem judicum decreto *fol.* 128., fuerunt e notario præfato per extenſum in hoc Proceſſu regiſtrata *fol.* 126. & *ſeq.*

148 „ Succeſſive idem procurator in præfato loco Plebis Olginati diverſis temporibus triginta quinque teſtes induxit, qui omnes, & ſinguli per nuncium deputatum moniti, & jurati in locis antea deputatis, excepto uno teſte infirmo examinato in proprio cubiculo, prævia loci ejuſdem ſpeciali deputatione, examinati fuerunt ſingillatim, in primo juxta interrogatoria, poſtea ſuper articulis *fol.* 174. *uſque ad fol.* 371.

149 „ Obtinuit ulterius idem procurator eorumdem judicum decreto extrahi quædam jura ad Cauſſam facientia ex armario, ut vulgo dicitur, ſacriſtiæ Parochialis Eccleſiæ Somaſchenſis, & facta cum originali collatione in hoc Proceſſu regiſtrate *fol.* 372., & *ſeqq.*

150 „ Poſtea iiſdem judicibus Mediolanum reverſis, in locis antea deſignatis, factaque per eos alterius notarii, ob impedimenta prioris, deputatione *fol.* 382.; alter procurator R.P. Joannes Calta, tamquam ſubſtitutus a dicto Pallino, & de legitima ſubſtitutione docens *fol.* 383. produxit diverſa jura *fol.* 388. *tergo*, quæ coram ipſis judicibus, & ex eorumdem decreto *fol.* 389., & 391. extracta fuerunt ex bibliotheca Ambroſiane cum debita recognitione, & collatione cum originalibus *fol.* 393., & *ſeq.*

151 „ Item produxit Proceſſum informativum, ellas ſuper vita, & miraculis ejuſdem Servi Dei in Curia Archiepiſcopali Ordinaria auctoritate conſtructum *fol.* 400. *tergo*, & *ſeqq.*, qui Proceſſus, prævio monitorio *fol.* 396. contra notarium tunc ejuſdem Curiæ actuarium, ab eodem fuit legitime extractus, & ſubſcriptus *fol.* 413., & judicum decreto *fol.* 397. in hoc remiſſoriali inſertus *dicto fol.* 400., & *ſeqq.*, & ad comprobandas depoſitiones teſtium in dicto Proceſſu informativo contentorum præter atteſtationes obitus eorum extractas de libris Curatorum cum ſubſcriptione, & legalitate *fol.* 413. *tergo*, & 414., fuerunt formiter examinati quatuor teſtes ſuper morte, & qualitatibus illorum *fol.* 417. *uſque ad* 422.

152 „ Poſtremo fuit etiam producta *fol.* 423. depoſitio alterius teſtis alias auctoritate Ordinaria examinati in Curia Epiſcopali Patavina ſuper quibuſdam miraculis Servi Dei, extracta per cancellarium illius Curiæ, qui de dicto examine rogatus

„ fuit

Digitized by Google

cretis Sanctiſſimæ Inquiſitionis opportunum duxerunt declinandum, omniumque unum fuit reſponſum de eodem cultu rationem habendam fore, dum de virtutum ſplendore,

„ fuit cum ſubſcriptione, & legalitate Epiſcopali *fol.*427.

153 „ Quibus omnibus ita peractis, Proceſſus iſte Mediolanen. eorumdem judicum decreto *fol.* 428. fuit ab originali tranſumptatus, & adhibito altero notario ad hoc ſpecialiter deputato *fol.*393. auſcultatus, & collationatus, & prævio conſueto judicum decreto *fol.*428. fuit ſubſcriptus ab utroque notario *fol.*423. *tergo*, & 429. *tergo*, nec non ab ipſis judicibus in legalitate *fol.*429. & 430., ac eorumdem inſertis judicum litteris ad Sacram Congregationem directis, ut pluries conſideravimus ſubſcriptionem ſupplentibus, fuit clauſus, ac ſigillatus, nec non portitori ſpecialiter electo, & jurato *fol.* 429. conſignatus, & ad Urbem translatus, ubi Sacræ Rituum Congregationis decreto fuit apertus, & in forma recognitus per duos teſtes, ut in dicto regiſtro *fol.*11., & 12.

DE PROCESSU SOMASCHENSI.

154 „ POſtremo etiam fuerunt directæ aliæ remiſſoriales Archipresbytero Modoetiæ, Præpoſito Vicomercati, nec non Curato terræ Gilbiati Prothonotario Apoſtolico, omnibus in Mediolanen. Diœceſi Vicariis Foraneis, quibus ſimul congregatis, per dictum R. Joannem Caltam procuratorem ſubſtitutum, & docentem de legitima ſubſtitutione a judicibus admiſſa *fol.*5. fuerunt præſentatæ *fol.*1., in quarum executione præfati judices, poſtquam ſe declararunt judices competentes, notarium, & nuncium deputarunt, & ab illis juramentum receperunt *fol.*1. *tergo*, locum certum, diem, & horam audientiæ deſignarunt *fol.*2.

155 „ Deinde ab eodem procuratore fuerunt ſucceſſive inducti plures teſtes, qui omnes, & ſinguli per curſorem deputatum citati, prævio juramento, in locis per eoſdem judices deſignatis, fuerunt examinati primo juxta interrogatoria, poſtea ſuper articulis *fol.*8. *uſque ad* 59.

156 „ Depoſitiones teſtium alias auctoritate Ordinaria examinatorum tam in loco Olginati, quam in loco Careni, fuerunt legitime compulſatæ *fol.* 68. *terg.*, & *ſeqq.*, ac prævia citatione, & eorumdem judicum decreto *fol.*60. ad probandum illorum obitum, & bonam qualitatem, fuerunt examinati quinque teſtes *fol.*65., per curſorem moniti *fol.*66., & jurati.

157 „ Produxit etiam idem procurator diverſa jura *fol.*65., item depoſitionem cujuſdam teſtis defuncti receptam auctoritate Ordinaria in Curia Epiſcopali Vicentina legitime extractam *fol.* 70. *tergo* una cum fide obitus ejuſdem teſtis *fol.*71. *tergo*: item litteras miſſivas Hieronymi Ripæ, qui eas cum juramento, & formali examine recognovit, & approbavit, & hæc omnia fuerunt de mandato judicum in hoc Proceſſu inſerta *a fol.*72. *uſque ad fol.*75.

158 „ Qui quidem Proceſſus, eodem procuratore inſtante, fuit extractus, & una cum notario deputato, per alterum notarium ad hoc ſpecialiter per eoſdem judices electum *fol.*80. *tergo* auſcultatus, & collationatus, interpoſito decreto *fol.*82. *tergo*, appoſitis ſubſcriptionibus, & ſigillis tam judicum *fol.*81. *tergo*, & 82., quam notariorum *dicto fol.*81. cum legalitate Vicarii Generalis Mediolanen. *dicto fol.*82. fuit clauſus, & portitori jurato *fol.*83. traditus, & ad Urbem translatus, ubi Sac. Rituum Congregationi præſentatus, cujus denique decreto apertus in forma, fuit per duos teſtes recognitus, ut in regiſtro Curiæ *fol.*12.

159 „ Non obſtat, quod teſtes in Proceſſu Tarvilino, & Bergomen. videantur ſimul juraſſe contra formam in litteris remiſſorialibus præſcriptam, quæ mandant judicibus, ut teſtium juramenta ſeparatim recipiant, qui licet unico decreto judices juramenta teſtium admiſerint, & notarius unico contextu teſtetur, ipſos teſtes juraſſe, non tamen hinc neceſſario infertur, quod ſimul juraverint, unde ad ſalvandum examen præſumendum eſt, ipſos non conjunctim, ſed ſucceſſive juraſſe.

160 „ Neque etiam officit, quod plures ex teſtibus, nempe in Proceſſu Venetiarum IV., & V., in Bergomen. VII., & VIII., in Mediolanen. VIII., IX., X., XII., XIII., XV., XVI., XVII., XIX., XXII., XXV., XLIII., XLIX., LIII., LIV., & LV. non fuerint interrogati ſuper omnibus interrogatoriis, quia in ipſiſmet interrogatoriis illud expreſſe commiſſum fuit judicibus remiſſorialibus, ut quatenus teſtes interrogandi ſuper contentis in quarto interrogatorio, negative reſponderent, ulterius interrogari non deberent, ut aperte legitur in principio ejuſdem quarti interrogatorii; ideoque cum ex ipſa inſpectione Proceſſus appareat, teſtes, de quibus agitur, omnes, & ſingulos exacte interrogatos fuiſſe juxta 1., 2., 3., & 4., & juxta hoc ultimum omnes, & ſingulos negative reſpondiſſe: utique tantum abeſt, quod minus legitimum dici debeat eorum examen propter omiſſionem ſequentium interrogatoriorum, ut potius e contra vitio adſcribendum videretur, ſi ulterius contra expreſſam prohibitionem fuiſſent interrogati *ad Textum in Cap. inter monitoria de ſent. & re judic.*, Boccaccius *de Remiſſoriis c.*6. *n.*31., & *cap.*9. *n.*27., Seraphinus *dec.*781. *n.*3.

161 „ Neque etiam obſtat, quod aliqui ex teſtibus ſint ejuſdem Religionis, cujus eſt Fundator ÆMILIANUS, & ideo in ipſis videatur cadere ſuſpicio affectionis ad Cauſſam; quia cum de particulari ipſorum intereſſe non agatur, pro Religioſo, & probanda ejuſdem ſanctitate, teſtimonium ferre non prohibentur, ut in aliis Relationibus paſſim fuit reſolutum.

162 „ Poſt hæc igitur, quæ tertiam, & ultimam Relationis iſtius partem concludunt, unum illud ſupereſt, Pater Beatiſſime, ut quemadmodum ſuperior ætas ſalutarem in terris HIERONYMI ÆMILIANI operam experta eſt inter luctuoſas Italiæ calamitates, quas vis belli, annonæ caritas, peſtilentiæ ſævitia ingeſſerant, ſic hiſce etiam temporibus, quæ eadem nimium mala intulerunt, ſaluberrimam ejuſdem de Cœlo tutelam, te agnoſcamus authore, & veneremur. Cenſemus enim hanc in eo ſtatu Cauſſam eſſe, ut poſſit, quandocumque Sanctitati Tuæ placuerit, ad ulteriora procedi.

JOANNES BAPTISTA COCCINUS ROTÆ DECANUS.
PHILIPPUS PIROVANUS ROTÆ AUDITOR.
CLEMENS MERLINUS ROTÆ AUDITOR.

Digitized by Google

dore, ſeu heroicitate quæſtio haberetur [1].

Anno MDCC. ad Petri Cathedram ſummo bonorum omnium plauſu, ac maximo Reipublicæ bono Cardinalis Albani fuit ſublimatus, nomenque Clementis PP.XI. aſſumpſit: hic in Cauſſæ Relatorem elegit Leandrum Cardinalem Colloredum, qui cum primum datum ſibi munus ſuſcepit non ſolum id negocii credidit ſibi dari, ut nonnullas HIERONYMI epiſtolas attente perpenderet, verum, cum intelligeret novas & de teſtium quorumdam examine dubitationes exortas, curas, cogitationeſque eo contulit, ut re mature diſcuſſa per Sacrorum Rituum Congregationem, difficultas quæque diſſiparetur, & ut in optatis habebat, ſic feliciſſime evenit: Cauſſæ enim curſum non amplius eſſe remorandum judicarunt EE. Patres, dummodo Summus Pontifex quid in contrarium non haberet [2]: ſicque difficultas quælibet quæ contra eamdem validitatem militare videbatur penitus evanuit, non deerant enim qui examen teſtium infirmum autumarent, de judicum auctoritate valde addubitantes, de ea namque altum erat ſilentium in reaſſumptionis Cauſſæ Commiſſione, quam etiam Commiſſionem obreptionis, & ſubreptionis vitio affectam dicebant.

Cum quæſtio hæc amplius Cauſſæ impedimento minime foret, exiſtimabant Poſtulatores paucis ad diſceptationem virtutum deveniendum, ſed eum ex Animadverſionibus Fidei Promotoris dubitari comperiſſent Dei Famulum aliqua litteris conſignaſſe opuſcula, quæ nunquam fuerant a Sacrorum Rituum Congregatione perpenſa, hinc novum obſtaculum, quod maturum Cauſſæ exitum forſan retardaret, rati ſuperveniſſe, ut illud omnino removerent, curarunt oſtendere nunquam Dei Servum animum ad opuſcula conſcribenda appuliſſe; horum tamen conatus tanti non fuere, ut a ſententia Fidei Promotoris Eminentiſſimos removerent Patres, qui Mediolanenſi Archiepiſcopo, & Papienſi Epiſcopo dedere in mandatis, ut Mediolani, Somaſchæ, & Papiæ quamdiligenter in tabulariis perquirerent, num in ipſorum pluteis pulverem inter ac tineas opuſcula hæc deliteſcerent [3].

Interim dum hæc aguntur, Cardinalis Colloredus moritur, eique Cardinalis de Abdua ſufficitur, qui etſi quidquid diligentiarum, & ſtudii Archiepiſcopus Mediolanenſis, & Epiſcopus Papienſis pro eiſdem inveniendis opuſculis adhibuiſſent, in Sacra Congregatione enarraſſet, nihilominus EE. Patres, ne in re tanta aliquid oſcitanter eſſet factum, eidem Cardinali comiſere, ut per litteras Archiepiſcopum Mediolanenſem, & Epiſcopum Papienſem quid in laudatis perquirendis opuſculis factu opus eſſet, edoceret, quod præſtare ſtatim ipſe ſategit: verum cum & in hac nova perquiſitione nil eſſet adinventum, cenſuerunt tandem prudentiſſimi Patres ob non inventa opuſcula ulterius Cauſſæ curſum non eſſe retardandum [4].

His ita conſtitutis, XIII. Kalendas Januarii MDCCXVIII. Congregatio Antepræparatoria in Ædibus [5] Cardinalis de Abdua fuit habita; ſed cum in iſta Congregatione non unus fuerit doctiſſimorum Suffragatorum ſenſus circa reſponſum illud Sacræ Congregationis, quo fuerat declaratum, ut in diſputando de virtutibus ratio haberetur de antiquo cultu, qui ſuperioribus temporibus HIERONYMO fuerat exhibitus, Cardinalis Priolus loco Cardinalis de Abdua in Ponentem conſtitutus apud eamdem Congregationem, ut dictum reſponſum clarius explicaretur, inſtetit; hinc III. Nonas Februarii MDCCXX. Sacra Congregatio reſpondit unumquemque ex doctiſſimorum Suffragatorum liberam poteſtatem habere uti argumentis ex cultu jam HIERONYMO præſtito deductis ad teſtium imbecillitatem corroborandam [6].

At cum etiam ambigendum videretur de hujuſmodi decreti ſenſu, ſupplices Poſtulatores

1 *Cit. Fact. concord.* §. 10.
2 *Cit. Fact. concord.* §. 11.
3 *Cit. Fact. concord.* §. 12.
4 *Cit. Fact. concord.* §. 13.
5 *Cit. Fact. concord.* §. 14.
6 *Cit. Fact. concord.* §. 15.

tores Benedicto PP. XIII. preces exhibuerunt, ut quid hac in parte agendum auctoritate ſua ſtatueret; declaravit Summus Pontifex per Proſperum de Lambertinis tunc Fidei Promotorem in hac Cauſſa incedendum adinſtar illarum, in quibus Caſus, qui exceptus dicitur, fuerat jam probatus [1].

Hoc reportato reſponſo, XII. Kalendas Octobris MDCCXXIX. cura Petri Cardinalis Ottoboni Congregatio [2] Præparatoria fuit convocata. Fere in menſibus paucis Benedictus PP. XIII. e vivis diſceſſit, & Eccleſiam gubernare ac regere cœpit Clemens PP. XII., qui cum animadvertiſſet multa a Sacrorum Rituum Congregationis diſciplina, & Urbani PP. VIII. decretis omnino aliena per laudatum Pontificem indulta fuiſſe, EE. Cardinalibus Barberini, Zondadari, & Lambertini, atque Fidei Promotori, & Sac. Rituum Congregationis Secretario demandavit, ut viderent, an convenientius foret Cauſſas haſce omnes ad priſtinum ſtatum reducere; hi diu multumque provida conſideratione deliberantes cenſuere quoad Cauſſam HIERONYMI reſcriptum Benedicti PP. XIII. eſſe ſervandum [3].

Tunc ut novum ex quibuſdam Proceſſibus per Ordinarios locorum anno MDCX. & MDCXV. exaratis Cauſſæ huic accederet, emolumentum prudentiſſimi Poſtulatores operam ſuam ſummo conatu contulere ut Sacrorum Rituum Congregatio illos ad juris regulas fuiſſe compilatos recognoſceret [4]. Poſt hæc III. Kalen. Decembris MDCCXXXV. idem Petrus Cardinalis Ottoboni alteram Congregationem habuit Præparatoriam [5], in qua cum cognoviſſet recto tramite ad exoptatam metam Cauſſam tendere, nil diligentiarum, ac ſtudii omiſit, ut quam primum coram Clemente PP. XII. Generalia Comitia indicerentur.

VENETA, SEU MEDIOLANEN.

Beatificationis, & Canonizationis Ven. Servi Dei HIERONYMI ÆMILIANI Clericorum Regularium Congregationis Somaſchæ Fundatoris.

FACTUM CONCORDATUM.

1 „ VEN. Servus Dei HIERONYMUS ÆMILIANUS Venetiis nobili genere
„ natus anno 1481. deceſſit cum fama ſancti-
„ tatis anno 1537. die 8. Februarii in op-
„ pido Somaſchæ Mediolanen. Diœceſis,
„ unde Congregatio Clericorum Regularium
„ ab ipſo inſtituta nomen ſumpſit.

2 „ Invaleſcente vero eadem ſanctitatis fa-
„ ma pluribus in locis, ac civitatibus cultu
„ etiam publico cum titulo BEATI abſque Or-
„ dinariorum contradictione venerationem
„ obtinuit, unde ſuper his fuerunt de anno
„ 1614. Venetiis [6], Tarviſii [7], Bergomi [8],
Bri-

1 *Cit. Fact. concord.* §. 16.
2 *Cit. Fact. concord.* §. 17.
3 *Cit. Fact. concord.* §. 18.
4 *Cit. Fact. concord.* §. 19.
5 *Cit. Fact. concord.* §. 20.
6 Venetiæ urbs Italiæ inter ſtagna Hadriatica, condita eo tempore, quo Attila Rex Hunnorum Aquilejam evertit anno CCCCXXI. Caput Reipublicæ Venetæ, emporium maximum ab omnibus nationibus frequentatum, cum armamentario, & portu percelebri. Improbus eſſet labor omnes recenſere ſcriptores, qui celebris hujus civitatis, & Reipublicæ laudes commemorarunt, ſed præ omnibus ſit unus Petrus Bembus S. R. E. Cardinalis, qui 12. libris Venetam hiſtoriam graphice, eleganterque deſcripſit, qui typographicis formis impreſſi fuere Venetiis 1551., Baſileæ 1557., & Argentinæ 1611.
7 Tarviſium a Venantio Fortunato Tauriſium nuncupatum, urbs Venetæ Ditionis, cujus imperio paret ab anno MCCCXXXVI. Marchiæ Tarviſinæ caput, jacet ad Silim flumen; nomen accepit a tauro beſtia, quod indigenæ illi, qui ab Antenore cum ad Italiam ex Troja appulit ex ſuis ſedibus ſunt exturbati, taurum quemdam ferum dimiſerunt, ut ubi ille conſiſteret, urbem ibi novam conderent. Videatur Joannes Bonifacius *in hiſtoria Tarviſina* italico ſermone conſcripta *Trevigi* 1591., Bartholomæus Burchelati in *hiſtoriæ Tarviſinæ promptuario Tarviſii* 1616., & Ferdinandus Ughellus de ejus Epiſcopis *in Italia ſacra tom.* 5.
8 Bergomum urbs Venetiis in Cenomanis inter flumen Brembum, & Serium condita Catone teſte ab Orobiis una cum Como, & Foro Licinii. De ea agunt Antonius Bellaſinus *de origine, & temporibus urbis Bergomi Venetiis* 1532., Philippus Cluverius *in Italia antiqua lib.* 5., *& in Germania antiqua lib.* 1. *cap.* 7., Achilles Mutius *Theatrum ſex partibus diſtinctum*, quo illuſtrium Bergomatum monumenta referuntur, Marius Mutius *Iſtoria Sacra Bergomi* italico idiomate exarata, Bartholomæus Peregrinus de *antiquis Bergomi monumentis*, & Ferdinandus Ughellus, qui *in tom.* 4. *Italia ſacra* agit de ejus Epiſcopis.

Digitized by Google

„ Brixiæ [1], Papiæ [2], & Mediolani [3] au-
„ ctoritate Ordinaria Proceſſus conſtru-
„ cti, quibus attentis, ad ſupplicationem
„ Reverendiſſimi Patriarchæ, & Sereniſſi-
„ mæ Reipublicæ Venetiarum, necnon Con-
„ gregationis Clericorum de Somaſcha, ſi-
„ gnata fuit a ſan. mem. Gregorio XV. ſub
„ die 26. Maii 1623. Commiſſio ſuper in-
„ troductione Cauſſæ, & a Sacra Rituum
„ Congregatione fuerunt poſtmodum expe-
„ ditæ litteræ remiſſoriales directæ, nempe
„ ſub die 4. Novembris ejuſdem anni 1623.
„ Mediolanum, Brixiam, Tarviſium, &
„ ſub die 3. ſequentis Julii Venetias, & ſub
„ die 29. Januarii 1625. Bergomum, & ſub
„ die 23. Aprilis 1625. Papiam, & demum
„ ſub die 20. Auguſti 1627. ad oppidum So-
„ maſchæ.

3 „ Earum vigore fabricati fuerunt ſe-
„ ptem Proceſſus, quibus ad Sacram Con-
„ gregationem Rituum delatis, & ſervatis
„ ſervandis apertis, ac deinde per bo. me.
„ Joannem Baptiſtam Coccinum, Philippum
„ Pirovanum, & Clementem Merlinum tres
„ antiquiores Sacræ Rotæ Auditores, ut
„ tunc moris erat, examinatis, prodiit tan-
„ dem de anno 1630. eorumdem Relatio ad
„ ſan. mem. Urbanum VIII., in qua cenſue-
„ runt: *Conſtare de prædictorum Proceſ-
„ ſuum validitate, ac rituali teſtium exa-
„ mine, necnon de probatione, ac rele-
„ vantia virtutum, & miraculorum, Cauſ-
„ ſamque in eo ſtatu verſari, ut quan-
„ documque Sanctitati Suæ placuiſſet, poſſet
„ ad ulteriora procedi.*

4 „ Verum propoſito in Sacra Rituum
„ Congregatione die 26. Septembris 1631.
„ per clar. mem. Cardinalem Cæſarinum [4],
„ olim hujuſmodi Cauſſæ Relatorem dubio
„ ſuper dictorum Proceſſuum validitate, Sa-
„ cra Congregatio cenſuit, teſtes decem &
„ ſeptem in Mediolanen. Proceſſu, quatuor in
„ Veneto, & tres in Bergomen., tamquam
„ minus ſufficienter interrogatos, eſſe nul-
„ liter examinatos, denegata etiam ſana-
„ tione petita ex gratia ſub die 10. ſequen-
„ tis Januarii, & inſuper decrevit, eorum-
„ dem collationes, & auſcultationes eſſe
„ iterum faciendas, ſervata omnino forma
„ litterarum remiſſorialium, & compulſo-
„ rialium antea tranſmiſſarum, & ad hunc
„ effectum alias conceſſit remiſſoriales ex-
„ peditas 10. Aprilis 1632.

5 „ Hac nova collatione, & auſcultatio-
„ ne peracta, priuſquam in Sacra Rituum
„ Congregatione dubium validitatis iterum
„ proponeretur, de mandato Sanctiſſimæ In-
„ quiſitionis in Congregatione habita coram
„ ſan. mem. Innocentio X. die 12. Februa-
„ rii 1654. interdicta fuit Superioribus Con-
„ gregationis Clericorum Somaſchenſium
„ continuatio cultus, qui, non contradicen-
„ tibus

1 Brixia urbs Tranſpadanæ regionis a Cenomanis, qui poſt Inſubres in Italiam venerunt, prope Melam flumen ædificata. De hac civitate conſule, ſi lubet, Eliam Capreolum Juriſconſultum in *Chronico*, ſive *hiſtoria Brixianorum Brixiæ* 1519., Philippum Cluverium *in Italia antiqua lib.1. cap.6.*, Aſcanium Martinengum Canonicum Regularem Lateranenſem *de Brixienſis Eccleſiæ nobilitate*, & Alexandrum Totti *Monumenta urbis, & agri Brixienſis antiqua*.

2 Papia, ſeu Flavia Papia ab antiquis Ticinum dicta, urbs Inſubriæ ad Ticinum flumen, a quo nomen accepit, condita ante ipſum Mediolanum a Liguribus, Levis, & Maricis; dum in Italia imperium Longobardorum ſtetit caput ſedeſque Regni hæc urbs fuit habita: videatur Bernardus Saccus in *Ticinenſi hiſtoria*, ſive *de rebus italicis*, *Papiæ* 1565.

3 Mediolanum urbs Inſubriæ ampliſſima Ducatus hujus nominis caput. Ædificata fuit anno cccxcv. poſt Romam conditam a Gallis Inſubribus, & appellata a nomine urbis, quam reliquerant in Gallia, quamvis non deſint, inter quos principem locum tenent Sanctus Ambroſius Epiſcopus Mediolanenſis, & Sidonius Apollinaris, qui a ſue media parte lanata hanc Urbem Mediolanum nuncupatam putent. Ex hac originem traxit Statius Cæcilius Poeta comicus: qui de hac celeberrima urbe ſcripſere non juvat commemorare; ipſa enim excellentium auctorum copia inopes nos facit, cum notarum anguſtia in longum ſermonem protrahere non ſinat.

4 *Alexander Cæſarinus* Romanus ab Urbano PP. VIII. III. Kalendas Septembris MDCXXVII. ſacra Purpura ornatus, primo S. Mariæ in Dominica Diaconiam obtinuit, deinde S. Euſtachii, tum S. Mariæ in Via lata, VI. Kalendas Maii MDCXXXVI. ab eodem Pontifice Epiſcopus Viterbienſis renunciatur, cum illam Eccleſiam annis duobus rexiſſet, ac ea in urbe Clericorum Seminarium conſtituiſſet, Epiſcopatum dimiſit, Romamque conceſſit, ubi repentina angina correptus obiit VIII. Kalendas Februarii MDCXLIV., ſepultuſque fuit ad S. Mariam in Aracæli in Familiæ ſepulcro.

Digitized by Google

„ tibus Ordinariis ab annis nonaginta ſeptem
„ ante decreta generalia Urbani PP. VIII.,
„ prædicto Servo Dei pluribus in locis præ-
„ ſtari conſueverat, cui quidem decreto
„ abſque contradictione Congregationis So-
„ maſchæ, & omiſſa diſcuſſione Caſus ex-
„ cepti, in quo Cauſſa verſabatur, ſtatim
„ paritum fuiſſe conſtat.

6 „ Nam die 13. Novembris 1663. ſigna-
„ ta per ſan. mem. Alexandrum VII. Com-
„ miſſione reaſſumptionis Cauſæ, & ſubin-
„ de relatis in Sacra Rituum Congregatione
„ Proceſſibus remiſſorialibus Mediolani, &
„ in Urbe ſuper non cultu fabricatis, ea-
„ dem Sacra Congregatio ſub die 15 Janua-
„ rii 1667., proponente clar. mem. Cardi-
„ nali Antonio Barberino [1], reſpondit: *Con-
„ ſtare de ſufficienti paritione decretis ſan.
„ mem. Urbani VIII., & procedi poſſe ad
„ ulteriora in Cauſſa, ſi Sanctiſſimo pla-
„ cuerit*, qui die 5. ſequentis Februarii de-
„ cretum approbavit.

7 „ Reaſſumptis poſtea Proceſſibus olim
„ auctoritate Apoſtolica factis, & vigore lit-
„ terarum remiſſorialium anno 1623. expe-
„ ditarum, de novo collationatis, & auſcul-
„ tatis, propoſitum tandem fuit per clar. me.
„ Cardinalem Brancatium [2] in locum clar.
„ me. Cardinalis Antonii Barberini abſen-
„ tis dubium: *An conſtet de validitate Pro-
„ ceſſuum, teſtes ſint in eis rite, & recte
„ examinati, & jura legitime compulſata
„ in caſu &c.*, & Sacra Congregatio ſub
„ die 21. Junii 1670. cenſuit prævia ſa-
„ natione, conſtare, & poſſe procedi ad ul-
„ teriora, ſi Sanctiſſimo placuerit, prout
„ ſan. mem. Clemens X. eadem die ſanavit,
„ & annuit.

8 „ Anno vero ſequenti 1671. die 14.
„ Martii ſan. mem. Clemens X. benigne an-
„ nuit, ut Cauſſa proponeretur in Sacra
„ Rituum Congregatione ſuper dubio: *An
„ conſtet de virtutibus, tam Theologalibus,
„ quam Cardinalibus &c.*

9 „ Cum vero quædam miracula ad inter-
„ ceſſionem præfati Servi Dei poſt abſolutos
„ antiquos Proceſſus contigiſſe diceretur,
„ alius noviſſime Proceſſus, præviis litteris
„ remiſſorialibus, confectus fuit in Diœceſi
„ Mediolanen., quo ad Sacram Rituum Con-
„ gregationem delato, & ſervatis ſervandis
„ aperto, & a clar. mem. Cardinali Colum-
„ na, loco claræ pariter memoriæ Cardina-
„ lis Vidoni Ponentis in Congregatione ha-
„ bita die 27. Januarii 1680. relato, prodiit
„ reſponſum: *Conſtare de illius validitate,
„ & teſtes in eo fuiſſe rite, & recte exami-
„ natos*, ſan. mem. Innocentio XI. ſubinde
„ annuente die 6. ſequentis Februarii.

10 „ In hoc Cauſæ ſtatu ſupplicarunt Po-
„ ſtulatores pro reintegratione publici cul-
„ tus olim Servo Dei uſque ad annum 1654.
„ exhibiti, ac, ut dictum eſt, abſque diſcuſ-
„ ſione Caſus excepti de mandato Sanctiſ-
„ ſimæ Inquiſitionis prohibiti, & Sacra Con-
„ gregatio ad relationem ſan. mem. Clemen-
„ tis XI. tunc Cardinalis [3], & hujuſmodi
„ Cauſæ Ponentis ſub die 18. Aprilis 1693.

K reſ-

---

1 *Antonius Barberinus* Urbani PP. VIII. fratris filius ab eodem Pontifice VIII. Idus Februarii MDCXXVIII. Cardinalis declaratur; Diaconiam Sanctæ Mariæ in Aquiro obtinuit, quam poſtea commutavit cum illa S. Agathæ in Suburra, demum cum alia S. Mariæ in Via lata, Presbyteris poſtea adſcriptus Cardinalibus habuit Titulum Sanctiſſimæ Trinitatis in monte Pincio; VI. Idus Octubris MDCLX. Epiſcopus Tuſculanus renuntiatur, hinc Præneſtinus, deinde Portuenſis, ac tandem Oſtienſis; obiit Romæ ſub Innocentio PP. XI.

2 *Franciſcus Maria Brancatius* Neapolitanus ex Epiſcopo Caputaquenſi VI. Kalendas Decembris MDCXXIII. ab Urbano PP. VIII. Cardinalis eligitur, Baſilicæque SS. duodecim Apoſtolorum Titulo cohoneſtatur, ex quo optavit Titulum Sancti Laurentii in Lucina: inde ad Epiſcopos Cardinales tranſiens fit primum Epiſcopus Sabinenſis, deinde Tuſculanus: obiit ſub Clemente PP. X.

3 *Joannes Franciſcus Albani* Caroli Albani Urbinatenſis, & Elenæ Moſca Piſaurenſis filius, a primæva ætate talia virtutum ſpecimina dedit, ut de illo non ſolum ſperare, ſed etiam confidere poſſent ſui ad ſummos Eccleſiæ, & Reipublicæ honores firmiori ætate perventurum, ita enim litterarum ſtudiis incubuit, ut nedum Philoſophicas, Theologicaſque ſcientias, ac univerſam Juriſprudentiam hauſerit, ſed eloquentiæ, & politioribus litteris quammaxime deditus, Latinum, Græcumque ſermonem perfecte didicerit. Inter Romanæ Curiæ Præſules adſcriptus Civitates Reatinam, & Urbemveterem, ac Sabinæ Provinciam juſtiſſime, ſanctiſſimeque eſt moderatus. Romam reverſus, primum Vicarius, deinde Canonicus Vaticanæ Baſilicæ conſtituitur, ac tandem mortuo Cardi-

nali

„ reſpondit: *Non eſſe concedendam reinte-*
„ *grationem publici cultus, ſed de eo ha-*
„ *bendam eſſe rationem in ulteriori exami-*
„ *ne Cauſſæ, & præſertim in diſcuſſione*
„ *dubii ſuper virtutibus*; quod quidem
„ decretum a ſan. mem. Innocentio XII. ſub
„ die 16. ſequentis Maii probatum fuit.

11 „ In Cauſſæ Relatorem ſubrogato die
„ 26. Januarii 1701. clar. mem. Cardinali
„ Colloredo, & præmiſſa nonnullarum Servi
„ Dei epiſtolarum reviſione in Congregatio-
„ ne habita die 6. Martii 1706. probata cum
„ clauſula, quod de iis habenda ſit ratio ſuis
„ loco, & tempore, annuente ſan. mem.
„ Clemente XI. die 15. ejuſdem menſis. Cum
„ ſucceſſive de reſcripti, ac ſanationis ob-
„ tentæ ſuper validitate examinis teſtium di-
„ cta die 21. Junii 1700. ſubſiſtentia dubita-
„ tum fuerit, tum ex defectu juriſdictionis,
„ ex quo in Commiſſione reaſſumptionis Cauſ-
„ ſæ ſub die 13. Novembris 1663. a ſan.
„ mem. Alexandro VII. ſignata, talis facul-
„ tas conceſſa non videretur, tum ex vitio
„ ſubreptionis, & obreptionis, eo quod tunc
„ expoſitum non fuerat, die 26. Septembris
„ 1631. actum alias fuiſſe in eadem Sacra
„ Rituum Congregatione de prædictorum
„ Proceſſuum validitate, & rejectione dicto-
„ rum viginti quatuor teſtium, die 4. Auguſti
„ 1708. Sac. Congregatio vigore ſpecialis re-
„ ſcripti a ſan. me. Clemente XI. obtenti,
„ re mature examinata, ac audito Domino
„ Advocato Conſiſtoriali Joanne Baptiſta
„ Bottino Archiepiſcopi Myrenſis Fidei
„ Promotoris Coadjutore, & ſubinde audi-
„ to pariter R. P. Proſpero de Lambertinis,
„ tum pariter Coadjutore dicti Archiepiſco-
„ pi, rejecto unanimibus ſuffragiis aſſerto
„ defectu juriſdictionis, reſpondit: *prævia*
„ *ſanatione, ſi Sanctiſſimo placuerit, poſſe*
„ *procedi ad ulteriora*, & ſan. mem. Cle-
„ mens XI. benigne ſanavit, & annuit die 9.
„ Februarii 1709.

12 „ Submotis hujuſmodi difficultatibus,
„ conſtruxerunt Poſtulatores informatio-
„ nem, & ſummarium ſuper dubio virtu-
„ tum Servi Dei, cumque in Animadver-
„ ſionibus deſuper compilatis per D. Pro-
„ motorem ex depoſitione teſtis ibidem in-
„ dicati ſuſpicari poſſet, non nulla opuſcu-
„ la a dicto Servo Dei fuiſſe conſcripta,
„ quorum propterea reviſio præliminariter
„ fieri deberet ad formam decretorum ge-
„ neralium *in §. præterea*, atque exponen-
„ tibus Poſtulatoribus, dictum Servum Dei
„ nulla opuſcula edidiſſe, ac proinde ſuppli-
„ cantibus Sacræ Congregationi, ut reſcri-
„ bere dignaretur, ut ad ulteriora in diſpu-
„ tatione dubii ſuper virtutibus procedere-
„ tur, die 19. Februarii 1707., referente eo-
„ dem clar. mem. Cardinali Colloredo, ea-
„ dem Sacra Congregatio reſcripſit. *Scri-*
„ *batur Eminentiſſimis Archiepiſcopo Me-*
„ *diolanenſi, & Epiſcopo Papienſi pro nova*
„ *diligentia in archiviis Mediolani, So-*
„ *maſchæ, & Papiæ, & hic etiam Romæ*
„ *moneantur Patres denuo perquirere*, an-
„ nuente ſan. mem. Clem. XI. die 26. ejuſ-
„ dem menſis Februarii.

13 „ His omnibus adimpletis, abſque eo
„ quod perquiſitum opuſculum reperiri po-
„ tuerit, ſubrogato clar. me. Cardinali de Ab-
„ dua [1] in Cauſſæ Relatorem poſt obitum
„ clar. mem. Cardinalis Colloredi, verbum
„ fecit in Sacra Congregatione die 22. Mar-
„ tii 1710. ſuper diligentiis tunc factis a Po-
ſtu-

nali Sluſio, Secretarius Brevium declaratur, quo in munere non ſolum laboris patientem, in pauperes effuſum, in amicos liberalem ſeſe oſtendit, verum etiam viros quoſque ſcientia, & eruditione præſtantes caros habuit, ſummiſque proſequutus eſt beneficiis. Quibus viri virtutibus Alexander PP. VIII. permotus Idibus Februarii MDCXC. illum ad Cardinalitiam evexit dignitatem, donavitque Diaconia Sanctæ Mariæ in Porticu, ex qua tranſitum fecit ad illam Sancti Adriani in foro boario. Poſt Innocentii PP. XII. mortem, VIII. Kalendas Decembris MDCC. Summus Pontifex proclamatur ſub nomine Clementis PP. XI. annos natus unum & quinquaginta. Heroica ipſius geſta in Pontificatu exponere, ut brevitati conſulamur, dolenter omittimus; obiit bonorum omnium mœrore XIV. Kalendas Aprilis MDCCXXI.

1 *Ferdinandus de Abdua* vir pluribus ornatus virtutum meritis, qui Legatum Apoſtolicum penes Jacobum II. Angliæ Regem geſſerat, atque ex ea regione rebellantibus hæreticis perſonatus aufugerat, ab Alexandro PP. VIII. Idibus Februarii MDCXC. in Cardinalium Collegium cooptatus Titulum habuit S. Clementis, hinc S. Balbinæ, poſtea S. Petri ad Vincula; obiit Romæ Epiſcopus Tuſculanus VI. Kalendas Februarii MDCCXIX.

„ ſtulatoribus, & Sacra Congregatio reſpon-
„ dit, quod fierent novæ diligentiæ juxta
„ inſtructionem per eumdem Reverendiſſi-
„ mum Cardinalem Ponentem dandam: fa-
„ ctiſque tandem diligentiis ad formam in-
„ ſtructionis, idem Reverendiſſimus Cardi-
„ nalis de Abdua Ponens eas retulit in Con-
„ gregatione habita 18. Auguſti 1714., & au-
„ dito Promotore Fidei, reſponſum fuit, pro-
„ cedi poſſe ad ulteriora, ſi Sanctiſſimo vide-
„ bitur, & ſa. me. Clemens XI. die 5. Octo-
„ bris ſequentis decretum approbavit.

14 „ Quibus ita præmiſſis, die 20. Decem-
„ bris anni 1618. ſuper dubio heroicarum
„ virtutum habita fuit Congregatio Antepræ-
„ paratoria in ædibus ejuſdem clar. me. Car-
„ dinalis de Abdua, quo e vivis ſublato, ſub-
„ rogatus fuit in Cauſſæ Relatorem ſub die
„ 11. Februarii anni immediate ſequentis
„ clar. pariter mem. Cardinalis Priolus [1].

15 „ In dicta Congregatione Antepræpa-
„ ratoria habita coram clar. mem. Cardinali
„ de Abdua variæ inſurrexerunt difficultates
„ ſuper intelligentia ſupra memorati reſcri-
„ pti Sacræ Congregationis Rituum Ordina-
„ riæ editi die 18. Aprilis anni 1693., ju-
„ xta quod demandabatur, ut de antiquo,
„ & longævo cultu erga Ven. Dei Famulum
„ præſtito, ratio haberetur in ulteriori exa-
„ mine Cauſſæ, & ſignanter in dubio virtu-
„ tum, quapropter recurrentibus Poſtulato-
„ ribus ad eamdem Sacram Congregationem
„ Rituum Ordinariam pro declaratione præ-
„ ſati reſcripti, referente eodem clar. mem.
„ Cardinali Priolo ſub die 3. Februarii anni
„ 1720., reſolutio prodiit: *Ad mentem*, &
„ mens ea fuit, *quod unuſquiſque in Cauſſa*
„ *ſuffragaturus poſſit, aut non poſſit, prout*
„ *unicuique ſua conſcientia ſuggeſſerit,*
„ *uti tam cultu, quam ceteris documentis*
„ *ad effectum coadjuvandi defectum teſtium*
„ *oculatorum ſuper dubio virtutum.*

16 „ Poſt obitum clar. mem. Cardinalis
„ Prioli, me ſubrogato in Cauſſæ Relato-
„ rem [2] ſub die 21. Auguſti ejuſdem anni
„ 1720., dubitarunt Poſtulatores, an ex
„ mox relata Sacræ Congregationis Rituum
„ reſolutione, adhuc ſatis clara eſſet intelli-
„ gentia antiqui reſcripti anni 1693., un-
„ de recurſum habuerunt pro opportuniori
„ remedio ad ſan. mem. Benedictum XIII.,
„ a quo per medium Reverendiſſimi Cardi-
„ nalis Lambertini tunc Fidei Promotoris,
„ ad quem preces Poſtulatorum remiſerat
„ indultum, ſive decretum per hæc verba
„ obtinuerunt: *Sanctiſſimus Dominus No-*
„ *ſter attento tenore reſcriptorum hac in*
„ *Cauſſa editorum, de quibus in hoc ſuppli-*
„ *ci libello, aliiſque ſerio ponderatis cir-*
„ *cumſtantiis, benigne indulſit, ut in ea-*
„ *dem ſuper dubio virtutum procedatur*
„ *quoad probationes, uti Sacra Congrega-*
„ *tio procedere conſuevit in Cauſſis anti-*
„ *quis, in quibus præceſſit approbatio Caſus*
„ *excepti a decretis ſan. mem. Urbani VIII.*

17 „ Die 20. Septembris 1729. in Pala-
„ tio Apoſtolico Vaticano habita fuit Con-
„ gregatio Præparatoria ſuper eodem dubio
„ virtutum heroicarum.

18 „ Poſt glorioſam aſſumptionem SS. D.
„ N. Clementis XII. ad Cathedram Pontifi-
„ ciam, deputata fuit ab eodem Sum. Ponti-
„ fice Congregatio particularis Reverendiſſi-
„ morum Cardinalium Barberini [3], Zonde-
„ darii [4], & Lambertini, necnon R. P. Se-
„ cretarii, & Fidei Promotoris, ad effe-

1 *Aloyſius Priolus* Venetus cum diu, maximaque cum laude difficile Auditorum Rotæ munus functus eſſet, xv. Kalendas Junii MDCCXII. a Clemente PP. XI. inter Presbyteros Cardinales fuit relatus. Titulum habuit S. Marcelli, ex quo optavit Titulum S. Marci: prudentia, & morum integritate excelluit: obiit Romæ v. Idus Martii MDCCXX., ſepultus in templo S. Marci.

2 *Petrus Ottbobonus* Venetus ab Alexandro PP. VIII. ejus Patruo magno VII. Idus Novembris MDCLXXXIX. declaratur S. R. E. Cardinalis, donaturque Diaconia Sancti Laurentii in Damaſo. A Chriſtianiſſimo Galliarum Rege Protector illius Regni eſt renunciatus, & maximis muneribus, ditiſſimiſque beneficiis auctus eſt: obiit Romæ Epiſcopus Oſtienſis Sacri Collegii Decanus Pridie Kalendas Martii MDCCXL.

3 *Franciſcus Barberinus* ab Alexandro PP. VIII. Idibus Novembris MDCXC. Diaconus Cardinalis S. Angeli in foro piſcium declaratur: obiit Romæ Epiſcopus Oſtienſis, & Veliternus XVI. Kalendas Septembris MDCCXXXVIII.

4 *Antonius Felix Zondedarius* maximis in Romana Curia functus muneribus a Clemente PP. XI., xv. Kalendas Junii MDCCXII. inter Purpuratos Patres adſcribitur, Tituloque S. Praxedis inſignitur: obiit Senis x. Kalendas Decembris MDCCXXXVII.

,, ctum ſignanter examinandi: *Se molti re-*
,, *ſcritti ottenuti dal defonto Pontefice ſpet-*
,, *tanti alle Cauſe di Beatificazione, e Ca-*
,, *nonizazione, come contrarj direttamen-*
,, *te a' decreti della ſa.me. di Urbano VIII.,*
,, *& allo ſtile della Sagra Congregazione*
,, *de' Riti ſi debbano rivocare da Noſtro*
,, *Signore, con rimettere le Cauſe nell'an-*
,, *tico piede, e ordine oſſervato per tanti*
,, *anni dalla ſteſſa Sagra Congregazione,*
,, *ò pure prenderſi altro temperamento.*
,, Eademque Congregatione particulari fa-
,, cta die 17. Sept. anni 1730. in ædibus Re-
,, verendiſſimi Cardinalis Barberini, inter
,, alia indulta conceſſa a ſan. mem. Benedi-
,, cto XIII., examinatum fuit etiam mox ſu-
,, perius relatum, editum in Cauſſa Venr.
,, Servi Dei, & prodiit reſolutio: *Quoad*
,, *Cauſſam Ven. Servi Dei* HIERONYMI ÆMI-
,, LIANI *ſervandum eſſe reſcriptum ſan. me.*
,, *Benedicti XIII.*, eamdemque reſolutio-
,, nem Sanctiſſimus Dominus Noſter die 18.
,, ejuſdem menſis approbavit.

19 ,, Quia vero Poſtulatores in examine
,, dubii ſuper virtutibus utebantur nonnullis
,, Proceſſibus auctoritate Ordinaria factis ab
,, annis 1610., & 1615., de quorum validi-
,, tate per Sacram Rituum Congregationem
,, approbata non conſtabat, ideo obtenta
,, die 13. Februarii 1734. diſpenſatione ab
,, interventu Conſultorum, cui Sanctiſſimus
,, annuit die 6. Martii, in Sacra Congrega-
,, tione Rituum Ordinaria die 17. Julii ejuſ-
,, dem anni 1734. propoſui dubium: *An con-*
,, *ſtet de validitate eorumdem Proceſſuum*
,, *auctoritate Ordinaria factorum*, quod af-
,, firmative reſolutum fuit, & Sanctitas Sua
,, annuit die 20. ejuſdem menſis.

20 ,, Tandem die 29. Novembris anni
,, 1735. habita fuit alia Congregatio Præpa-
,, ratoria in Palatio Quirinali.

21 ,, Rebus ita diſpoſitis, dubium jamdiu
,, ſubſcriptum a clar. mem. Cardinali de
,, Abdua, nempe: *An conſtet de virtutibus*
,, *Theologalibus, Fide, Spe, & Caritate in*
,, *Deum, & proximum, & quatuor Car-*
,, *dinalibus, Prudentia, Juſtitia, Forti-*
,, *tudine, & Temperantia, earumque an-*
,, *nexis in gradu heroico, in caſu &c.* coram
,, S. V. in generali Congregatione propo-
,, nam.

P. Cardinalis Otthobonus Cauſſæ Ponens.

In his Generalibus Comitiis adeo fulgor virtutum BEATI VIRI clarius effulſit, ut VIII. Kalendas Septembris MDCCXXXVII. Clemens PP. XII. eaſdem auctoritate ſua firmare non dubitaverit [1]; cujus rei fama Veneti commoti ferventius illuſtris Concivis patrocinium, dum adverſa premebantur valetudine, expoſtulare cœpere, ad quorum humilem, ac ſupplicem obſecrationem Deus Optimus Maximus plura prodigia edere non eſt dedignatus.

Tunc Cauſſæ Poſtulator, qui nullam occaſionem præterire ſinebat, ut quamprimum Beatitatis honores eximio Parenti tribuerentur, apud Sacrorum Rituum Congregationem egit, ut litteras remiſſoriales Venetias ad Proceſſus ſuper hiſce miraculis exarandos mitterentur: hinc VI. Kalendas Julii MDCCXXXVIII. Eminentiſſimi Patres litteras dedere Patriarchæ Venetiarum, & Epiſcopis Caurlen., & Civitatis Novæ, ut ad examen revocarent, qui de hujuſmodi miraculis teſtimonium dicere poſſent [2]: at cum Epiſcopus Civitatis Novæ primum plurimis eſſet diſtentus negociis, ac tandem ex Venetiarum urbe abierit, hinc partes Epiſcopi Civitatis Novæ opportuit per Eminentiſſimos Patres III. Nonas Februarii MDCCXXXIX. per novas remiſſoriales litteras committi Epiſcopo Arhoren., qui cum aliis judicibus manum operi ſtatim admovit, & quambreviſſime ad finem, ac complementum Acta ipſa [3] perduxit.

Quæ cum Romam fuiſſent tranſmiſſa Petrus Cardinalis Otthobonus provida deliberatione effecit, ut eorumdem validitas in diſputationem veniret in Sacrorum Rituum Congregatione X. Kalen. Februarii MDCCXL., cujus Congregationis ſententia ſecunda Poſtu-

1 *Ex ſecundo Fact. concord. §. 1.*

2 *Loco cit.*

3 *Cit. Fact. concord. §. 2.*

ſtulatoribus fuit; verum cum intra paucos dies Clemens PP. XII. extrema infirmitate correptus in ſenectute bona diem clauſerit extremum, non potuit auctoritate ſua roboris firmitatem Congregationis ſententiæ adiicere, hoc tamen benigne præſtitit æternæ mem. Pontifex Benedictus PP. XIV. VII. Kalendas Septembris paulo poſt [1] quam ad Petri Solium, virtute duce, fuerat ſublimatus, qua etiam die ne optima Cauſſa diu ſiſteret, Angelum Cardinalem Quirinum [2] in novum Cauſſæ Ponentem elegit: Petrus etenim Otthobonus, dum ipſa Comitia Pontificia habebantur, mortem cum vita commutaverat.

His igitur ſic conſtitutis, vigilantiſſimi Poſtulatores ad ea omnia comparanda, quæ ad judicium rite recteque ſubeundum requirebantur, cogitationes contulerant, cum Cardinalis Quirinus Brixiam petiit (illius enim Urbis Epiſcopus erat) proindeque alium in Ponentem conſtitui fuit neceſſe, ut de Cauſſa agi in Sacra Rituum Congregatione poſſet; hoc munus Cardinali Gentili [3] Pridie Nonas Februarii MDCCXLII. Pontifex demandavit [4]. Hic omni cogitatione, curaque in negocium hujuſmodi incumbens, V. Kal. Maii MDCCXLV. propriis in ædibus Congregationem Antepræparatoriam [5] habuit, in qua in quæſtionem fuere revocata non ſolum ea miracula, de quibus Acta paucos ante annos Venetiis fuerant exarata, verum & alia, quæ ex antiquis eruebantur Proceſſibus: hinc ut primo quoque tempore Beatitatis honore HIERONYMUS afficeretur, VI. Kalendas Decembris in Quirinali Præparatoriam Congregationem [6] curavit indicendam, ex qua cum evidentiſſimis ſignis, & argumentis nullo obſtaculo cognoviſſet proſperum fauſtumque judicii curſum remorandum, obtinuit, ut EE. Patrum, & RR. Suffragatorum Pridie Kalendas Februarii MDCCXLVII. Generalis Conventus [7] coram doctiſſimo Pontifice celebraretur, in quo prudentiſſimus Pontifex ſententiam ſuam diſtulit aperire, ut lumen ab eo, a quo omne bonum deſcendit expoſtularet; idque precibus, orationibuſque præſtitit ad IX. Kal. Maii MDCCXLVII., quo invariabili decreto conſtituit duas, de quibus quæſtio fuerat, ſanationes inter miracula eſſe recenſendas.

VENETA, SEU MEDIOLANEN.

Canonizationis Venerabilis Servi Dei
HIERONYMI ÆMILIANI
Congregationis Somaſchæ
Fundatoris.

FACTUM CONCORDATUM.

1 „ POſtquam ſan. mem. Clemens XII. ſub die 25. Auguſti anni 1737. decretum ediderat ſuper approbatione heroicarum virtutum Ven. Servi Dei HIERONYMI ÆMILIANI Congregationis Somaſchæ Fundatoris, cum ſupervenerint in civitate Venetiarum nonnulla miracula ad interceſſionem ejuſdem Ven. Servi Dei ab Altiſſimo patrata, Cauſſæ Poſtulator die 21. Junii 1738. humiles porrexit preces in Sacra Rituum Congregatione inſtans pro conceſſione conſuetarum litterarum remiſſorialium dirigendarum Reverendiſſimo Patriarchæ Venetiarum, & Epiſcopis Caurlen., & Civitatis Novæ ad effectum

1 *Cit. Fact. concord.* §. 5.

2 *Angelus Maria Quirinus* Venetus primum Archiepiſcopus Corcyrenſis, deinde Epiſcopus Brixienſis, VI. Kalendas Decembris MDCCXXVII. a Benedicto PP. XIII. Cardinalis declaratur Tituli S. Auguſtini, ex quo optavit Titulum S. Marci, quod poſtea retinens in Commendam petiit Titulum S. Praxedis. A Clemente PP. XII. Bibliothecarius Apoſtolicus ob ejus ſingularem eruditionem renuntiatur.

3 *Antonius Xaverius Gentili* Romanus, cum a Clemente PP. XII. ad graviſſimum Datarii munus fuiſſet aſſumptus, ab eodem Pontifice VIII. Kalendas Octobris MDCCXXXI. Cardinalis Tituli S. Stephani in monte Cælio conſtituitur, qua in Eccleſia pius chriſtianæ antiquitatis inveſtigator corpora SS. Martyrum Primi, & Feliciani, quæ per tot ſecula delituerant, feliciter e terræ viſceribus effodit. Quæ ſacra monimenta in aram ære ſuo magnifice extructam, ſuaque manu conſecratam locanda curavit.

4 *Cit. Fact. concord.* §. 6.

5 *Cit. Fact. concord.* §. 7.

6 *Cit. Fact. concord.* §. 8.

7 *Cit. Fact. concord.* §. 9.

,, ctum conſtruendi Apoſtolicum Proceſſum
,, ſuper iiſdem miraculis , quas eadem Sa-
,, cra Congregatio conceſſit cum termino
,, unius anni, ſuperaccedente benigno aſſen-
,, ſu ſan. mem. Clementis XII. die 26. ejuſ-
,, dem menſis Junii prædicti anni 1738.

2 ,, Ob varia legitima impedimenta Epi-
,, ſcopi Civitatis Novæ , qui nunquam inte-
,, reſſe potuerat præſentationi , & aperitio-
,, ni earumdem litterarum remiſſorialium ,
,, quæ adhuc clauſæ , & ſigillatæ remane-
,, bant , & ſubinde a civitate Venetiarum
,, diſceſſerat , Poſtulator obtinuit a Sacra
,, Rituum Congregatione die 31. Januarii
,, 1739. in locum ejuſdem Epiſcopi Civi-
,, tatis Novæ , ſubrogari Epiſcopum Arbo-
,, ren. cum omnibus , & ſingulis clauſulis ,
,, & facultatibus , quæ legebantur in litte-
,, ris remiſſorialibus jam antea expeditis cum
,, termino alterius anni , & ſan. mem. beni-
,, gne annuit die 3. ſubſequentis menſis Fe-
,, bruarii ejuſdem anni 1739.

3 ,, Conſtructo eodem Proceſſu , eoque
,, ad Urbem delato , ut moris eſt , clauſo ,
,, & ſigillis obſignato , die 5. Sept. 1739.
,, Sacra Rituum Congregatio ad inſtantiam
,, Poſtulatoris indulſit , illum , ſervatis ſer-
,, vandis , aperiri , annuente die 11. ejuſ-
,, dem menſis , & anni eodem ſan. mem.
,, Clemente XII., prout ſucceſſive fuit aper-
,, tus .

4 ,, Die 28. Novembris anni 1739. Sa-
,, cra Congregatio Rituum ad preces Po-
,, ſtulatoris conceſſit , ut dubium ſuper va-
,, liditate ejuſdem Proceſſus proponi poſſet
,, in Congregatione Ordinaria abſque inter-
,, ventu Conſultorum , & idem ſan. mem.
,, Clemens XII. die 4. menſis Decembris be-
,, nigne annuit .

5 ,, Propoſito a cla. mem. Cardinali Ot-
,, thobono tunc præſentis Cauſſæ Relatore ,
,, ſive Ponente ſub die 23. Januarii an. 1740.
,, in Congregatione Ordinaria Sacrorum Ri-
,, tuum dubio : *An conſtet de validitate Pro-*
,, *ceſſus auctoritate Apoſtolicâ noviſſime fa-*
,, *cti in civitate Venetiarum ſuper novis*
,, *miraculis , & teſtes ſint rite , & recte*
,, *examinati* : reſolutio emanavit affirmati-
,, va , quam Sanctitas Veſtra , interim ob
,, mortem ſan. mem. Clementis XII. , ad
,, Summum Pontificatum evecta benigne
,, approbavit die 26. Auguſti anni 1740.

6 ,, Ipſamet die 26. Auguſti Sanctitas Ve-
,, ſtra , ob mortem , quam paulo ante eve-
,, nerat Cardinalis Otthoboni , in Ponen-
,, tem ſubrogavit Reverendiſſimum Cardi-
,, nalem Quirinum , ob cujus abſentiam ſub-
,, inde ſuperventam , die 4. Februarii an-
,, ni 1742. me benigne ſubrogavit in Po-
,, nentem , ſeu Relatorem cum omnibus fa-
,, cultatibus neceſſariis , & opportunis in
,, ſtatu , & terminis , in quibus præſens Cauſ-
,, ſa reperitur .

7 ,, Die 27. Aprilis 1745. coram me
,, habita fuit Congregatio , quæ dicitur An-
,, tepræparatoria ſuper miraculis ad inter-
,, ceſſionem ejuſdem Servi Dei patratis , tam
,, nempe ſuper dictis novis miraculis , quæ
,, deſumuntur ex eodem noviſſimo Proceſſu
,, Apoſtolico facto in civitate Venetiarum ,
,, quam ſuper nonnullis aliis miraculis , quæ
,, deſumuntur ex antiquioribus Proceſſibus
,, auctoritate Apoſtolica pariter confectis ,
,, quorum validitas jam longe ante fuerat
,, rite approbata .

8 ,, Die 16. Novembris ejuſdem anni
,, 1745. habita fuit in Palatio Apoſtolico
,, Quirinali Congregatio Præparatoria .

9 ,, Quibus ita diſpoſitis , in Generali
,, Congregatione coram Sanctitate Veſtra
,, habenda proponam dubium jam prius con-
,, cordatum cum R. P. Fidei Promotore ,
,, nempe .

An , & de quibus miraculis conſtet in caſu , & ad effectum &c.

A. Card. Gentili Ponens .

Approbatis igitur miraculis , ſacro , ſollemnique ritu in Vaticana Baſilica Beatorum catalogo HIERONYMUS fuit adſcriptus : qua ex re licet Somaſchenſis Familia magno fuerit gaudio affecta cum tandem aliquando obtinuiſſet beatitatis honores ſancto cariſſimoque Parenti reſtitui , tamen quod diu præconceperat deſiderium hoſce honores per Eccleſiam univerſalem extendi nequaquam depo-

depoſuit; hinc cum Deus BEATUM VIRUM magnificare non deſiſteret novis prodigiis, poſt ſignatam a Benedicto PP. XIV. Commiſſionem reaſſumptionis Cauſſæ, Poſtulator effecit, ut IX. Kalendas Auguſti MDCCLII. litteræ remiſſoriales a Sacrorum Rituum Congregatione darentur, ut in Vico, cui nomen Rovetum Plebis Sanctæ Crucis de Belgio Tridentinæ Diœceſis compilarentur Proceſſus de ſanatione cujuſdam mulieris, cujus fama mirifice increbuerat, ſed cum Tridentum litteræ hæ mittuntur, e vivis ſanata mulier exceſſit, nulla proinde potuit hac de re inſtitui Inquiſitio [1].

Hac ſpe fruſtrati Poſtulatores animum nequaquam remiſſerunt, ſed nulli labori, ac diligentiæ parcentes obtinuere ab Eminentiſſimis Patribus Venetias alteras [2] remiſſoriales litteras mitti, ut de veritate duorum miraculorum quæreretur; rumor enim erat monialem Geſualdam Mariam Pocobello liberam evaſiſſe ab ulceroſo tumore, qui carnem, oſſaque in tarſo pedis eroſerat, & Catharinam Marinoni epileptico tetanicis morbis, quibus diu multumque divexata fuerat, ceſſantibus, perfectæ reſtitutam ſanitati; datis igitur hac de cauſa litteris remiſſorialibus Acta fuere adornata, Romamque tranſmiſſa.

Per obitum Cardinalis Gentili ultimus Cauſſæ Relator nullus erat, qui partes Ponentis gereret, hinc SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER CLEMENS PP. XIII., ut eximiam animi pietatem erga HIERONYMUM concivem ſuum teſtaretur, in Ponentem conſtituit Eminentiſſimum Cardinalem Carolum Rezzonicum [3] fratris filium, qui ſtatim curavit alteras remiſſoriales litteras Venetias dirigi [4], ut teſtes dicerent teſtimonium de perfecta ſanatione Eliſabeth Zandadelli, cui ad extremum redactæ ob colicam nephriticam, ac violentam febrim HIERONYMUS per viſum apparuit, ſanitatemque reſtituit; quo etiam Proceſſu ad finem perducto, illius, ac alterius, qui antea Venetiis fuerat exaratus validitatem in judicium vocavit Idibus Maii MDCCLXIII., reſque feliciter ceſſit [5].

Poſt hæc Nonis Februarii MDCCLXV. penes eumdem Eminentiſſimum Cardinalem Congregatio Antepræparatoria [6] fuit evocata, hinc IV. Nonas Martii MDCCLXVI. Congregatio Præparatoria [7] in Quirinali fuit collecta, ac tandem IV. Idus Maii MDCCLXVI. Generalis EE. Cardinalium, & RR. Suffragatorum Conſeſſus [8] fuit indictus, ut eadem miracula Apoſtolico ſubiicerentur judicio.

VENETA, SEU MEDIOLANEN.

Canonizationis B. HIERONYMI ÆMILIANI Congregationis Somaſchæ Fundatoris.

FACTUM CONCORDATUM.

1 „ POST peractam ſollemni ritu Beatificationem Servi Dei HIERONYMI „ ÆMILIANI Congregationis Somaſchæ Fundatoris, eum nova ſupervenisſent miracula, quibus D. O. M. ſemper magis teſtatam voluit ejuſdem BEATI ſanctitatem, agi cœpit in Sac. Rituum Congregatione de Cauſa reaſſumenda ad effectum procedendi ad ſollemnem ejus Canonizationem, ſignataque manu Sanctiſſimi, ut moris eſt, Commiſſione, expeditæ primum fuerunt die 24. Julii 1752. litteræ, quas vocant remiſſoriales ad Proceſſum inſtruendum in villa Roveti Plebis S. Crucis de Belgio Diœceſis Tridentinæ de miraculoſa quadam ſanatione, quæ ejuſdem BEATI interceſſione impetrata eo loci dicebatur. Sed quoniam ſanata Mulier medio hoc tempore e vita deceſſerat, ideo litteræ illæ effectu ſuo caruerunt.

2 „ Aliæ deinde litteræ remiſſoriales expeditæ fuerunt die 24. Julii 1752. pro Proceſſu conſtruendo in civitate Venetia-

1 *Ex tertio Fact. concord.* §. 1.
2 *Cit. Fact. concord.* §. 2.
3 *Cit. Fact. concord.* §. 3.
4 *Cit. Fact. concord.* §. 4.
5 *Cit. Fact. concord.* §. 7.
6 *Cit. Fact. concord.* §. 8.
7 *Cit. Fact. concord.* §. 9.
8 *Cit. Fact. concord.* §. 10.

Digitized by Google

„ tiarum ſuper aliis miraculis ibidem patratis. Quo quidem Proceſſu completo, & relato inter Acta Sacr. Rituum Congregationis, die primum 23. Januarii 1752. indultum fuit, ut ſervatis ſervandis, Proceſſus aperiri poſſet.

3 „ Defuncto mox Cardinali de Gentilibus, qui erat tunc temporis Cauſſæ Relator, SANCTITAS VESTRA die 29. Auguſti 1761. me ipſum dignata eſt in Ponentem, ſeu Relatorem ſubrogare.

4 „ Poſt hæc cum alia ſuperveniſſent miracula ejuſdem BEATI HIERONYMI interceſſione in eadem civitate Venetiarum patrata, annuente SANCTITATE VESTRA, expeditæ fuerunt die 16. menſis Septembris anni 1761. novæ litteræ remiſſoriales ad Proceſſum de iis conficiendum.

5 „ Aliæ etiam litteræ remiſſoriales, annuente ſimiliter SANCTITATE VESTRA, expeditæ fuerunt eadem die 16. Septembris ejuſdem anni ad Proceſſum conficiendum de alio ſupervento miraculo in Burgo S. Leonardi civitatis Bergomi, cujus tamen miraculi irrelevantia perſpecta, prætermiſſa fuit hujus Proceſſus conſtructio.

6 „ Ad Urbem vero tranſmiſſo alio antedicto Proceſſu in civitate Venetiarum completo, eoque relato apud Acta Sac. Rituum Congregationis, SANCTITAS VESTRA die 18. Aug. 1762. benigne annuit, ut idem Proceſſus, ſervatis ſervandis, aperiretur.

7 „ Deinde cum SANCTITAS VESTRA die 15. Decembris anni 1762. ad humillimas preces Poſtulatoris Cauſſæ indulſerit, ut validitas Proceſſuum in civitate Venetiarum conſtructorum diſcuti poſſet in Sacr. Rituum Congregatione Ordinaria abſque Conſultorum interventu, & voto, propoſui idcirco die 7. Maii 1763. in eadem Sac. Rituum Congregatione Ordinaria dubium: *An conſtet de validitate Proceſſuum auctoritate Apoſtolica in civitate Venetiarum conſtructorum ſuper novis miraculis ab Altiſſimo per interceſſionem dicti* BEATI *poſt indultam venerationem patratis, ac teſtes ſint recte, & rite examinati in caſu &c.*, & Sacra Congregatio reſcribendum cenſuit *Affirmative*, SANCTITAS VESTRA reſcriptum approbante die 14. ejuſdem menſis, & anni.

8 „ Die 5. Februarii elapſi anni 1765. in ædibus meis habita fuit Congregatio Antepræparatoria ſuper dubio: *An, & de quibus miraculis conſtet poſt indultam eidem* BEATO *venerationem in caſu &c.*

9 „ Die 4. Martii currentis anni 1766. in Palatio Apoſtolico Quirinali habita fuit Congregatio Præparatoria ſuper eodem dubio miraculorum.

10 „ Rebus ita diſpoſitis in Cauſſa B. HIERONYMI ÆMILIANI Congregationis Somaſchæ Fundatoris, in Congregatione Generali coram SANCTITATE VESTRA habenda propono dubium jam cum R. P. Fidei Promotore concordatum.

An, & de quibus miraculis conſtet poſt indultam eidem BEATO *venerationem in caſu &c.*

C. Card. Rezzonicus Ponens.

Qui fuerit ſui animi ſenſus de BEATI HIERONYMI miraculis noluit SANCTISSIMUS PONTIFEX illico in Generalibus Comitiis exponere, ſed Deum per orationem conſulens ad feſtum Sanctiſſimæ Trinitatis [1], erga quod excelſum venerandumque Myſterium maximam

1 Ut eximiam animi ſui pietatem ac venerationem adverſus divinum Sanctiſſimæ Trinitatis Myſterium palam faceret SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER CLEMENS PP. XIII. ſanctione ſua conſtituit, ut ſingulis Dominicis diebus Sacerdotes Sacrum explentes Præfationem propriam in honorem Sanctiſſimæ Trinitatis recitarent, qua ſanctione non novum ritum in Eccleſiam induxit, ſed veterem oſcitanter omiſſum ad priſtinum ſtatum laudabiliter revocavit: clariſſimis namque monumentis ſatis conſtat, propriam Sanctiſſimæ Trinitatis Præfationem Dominicis diebus in Eccleſia Romana fuiſſe de altari recitatam: *Præfationem de Sancta Trinitate*, inquit Micrologus, ſive auctor de *Eccleſiaſticis obſervationibus cap. 60., quam in diebus Dominicis frequentamus, ex Romana auctoritate ſuſcepimus*. In Codice membranaceo manuſcripto ſeculi XII., qui aſſervatur in archivo Monaſterii SS. Joannis, & Victoris de Monte civitatis Bononiæ, quem eruditiſſimus Pater Abas Trombelli publici juris fecit ſub titulo *Ritus Eccleſiæ Senenſis*, ſic legitur *cap. 28.*: *Præ-*

mam pietatem ſemper oſtendit, ſtatuit tandem deciditque inter miracula ſanationes Monialis Iſabellæ Pocobello, & virginis Eliſabeth Zandadelli eſſe adnumerandas.

VENETA, SEU MEDIOLANEN.

Canonizationis BEATI HIERONYMI ÆMILIANI Fundatoris Clericorum Regularium Congregationis Somaſchæ.

„ POST binas Sacrorum Rituum Congregationes, quas vocant Antepræparatoriam, ac Præparatoriam coactas diebus 5. Februarii anni 1765., & 4. Martii anni 1766., in Congregatione tandem Generali habita die 13. hujus menſis Maii coram SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO CLEMENTE XIII. Pontifice Optimo Maximo reſtauratum fuit a Reverendiſſimo Cardinali Rezzonico examen illorum trium miraculorum, quæ patrata divinitus dicebantur interceſſione & ope BEATI HIERONYMI ÆMILIANI viri plane Sancti, qui abjectis omnibus, quæ mundi ſunt, uni Deo ſe devovit, novaque inſtituta piiſſima Congrègatione Clericorum Regularium, quam Somaſcham vocant, ita in ea vixit, ut chriſtianæ perfectionis exemplum haberetur & eſſet.

„ In ea igitur Congregatione Generali SANCTITAS quidem SUA, etſi duo ex dictis miraculis ſuffragiis Conſultorum, & Reverendiſſimorum Cardinalium probari intellexerit, judicium tamen diſtulit ſuum, imploraturus interim conſilium & lumen ab eo, qui Pater luminum eſt, & ſolus facit mirabilia magna. Hac autem die SANCTITAS SUA, recurrente Dominica prima poſt Pentecoſten, qua in confeſſione veræ fidei invocamus, laudamus, & adoramus Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, accitis coram ſe Reverendiſſimis Cardinalibus Rezzonico Cauſſæ Relatore, & Feronio Congregationi Sacrorum Rituum Præfecto, necnon R. P. Cajetano Forti Fidei Promotore, meque infraſcripto Secretario declaravit, conſtare de duobus ex dictis miraculis in tertio genere, nimirum *de miraculoſa ſanatione Sororis Mariæ Geſualdæ Iſabellæ Pocobello a peſſimo ulceroſo tumore in tarſo pedis ſiniſtri cum carnis, & oſſium putrefactione*, necnon *de ſanatione miraculoſa Eliſabeth Zandadelliæ a colica nephritica, aliiſque pravis affectionibus, quæ illam adduxerant in extremum vitæ diſcrimen una cum ſubita, & integra virium reſtitutione*.

„ Hocque decretum publicari, & in Acta Congregationis Sacrorum Rituum referri mandavit. Hac die 25. Maii anni 1766.

Joſeph Maria Card. Feroni Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

S. Archiep. Theodoſiæ S. R. C. Secretarius.

Ut autem diſciplina, quæ jamdiu obtinet in Cauſſis Canonizationis ſarta tectaque ſervaretur, iterum Eminentiſſimi Patres, Reverendiſſimique Conſultores, Generalibus Comitiis indictis, IX. Kalendas Octobris MDCCLXVI. penes SANCTISSIMUM DOMINUM NOSTRUM convenere, quorum omnium ea fuit ſententia, tuto ad Canonizationem HIERONYMI deveniri poſſe, quam ſententiam IV. Idus Octobris ſollemni decreto benigniſſimus PONTIFEX confirmavit.

Præfatio de Trinitate dicitur hoc eodem tempore, ideſt ab octava Pentecoſtes uſque ad Adventum omnibus Dominicis in dominicali Miſſa, & in alio Codice membranaceo manuſcripto ejuſdem ſeculi, in quo continentur Conſtitutiones Canonicorum Regularium Eccleſiæ Cathedralis Tifernatis *p.* 27. ita habetur: *Præfationem de Sancta Trinitate ab adventu Domini uſque ad octavam Epiphaniæ, & a ſeptuageſima uſque ad octavam Pentecoſtes dimittimus*, & *pag.* 28.: *Pelagius PP. conſtituit novem Præfationes &c. ſeptima de Trinitate; Qui cum Unigenito &c. & hoc dicimus ab octava Pentecoſtes uſque ad adventum Domini, & ab octava Epiphaniæ uſque ad ſeptuageſimam.*

VENETA, SEU MEDIOLANEN.

Canonizationis BEATI HIERONYMI ÆMILIANI Fundatoris Clericorum Regularium Congregationis Somaſchæ.

„ EXpleta a SANCTISSIMO DOMINO No-
„ STRO CLEMENTE PP. XIII. per de-
„ cretum editum die 25. Maii currentis an-
„ ni 1766. approbatione duorum miracu-
„ lorum in tertio genere in Cauſſa Vene-
„ ta, ſeu Mediolanen. Canonizationis BEA-
„ TI HIERONYMI ÆMILIANI Clericorum Re-
„ gularium Congregationis Somaſchæ Fun-
„ datoris, ſanationis nempe Sororis Mariæ
„ Geſualdæ Iſabellæ Pocobello a peſſimo ul-
„ ceroſo tumore in tarſo pedis ſiniſtri cum
„ carnis, & oſſium putrefactione: & ſana-
„ tionis Eliſabeth Zandadelliæ a colica ne-
„ phritica, aliiſque pravis affectionibus, quæ
„ illam adduxerant in extremum vitæ diſ-
„ crimen una cum ſubita, & integra vi-
„ rium reſtitutione. Propoſitum deinceps
„ ſuit dubium in Generali Congregatione
„ habita coram SANCTITATE SUA die 23.
„ Septembris 1766.: *An ſtante approba-*
„ *tione duorum miraculorum tuto procedi*
„ *poſſit ad ſollemnem dicti* BEATI *Canoni-*
„ *zationem?* Et SANCTITAS SUA, auditis
„ Eminentiſſimis Cardinalibus, & Conſul-
„ toribus, qui eidem dubio omnes affirma-
„ tive reſponderunt, reſolutionem diſtulit,
„ ut uberioris auxilii, & luminis copiam
„ largius a Deo imploraret. Hac tandem
„ die accitis coram ſe Reverendiſſimo Car-
„ dinali Feronio S. R. C. Præfecto, ac R.
„ P. Carolo Alexio Piſani Fidei Promoto-
„ re, meque infraſcripto Secretario præ-
„ ſens Canonizationis BEATI HIERONYMI Æ-
„ MILIANI quandocumque faciendæ decre-
„ tum publicari, ac in Acta S. R. C. referri
„ mandavit. Die 12. Octobris 1766.

J. Maria Card. Feroni S.R.C. Præfectus

Loco ✱ Sigilli.

V. Macedonius S. R. C. Secretarius.

ASculum Piceni urbs ad Truentum flumen in confinio Aprutiorum jure meritoque ſupra cæteras Piceni urbes gaudet, atque gloriatur: in ea enim BEATUS SERAPHINUS, qui in præclaro Capuccinorum Ordine [1] cum vir-

---

1 Religioſiſſima Capuccinorum Familia ex parvis incunabulis, & ex humili principio ſub Clemente PP. VII., qui III. Idus Junii MDXXVIII. illius initia ſanctione ſua firmavit, mirificos adeo in Eccleſia Dei progreſſus ac incrementa fecit, ut jure meritoque inter præcipuas Regularium Familias modo reputetur: ſummopere enim ejus alumni incumbunt ad vineam Domini Dei Sabaoth excolendam continuo, & nunquam interrupto laborum, & virtutum exercitio.

Longum ac nimium moleſtum foret eos omnes recenſere, qui ſanctitatis, & virtutum ſplendore celebres Familiam iſtam condecorarunt; præ omnibus ſufficiant, præter SERAPHINUM AB ASCULO ſeu MONTE GRANARIO, S. Fidelis a Sigmaringa, & S. Joſeph a Leoniſſa, qui a Benedicto PP. XIV., & S. Felix a Cantalicio, qui a Clemente PP. XI. in Sanctorum catalogo fuere adſcripti, & Venerabilis Bernardus a Corleone, qui quam primum infallibili SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI oraculo Beatos inter ſollemni ritu recenſebitur.

Nec in hoc Ordine defuere viri prudentia, ſcientia, aliiſque animi virtutibus adeo exornati, ut digni fuerint qui ad Cardinalitiam eveherentur dignitatem, ſic Pater Antonius Barberinus Urbani PP. VIII. frater, qui ab eodem Cardinalis Epiſcopus Senogallienſis, ac Major Pœnitentiarius fuit conſtitutus, & Pater Franciſcus Maria Caſini, quem Clemens PP. XI. fama viri permotus ſacra Purpura condecoravit.

Habuit, ac etiam modo habet hic Religioſus Ordo inter ſuos alumnos primariæ nobilitatis viros, qui, deſpectis illecebris, & vanitatibus ſeculi, ſatius duxere hanc humilem vivendi normam ſectari, inter quos certe primum locum ſine ulla dubitatione obtinuere Alphonſus Eſtenſis Dux Mantuæ, qui poſt Iſabellæ conjugis obitum anno MDCXXVI. religioſum habitum induit, ac ſub nomine Fratris Joannis Baptiſtæ virtutibus ſemper incubuit ad X. Kalendas Aprilis MDCXLIV., quo diem clauſit extremum; & Henricus Dux Joſæ Franciæ Mareſcalcus, & Prætor Provinciæ Occitaniæ, qui Pridie Nonas Septembris MDLXXXVII. inter Capuccinos ſe adſcribi curavit, nomenque Fratris Angeli aſſumpſit, qui quamvis ex diſpenſatione Apoſtolica anno MDXCII., religioſo habitu depoſito, ad ſeculum redierit, Catholicorum fœdus per Occitaniam auctoritate ſua, ac militari virtute ſuſtinuerit, nihilominus tamen licet ab Henrico IV. Franciæ Mareſcalcus poſtmodum declaratus, denuo ſeculo vale dicto ad Capuccinos rediit, apud quos in oppido Ripularum prope Taurinum obiit VI. Kalendas Octobris MDCVIII. annos natus ſex & quadraginta.

Eos omnes in medium proponere, qui ſapientiæ, ſcientiæque fama in hac Familia illuſtres fuere notarum anguſtia non ſinit. Quamobrem ſatis ſit indicare Patrem Ivonem Pariſienſem, qui poſtquam celeberrimi Advocati nomen in Pariſienſi Senatu fuerat adeptus, ad Capuccinos venit, apud quos ad mortem uſque, quæ contigit anno MDCLXXXV. in reducendis hæreticis ad Catholicam Eccleſiam aſſiduam operam dedit,

by Google

virtute omnibus præcelleret, celebre ſanctitatis nomen fuerat adeptus, IV. Idus Octobris MDCIV. mortales reliquit exuvias ad Cœlum evocatus, ut de manu Domini ſtola gloriæ induceretur [1].

Illico ſummis honoribus memoriam BEATI VIRI proſequi cœpere Aſculani cives, tanta enim erat illorum pietas, ac veneratio adverſus SERAPHINUM, ut cultum obſequiumque illud, quod Beatis tribui ſolet, & ipſi cuperent reddi, renuebant tamen Religioſi Capuccini, neque inconſulta Apoſtolica Sede intentare aliquid, quod publicum eccleſiaſticum cultum denotaret, audebant; quamobrem Aſculani cives, qui intenſis exoptabant votis ardentes lampades in venerationis argumentum illius apponere tumulo anno MDCX. Paulo PP. V. humiliter ſupplicarunt, ut veniam hanc ipſis elargiretur. Pontifex, cui optime perſpecta erant merita, ac virtutes BEATI VIRI has preces benigne ſuſcipiens, expetitam facultatem poſtulantibus conceſſit [2].

Cum autem in dies rumor ſanctitatis SERAPHINI, ac heroicarum virtutum, divinorumque chariſmatum, quibus fuerat a Deo cumulatus, præclara fama diſtenderetur ac propagaretur, populus Aſculanus, & Religioſi Capuccini conſilium iniere ejuſdem Canonizationem a Romano Pontifice expoſcere, quam ob cauſſam Epiſcopus Aſculanus auctoritate propria cœpit de virtutibus, ac miraculis inquirere, deque iis Acta adornavit, quæ Romam tranſmiſit [3].

Vigebat tunc in Sacrorum Rituum Congregatione conſuetudo, ut cum primum erat agendum de Cauſſa alicujus Servi Dei, cujus expoſtularetur Beatificatio, ſeu Canonizatio, Acta per Ordinarios locorum compilata alicui Cardinali Sacræ Congregationis traderentor, ut illis probe ac mature conſideratis, tandem in Sacra Congregatione quid de Cauſſa ſentiret, exponeret; ob hanc igitur rationem XIII. Kalendas Decembris MDCXXII. Cardinali Madrutio [4] Sacra Congregatio demandavit [5], ut Acta hæc attente perpenderet, ſummo ſtudio ac diligentia omnia ad ſanctuarii lances revocavit Madrutius, nihilque invenit, quod BEATI VIRI Canonizationem poſſet impedire, quapropter Sacra Congregatio Idibus Junii MDCXXV. juxta eam, quæ tunc obtinebat diſciplina, cenſuit poſſe concedi litteras remiſſoriales, ut de virtutibus BEATI VIRI Apoſtolica auctoritate Proceſſus exararentur [6].

Hac igitur de cauſſa remiſſoriales litteræ Aſculano Epiſcopo, illius Cathedralis Eccleſiæ Archidiacono, atque Abati Congregationis Monachorum Montis Oliveti fuerunt datæ, ut quamprimum manus apponerent ad Acta hæc compilanda, quod citiſſime aggreſſi ſunt; verum cum diſſidium contentioque circa primum honoris locum inter Archidiaconum & Abatem Montis Oliveti eſſet exorta, Sacra Congregatio, ne diſſenſio hæc in optimæ Cauſſæ damnum cederet, e judicum numero Abatem removit, ejuſque partes ſuſtinendas dedit VI. Idus Octobris MDCXXVII. Canonico Pœnitentiario ejuſdem Cathedralis Eccleſiæ [7].

Dum hæc aguntur, Cardinalis Madrutius moritur, eique in Ponentem ſufficitur Cardina-

dedit: & Patrem Bernardum de Pequigni, qui anno MDCCX., poſtquam ultimam manum impoſuerat celeberrimis, quæ in Epiſtolas S. Pauli exaraverat Commentariis, vitam cum morte commutavit.

Qui plura ſcire deſiderat conſulere poteſt Zachariam Boverium, & Marcellum de Piſa *Annal. Fratrum Minorum Capuccinorum*, Lucam Wadingum *Annal. Minorum tom. 8.*, Dominicum de Gubernatis *Ord. Seraphic.*, Sylveſtrum Maurolicum *Mare oceano di tutte le Religioni lib. 5.*, & eruditum Patrem Helyot *Hiſtoire des Ordres religieux, & militaires tom. 7. par. 5. cap. 24. pag. 164. Paris* 1718.

1 *Ex Fact. concord.* §. 1.

2 *Cit. Fact. concord.* §. 2.

3 *Cit. Fact. concord.* §. 3.

4 *Carolus Madrutius* Epiſcopus Tridentinus petente Rodulpho II. Romanorum Imperatore a Clemente PP. VIII. Presbyter Cardinalis renuntiatur, a Paulo PP. V. Titulum S. Cæſarii, & ab Urbano PP. VIII. Titulum S. Laurentii in Lucina obtinuit, ex quo ad Eccleſiæ Sabinenſis Epiſcopatum aſcendit: princeps morum ſuavitate inſignis, munificus, ſplendidus, & liberalis; obiit Romæ XIX. Kal. Octobris MDCXXIX., ſepelitus fuit in æde S. Onuphrii in ſacello Madrutiorum.

5 *Loc. cit.*

6 *Cit. Fact. concord.* §. 4.

7 *Cit. Fact. concord.* §. 4.

dinalis S. Cæciliæ [1], qui cum comperiſſet judices, quibus commiſſum fuit de virtutibus miraculiſque BEATI inquirere, ægre negotium ſibi datum gerere, quia ſenio confecti incommoda premebantur valetudine, effecit, ut x. Kalendas Octobris MDCXXIX. aliis viris eccleſiaſtica dignitate condecoratis provincia hæc demandaretur; cumque paucis poſt diebus naturæ debitum ſolverit Canonicus Poenitentiarius Eccleſiæ Aſculanæ, ejus partes x. Kalendas Decembris Canonico alteri, qui eidem in ea dignitate ſucceſſerat, fuere tributæ [2].

Hi novi judices omni diligentia munus ſibi injunctum exercentes ad finem & complementum Acta ipſa perduxere, quo etiam tempore in Diœceſi Firmana alii Proceſſus eadem de cauſſa fuere exarati [3]. Quia autem pares non erant Poſtulatores ad graviſſima expenſarum onera ſuſtinenda, hinc per plures annos nil in Cauſſa actum factitatumque fuit ad annum MDCCIV.

Erat tunc, ut diſciplina Sacræ Congregationis ſervaretur, Proceſſus Aſculanus ſolemniter aperiendus, ſed quia ob longam temporis intercapedinem, quæ interceſſerat, negotium ſane arduum ac difficile erat characterem, & ſigna judicum, quæ ad calcem Proceſſus erant, recognoſcere; hinc petiere Poſtulatores hac in parte juris rigorem remitti; renuit Sacra Congregatio, cenſuitque nil graviſſimis hiſce in Cauſſis diligentiarum omittendum [4]; quapropter Poſtulatores, poſtquam ſedulam adhibuere indagationem ſigna duorum judicum in medium protulerunt, alterum enim utpote exteræ regionis hominis minime eiſdem contigit adinvenire, tunc ſupplicarunt Clementi PP. XI., ut per comparationem negotium totum tandem explere liceret, quodque XIII. Kalendas Januarii MDCCIV. benigne Summus Pontifex permiſit [5], qui etiam ſubſequenti anno facultatem fecit, ut ad normam diſciplinæ Congregationis Sacrorum Rituum & alter Proceſſus in Diœceſi Firmana compilatus aperiretur [6].

Quoniam vero Ven. Innocentius PP. XI. decreverat non eſſe agendum in Sacra Rituum Congregatione de illis Cauſſis, de quibus diſceptatio ante Urbani PP. VIII. decreta fuerat inſtituta, niſi Commiſſio, quam vocant reaſſumptionis, a Romano Pontifice ſignaretur: hinc Cardinalis Barberinus, quem poſt Cardinalem S. Cæciliæ Clemens Pontifex in Relatorem ſelegerat XIII. Kalendas Septembris MDCCXII. de reaſſumenda Cauſſa penes Eminentiſſimos Patres egit, qui cum nihil adverſus illius ſanctitatis famam adinveniſſent, Commiſſio fuit ab eodem Pontifice firmata [7].

De Caſu poſt hæc, quem dicunt exceptum inſtituta in Sacra Congregatione inquiſitio v. Idus Martii MDCCXIX. feliciſſimum exitum habuit [8]: hinc de validitate Proceſſuum, qui Ordinaria, & Apoſtolica auctoritate fuerant exarati judicium agitatum fuit apud Congregationis Sacror. Rituum Eminentiſſimos Patres XI. Kalendas Januarii MDCCXX.; qui cum Proceſſus Apoſtolicos ad juris, & litterarum remiſſorialium normam fuiſſe adornatos recognoviſſent, Ordinarios approbatione dignos minime judicarunt, quippe in illis compilandis valde adverſus juris communis ſanctiones fuerat peccatum [9].

Approbata Proceſſuum Apoſtolicorum validitate, diſceptandum de SERAPHINI virtutibus erat, ut autem graviſſimis expenſis Poſtulatores parcerent, VIII. Idus Junii MDCCXXVI. a Benedicto PP. XIII. obtinuere peculiarem Eminentiſſimorum Patrum Conventum haberi, in quo Cardinales Barberinus, Picus de Mirandula, Belluga, Marinus

1 *Joannes Dominicus Spinula* Januenſis ab Urbano PP. VIII. in Cardinalium Collegium cooptatus XIV. Kalendas Februarii MDCXXVI., Tituloque S. Clementis fuit inſignitus, ex quo optavit Titulum S. Cæciliæ: deceſſit Archiepiſcopus Mazarienſis MDCXLIX. annos natus ſex ſupra ſexaginta.

2 *Cit. Fact. concord.* §. 5.

3 *Cit. Fact. concord.* §. 6.

4 *Cit. Fact. concord.* §. 7.

5 *Cit. Fact. concord.* §. 8.

6 *Cit. Fact. concord.* §. 9.

7 *Cit. Fact. concord.* §. 11.

8 *Cit. Fact. concord.* §§. 12. & 13.

9 *Cit. Fact. concord.* §. 14.

Digitized by Google

nus [1], & Falconerius [2] Cauſam cognoſcerent, ſententiamque ferrent [3]; hic tamen Conventus nunquam fuit habitus, nam dum neceſſaria quæque ad judicium hoc inſtituendum parantur Benedictus PP. XIII. XV. Kalendas Octobris MDCCXXX. mortem obiit, & Clemens PP. XII., qui eidem in Pontificatu ſucceſſit, decrevit, ut de BEATI virtutibus non in hoc peculiari Conventu, ſed in Ordinaria Sacrorum Rituum Congregatione diſputatio haberetur [4], ſicque fuit peractum VII. Idus Maii MDCCXXXIII., quo reſponſum a Sacra Congregatione fuit: *ita conſtare de virtutibus Theologalibus, & Cardinalibus, ut tuto procedi poſſit ad diſcuſſionem miraculorum* [5].

Poſt Cardinalem Gentili, qui Barberino in munere Ponentis ſucceſſerat, Benedictus PP. XIV. VIII. Idus Auguſti MDCCXLIX. in novum Relatorem conſtituit Joannem Franciſcum Cardinalem Albani Epiſcopum Sabinenſem [6], qui obtinuit a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO CLEMENTE PP. XIII. XVI. Kalendas Auguſti MDCCLXII. remiſſoriales litteras mitti Epiſcopis Aſculano, Montiſalti, & Erythreæ, ut de nonnullis miraculis, quæ Aſculi ope SERAPHINI evenerant, teſtibus ad examen adductis, Acta compilarentur [7]: dictitabatur enim in puellarum Orphanotrophio aceti doliolum, quod antea vacuum erat, plenum fuiſſe repertum, Januarium Ranalli a carcinomate, quod ſub axillam habebat, liberum evaſiſſe, & Hugoni Carletti extremæ ſenectutis viro paralyticam manum ſanam incolumemque reſtitutam.

Quambreviſſime Proceſſum hunc Epiſcopi ad finem perduxere, quapropter poſtquam XV. Kalendas Octobris MDCCLXIII., illius validitas fuit in Sacrorum Rituum Congregatione ad examen feliciſſime revocata [8], V. Kalendas Decembris MDCCLXIV. in ædibus ejuſdem Eminentiſſimi Cardinalis Antepræparatoria Congregatio fuit indicta, in qua de hiſce miraculis fuit diſputatum, quæ diſputatio denuo in Quirinali V. Idus Junii MDCCLXV. inſtituta [9], felicem tandem exitum habuit V. Kalendas Februarii MDCCLXVI. in Generali Conſeſſu Eminentiſſimorum Patrum, ac Reverendiſſimorum Suffragatorum.

ASCULANA, SEU FIRMANA

Canonizationis BEATI SERAPHINI DE ASCULO, SEU DE MONTE GRANARIO Laici profeſſi Ordinis Capuccinorum.

FACTUM CONCORDATUM.

BEATISSIME PATER.

1 „ BEATUS SERAPHINUS dictus ab Aſculo, in terra vero Montis Granarii Firmanæ Diœceſis ortus, atque Minorum S. Franciſci Capuccinorum Inſtitutum profeſſus in qualitate Laici, poſtquam vitæ curſum in conſtanti, & heroico chriſtianarum omnium virtutum exercitio conſummaſſet, mortem obivit in Cœnobio Aſculano die 12. Octobris anno ab orbe redempto 1604.

2 „ Conſtans, eximiaque ſanctimoniæ famæ, quam ſibi vivens apud univerſos

„ cives

1 *Carolus de Marinis* Jannenſis, Romæ tamen natus, qua occaſione parentes ejus Italiam peragrantes in hac Urbe ſubſiſterant, a Clemente PP. XI., cujus erat Admiſſionum Magiſter XVI. Kalendas Januarii MDCCXV. Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Aquiro declaratur, ex quo tranſitum fecit ad Diaconiam SS. Viti, & Modeſti, quam commutavit cum illa S. Agathæ, ex qua optavit illam S. Mariæ in Via lata. Cum Genuam ſe contuliſſet letali morbo correptus XVI. Kalendas Februarii MDCCXLVII. diem clauſit extremum, ſupra centum millia aureorum in pios uſus eroganda relinquens, ut quod omni diligentia efficeretur ipſum Romanum Pontificem Benedictum PP. XIV. fiduciarium ſcripſit hæredem.

2 *Alexander Falconerius* Sacræ Rotæ Auditor, & almæ Urbis Gubernator, Diaconus Cardinalis S. Mariæ de Scala a Benedicto PP. XIII. conſtituitur III. Idus Septembris MDCCXXIV. obiit VII. Kalendas Februarii MDCCXXXIV.

3 *Cit. Fact. concord.* §. 15.

4 *Cit. Fact. concord.* §. 18.

5 *Cit. Fact. concord.* §. 21.

6 *Cit. Fact. concord.* §. 23.

7 *Cit. Fact. concord.* §. 24.

8 *Cit. Fact. concord.* §. 26.

9 *Cit. Fact. concord.* §. 27.

,, cives Aſculi, & finitimarum regionum
,, accolas comparaverat, non ſolum confir-
,, mata fuit in ejus obitu, ſed etiam publico
,, concordique omnium ſuffragio adeo inva-
,, luit, ut numeroſi fideles ad illius ſepul-
,, crum confluere ſtatim cœperint, gratias
,, & miracula jugiter per illius interceſſio-
,, nem a D.O.M. conſequentes, quæ quum in
,, dies multiplicarentur, pati non potuerunt
,, iidem fideles ſine honore diu remanere tam
,, SANCTI VIRI memoriam, & geſta; quare
,, oleum, quo lampades ante illius ſepulcrum
,, accenſæ detinerentur, & collucreſcerent,
,, ſponte offerre exorſi ſunt. Verum renu-
,, entibus Religioſis Capuccinis ante Sedis
,, Apoſtolicæ judicium fidelium hujuſcemo-
,, di votis indulgere, nomine Aſculani po-
,, puli anno 1610. preces porrectæ ſunt ſan.
,, mem. Paulo PP.V. qui benigne conceſſit,
,, ante ſepulcrum hujus BEATI lampadem
,, continuo ardentem collocari, ac perpe-
,, tuo collucreſcere.

3 ,, Increbeſcente hinc ſanctitatis, at-
,, que miraculorum fama, hac permotus A-
,, ſculanus Antiſtes Ordinaria ſua auctoritate
,, primum Proceſſum informativum in Cauſ-
,, ſa inſtruere deliberavit, quo ad Urbem de-
,, lato, & aperto, commiſſum eſt illius exa-
,, men die 19. Novembris 1622. clar. mem.
,, Card. Madrutio, qui in Ponentem; ſive
,, Relatorem Cauſſæ ſubinde confirmatus fuit
,, die 20. Aprilis 1624.

4 ,, Referente deinde Card. Madrutio
,, in Congregatione Sac. Rituum habita die
,, 7. Junii 1625. hujus Proceſſus Acta ſecun-
,, dum tum vigentem diſciplinam reſcriptum
,, fuit: poſſe concedi litteras remiſſoriales
,, ad effectum inquirendi in ſpecie in Cauſſa
,, prædicti BEATI: quibus expeditis litteris,
,, iiſque directis Epiſcopo Aſculano, nec-
,, non Archidiacono illius Eccleſiæ Cathe-
,, dralis, & Abati Monachorum Congrega-
,, tionis Montis Oliveti, manus admotæ ſunt
,, fabricando Proceſſui Apoſtolico in ſpecie;
,, ſed exorto diſſidio circa præeminentiam
,, inter præfatos Archidiaconum, & Abatem
,, Olivetanum Sacror. Rituum Congregatio
,, die 13. Julii 1627. mandavit, in locum
,, ejuſdem Abatis ſubſtitui alium judicem,
,, quem eadem Sacra Congregatio die 2.
,, Octobris deſignavit Canonicum Pœniten-
,, tiarium Eccleſiæ Cathedralis Aſculanæ
,, commendatum Epiſcopi litteris.

5 ,, Interea vita functis Card. Madrutio,
,, & nonnullis ex deſignatis judicibus, im-
,, peditiſque aliis, qui ſupererant, ſenectu-
,, te, aut mala valetudine, Sacra Congre-
,, gatio die 21. Septembris 1629. ad Poſtu-
,, latorum preces in Cauſſæ Relatorem ſub-
,, rogavit clar. mem. Card. S. Cæciliæ, juſ-
,, ſitque ſubſtitui alios judices in eccleſiaſti-
,, ca dignitate conſtitutos, qui Proceſſui in-
,, cumberent, moxque die 22. ſequentis men-
,, ſis Novembris ſpecialiter juſſit, ut in lo-
,, cum Canonici Pœnitentiarii prædefuncti
,, ſubrogaretur Canonicus in eodem officio
,, ſucceſſor.

6 ,, Abſoluto jam vero Proceſſu remiſſo-
,, riali in civitate Aſculi, alioque ſimili in-
,, ſtructo in civitate Firmi [1] & utriſque ad
,, urbem delatis, relatiſque apud Acta Sac.
,, Rituum Congregationis, decreta fuit die
,, 22. Junii 1680. eorum aperitio ſervatis ſer-
,, vandis facienda, auctorante Ven. Inno-
,, centio XI. Pontifice die 6. ſequentis men-
,, ſis Julii.

7 ,, Cauſſa vero neceſſariis deſtituta
,, præſidiis, & impar ferendo oneri expen-
,, ſarum ſiluit uſque ad annum 1704., quo
,, currente die 12. Julii ad inſtantiam Poſtu-
,, latorum fuit a Sacra Congregatione con-
,, ceſſum, quod aperitio Proceſſus Aſculani
,, fieri poſſet ſine recognitione ſigillorum
,, judicum delegatorum ab extra, Summo
,, Pontifice hanc reſolutionem die 2. ſubſe-
,, quentis menſis Auguſti benigne confirman-
,, te: die vero 25. dicti menſis petentibus
,, Poſtulatoribus diſpenſationem a recogni-
,, tio-

1 Firmum urbs Archiepiſcopalis Piceni in Marchia Anconitana in ditione Pontificia apud oram maris Hadriatici media fere inter Lauretum & Aſculum; Franciſcus Adami *de rebus Firmi geſtis fragmentorum libri duo Romæ* 1592.

„ tione tum ſigillorum, cum ſubſcriptionum a nonnullis judicibus delegatis appoſitorum intra prædictum Proceſſum Aſculanum, negavit Sacra Congregatio reſcribens, quod ulteriores fierent diligentiæ.

8 „ In hujus reſcripti executionem exhibuerunt Poſtulatores ſigilla propria duorum ex judicibus delegatis, & ſupplicarunt tam pro facultate faciendi recognitionem ſigillorum appoſitorum in ſupradicto Proceſſu ad intra per comparationem, quoniam impoſſibile erat, quod alio modo fieri poſſet, quam etiam pro diſpenſatione a recognitione ſigilli tertii judicis delegati, cujus utpote exteræ regionis proprium ſigillum haberi non poterat, & Sacra Congregatio utramque gratiam die 4. Decembris 1704. conceſſit, quam Summus Pontifex die 20. dicti menſis confirmavit.

9 „ Die 13. Februarii 1705. petita, & obtenta fuit a Sacra Congregatione cum ſucceſſivo aſſenſu ſan. mem. Clementis PP. XI. facultas aperiendi alterum Proceſſum in civitate Firmi conſimili auctoritate Apoſtolica compilatum, qui adhuc clauſus ſervabatur penes Acta ejuſdem Sacræ Congregationis, quæ conſuetam adjecit conditionem, quod ſervatis ſervandis, & legitime talis aperitio fieret.

10 „ Ad preces poſtea Poſtulatoris præfatus ſan. mem. Pontifex Clemens XI. die 19. Decembris 1710. clar. mem. Cardinalem Barberinum in Ponentem, ſeu Relatorem Cauſſæ ſubrogavit loco Card. S. Cæciliæ ſuffecti in locum Card. Madrutii, qui naturæ debitum jam ſolverat.

11 „ Et quia prodierant jampridem decreta noviſſima a Ven. Innocentio XI. confirmata, in quibus diſpoſitum legebatur, quod curſus Cauſſarum introductarum ante edita decreta generalia ſan. mem. Urbani VIII. proſequi non poſſet, niſi prius ſignata fuiſſet a Summo Pontifice Commiſſio reaſſumptionis in ſtatu, & terminis; ideo propoſito, & diſcuſſo in Sac. Rituum Congregatione Ordinaria ad relationem ſupradicti clar. mem. Card. Barberini dubio ſuper ſignatura Commiſſionis reaſſumptivæ in ſtatu, & terminis, in quibus hæc Cauſſa reperiebatur, editum eſt die 20. Auguſti 1712. reſcriptum affirmativum, cui inhærens laudatus ſan. mem. Pontifex Clemens XI. eamdem Commiſſionem die 27. prædicti menſis, & anni propria manu ſignavit.

12 „ Ex poſt vero, quoniam ope particularis Proceſſus docendum erat, vel ſervata fuiſſe decreta generalia Pontificis Urbani VIII. de cultu non exhibito, vel Cauſſam verſari in Caſu excepto ab iiſdem decretis, hinc ad petitionem Poſtulatoris die prima Junii 1713. conceſſæ fuerunt a Sacra Rituum Congregatione, ſuperaccedente Summi Pontificis approbatione, litteræ remiſſoriales, & compulſoriales directæ Epiſcopo Aſculano, ejuſque Vicario Generali ad effectum conſtruendi auctoritate Apoſtolica Aſculi Proceſſum ſuper Caſu a prædictis Urbanis decretis excepto. Quo completo, & ad Urbem delato, atque in Actis dictæ Sacræ Congregationis præſentato, indulta fuit die 24. Novembris 1714. facultas illum ſervatis ſervandis aperiendi, quam Pontifex ratam, firmamque habuit, ac confirmavit die 5. Januarii 1715.

13 „ Propoſito ſubinde, atque diſcuſſo in Sac. Rituum Congregatione Ordinaria die 11. Martii 1719. dubio de confirmanda ſententia lata a judice delegato ſuper Caſu excepto ab Urbanis decretis, emanavit reſcriptum; poſſe procedi ad ulteriora, quod Summus Pontifex oraculo ſuo auctoravit die 19. Aprilis ejuſdem anni.

14 „ Die 17. Maii anni pariter 1719. ſan. mem. Pontifex Clemens XI., prævio conſilio, & voto a Sac. Rituum Congregatione interpoſito, die 13. ejuſdem menſis indulſit, quod dubium validitatis Proceſſuum in hac Cauſſa compilatorum auctoritate tum Ordinaria, tum Apoſtolica proponi, & diſcuti poſſet in ipſa Sac. Rituum Congregatione Ordinaria abſque interventu Conſultorum, cujus indulti vigore cum diſcuſſum ſucceſſive fuiſſet dubium prædictum, die 14. Decembris 1720. ſequens capta eſt reſolu-

„ ſolutio: *Conſtare de validitate Proceſ-*
„ *ſuum auctoritate Apoſtolica, & non con-*
„ *ſtare de validitate Proceſſus auctoritate*
„ *Ordinaria die 18. dicti menſis*.

15 „ Inſtante poſt hæc Cauſſæ Poſtulato-
„ re pro deputatione Congregationis par-
„ ticularis ad effectum examinandi dubium
„ ſuper virtutibus heroicis Beati Seraphi-
„ ni, ſan. mem. Pontiſex Benedictus XIII.
„ die 7. Junii 1726. huic petitioni benigne
„ annuens, deputavit quinque Cardinales,
„ Barberinum nempe, Picum de Mirandu-
„ la, Bellugam, Marinum, & Falconerium,
„ qui in Congregatione particulari dubium
„ ſupradictum examinarent, atque ſuffra-
„ gium ſuum ferrent.

16 „ Die 3. Auguſti dicti anni Sac. Rituum
„ Congregatio largita eſt facultatem transfe-
„ rendi corpus Beati Seraphini a veteri
„ ſacello Eccleſiæ PP. Capuccinorum Aſcu-
„ li, in quo aſſervabatur, ad novum recens
„ in eadem Eccleſia extructum, & eidem
„ Beato dicatum ſacellum: quam faculta-
„ tem die 21. ejuſdem menſis Pontiſex aſſenſu
„ ſuo validavit.

17 „ Die 18. Julii 1729. ſupralaudatus
„ ſan. mem. Pontiſex Benedictus XIII. beni-
„ gne indulſit, ut in toto Ordine Minorum
„ S. Franciſci, atque in civitate, & Diœce-
„ ſi Aſculana, necnon in oppido Montis Gra-
„ narii Firmanæ Diœceſis patria Beati Se-
„ raphini die 12. Octobris anniverſaria ejus
„ mortis Officium, & Miſſa de communi
„ Confeſſoris non Pontificis ſub ritu duplici
„ a Clero ſeculari, & regulari utriuſque ſe-
„ xus in poſterum recitaretur, ac reſpective
„ celebraretur.

18 „ Die 17. Septembris 1730. a Con-
„ gregatione particulari deputata a ſan. me.
„ Clemente PP. XII. pro examinandis re-
„ ſcriptis editis a Prædeceſſore ſuo in Cauſ-
„ ſis nonnullorum Servorum Dei, capta eſt
„ in præſenti Cauſſa reſolutio; quod dubium
„ virtutum heroicarum non utique amplius
„ in Congregatione particulari deputata a
„ ſan. mem. Benedicto XIII., ſed in Con-
„ gregatione Ordinaria Sac. Rituum abſque
„ interventu Conſultorum diſcuteretur.

19 „ Interea quum Altiſſimus nonnulla
„ miracula ad interceſſionem Beati Sera-
„ phini operari dignatus fuiſſet tam hic in
„ Urbe, quam in civitate, & Diœceſi Pla-
„ centina [1], die 28. Aprilis 1731. ad peti-
„ tionem Poſtulatoris commiſſa eſt a Sac. Rit.
„ Congregatione conſtructio Proceſſus Apo-
„ ſtolici Reverendiſſimo Cardinali Urbis Vi-
„ cario cum facultate ſubdelegandi tres Epi-
„ ſcopos ſibi beneviſos in judices ſuper di-
„ ctis miraculis Romæ ſecutis; pariterque
„ decretæ, & relaxatæ fuerunt litteræ re-
„ miſſoriales directæ Epiſcopis Placentiæ,
„ Parmæ [2], & Bobii [3] pro conſtruendo
„ conſimili Proceſſu ſuper aliis miraculis,
„ quæ in civitate, & Diœceſi Placentina ſe-
„ cuta fuerunt, Summo Pontifice die 2. Maii
„ Sacræ Congregationis decretum in omni-
„ bus approbante.

20 „ Protracta vero expeditione ejuſ-
„ cemodi litterarum ferme ad duos annos,
„ & propterea cum in proximum expiraturus
„ eſſet terminus biennii præfixus in iiſdem
„ litteris ad Proceſſum abſolvendum, die
„ 17. Januarii 1733. Sacra Congregatio di-
„ ctum terminum ad alios duos annos proro-
„ gavit, aſſentiente huic prorogationi Sum-
„ mo Pontifice die 31. dicti menſis.

21 „ Inſtituto poſtmodum examine virtu-
„ tum in gradu heroico hujus Beati in Con-
„ gregatione Ordinaria Sac. Rituum habi-
„ ta die 9. Maii 1733. capta eſt ſequens re-
„ ſolutio: *Ita conſtare de virtutibus prædi-*
„ *ctis Theologalibus, & Cardinalibus, ut*

„ *tu-*

1 Placentia urbs Galliæ Togatæ & Ciſpadanæ, Colonia Romanorum circa finem Æmiliæ apud Padum flumen: Umbertus Locatus *de Placentinæ urbis origine, ſucceſſu, & laudibus*, Cremonæ 1564., & de ejus Epiſcopis agit Ferdinandus Ughellus *tom. 2. Italiæ Sacræ*.

2 Parma urbs Italiæ in Gallia Ciſalpina ad Parmam flumen inter Placentiam & Cremonam, Patria Macrobii, lanis quoque olim multo in pretio habitis celebrata; ab ea Provincia adjacens dicitur Parmenſis Ducatus; conſule, ſi lubet, Bonaventuram Angeli in opere inſcripto: *Iſtoria della città di Parma, e deſcrizione del fiume Parma*, Parma 1591., & de ejus Epiſcopis Ferdinandum Ughellum *loc. cit.*

3 Bobium urbs Ducatus Mediolanenſis ad Trebiam flumen in limite Ducatus Parmenſis, & prope confinia Reipublicæ Genuenſis: de ejus Epiſcopis Ferdinandus Ughellus *in Italia ſacra tom. 9.*

„ *tuto procedi poſſit ad diſcuſſionem mira-*
„ *culorum*, cui Summus Pontifex confirma-
„ tionis ſuæ robur, & firmitatem die 19.
„ ejuſdem menſis adjunxit.

22 „ Diutius autem quum diſtraxiſſent
„ Epiſcopi in judices delegati ad conſtruen-
„ dum Proceſſum Apoſtolicum ſuper mira-
„ culis ſecutis in civitate, & Diœceſi Pla-
„ centina manus admovere fabricationi ejuſ-
„ dem Proceſſus, imo eorum alter ab ac-
„ ceptando delegationis munere conſtanter
„ ſe excuſaſſet, ſupplicavit Poſtulator Sac.
„ Congregationi, ut illorum loco in judices
„ delegatos ſufficerentur Vicarius generalis
„ Epiſcopi Placentini, & tres Canonici il-
„ lius Eccleſiæ Cathedralis ab ipſomet Epi-
„ ſcopo nominandi, ſive ſaltem urgentio-
„ res litteræ darentur ad præfatos Epiſcopos
„ in judices primo delegatos, quibus exci-
„ tarentur ad celerem commiſſæ provinciæ
„ executionem: verum Sacra Congregatio
„ neutri inſtantiæ annuit, reſcripſitque die
„ 15. Maii 1744.: *Lectum*.

23 „ E vivis erepto clar. mem. Cardinali
„ Barberino Cauſſæ Ponente, ſan. mem. Be-
„ nedictus PP. XIV. in illius locum clar. pa-
„ riter mem. Card. de Gentilibus die 27. Ju-
„ lii 1747. ſubrogavit; iſtoque pariter vita
„ functo idem Pontifex me in locum illius
„ ſufficere benigne dignatus eſt die 8. Augu-
„ ſti 1759.

24 „ Delata deinde ad Poſtulatoris noti-
„ tiam nonnulla miracula, quæ interceſſio-
„ ne ejuſdem BEATI patrata dicebantur in
„ civitate Aſculana, SANCTITAS VESTRA ad
„ ejuſdem Poſtulatoris preces litteras dedit
„ die 17. Julii 1762. Epiſcopis Aſculano,
„ Montisalti [1], & Erytreæ [2] in partibus
„ infidelium, ut ſuper illis Proceſſum in-
„ ſtruerent.

25 „ Abſoluto quantocius prædicto Pro-
„ ceſſu, & clauſo ad Urbem delato, atque
„ in Actis Sac. Rituum Congregationis præ-
„ ſentato, eadem SANCTITAS VESTRA die
„ 9. Februarii 1763. facultatem illum ſerva-
„ tis ſervandis aperiendi impertita eſt.

26 „ Die 17. Septembris ejuſdem anni
„ propoſitum per me fuit, interveniente be-
„ nigna SANCTITATIS VESTRÆ diſpenſatione
„ in Sac. Rituum Congregatione Ordinaria
„ abſque interventu Conſultorum dubium
„ ſuper validitate ſupradicti Proceſſus, &
„ affirmativa prodiit reſolutio, quam ea-
„ dem SANCTITAS VESTRA die 24. dicti
„ menſis confirmavit.

27 „ Tandem die 27. Novembris 1764.
„ in ædibus meis habita fuit Congregatio
„ Antepræparatoria, in eaque propoſitum
„ dubium: *An, & de quibus miraculis con-*
„ *ſtet poſt indultam huic* BEATO *ab Apoſto-*
„ *lica Sede venerationem*, quod dubium no-
„ vo examini, me pariter proponente, ſub-
„ actum eſt in Congregatione Præparatoria
„ coacta in Palatio Apoſtolico Quirinali die
„ 9. Junii præſentis anni 1765.

28 „ Modo autem quum ſupcrſit tantum
„ Congregatio Generalis habenda coram
„ SANCTITATE VESTRA, ideo Poſtulatorum
„ votis, & precibus morem gerens ſubſcripſi
„ ſequens dubium jam concordatum cum R.
„ P. Fidei Promotore, & in eadem Congre-
„ gatione Generali diſcutiendum: dubium:
An, & de quibus miraculis conſtet poſt indultam BEATO SERAPHINO *ab Apoſtolica Sede venerationem in caſu, & ad effectum, de quo agitur.*

J. Franciſcus Card. Epiſcopus
Sabinenſis Ponens.

VII. Idus Martii MDCCLXVI. Dominica quarta Quadrageſimæ poſtquam auream Roſam, quæ Principibus Viris ſolet mitti, Pontifex benedixerat, ſacroque devotiſſime adſtiterat, evocavit Eminentiſſimos Dominos Cardinales Carolum Albertum Guidobonum Cavalchini Sacri Collegii Decanum, Joan-

M nem

1 Monſaltus urbs Marchiæ Anconitanæ, quam Sixtus PP. V. anno MDLXXXVI. Epiſcopalem Sedem declaravit ſub Archiepiſcopo Firmano; de ejus Epiſcopis Ferdinandus Ughellus in *Italia ſacra* tom. 2.

2 Erytreæ urbs Epiſcopalis Aſiæ minoris in Jonia ſub Archiepiſcopo Epheſino prope Argenum promontorium inter urbes Clazomenas & Teon.

nem Franciſcum Albani Epiſcopum Sabinenſem, & Joſephum Mariam Feroni Congregationi Præfectum una cum Cajetano Forti Fidei Promotore, & Scipione Burgheſio Sacrorum Rituum Congregationis a Secretis, ac declaravit inter miracula accenſendas eſſe ſanationes Januarii Ranalli, & Ugonis Carletti.

ASCULANA, SEU FIRMANA

Canonizationis BEATI SERAPHINI DE ASCULO, ſeu DE MONTE GRANARIO Laici profeſſi Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capuccinorum.

„ DE miraculis, quæ interceſſione & „ ope BEATI SERAPHINI DE ASCULO, „ ſeu DE MONTE GRANARIO Laici profeſſi Or- „ dinis S. Franciſci Capuccinorum patrata „ divinitus dicebantur, actum primo fuit in „ Congregatione Antepræparatoria diei 27. „ Novembris 1764., mox in altera Præpara- „ toria diei 9. Junii 1765., ac poſtremo in „ Congregatione Generali coram SANCTISSI- „ MO DOMINO NOSTRO CLEMENTE XIII. coa- „ cta die 28. Januarii proxime elapſi, Cauſ- „ ſam referente Reverendiſſimo Cardinali „ Epiſcopo Sabinenſi.

„ Etſi autem SANCTITAS SUA, auditis Con- „ ſultorum, & Reverendiſſimorum Cardi- „ nalium ſuffragiis, nihil tunc decernen- „ dum duxerit, ut rem maturius delibera- „ ret, quoad ſuis ſimul & aliorum precibus „ ab eo, qui docet hominem ſcientiam, „ auxilium & opem imploraſſet: hodie tamen „ recurrente Dominica quarta Quadrageſi- „ mæ, in qua Chriſtus Deus Salvator Noſter „ plurima edidit ſigna ad gentes in fide con- „ firmandas, accitis coram ſe Reverendiſ- „ ſimis Cardinalibus Cavalchino Epiſcopo „ Oſtienſi, & Sacri Collegii Decano, Al- „ bano Epiſcopo Sabinenſi Cauſſæ Relatore, „ & Feronio Sacrorum Rituum Congrega- „ tioni Præfecto, nec non R. P. Cajetano „ Forti Fidei Promotore, meque infraſcri- „ pto Secretario, divino iterum implorato „ præſidio, declaravit ac ſtatuit, ex tribus „ propoſitis miraculis conſtare in tertio ge- „ nere tum de primo miraculo *ſanationis* „ *Januarii Ranalli a peſſimo ulceroſo tu-* „ *more ſub ſiniſtram axillam*, tum de ter- „ tio *perfectæ ſanationis Ugonis Antonii* „ *Carletti hominis valde ſenis a paralyſi* „ *manus ſiniſtræ*.

„ Atque hoc decretum mihi infraſcripto „ Secretario tradidit publicandum, & in „ Acta Congregationis Sacrorum Rituum re- „ ferendum. Hac die 9. Martii 1766.

Joſeph Maria Card. Feroni Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

S. Archiepiſcopus Theodoſiæ S. R. C. Secretarius.

Ut autem tandem ad Canonizationem BEATI SERAPHINI procederetur Generalia Comitia penes SANCTISSIMUM DOMINUM NOSTRUM collecta IX. Kalendas Octobris MDCCLXVI. fuere, ut quæreretur ab Eminentiſſimis Patribus, & Reverendiſſimis Suffragatoribus, an tuto id poſſet præſtari, in quo affirmando omnes convenere, PONTIFEX tamen biſce omnibus roboris firmitatem decreto ſuo tribuere diſtulit ad IV. Idus Octobris, quo die SERAPHINUS in gaudium Domini ſui introierat, interim in re tanta conſulere Altiſſimum per orationem volens.

ASCULANA, SEU FIRMANA

Canonizationis BEATI SERAPHINI AB ASCULO, ſeu DE MONTE GRANARIO Laici profeſſi Ordinis Minorum S. Franciſci Capuccinorum.

„ QUum poſt abſolutas Antepræpara- „ toriam, Præparatoriam, & Gene- „ ralem Congregationes in Cauſſa „ Aſculana, ſeu Firmana Canonizationis „ BEATI SERAPHINI AB ASCULO, ſeu DE MON- „ TE GRANARIO Laici profeſſi Ordinis Mino- „ rum Sancti Franciſci Capuccinorum, duo „ ex tribus propoſitis miraculis fuerint ap- „ probata per decretum latum die 9. Martii „ currentis anni 1766.; alterumque de mo- „ re propoſitum fuerit dubium: *An ſtante* „ *appro-*

Digitized by Google

„ *approbatione virtutum, & duorum mi-*
„ *raculorum tuto procedi poſſit ad ſollemnem*
„ *ipſius* BEATI *Canonizationem*, in Gene-
„ rali Congregatione habita coram Sanctiſ-
„ ſimo die 23. Septembris ejuſdem anni, in
„ qua abunde eliminatis difficultatibus ab R.
„ P. Fidei Promotore ſuper hoc dubio ex
„ officio propoſitis, Reverendiſſimi Cardi-
„ nales, & Conſultores affirmativam una-
„ nimi ſenſu dederunt reſponſionem. Ve-
„ rum SANCTITAS SUA reſolutionem differ-
„ re voluit, ut effuſis prius ad Deum pre-
„ cibus ſuperni luminis opem in tam gra-
„ vi negotio imploraret; quibus peractis,
„ favente Deo, coadjuvante Poſtulatorum
„ zelo, hac die Dominica, in qua ab uni-
„ verſo Minorum S. Franciſci Capuccino-
„ rum Ordine ejuſdem BEATI SERAPHINI AB
„ ASCULO pretioſæ mortis in conſpectu Do-
„ mini memoria recolitur, Cauſſa hæc, quæ
„ diu conticuit, ſupremum Apoſtolicæ Sedis
„ ſubiit judicium una cum reliquis BB. HIE-
„ RONYMI ÆMILIANI, JOSEPHI CALASAN-
„ CTII, ET JOANNÆ FRANCISCÆ FREMIOT
„ DE CHANTAL, qui, ut conſocii dum vi-
„ xerunt in virtutum heroico exercitio,
„ nunc comparticipes ſunt cœleſtis gloriæ,
„ SANCTISSIMUS enim DOMINUS NOSTER CLE-
„ MENS PP. XIII: poſt ſacroſanctum Miſſæ Sa-
„ crificium, accitis coram ſe Reverendiſſimo
„ Cardinali Feronio S. R. C. Præfecto, nec
„ non R. P. Carolo Alexio Piſani Fidei Pro-
„ motore, meque infraſcripto Secretario,
„ præſens Canonizationis ejuſdem BEATI,
„ quandocumque faciendæ, decretum ex-
„ pediri, ac publicari mandavit. Die 12.
„ Octobris 1766.

J. Maria Card. Feroni S.R.C. Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

V. Macedonius S. R. C. Secretarius.

POST eos omnes, quos ſuperius recenſuimus ſanctitatis heroas, quos ex omni perſonarum genere, ac ordine Deus Optimus Maximus, ut Chriſtifidelium caritas illorum commota exemplo magis magiſque ferveſceret, in fideles ſervos, & amicos delegit, venit Mulier fortis, gloria Jeruſalem, honorificentia populi noſtri, dilectiſſima S. Franciſci Saleſii ſpiritualis filia BEATA nempe JOANNA FRANCISCA FREMIOT DE CHANTAL præclariſſimi Ordinis Monialium, qui a Viſitatione Sanctæ Mariæ [1] nomen habet Mater, ac Fundatrix, quæ meritis, virtutibuſque onuſta,

1 Celeberrima hæc religioſarum virginum Familia, in parentes habet, & recognoſcit S. Franciſcum Saleſium Epiſcopum Gebennenſem, & SANCTAM JOANNAM FRANCISCAM FRAMIOT DE CHANTAL: cum enim Saleſius divino motus inſtinctu mente, cogitationeque pervolveret novam religioſarum mulierum Familiam inſtituere, quæ virtutum ſplendore Eccleſiam exornaret, & morum ſuavitate delicatiores quaslibet ad currendam perfectionis ſemitam alliceret, cognovit JOANNAM FRANCISCAM illam eſſe, quam Deus conſtituerat in angularem lapidem, ſupra quem eximiæ hujuſce Familiæ ædificium conſtrueretur.

Quamobrem cum diu multumque deliberaſſet, JOANNAM Annecium vocavit eique conſilium omne aperuit, quæ licet hoc opus ſane arduum & difficile cognoſceret, nihilotamenminus omnia ſperans in eo, qui nos confortat, lectiſſimis virginibus in unum collectis, VIII. Idus Junii MDCX., in quo feſtum Sanctiſſimæ Trinitatis celebrabatur, religioſæ Familiæ fundamenta jecit, eiſque regulas, quas a Saleſio acceperat, obſervandas propoſuit.

Sic illius increbuit ſanctarum mulierum fama, illarumque virtutes adeo ſplendidius illuxere, ut rei novitate Epiſcopi, principeſque viri commoti efficaciſſime apud Saleſium egerint, ut tam ſanctum, ac pium vivendi genus etiam in eorum civitatibus per JOANNAM FRANCISCAM inſtitueretur, ac propagaretur. Reſtitit quammaxime Franciſcus, ſed tandem victus precibus Dionyſii Simeonis de Marquemont Epiſcopi Lugdunenſis, qui poſtea ſacra Purpura fuit decoratus, Lugdunum JOANNAM miſit, ut novam ſacrarum virginum domum conſtitueret; hic cum earum vivendi genus ſummopere commendaſſet, auctor Saleſio fuit, ut a Sede Apoſtolica expoſtularet hanc piiſſimarum mulierum Congregationem in veram regularem Familiam erigi, cujus rei cauſſa cum Paulo PP. V. eſſet ſupplicatum, hic optime perpendens qui fructus ex hac fœcunda ſegete in agrum dominicum eſſent proveniendi, quam libentiſſime anno MDCXVIII. hanc Familiam ad regularem ſtatum ſublimavit.

Statim Lutetiæ Pariſiorum, Molini, in civitate Bituricarum, ac Divione harum virginum Aſceteria per JOANNAM FRANCISCAM, rem omnem moderante Saleſio, fuerunt conſtituta, verum cum XI. Kalendas Decembris MDCXXII. Franciſcus mortem obierit, cura omnis, & regimen virginum lectiſſimarum penes unam JOANNAM FRANCISCAM permanſit, quæ omni conatu ad illarum perfectionem aſſiduam dans operam, poſtquam per filias ſuas omnium virtutum genere excultas, & exornatas Maſſiliæ novæ domus jeciſſet fundamenta, & Camberii per ſeipſam, ut expoſtulanti Principi Thomæ de Sabaudia faceret ſatis alterum ejuſdem Ordinis Monaſterium erexiſſet, anno MDCXXIV. ante feſtum Pentecoſtes Anecium venit, quo

Molini in Borbonienſi Ducatu ad Sponſum cæleſtem Idibus Decembris MDCXLI. fuit evocata, ut diadema ſpeciei de illius manu acciperet [1].

Prodierant paulo ante Urbani PP. VIII. decreta, quibus cautum ſtatutumque fuerat, ne de virtutibus Servorum Dei, quorum Beatificatio, ſeu Canonizatio expoſtularetur, judicium in Sacrorum Rituum Congregatione poſſet inſtitui, niſi ab illorum obitu quinquaginta eſſent prolapſi anni. Decreta hæc cum male a nonnullis fuiſſent intellecta, Cauſſis alioquin inſtructiſſimis, locupletiſſimiſque damnum non modicum, ac detrimentum attulerunt, dum enim attenditur, ut quinquaginta effluant anni antequam Epiſcopus propria ſua auctoritate ad compilandos Proceſſus manus apponat, qui cum Dei Servis familiariter egerant, ac proinde optimum in Cauſſa dicere teſtimonium poterant, jam mortem cum vita omnes commutarant.

Hoc infortunium quod aliis quampluribus Cauſſis accidit, & noſtræ huic evenit: Moniales enim dictorum decretorum ſenſum minime percipientes multo ſero apud Epiſcopum Gebennenſem inſtarunt, ut de præclariſſimæ mulieris virtutibus, ac miraculis propria auctoritate inquireret, qui proinde non ſolum de virtutum, & miraculorum rumore, verum etiam de obedientia erga Urbani PP. VIII. decreta, quibus Dei Servis, qui ad Beatitatis honores minime fuerant evecti publicus eccleſiaſticus cultus fuerat interdictus, Acta adornavit [2]; quæ Acta cum Romam fuiſſent tranſmiſſa Pridie Idus Januarii MDCCXVII., Clemens PP. XI. in Cauſſæ Ponentem conſtituit Petrum Cardinalem Otthobonum, ut de illa agi in Sacra Rituum Congregatione poſſet [3].

Verum antequam de introducenda Cauſſa quæſtio haberetur, Sacra Congregatio eidem Cardinali Otthobono dedit in mandatis, ut diligenter perpenderet opuſcula aliqua a Serva Dei conſcripta, quæ formis typographicis fuerant excuſſa, & eidem fecit facultatem, ut, ſi per ſeipſum illa pervolvere minime poſſet, viros prudentes ac doctos eligeret, quibus hoc negocium demandaret [4]; his rite recteque conſideratis, Cardinalis Otthobonus expoſuit in Sacrorum Rituum Congregatione nil in eiſdem Servæ Dei opuſculis eſſe adinventum, quod contra fidei catholicæ veritatem, vel morum honeſtatem faceret, quapropter IV. Idus Septembris MDCCXVIII. eadem Congregatio reſpondit: *Nihil ex illis obſtare, quin procedi poſſit ad ulteriora* [5].

Tum de ſignanda Commiſſione introductionis Cauſſæ apud eoſdem Eminentiſſimos Patres Idibus Julii MDCCXIX. actum fuit, qui cum maxima ſanctitatis fama ſuſſultam Cauſ-

ſam

quo præcipuas Ordinis Moniales evocavit, quibus autea omnia monita, quæ ad illas ad perfectionis culmen elevandas litteris conſignaverat Saleſius, propoſuit, & cum earum conſilio volumen quoddam ex illis compilavit, ad cujus normam actiones omnes dirigerent, quod Gallico idiomate *Coutumier* appellant.

Nulla eſſet tanta vis ingenii, ac copia, quæ labores omnes a JOANNA in commodum ac incrementum iſtius Ordinis ſuſceptos exponere valeret, ſi enumeranda eſſent omnia, quæ geſſit, vel fuit aggreſſa: illud unum ſufficiat, ipſam cum evolavit ad Sponſum ſeptem ſupra octoginta virginum ſanctiſſimarum Cœnobia fundaſſe, in quibus evangelicæ perfectioni conatu ſummo virgines prudentiſſimæ ſtudebant, a qua perfectionis via poſt JOANNÆ obitum nec minime declinarunt; quamobrem nemo mirabitur adeo per univerſas catholicas Europeas regiones Ordinem hunc mulierum fuiſſe propagatum, ut modo pluſquam centum ac ſexaginta illius religioſiſſima enumerentur Monaſteria, in quibus ſupra ſex millia & ſexcentæ lectiſſimæ virgines ſanctiſſime Deo inſervientes vitam traducunt, inter quas ſæpiſſime primariæ nobilitatis mulieres nomen dedere, pro quibus omnibus ſatis ſit indicare Mariam Felicem Duciſſam de Montmorenci filiam Virginii Urſini Arcenni nunc Bracciani Ducis, quæ poſt tragicam mortem Ducis de Montmorenci viri ſui Molini inter ſanctas hiſce virgines ſe adſcripſit, & magna ſanctitatis fama Nonis Junii MDCLXVI. diem clauſit extremum.

Qui plura de præclariſſima harum virginum Familia deſiderat, conſulat Marſolier *Vie de Saint Francois de Sales*, Henricum de Maupas *Vie de la Mer de Chantal*, Aloyſium Jacobum *Biblioteque des femmes illuſtres*, Hilationem de Coſta *Eloge des dames illuſtres, & Hiſtoir. Cathol. les vies des premieres Meres de la Viſitation de notre Dame, & les conſtitutions del Ordre*, & laudatum Patrem Helyot *Hiſtoire des Ordres Religieux Monaſtiques, & militaires tom. 4. cap. 43. pag. 309. Paris 1715.*

1 *Ex prim. Fact. concord. §. 1.*
2 *Cit. Fact. concord. §. 2.*
3 *Loco cit.*
4 *Cit. Fact. concord. §. 3.*
5 *Cit. Fact. concord. §. 5.*

ſam cognoviſſent, in ſecundam abiere ſententiam, quam auctoritate ſua roboris firmitate munivit iv. Kalen. Auguſti MDCCXIX. Clemens PP. XI. [1].

Fere in diebus paucis xiv. Kalendas Septembris de non cultu diſceptatum fuit in Sacra Congregatione, in qua cum aliqui Eminentiſſimi Patres addubitaſſent Molini in Borbonienſi Ducatu, quo extremo morbo correpta BEATA cæleſtem Sponſum petierat, & Camberii, in quo celebre Ordinis ſui extruxerat Cœnobium, aliquod forſan quod publico eccleſiaſticoque cultu redoleret, erga JOANNAM fuiſſe intentatum, noluere prudentiſſimi Patres, ad Sacrorum Rituum Congregationis diſciplinam ſartam tectamque ſervandam, aliquid ſtatuere, ſed Proſperum de Lambertinis Fidei Promotorem juſſerunt Officiales Diœceſum Andegaven., & Gratianopolitanæ per litteras commonefacere, ut Molini, & Camberii viderent, an aliquid, quod publici cultus ſaperet, in JOANNÆ honorem perageretur [2]: hi omni diligentia, ac cura perquirentes, nilque quod publicum eccleſiaſticum cultum præſeferret invenientes, hujuſce rei certiorem per litteras Sacram Congregationem fecere, quæ iv. Idus Decembris MDCCXIX. tandem cenſuit, nil hac in re occurrere, quod decretis Urbani PP. VIII. contradiceret [3].

Abſoluto hoc pacto de non cultu judicio Epiſcopus Gebennenſis de rumore, ſeu fama ſanctitatis, ut ajunt in genere, Acta compilavit, quibus ad finem ac complementum perductis, de eadem fama quæſtio feliciſſime fuit inſtituta iii. Kalendas Decembris MDCCXXI. [4] penes Eminentiſſimos Sacrorum Rituum Congregationis Patres, qui ſtatim remiſſoriales litteras eidem Gebennenſi Epiſcopo dedere, ut de virtutibus BEATÆ illiuſque illuſtribus ac heroicis facinoribus inquireret [5]: nec ita multo poſt quia D. O. M. ad Servæ ſuæ ſanctitatem comprobandam nonnulla miracula ac prodigia omnipotenti ſua dextera patraverat, ideo ut celerrimo curſu ad propoſitam metam Cauſſa hæc omnium certo certius celeberrima perveniret, Epiſcopis Andegaven. Auguſtodunen. Rhedonen., & Archiepiſcopo Lugdunen. remiſſoriales litteræ inſcriptæ fuere, ut ad veritatem eorumdem miraculorum eruendam, qui in iiſdem Diœceſibus teſtimonium dicere poſſent ad examen adducerent [6].

Anno MDCCXXVII. cum ultimam recepiſſent manum, ad Urbem miſſa fuere Acta illa, quæ de virtutibus BEATÆ Epiſcopus Gebennenſis adornaverat, quamobrem v. Kalendas Decembris MDCCXXVIII. quæſtione in Sacrorum Rituum Congregatione propoſita, declaratum fuit, eadem ad juris, & litterarum remiſſorialium normam fuiſſe exarata [7].

Rebus igitur ſic conſtitutis, ad diſputationem de virtutibus ineundam neceſſaria quæque per Poſtulatores Cauſſæ comparabantur, cum Petrus Cardinalis Otthobonus, cui negotium hujuſmodi a Sacra Congregatione fuerat commiſſum, nonnullos doctos ſapienteſque viros delegit, qui ſummo ſtudio epiſtolas, ac opuſcula Servæ Dei, quæ in laudatum Proceſſum fuerant inſerta, perlegerent, ac quid de ipſis ſentirent, candidiſſime exponerent, quibus opuſcula hæc diligenti manu verſantes nil contigit invenire, quod ad ſanctuarii lances non ſtaret, quamobrem Eminentiſſimi Patres Sacris Ritibus præpoſiti, ix. Kalendas Septembris MDCCXXXII. exiſtimarunt Cauſſæ curſum amplius non eſſe remorandum [8]; id cum eſſet ſtatutum, Petrus Cardinalis Otthobonus diligenter ſtatim id operam dedit, ut ix. Kalendas Octobris ſuis in ædibus Congregatio, quam Antepræparatoriam vocant, haberetur [9].

Verum cum Fidei Promotor oppoſuiſſet alia extare opuſcula a Serva Dei litteris conſignata, quæ minime perpenſa ac conſiderata

1 *Cit. Fact. concord.* §. 7.
2 *Cit. Fact. concord.* §. 8.
3 *Cit. Fact. concord.* §. 9.
4 *Cit. Fact. concord.* §§. 10. & 11.
5 *Cit. Fact. concord.* §. 12.
6 *Cit. Fact. concord.* §§. 12. & 15.
7 *Cit. Fact. concord.* §§. 16. & 19.
8 *Cit. Fact. concord.* §§. 20. & 27.
9 *Cit. Fact. concord.* §. 28.

rata fuerant, Sacra Congregatio neceſſarium fore putavit, ut Epiſcopus Gebennenſis eadem attente & accurate perquireret; ſed cum poſt diligentem adhibitam perquiſitionem nequaquam datum fuerit eadem invenire, cenſuere Eminentiſſimi Patres de illis nullam rationem habendam amplius fore, & inceptum Cauſſæ judicium eſſe proſequendum [1].

Maxima in hac cæteroquin Cauſſarum omnium inſtructiſſima difficultas oriebatur ex eo, quod inter omnes, qui teſtimonium ſuper virtutibus in Proceſſibus dixerant, nemo unus erat, qui Servam Dei cognoviſſet, cumque ea familiariter egiſſet: hæc difficultas maximi ponderis, ac non modici momenti habebatur, quapropter Clemens PP. XII. peculiarem Congregationem inſtituit, in qua Eminentiſſimi Cardinales Ottoboni Cauſſæ Ponens, Gotti [2], Guadagni [3], Picus, & Zondadari Congregationi Præfectus, una cum Eminentiſſimo Cardinali Cavalchini tunc Congregationis Concilii a Secretis, qui paulo ante Promotorem Fidei geſſerat, & Congregationis Secretario, ac Ludovico de Valentibus, qui in conſpicuum Promotoris Fidei munus Cavalchini ſucceſſerat, quid hac in parte agendum, ingenue declararent [4].

Attamen Congregatio hæc nunquam fuit habita: Poſtulator enim qui id ſummopere huic Cauſſæ conducere exiſtimavit, ab eodem Pontifice per ſupplicem libellum obtinuit, ut judicium hoc Congregationi Ordinariæ committeretur, quæ XIV. Kalendas Martii MDCCXXXVII. cenſuit, defectum hujuſmodi nequaquam optimæ Cauſſæ officere poſſe [5].

Feliciter hac ratione difficultate qualibet propulſata, ſperabant Poſtulatores ſtatim Præparatoriam Congregationem eſſe celebrandam, at contra id quod mente præconceperant, hæc ad VI. Kalendas Decembris fuit protracta, neceſſe enim antea fuit Lutetiæ Pariſiorum, ac in illius Diœceſi in quatuor Monaſteriis SS. Antonii, Germani, Dionyſii, & Jacobi, quæ Moniales Viſitationis incolunt, in Collegio Societatis Jeſu, quod Ludovici Magni appellant, ac in Monaſterio Portus Regii perquirere diligenter epiſtolas, quas rumor erat, BEATAM ad Abbatem Sanciranum, & ad Sanctimoniales Mariam Angelicam, ac Agnetem de Arnauld miſiſſe; quæ tamen epiſtolæ, licet magna adhibita fuiſſet diligentia, nequaquam fuere repertæ [6].

Poſt hæc de validitate Proceſſuum ſuper BEATÆ miraculis in Diœceſibus Auguſtodunen., Lugdunen., Rhedonen., & Andegaven. compilatorum feliciter judicium fuit inſtitutum XI. Kalend. Junii MDCCXXXVIII [7].

Omnibus ſic rite recteque diſpoſitis, nil aliud ſupererat, quam BEATÆ virtutes in Generali Eminentiſſimorum Patrum, ac Reverendiſſimorum Conſultorum Conſeſſu diſquirendas proponere, ſed valde timuit providus Cauſſæ Poſtulator, ne optima Cauſſa ad metam properans ſiſteret, eo quod nonnullis negotium faceſſebat familiaritas illa, quæ JOANNAM inter & Abbatem Sanciranum, ac Mariam Angelicam Abbatiſſam Portus Regii interceſſerat, necnon umbra quædam, ſeu ut melius dicam, vana Quietiſmi ſuſpicio, quem in Dei Servæ ſcriptis aliqui inveniri autumabant, hinc a do-

ctiſſi-

1 *Cit. Fact. concord.* §. 29.

2 *Vincentius Ludovicus Gotti* Bononienſis Ordinis Fratrum Prædicatorum a Benedicto PP. XIII. maximo viri doctrinæ admiratore, qui familiari ejus conſuetudine jamdiu uſus fuerat, Pridie Kalendas Maii MDCCXXVIII. in Collegium Cardinalium ſub Titulo S. Sixti fuit relatus, qua nova ampliſſimaque auctus dignitate nil morum auſteritatis integritatiſque remiſit. Obiit Romæ X. Kal. Octobris MDCCXLII.. Extat hujus Cardinalis vita conſcripta a clariſſimo viro Patre Fratre Thoma Ricchinio Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

3 *Joannes Antonius Guadagni* Florentinus nobiliſſimis editus parentibus, qui ut perfectioni ſtuderet Aretii Ordini Carmelitarum Excalceatorum nomen dederat, ex Epiſcopo Aretino a Clemente PP. XII., cujus erat ſororis filius, & non affinitate ſolum, ſed merito & virtutum commendatione magis acceptus, Cardinalis Tituli Sancti Martini ad Montes VIII. Kalendas Octobris MDCCXXXI. fuit conſtitutus; obiit Romæ Epiſcopus Portuenſis & Sanctæ Rufinæ XVIII. Kalendas Februarii MDCCLIX.

4 *Cit. Fact. concord.* §. 30.

5 *Cit. Fact concord.* §§. 32. & 33.

6 *Cit. Fact. concord.* §§. 35. & 36.

7 *Cit. Fact. concord.* §. 37.

ctiſſimo Pontifice Benedicto XIV. obtinuit Congregationem Ordinariam Sacrorum Rituum IV. Nonas Septembris MDCCXLI. apud ipſum evocari, qui, cum attento animo Eminentiſſimos Suffragatores audiviſſet differentes, declaravit ſuſpicionem Quietiſmi vanam fallacemque fore, & familiaritatem Beatæ cum Sancirano, & Maria Angelica minime eidem crimini vertendam eſſe, eo quia nequaquam ei innotuerant perverſa dogmata, quibus fuerant infecti. [1]

Hoc pacto umbra qualibet difficultatis diſſipata, Cardinalis de Tencin [2], qui poſt obitum Petri Otthoboni in Cauſſæ Ponentem fuerat conſtitutus, Generalia Comitia ad III. Nonas Martias MDCCXLIII. [3] indicenda curavit.

GEBENNEN.

Beatificationis, & Canonizationis Ven. Servæ Dei JOANNÆ FRANCISCÆ FREMIOT DE CHANTAL Fundatricis, primæ Monialis, & primæ Superiorisæ Ordinis Monialium a Viſitatione Sanctæ Mariæ nuncupatarum.

FACTUM CONCORDATUM.

1 ,, Venerabilis Serva Dei Joanna Francisca Fremiot de
,, Chantal dilectiſſima S. Franciſci Saleſii
,, diſcipula, & cum eodem Fundatrix Mo-
,, nialium a Viſitatione die 13. Decembris
,, 1641. magna & inſigni cum ſanctitatis
,, fama, quam ſibi vivens per conſtans &
,, heroicum virtutum exercitium compara-
,, verat in civitate Annecii [4] Diœceſis Ge-
,, bennenſis ætatis annorum circiter 70. de-
,, ceſſit.

2 ,, Conſtructis ab Epiſcopo Gebennenſi
,, auctoritate Ordinaria, ut moris eſt, Pro-
,, ceſſibus tam ſuper ſanctitatis fama, vir-
,, tutibus, & miraculis ejuſdem Ven. Ser-
,, væ Dei, quam ſuper cultu eidem non
,, exhibito, & ad Urbem tranſmiſſis, Sa-
,, cra Rituum Congregatio die 5. Decem-
,, bris 1716. mandavit, ſervatis ſervandis,
,, aperiri, prout ſucceſſive fuerunt aperti,
,, approbante ſa: me: Clemente XI. die 12.
,, Januarii 1717, qui eodem die in Cauſſæ
,, Ponentem, ſeu Relatorem deputavit cla:
,, mem. Cardinalem Otthobonum.

3 ,, Ad effectum ſatisfaciendi decretis
,, generalibus ſa: me: Urbani VIII., inſtan-
,, te Cauſſæ Poſtulatore, die 20. Novembris
,, 1717. Sacra Congregatio reviſionem non-
,, nullorum opuſculorum ejuſdem Servæ
,, Dei commiſit eidem Cardinali Otthobo-
,, no cum facultate unum, ſeu plures Theo-
,, logos reviſores deputandi, cum ſuper-
,, venta approbatione Sanctiſſimi die prima
,, Decembris.

4 ,, Die 9. Julii 1718. Sacra Congrega-
,, tio indulſit, ut dubium ſuper ſignatura
,, Commiſſionis pro Introductione Cauſæ,
,, proponi poſſet in Congregatione Ordina-
,, ria Sacrorum Rituum abſque interventu
,, Conſultorum; mentem Sacræ Congrega-
,, tionis approbante ſa: me: Clemente XI. die
,, 18. ejuſdem menſis, & anni.

5 ,, Die 10. Septembris 1718. relatis
,, ab eodem Reverendiſſimo Ponente revi-
,, ſionibus opuſculorum Servæ Dei, nem-
,, pe reſponſionibus ſuper conſtitutionibus,
,, regulis, & coſtumerio, ſeu conſuetudi-
,, nibus

1 *Cit. Fact. concord.* §§. 39. & 40.

2 *Petrus de Tencin* Gallus Gratianopoli natus, vir ſcientiarum omnium ac virtutum fama celeberrimus, qui poſtquam in Romana Curia negotiis Chriſtianiſſimi Regis præpoſitus ſumma cum laude provinciam hanc adminiſtraverat ab eodem Rege Archiepiſcopus Erbreduneſis fuerat nominatus, per Clementem PP. XII. VII. Kalendas Martii MDCCXXXIX. ſacra Purpura ad nominationem Jacobi III. Magnæ Britanniæ Regis fuit exornatus; Titulum habuit Sanctorum Nerei & Achillei. Deinde an. MDCCXL. Archiepiſcopus ab eodem Rege dictus fuit Lugdunenſis, ac incunte anno MDCCXLII. Regii Ordinis Sancti Spiritus Commendator conſtitutus, quo anno veniam a Rege obtinuit ut ad Lugdunenſem venire poſſet Eccleſiam, idque eo conſilio efflagitaverat, ut poſtquam paſtorali vacaſſet miniſterio, Romam poſſet redire, ſed vix Lugdunum pervenit Regis beneficio inter Status adminiſtros VII. Kalen. Septembris MDCCXLII. fuit allectus, unde ad Urbem revertere nequaquam licuit.

3 *Cit. Fact. concord.* §. 41.

4 Annecium urbs Sabaudiæ Genevenſis Ducatus caput ad lacum hujus nominis, & ad radices montis Saymenoz ſita.

„ nibus Ordinis Viſitationis Pariſiis impreſ-
„ ſis anno 1665. , necnon epiſtolis ſpiritua-
„ libus Servæ Dei Lugduni impreſſis 1644.,
„ Sacra Congregatio reſpondit: *Nihil ex*
„ *illis obſtare, quin procedi poſſit ad ulte-*
„ *riora*, & reſponſum approbavit ſa: me:
„ Clemens XI. die 24. cjuſdem menſis, &
„ anni.

6 „ Die 13. Maii 1719. , approbante
„ Sanctitate Sua die 17. ejuſdem , Sacra
„ Congregatio benigne indulſit, ut propo-
„ neretur dubium ſuper ſignatura Com-
„ miſſionis, non obſtante, quod lapſum non
„ fuiſſet decennium exigitum in decretis
„ generalibus a die præſcota torum Proceſ-
„ ſuum informativorum.

7 „ Die 15. Julii 1719. Sacra Congre-
„ gatio reſcripſit poſſe ſignari Commiſſio-
„ nem introductionis Cauſæ, & reſcri-
„ ptum approbavit ſa: me: Clemens XI.
„ die 19. dicti menſis, qui ſucceſſive Com-
„ miſſionem manu ſua, ut moris eſt, ſi-
„ gnavit.

8 „ Die 19. Auguſti 1719. propoſito du-
„ bio ſuper paritione decretis ſa: me: Ur-
„ bani VIII. de non cultu editis, quia du-
„ bitatio emergebat, an aliquis cultus Ser-
„ væ Dei exhiberetur in oppido Molina-
„ rum [1] Diœceſis Auguſtodunen., & in op-
„ pido Camberii [2] Diœceſis Grationopoli-
„ tanæ, Sacra Congregatio reſcripſit: *Dila-*
„ *ta, & ad mentem*, & mens fuit, *ut ſcri-*
„ *beretur Officialibus earumdem Diœceſum*
„ *juxta inſtructionem R. P. Promotoris*.

9 „ Tranſmiſſis ab eodem R. P. Promo-
„ tore diſtinctis, & ſeparatis inſtructionibus
„ utrique Officiali Diœceſum Gratianopo-
„ litan., & Auguſtodunen. factiſque debitis
„ diligentiis, opportuniſque formiter receptis
„ informationibus, cum ex Proceſſibus tranſ-
„ miſſis, ac mature examinatis nulla con-
„ ſtaret decretorum generalium tranſgreſ-
„ ſio, die 9. Decembris 1719. Sacra Con-
„ gregatio in repropoſitione dubii: *An*
„ *conſtet de paritione decretis ſuper non*
„ *cultu editis*, reſpondendum cenſuit: *Af-*
„ *firmative*, & Sacræ Congregationis reſpon-
„ ſum approbavit ſa: me: Clemens XI. die
„ 27. Januarii 1720.

10 „ Die 3. Februarii 1720. conceſſæ
„ fuerunt litteræ remiſſoriales directæ Epi-
„ ſcopo Gebennenſi, & quatuor Dignita-
„ tibus ad effectum conficiendi auctorita-
„ te Apoſtolica Proceſſum ſuper fama ſan-
„ ctitatis in genere, & die 8. dicti ſuperac-
„ ceſſit approbatio Sanctitatis Suæ.

11 „ Die 14. Decembris 1720., appro-
„ bante Sanctitate Sua die 18. ejuſdem, de-
„ mandata fuit aperitio ejuſdem Proceſſus
„ ſuper fama ſanctitatis in genere interim
„ ad Urbem tranſmiſſi, ejuſdemque Proceſ-
„ ſus validitas, & relevantia approbata fuit
„ die 29. Novembris 1721. cum ſupervento
„ aſſenſu Sanctitatis Suæ die 20. ſubſequentis
„ menſis Decembris.

12 „ Die 29. Novembris 1721. conceſſæ
„ fuerunt conſuetæ litteræ remiſſoriales, &
„ compulſoriales pro conſtruendis Proceſſi-
„ bus in ſpecie directæ Epiſcopis infraſcri-
„ ptis, & quatuor Dignitatibus, ſive Cano-
„ nicis Eccleſiarum Cathedralium ſingula-
„ rum civitatum cum termino triennii,
„ nempe Epiſcopo Gebennen. pro conſtru-
„ endo Proceſſu ſuper virtutibus, & mira-
„ culis in ſpecie, & Epiſcopis Andegaven.,
„ Auguſtodunen, & Rhedonen. ſuper mira-
„ culis in ſpecie in eorum reſpective Diœ-
„ ceſibus ad interceſſionem Servæ Dei patra-
„ tis, & die 20. Decembris ejuſdem anni
„ 1721. Sanctitas Sua Sacræ Congregationis
„ reſolutioni præbuit aſſenſum.

13 „ Die 15. Julii 1724. ad inſtantiam
„ Monialium Annecii, Sacra Congregatio
„ indulſit, ut corpus Servæ Dei in loco ſa-
„ tis humido exiſtens ad alium locum poſſet
„ transferri juxta inſtructionem R. P. Pro-
„ moto-

1 Molinum urbs princeps ſuperioris Burgundiæ ad fluvium Elaverem piſcium admodum abundantem, & ſalmonum præcipue copia nobilem; pulcherrimam habet arcem, & hortos longe amœniſſimos, rariſque arboribus conſitos.

2 Camberium urbs Galliæ, alias *Civaro* dicta, nunc *Chambery* in Sabaudia inter montem Melianum & lacum Burgetium.

„ motoris , approbante Sacræ Congregatio-
„ nis indultam facultatem ſa: me: Benedi-
„ cto XIII. die 31. ejuſdem menſis, & anni.

14 „ Die 16. Auguſti 1724. terminus
„ triennii conceſſus ad effectum conficiendi
„ prædictos Apoſtolicos Proceſſus in ſpecie
„ prorogatus fuit ad alios duos anuos, con-
„ ceſſam prorogationem approbante Sancti-
„ tate Sua die 11. Septembris ejuſdem anni.

15 „ Die 7. Julii 1725. cum approbatione
„ Sanctitatis Suæ ſuperventa die 30. ejuſdem
„ menſis, Saera Congregatio alias conceſſit
„ lltteras remiſſoriales directas Arcbiepi-
„ ſcopo Lugdunen., & quatuor Dignitati-
„ bus, ſive Canonicis Eccleſiæ Cathedralis
„ ad effectum confieiendi Proceſſum Apoſto-
„ licum in ſpecie ſuper nonnullis miraculis
„ de recenti operatis a Deo ad interceſſio-
„ nem Servæ ſuæ in Civitate Lugdunen. cum
„ termino biennii.

16 „ Die 12. Julii 1727. Sacra Congre-
„ gatio conceſſit, ut Proceſſus nuper ad Ur-
„ bem tranſmiſſus ab Epiſcopo Gebennenſi
„ ſuper virtutibus, & miraculis in ſpecie,
„ ſervatis ſervandis aperiretur, & Sancti-
„ tas Sua approbavit die 23. ejuſdem menſis,
„ & anni.

17 „ Die 10. Aprilis 1728. cum appro-
„ batione Sanctitatis Suæ ſub die 14., ſtante
„ quod terminus jam conceſſus expiraverat,
„ Sacra Congregatio novum terminum trien-
„ nii conceſſit ad effectum conficiendi Pro-
„ ceſſus ſuper miraculis in ſpecie in Diœceſi-
„ bus Andegaven., Auguſtodunen., & Rhe-
„ donen.

18 „ Die 12. Auguſti 1728. ſa: me: Be-
„ nedictus XIII. indulſit, ut validitas Pro-
„ eeſſus Annicien. in ſpecie diſcuteretur in
„ Congregatione Ordinaria Sacrorum Ri-
„ tuum abſque interventu Conſultorum.

19 „ Die 27. Novembris ejuſdem anni
„ propoſito in Sacra Rituum Congregatione
„ Ordinaria in ſequelam prædictæ diſpenſa-
„ tionis dubio: *An conſtet de validitate*
„ *Proceſſus remiſſorialis, & compulſoria-*
„ *lis ſuper ſanctitate vitæ, virtutibus, &*
„ *miraculis in ſpecie ipſius Servæ Dei au-*
„ *ctoritate Apoſtolica Annecii conſtructi,*
„ *teſtes ſint rite & recte examinati, &*
„ *jura legitime compulſata*, reſcriptum
„ fuit: *Affirmative in omnibus*, reſcripto
„ approbante Sanctitate Sua die 22. ſubſe-
„ quentis menſis Decembris.

20 „ Die 21. Decembris 1728. cum
„ approbatione Sanctiſſimi ſuperventa die
„ 22. dicti Saera Congregatio remiſit cl:
„ mem: Cardinali Otthobono tunc Ponenti
„ reviſionem plurium epiſtolarum Servæ
„ Dei in dicto Proceſſu Apoſtolico Anni-
„ eien. inſertarum cum facultate deputan-
„ di unum, ſeu plures reviſores Theolo-
„ gos.

22 „ Interim ad Urbem tranſmiſſo Pro-
„ eeſſu in Diœceſi Auguſtodunen. facto ſu-
„ per miraculis in ſpecie, Sacra Congrega-
„ tio die 11. Aprilis 1729. mandavit ſervatis
„ ſervandis aperiri, Sanctitate Sua appro-
„ bante die 18. Junii.

22 „ Die 28. Septembris 1729. ſa. me.
„ Benedictus XIII. benigne indulſit, ut
„ Proceſſus ſuper miraculis in ſpecie facien-
„ dus in Diœceſi Lugdunen., qui ob locorum
„ diſtantiam, & impedimenta tum Archie-
„ piſcopi, tum ejus Vicarii generalis, tum
„ Dignitatum Eccleſiæ Cathedralis deputa-
„ tarum inchoari non poterat, conficeretur
„ ab alio Vicario generali, & quatuor Di-
„ gnitatibus, ſeu Canonicis alicujus Colle-
„ giatæ Eccleſiæ Civitatis Lugdunen. ab ipſo
„ Archiepiſcopo deputandis cum termino
„ alterius biennii.

23 „ Tranſmiſſis ad Urbem clauſis, &
„ obſignatis Proceſſibus Apoſtolica auctori-
„ tate factis ſuper miraculis in ſpecie in
„ Diœceſibus Rhedonen., & Andegaven., ſa.
„ me. Benedictus XIII. die 24. Novembris
„ 1729. indulſit eorum aperitionem cum
„ ſola recognitione ſigillorum Epiſcoporum
„ ab extra, dummodo in reliquis ſervatis
„ ſervandis, & legitime aperitio fiat: ve-
„ rum quia teſtes nulli in Urbe aderant,
„ qui ſigillum Archiepiſcopi Andegaven.
„ recognoſcere poſſent, Sacra Congrega-
„ tio die 26. Auguſti 1730. indulſit, ut reco-
„ gnitio appoſitorum in dicto Proceſſu ſigil-
„ lorum fieret per comparationem conſimi-

,, lium certorum ſigillorum, quæ tum Ar-
,, chiepiſcopus Andegaven., tum omnes ju-
,, dices delegati appoſuerant in quodam
,, inſtrumento publico pro hoc eodem effe-
,, ctu ad Urbem tranſmiſſo, & reſolutionem
,, Sacræ Congregationis approbavit ſa. me.
,, Clemens XII. die 28. ejuſdem menſis, &
,, anni.

24 ,, Tranſmiſſo pariter interim ad Ur-
,, bem alio Proceſsu facto in Diœceſi Lugdu-
,, nen. ſuper miraculis in ſpecie clauſo, ut
,, moris eſt, & ſigillato, Sacra Congrega-
,, tio die 26. Auguſti 1730. conceſſit, ſerva-
,, tis ſervandis aperiri, & die 28. Sancti-
,, tas Sua mentem Sacræ Congregationis ap-
,, probavit.

25 ,, Die 16. Septembris 1730., approbante
,, Sanctitate Sua die 20. ejuſdem menſis, Sa-
,, cra Congregatio indulſit, ut validitas di-
,, ctorum quatuor Proceſſuum Apoſtolicorum
,, ſuper miraculis in ſpecie Andegaven.,
,, Rhedonen., Auguſtodunen., & Lugdu-
,, nen. examinaretur in Congregatione Or-
,, dinaria Sacrorum Rituum abſque inter-
,, ventu Conſultorum.

26 ,, Cum hic in Urbe miraculum ſu-
,, perveniſset ad interceſſionem Ven. Servæ
,, Dei die 28. Aprilis 1731. cum approba-
,, tione Sanctiſſimi die 2. Maii Sacra Congre-
,, gatio, ut moris eſt, commiſit constructio-
,, nem Proceſsus Apoſtolici Reverendiſſimo
,, Urbis Vicario cum conſuetis facultatibus
,, deputandi tres Epiſcopos eidem bene
,, viſos.

27 ,, Die 23. Auguſti 1732. relatis in Sa-
,, cra Rituum Congregatione a Reverendiſ-
,, ſimo Cardinali Otthobono cenſuris Reviſo-
,, rum, quos vigore habitarum facultatum
,, deſtinaverat ad effectum examinandi non-
,, nulla alia opuſcula Servæ Dei, nempe
,, librum primum impreſſum Pariſiis anno
,, 1667., in quo præmittuntur duæ epiſtolæ
,, Servæ Dei, continentem tres partes, qua-
,, rum prima complectitur directorium con-
,, ſtitutionum Sanctimonialium a Viſitatione
,, Sanctæ Mariæ nuncupatarum; ſecunda
,, directorium, & normam, quibus a præ-
,, fatis Monialibus horæ canonicæ recitari,
,, & ſacræ cæremoniæ, & ritus ſervari de-
,, beant in celebrandis divinis Officiis; in
,, tertia exponitur forma ſeu modus, quo
,, ipſæ cantum ſuum in Choro modulari de-
,, bent: ſecundum librum, cujus titulus
,, eſt *Coſtumè de Monaſtere de la Viſitation*
,, Pariſiis impreſſum anno 1642., in quo
,, adeſt pariter una epiſtola Servæ Dei:
,, tertium librum complectentem ſexaginta
,, ſeptem ejuſdem epiſtolas, Sacra Congre-
,, gatio reſcripſit: *Nihil obſtare quin poſſit*
,, *procedi ad ulteriora*, reſcriptum præfa-
,, tum approbante Summo Pontifice die 30.
,, ejuſdem menſis, & anni.

28 ,, Die 23. Septembris 1732. habita
,, fuit in ædibus cl: me: Cardinalis Ottbobo-
,, ni Ponentis Congregatio Antepræparato-
,, ria ſuper dubio heroicarum virtutum.

29 ,, Opponente R. P. Promotore, præ-
,, ter opera Servæ Dei jam reviſa, alia adeſ-
,, ſe, Sacra Congregatio die 21. Januarii 1733.
,, commiſit Epiſcopo Gebennen. diligentias
,, pro iis reperiendis juxta inſtructionem ejuſ-
,, dem P. Promotoris, quibus relatis die 23.
,, Februarii 1734. cum nihil repertum fue-
,, rit, reſcriptum prodiit: *Poſſe procedi*
,, *ad ulteriora*: ſuperventa reſcripti ap-
,, probatione facta a Sanctitate Sua die 6.
,, Martii ſubſequentis.

30 ,, Quia penes Reverendiſſimos Con-
,, ſultores aliqua erat difficultas ſuper ſuffi-
,, cientia probationum ob deficientiam te-
,, ſtium de viſu directe in hac Cauſa exa-
,, minatorum ſa: me: Clemens XII. ſuper eo-
,, dem puncto probationum, an nempe eſ-
,, ſent ſufficientes, ad inſtantiam Poſtulatoris
,, die 27. Martii 1734. particularem deputa-
,, vit Congregationem Reverendiſſimorum
,, Cardinalium Otthoboni Ponentis, Gotti,
,, & Guadagni cum interventu RR. PP. Secre-
,, tarii Sacræ Congregationis Rituum, & Ca-
,, valchini olim Fidei Promotoris, cui par-
,, ticulari Congregationi die 24. Aprilis ſe-
,, quentis adjunxit Reverendiſſimos Cardina-
,, les Picum, & Zondadarium tunc Præfe-
,, ctum cum interventu R. P. de Valentibus
,, hodierni Promotoris Fidei.

31 ,, Cum Proceſsus Apoſtolicus in Ur-
,, be

„ be ſuper miraculo in eadem Urbe patrato „ ex variis impedimentis nunquam fuiſſet „ inchoatus juxta facultates datas a Sacra „ Congregatione Reverendiſſimo Urbis Vicario die 28. Aprilis 1731., eadem Sacra „ Rituum Congregatio die 21. Aprilis 1736. „ eaſdem facultates confirmavit eum nova „ termini conceſſione unius anni, eamdem „ confirmationem approbante Sanctitate „ Sua die 24. ejuſdem menſis.

32 „ Die 22. Januarii 1737. fa: me: Clemens XII. examen probationum, quæ „ in hac Cauſſa concurrunt, remiſſum Congregationi particulari ad inſtantiam Poſtulatoris ab ea avocavit, & remiſit Congregationi Ordinariæ Sacrorum Rituum „ abſque interventu Conſultorum.

33 „ Die 16. Februarii ejuſdem anni 1737. „ per cl. me. Cardinalem Otthobonum propoſita Cauſſa in eadem Sacra Rituum Congregatione ſuper puncto probationum reſcriptum prodiit: *in caſu, de quo agitur poſſe procedi ad ulteriora* cum ſubſecuta approbatione Sanctitatis Suæ die 20. „ ejuſdem menſis.

„ 34 Die 6. Aprilis 1737. Sacræ Congregatio ad effectum conficiendi Proceſſum in „ Urbe ſuper miraculo alium terminum „ unius anni fuit impertita, ſucceſſive accedente approbatione Sanctiſſimi die 13. „ præfati menſis.

35 „ Opponente R. P. Promotore exiſtentiam nonnullarum epiſtolarum a Serva Dei ſcriptarum Mariæ Angelicæ, & „ Agneti de Arnauld Monialibus in Monaſterio Portus Realis, & Abbati Sancirano „ nuncupato, necnon etiam aliis epiſtolis „ earumdem Monialium, & præfati Abbatis „ ad Servam Dei, die 6. Aprilis 1737. Sacra „ Rituum Congregatio pro earumdem perquiſitione mandavit diligentias fieri juxta „ inſtructionem ipſius R. P. Promotoris in „ quatuor Monaſteriis Viſitationis civitatis, „ & Diœceſis Pariſienſis, nempe S. Antonii, „ S. Germani, S. Dionyſii, & S. Jacobi, nec „ non in Monaſterio Portus Realis, ac etiam „ in Collegio Societatis Jeſu nuncupato „ Ludovici Magni, quibus ſervatis ſervandis, & diligentiſſime expletis ad formam „ inſtructionis ipſius R. P. Promotoris, & „ ad Urbem tranſmiſſis, atque relatis in Congregatione die 31. Auguſti 1737., reſcriptum fuit: *Poſſe procedi ad ulteriora*, ejuſdem reſcripti approbatione ſubſecuta die „ 6. Septembris ejuſdem anni.

36 „ Die 26. Novembris 1737. habita „ fuit Congregatio Præparatoria ſuper dubio heroicarum virtutum in Palatio Apoſtolico Quirinali.

37 „ Die 21. Junii 1738. ex diſpenſatione Apoſtolica propoſito in Sacra Rituum „ Congregatione Ordinaria abſque interventu Conſultorum dubio ſuper validitate „ quatuor Proceſſuum Apoſtolicorum factorum ſuper miraculis, nempe Auguſtodunen., Lugdunen., Rhedonen., & Andegaven., „ prodiit reſolutio conſtare de eadem omnium dictorum quatuor Proceſſuum validitate, quam reſolutionem approbavit Sanctitas Sua die 26. ejuſdem menſis, & anni.

38 „ Die 30. Decembris anni 1740. Sanctitas Veſtra, ſtante obitu cl. me. Cardinalis Otthoboni interim ſecuto, me deputavit in Ponentem præſentis Cauſſæ in „ ſtatu, & terminis.

39 „ Timens Cauſſæ Poſtulator, quod „ ea, quæ opponebatur Ven. Servæ Dei prætenſa communicatio cum Abbate Sancirano, & Monialibus Portus Realis, & quædam emendicata ſuſpicio Quietiſmi indebite præſumpta ex ſcriptis Servæ Dei jam „ reviſis & approbatis, in mente Reverendiſſimorum Conſultorum aliquam poſſet forſtaſſe ingerere difficultatem in ulteriori dubii diſcuſſione ſuper heroicis Servæ Dei „ virtutibus, preces S. V. porrexit humiliter ſupplicans, ut in Congregatione Ordinaria Sacrorum Rituum habenda coram „ eadem S. V. diſputaretur infraſcriptum „ dubium: *An prætenſa communicatio per Ven. Dei Servam habita, dum viveret, cum Abbate de Sancirano, & Maria Angelica Abbatiſſa Portus Regii, atque objectus Quietiſmus obſtent, quominus procedi poſſet ad ulteriora in Cauſſa*, & Sanctitas Veſtra die 14. Aprilis anni præteriti „ benigne annuit.

40 ,, In cujus ſequelam die 11. Septem-
,, bris ejuſdem anni 1741. in Congregatione
,, Sacrorum Rituum Ordinaria habita coram
,, S. V. ego præſatum dubium propoſui, &
,, S. V., auditis Reverendiſſimorum Cardi-
,, nalium ſuffragiis, poſt imploratum divi-
,, num lumen, accitis RR. PP. Sacræ Con-
,, gregationis Rituum Secretario, & Pro-
,, motore Fidei, die 10. Septembris decre-
,, tum edidit: *Objectas oppoſitiones, de qui-*
,, *bus in ſupradicto dubio non obſtare quo-*
,, *minus in Cauſſa Ven. Servæ Dei* JOANNÆ
,, FRANCISCÆ FREMIOT DE CHANTAL *ad ul-*
,, *teriora procedatur, ad diſcuſſionem vide-*
,, *licet dubii de virtutibus Theologalibus,*
,, *& Cardinalibus ipſius, in cujus diſcuſſio-*
,, *ne onus erit prædicti Fidei Promotoris,*
,, *poſthobitis omnino ſupradictis difficultati-*
,, *bus jam ſuperatis, cætera proſequi, ſi quæ*
,, *ſint, quæ diſputandarum virtutum ful-*
,, *gorem poſſint obſcurare.*

41 ,, Rebus ita diſpoſitis, in Congrega-
,, tione Generali Sacrorum Rituum coram
,, S. V. habenda pro Cauſſa Ven. Servæ Dei
,, JOANNÆ FRANCISCÆ FREMIOT DE CHAN-
,, TAL propono dubium jamdiu concorda-
,, tum cum R. P. Fidei Promotore, nempe:
,, *An conſtet de virtutibus Theologalibus,*
,, *Fide, Spe, & Caritate in Deum, &*
,, *in proximum, necnon Cardinalibus, Pru-*
,, *dentia, Juſtitia, Fortitudine, & Tem-*
,, *perantia, eorumque annexis in gradu*
,, *heroico in caſu &c.*

P. Card. de Tencin Ponens.

In his Generalibus Comitiis cum fulgor virtutum BEATÆ ſupra modum refulſiſſet, Benedictus PP. XIV. poſtquam aſſiduis precibus & obſecrationibus divinum lumen imploraverat, Pridie Kalendas Aprilis MDCCXLIII. declaravit, virtutes JOANNÆ FRANCISCÆ ad ſummum perfectionis ac heroicitatis apicem perveniſſe; ſed quia per teſtes, ut ajunt, de viſu minime fuerant comprobatæ, prudentiſſima deliberatione conſtituit, ne inter Beatas referretur, niſi per Sedem Apoſtolicam quatuor fuiſſent miracula probata ab omnipotenti dextera Excelſi ad præclariſſimæ mulierum ſanctitatem comprobandam edita, atque patrata. [1]

Animum proinde diligentiſſimus Cauſſæ Poſtulator ſtatim ad judicium miraculorum ſubeundum convertit, neceſſariaque omnia comparavit. Tunc Summus Pontifex, quia Cardinalis de Tencin ab Urbe aberat curis impeditus, ut eximiam animi ſui pietatem, ac venerationem in JOANNAM FRANCISCAM teſtaretur, noluit aliquem S. R. E. Cardinalem in Cauſſæ Relatorem eidem ſubſtituere, ſed ſingulari profecto exemplo ſeipſum Ponentis vices gerere declaravit, ac Proſpero Cardinali Columnæ de Sciarra demandavit, ut ipſius perſonam in conſuetis Congregationibus ſuſtineret. [2] Qui VII. Kalendas Februarii MDCCXLV. Congregationem Antepræparatoriam propriis in ædibus ex Pontificis præſcripto habuit; [3] poſt quanL VIII. Idus Decembris MDCCXLVI. Congregatio Præparatoria in Quirinali fuit celebrata, quam denuo prudentiſſimus Pontifex, ne ulla dubitandi in Generalibus Comitiis ratio ſupereſſet, voluit evocari ad III. Idus Junii MDCCXLVIII., [4] in qua omnibus rite recteque conſideratis, III. Idus Junii MDCCLI. Generalibus Comitiis dictus eſt dies.

GEBENNEN.

Beatificationis, & Canonizationis Ven. Servæ Dei JOANNÆ FRANCISCÆ FREMIOT DE CHANTAL Ordinis Monialium a Viſitatione S. Mariæ nuncupatarum Fundatricis.

FACTUM CONCORDATUM.

1 ,, IN ſequelam decreti, quod poſt ha-
,, bitam Congregationem Generalem
,, coram Sanctitate Veſtra die 5. Martii
,, 1743., & poſt imploratum divinum lu-
,, men edidit eadem Sanctitas Veſtra ſub
,, die 31. Martii ejuſdem anni, in quo de-
,, claravit heroicas virtutes præfatæ Ven.
,, Dei

1 *Ex ſecund. Fact. concord.* §.1. 2 *Cit. Fact. concord.* §.3. 3 *Loc. cit.* 4 *Cit. Fact. concord.* §.2.

,, Dei Famulæ JOANNÆ FRANCISCÆ FREMIOT
,, DE CHANTAL *ita probari, ut tuto deve-*
,, *niri poſſit ad ulteriora, nimirum ad di-*
,, *ſcuſſionem miraculorum*, ad eamdem di-
,, ſcuſſionem miraculorum tranſitus factus
,, fuit, quæ deſumuntur ex quinque Pro-
,, ceſſibus Apoſtolica auctoritate conſtructis,
,, quatuor extra Urbem, nempe Auguſto-
,, dunen., Lugdunen., Rhedonen., & An-
,, degaven., quorum validitas ad relatio-
,, nem cla. me. Card. Otthoboni tunc Po-
,, nentis approbata fuerat die 11. Junii an-
,, ni 1736., cui annuit ſa. me. Clemens XII.
,, die 26. ejuſdem menſis, & anni; & quin-
,, to in Urbe, cujus validitas ad relationem
,, cla. mem. Cardinalis Belluga ſubrogati die
,, 7. Novembris a S. V. in Ponentem Reve-
,, rendiſſimo de Tencin abſenti approbata
,, fuit die 1. Decembris anni 1742., an-
,, nuente Sanctitate Veſtra die 12. ejuſdem
,, menſis, & anni.

2 ,, Cum autem paratis informationibus
,, ſuper miraculis conſueta habenda eſſet
,, Congregatio Antepræparatoria, quia San-
,, ctitas Veſtra perraro exemplo, memoria-
,, que ſempiterna recolendo, poſt mortem
,, Cardinalis Belluga vicem Ponentis in hac
,, Cauſſa ſibi aſſumpſerit, & reſervaverit,
,, Poſtulatorem remiſit ad Reverendiſſimum
,, Cardinalem Proſperum Columnam, co-
,, ram quo eamdem Antepræparatoriam
,, Congregationem haberi mandavit, prout
,, de facto habita fuit die 26. Januarii 1745.

3 ,, Die 6. Decembris ſubſequentis an-
,, ni 1746. in Palatio Apoſtolico Quirinali
,, altera, ut moris eſt, habita fuit Congre-
,, gatio, quæ Præparatoria appellari con-
,, ſuevit; hæc vero, ut firmiori ſpe felicis
,, ſucceſſus Cauſſa ad exitum properaret,
,, clementiſſimo providoque Sanctitatis Veſtræ
,, conſilio iterata fuit die 11. Junii 1748.

4 ,, Rebus itaque ita diſpoſitis, in Gene-
,, rali Congregatione habenda coram Sancti-
,, tate Veſtra proponitur dubium jamdiu
,, concordatum cum R. P. Fidei Promoto-
,, re, nimirum:

An, & de quibus miraculis conſtet in caſu, & ad effectum, de quo agitur.

P. Cardinalis Columna de Sciarra.

In his Generalibus Comitiis Eminentiſſimorum Patrum, ac Reverendiſſimorum Suffragatorum cum cognoviſſet Pontifex omnes, quæ contra veritatem miraculorum difficultates inſurrexerant, ita propulſatas, ac eliminatas fuiſſe, ut nulli cordato ac ſapienti viro negotium faceſſere poſſent, ſumma lætitia affectus declaravit ſe in re tanta, qui ſapientiam parvulis præſtat, per orationem conſulere velle, antequam animi ſui ſenſum exponeret, ut peregit ad XII. Kalendas Septembris MDCCLI., quo infallibili ineluctabilique decreto quatuor ex diſcuſſis miraculis approbavit, quibus ſpeciali impulſu venerationis in BEATAM motus, & quintum adjecit, de quo ſolummodo Ordinaria auctoritate Epiſcopus Aurelianenſis inquiſierat.

Poſt hæc ſacris cæremoniis ſollemni pompa & apparatu in Vaticana Principis Apoſtolorum Baſilica XI. Kalendas Decembris MDCCLI. Beatas inter JOANNA FRANCISCA FREMIOT DE CHANTAL fuit adnumerata [1].

Tum quia D. O. M., ut gloriam BEATÆ adaugeret, & nomen illius per univerſam Eccleſiam magnificaret, non ceſſabat dexteræ ſuæ prodigia, JOANNAM FRANCISCAM Chriſtifidelibus invocantibus, oſtendere, ſtatim Moniales Viſitationis, ac Poſtulatores Cauſſæ cogitationes convertere ad inquirendum in hæc nova miracula, ut tandem aliquando fortiſſimæ mulierum ſummus Canonizationis honos per Apoſtolicam Sedem attribueretur.

Ob hanc igitur cauſſam litteris remiſſorialibus a Sacrorum Rituum Congregatione obtentis, ſtatim curarunt, ut in oppido Montis Aurelii Biſuntinæ Diœceſis de ſanatione Mariæ Droz virginis Sanctimonialis Ordinis S. Bernardi, Andegavi de ſanitate reſtituta virgini Mariæ Franciſcæ Perinæ Falloux, & Lugduni, ac Annecii de altera ſanatione pauperculæ virginis Floridæ Coing Pro-

1 *Ex 3. Fact. concord. §. 1.*

Proceſſus Apoſtolica auctoritate exararentur [1].

Quibus Proceſſibus ad finem perductis, Sereniſſimus, ac Eminentiſſimus Dominus Henricus Cardinalis Dux Eboracenſis S.R.E. Vicecancellarius, Tuſculanus Epiſcopus, & Vaticanæ Baſilicæ Archipresbyter Idibus Julii MDCCLIX. de eorumdem validitate egit penes Eminentiſſimos Sacræ Congregationis Patres, qui eoſdem ad juris, & litterarum remiſſorialium normam omnino efformatos cognovere præter unum Annicienſem, cui tamen vim, ac roboris firmitatem CLEMENS PP. XIII. benignitate ſumma attribuit [2].

Hinc, ut miracula BEATÆ JOANNÆ FRANCISCÆ ejuſdem PONTIFICIS auctoritate fulcirentur, poſt Congregationem Antepræparatoriam, quam Cardinalis Dux Eboracenſis propriis in ædibus XIII. Kal. Aprilis MDCCLXIV. habuit, & Præparatoriam in Quirinali Palatio penes Eminentiſſimos Patres VII. Kal. Aprilis MDCCLXV. collectam, Generali Conventui Eminentiſſimorum Patrum, ac Reverendiſſimorum Conſultorum coram CLEMENTE PP. XIII. conſtitutus eſt dies V. Kalendas Februarii MDCCLXVI.

GEBENNEN.

Canonizationis B. JOANNÆ FRANCISCÆ FREMIOT DE CHANTAL Ordinis Monialium a Viſitatione S. Mariæ nuncupatarum Fundatricis.

FACTUM CONCORDATUM.

1 „ Relata ſollemni ritu in Beatarum „ numerum JOANNA FRANCISCA „ FREMIOT DE CHANTAL Inſtituti Monia- „ lium, quæ a Viſitatione Sanctæ Mariæ di- „ cuntur, Fundatrice, a ſan. mem. Bene- „ dicto XIV. die 21. Novembris anni 1751., „ cum miraculorum fama in multis Dioe- „ ceſibus percrebuiſſet P. Fauſtus Antonius „ Maronus Scholarum Piarum Cauſſæ Po- „ ſtulator poſt repreſentatas eidem SAN- „ CTISSIMO enixas preces Jacobi III. Ma- „ gnæ Britanniæ Regis, Mariæ Amaliæ „ Archiduciſſæ Auſtriæ Caroli VII. viduæ „ Imperatricis, Reverendiſsimorum Ar- „ chiepiſcoporum Teanen., & Apameni una „ cum Epiſcopo Gebennen., & Reveren- „ diſsimorum PP. Generalium multorum „ Ordinum, ab Eminentiſsimis Sacræ hujus „ Congregationis Patribus impetravit die „ 11. Maii 1754., ut, Cauſſa in ſtatu & „ terminis reaſſumpta, agi poſſet de eadem „ B. JOANNA FRANCISCA inter Sanctas re- „ ferenda, & hanc ipſam gratiam die 22. „ ejuſdem anni idem Summus Pontifex con- „ firmavit.

2 „ Hujus auctoritate decreti, idem P. „ Fauſtus Antonius Maronus impetravit ea- „ dem die 22. Maii 1754. litteras, ut vo- „ cant, remiſſoriales pro Proceſſu confi- „ ciendo in oppido nuncupato Pontarlier „ Biſuntinæ Dioeceſis: item alio in civita- „ te Andegavenſi [4] die 13. Martii 1756., de- „ mum tertio, & quarto in civitatibus Lug- „ dunenſi [5], & Annicienſi die 10. Novem- „ bris 1756.

3 „ Confectis his Proceſſibus, & ad Ur- „ bem delatis, & in Actis Sacræ Congrega- „ tionis exhibitis, Benedictus XIV. P. M. „ benigne indulſit die 3. Septembris 1757., „ ut ſervatis ſervandis aperirentur per Re- „ verendiſsimum D. Sacræ hujus Congre- „ gationis Secretarium, ut factum eſt.

4 „ Mortuo interea cla. mem. Card. de „ Tencin. Cauſſæ Canonizationis ejuſdem „ BEATÆ Ponente ſeu Relatore, precibus P. „ Fauſti ſupradicti Cauſſæ Poſtulatoris, nec- „ non

1 *Cit. Fact. concord.* §. 2.

2 *Cit. Fact. concord.* §. 5.

3 *Cit. Fact. concord.* §§. 6. & 7.

4 Andegavum Metropolis Ducatus Andegavenſis ad utramque Meduanæ ripam ſita, quam pons lapideus jungit. Academia hic celebris.

5 Lugdunum Provinciæ Lugdunenſis caput, urbs antiqua & nobilis. Interfluit flavius Arar, ſuper quem pons ex novem fornicibus ſtructus magno urbis commodo, & haud longe ab urbe in Rhodanum influit, Emporium eſt celeberrimum, de quo plura dicere brevitatis cauſſa ſuperſedeo: qui accuratiſſimam illius deſcriptionem deſiderat, legat Guilielmum Paradinum,

„ non totius Ordinis Viſitationis S. Mariæ „ SS. D. N. Clemens XIII. benigne indulſit „ die 16. Septembris 1758. , ut eidem in „ Relatorem hujus Cauſſæ ego ſubrogarer, „ & deputarer cum omnibus, & ſingulis fa- „ cultatibus neceſſariis, & opportunis.

5 „ Propoſito anno ſequenti 1759. die 7. „ Julii in Sacra Congregatione dubio de „ validitate ſupradictorum Proceſſuum, Sa- „ cra Congregatio reſcribendum cenſuit: „ *Aſſirmative*, excepto Proceſſu Annicienſi, „ cujus validitatem ita cenſuit improban- „ dam, ut in caſu conſuleret ur Sanctissimus „ pro ſanatione. Sanctissimus vero Domi- „ nus Noster die 11. Julii ejuſdem anni „ benigne annuit in omnibus, prædictum- „ que Proceſſum Annicienſem ſanavit.

6 „ His peractis, habitæ ſunt de more „ duæ præviæ Congregationes, quarum pri- „ ma Antepræparatoria in meis ædibus, „ me præſente, die 20. Martii 1764.; alte- „ ra Præparatoria in Palatio Quirinali Apo- „ ſtolico die 26. Martii 1765. coram Emi- „ nentiſſimis, & Reverendiſſimis Sacrorum „ Rituum Congregationis Cardinalibus, utra- „ que ſuper dubio: *An, & de quibus mi-* „ *raculis conſtet poſt indultam eidem* Bea- „ *tæ venerationem*,

7 „ Cum igitur una habenda remaneat „ Congregatio Generalis coram Sanctitate „ Vestra ſuper eodem miraculorum exami- „ ne, inſtante, & precibus poſtulante Cauſ- „ ſæ Poſtulatore, ſubſcripſi infraſcriptum „ dubium cum Reverendiſſimo P. Fidei Pro- „ motore jam concordatum, & in ea diſ- „ cutiendum, & reſolvendum: dubium: *An, &c. de quibus miraculis conſtet poſt indultam dictæ* Beatæ *venerationem in caſu, & ad effectum &c.*

Henricus Card. Ponens.

Incredibili lætitia, ſummaque animi pietate ac veneratione in Beatam Joannam Eminentiſſimos Patres, & Reverendiſſimos Conſultores de iiſdem miraculis doctiſſime profundiſſimeque differentes Summus Pontifex excepit, noluit tamen ſenſum ſuum declarare, ut rem maturius perpenderet, ſed vii. Idus Martii mdcclxvi., qua die Dominica quarta Quadrageſimæ incidit, irrevocabili ſanctione declaravit duas ex propoſitis ſanationibus miraculoſas revera habendas eſſe, & exiſtimandas.

GEBENNEN.

Canonizationis B. JOANNÆ FRANCISCÆ FREMIOT de CHANTAL Ordinis Monialium a Viſitatione S. Mariæ nuncupatarum Fundatricis.

„ Poſtquam Pontifex Benedictus XIV. „ Beatarum faſtis adſcripſerat Jo- „ annam Franciscam Fremiot de Chan- „ tal Inſtitutricem Ordinis Monialium nun- „ cupatarum a Viſitatione S. Mariæ, novis „ miraculis dignatus eſt Deus teſtatam magis „ facere ſanctitatem hujus Servæ ſuæ, quæ „ omnem abiiciens ſeculi ornatum, & va- „ nam pulchritudinem coronam acceperat „ in æternum ſibi paratam. Horum itaque „ miraculorum examen inſtitutum primo in „ Congregatione Antepræparatoria diei 20. „ Martii 1764., reſtauratum deinde in Con- „ gregatione Præparatoria diei 26. Martii „ 1765., abſolutum tandem fuit in Congre- „ gatione Generali Sacrorum Rituum habi- „ ta coram SS. D. N. Clemente PP. XIII. „ die 28. Menſis Januarii mox elapſi.

„ Supererat tamen, ut Sanctitas Sua, „ deliberandum quid eſſet de hiſce miracu- „ lis, poſt imploratam a Patre luminum di- „ vinæ veritatis lucem, aperiret. Hac igi- „ tur die Dominicæ quartæ Quadrageſimæ, „ in qua memoriam recolimus miraculorum, „ quæ Chriſtus Dominus, ſpectante multitu- „ dine magna, fecit ſuper his, qui infirma- „ bantur, accitis coram ſe Reverendiſſimis „ Cardinalibus Cavalchino Epiſcopo Oſtien- „ ſi, & Sacri Collegii Decano, Albano Epiſ- „ copo Sabinenſi, & Feronio Sacrorum Ri- „ tuum Congregationi Præfecto, nec non „ R. P. Cajetano Forti Fidei Promotore, „ meque infraſcripto Secretario, declara- „ vit, ex tribus propoſitis miraculis conſta- „ re-

Digitized by Google

„ re in tertio genere de primo *ſanationis* „ *Monialis Mariæ Magdalenæ de Droz a* „ *confirmata, & antiquata phthiſi*, & de „ ſecundo *alterius ſanationis virginis Flo-* „ *ridæ Coing a veteri contractione dexteri* „ *brachii, manus, & digitorum*.

„ Hocque decretum publicari, & in „ Acta Congregationis Sacrorum Rituum re- „ ferri mandavit. Hac die 9. Martii 1766.

Joſeph Maria Card. Feroni Præfectus,

Loco ✱ Sigilli.

S. Archiep. Theodoſiæ S.R.C. Secretarius.

Poſt hæc ut omnia ſecundum in morem receptam conſuetudinem explerentur Generalis Conventus Eminentiſſimorum Cardinalium Sacræ Congregationis Rituum, & Reverendiſſimorum Conſultorum fuit evocatus IX. Kalendas Septembris MDCCLXVI., ut ſuffragium ferrent utrum, nec ne tuto ad Canonizationem BEATÆ poſſet deveniri, qui cum omnes in ſecundam abierint ſententiam BEATISSIMUS tandem PATER ac clementiſſimus DOMINUS NOSTER IV. Idus Octobris MDCCLXVI. decretum peragendæ Canonizationis publicari mandavit.

GEBENNEN.

Canonizationis B. JOANNÆ FRANCISCÆ FREMIOT DE CHANTAL Ordinis Monialium a Viſitatione S. Mariæ nuncupat. Fundatricis.

„ POST indultam ſollemnem venerationem BEATÆ JOANNÆ FRANCISCÆ FREMIOT DE CHANTAL Ordinis Monialium a „ Viſitatione S. Mariæ nuncupat. Fundatricis a Benedicto XIV. fel. rec. per decretum diei 13. Novembris 1751., quum nova „ fuerint ad interceſſionem ejuſdem BEATÆ „ a D. O. M. patrata miracula; quumque „ duo poſt quamplurimas diſcuſſiones in „ Congregationibus Antepræparatoria, & „ Præparatoria inſtitutas, in Generali demum coram SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO CLEMENTE XIII. habita die 28. Januarii currentis anni 1766. approbata fuerint prout ex decreto die 9. Martii ejuſdem „ anni, deventum poſtea fuit in alia Generali „ Congregatione die 23. Septembris prædicti anni ad ſupremum, quod ſupererat dubium: *An ſtante approbatione duorum* „ *miraculorum, quæ ſupervenerunt poſt indultam* BEATÆ JOANNÆ FRANCISCÆ FREMIOT DE CHANTAL *venerationem tuto deveniri poſſit ad ſollemnem ejuſdem* BEATÆ „ *Canonizationem*? omnibuſque S. R. C. „ Conſultoribus, & Reverendiſſimis Cardinalibus eidem dubio affirmative reſpondentibus, SANCTITAS SUA reſolutionem adhuc differre voluit, ut ſuis, & aliorum „ precibus divinum in tam gravi deliberatione imploraret auxilium. Quo tandem „ implorato idem SANCTISSIMUS D. NOSTER „ accitis coram ſe Reverendiſſimo Cardinali Feronio S. R. C. Præfecto, nec non „ R. P. Carolo Alexio Piſani Fidei Promotore, meque inſraſcripto Secretatio præſens Canonizationis BEATÆ JOANNÆ FRANCISCÆ FREMIOT DE CHANTAL quandocumque faciendæ decretum publicandum, & „ in Acta S. R. C. referendum mandavit. „ Die 12. Octobris 1766.

J. Maria Card. Feroni S.R.C. Præfectus.

Loco ✱ Sigilli.

V. Macedonius S. R. C. Secretarius.

EO quem ſuperius expoſuimus ordine, ac methodo SEX BEATORUM Cauſſæ ad exitum uſque feliciter proceſſerant, ad IV. Nonas Feoruarii MDCCLXVII., quo decreta Canonizationis BEATORUM JOANNIS CANTII, & JOSEPHI A CUPERTINO ultimo loco publici juris fuere effecta, neque ſupererat aliud, quam per BEATISSIMUM DOMINUM NOSTRUM CLEMENTEM PP. XIII. dies indiceretur, qua ſacris, ſollemnibuſque cæremoniis pompa regia ac apparatu in Vaticana Baſilica, in qua Benedictus PP. XIV. Canonizationis ritum expleri mandavit, Sanctorum catalogo adſcriberentur.

Urbs ob aſſiduas temporum calamitates, graviſſimamque, qua premebatur annonæ cari-

caritatem mœſta afflictaque jacebat; Pontifex anguſtiis amatiſſimæ Urbis, dilectiſſimique populi commiſeratus, doloreque cordis tactus intrinſecus clamaverat ad Dominum in commotione ſpiritus oculoſque in montes elevaverat, unde nobis auxilium venire ſolet, & ut offenſi Numinis iram placaret, atque obicem quemdam vitiis, erratiſque apponeret, publicas edixerat preces, ſpectacula, choreas, baccanaliaque interdixerat; neque his contentus, prudentiæ legibus innixus provida in tanta rerum anguſtia deliberatione Pontificia æraria aperuerat, ut e remotiſſimis etiam regionibus frumentum Romam adduceret.

Inter has, aliaſque quammaximas ſollicitudines, quibus difficillimis iſtis temporibus angitur Apoſtolica Sedes, vigilantiſſimus Pontifex conſtitutus, ut cæleſti ac ſpirituali gaudio afflictam Urbis faciem exhilararet, eique novos Patronos, qui de ſua jam ſorte ſecuri, de noſtra autem ſalute ſolliciti efficaciſſime in fidelium neceſſitatibus ad Deum inſtarent, proponeret, conſtituit ſollemnem eorumdem Beatorum Canonizationem peragere xvii. Kalendas Auguſti mdcclxvii., quo univerſa plaudente Urbe, populoque præ gaudio, ac lætitia geſtiente ſacra thiara, corona gloriæ, decoris, ac fortitudinis, anno mdcclviii. fuerat redimitus.

Conſuevere Romani Pontifices cum ad Canonizationes celebrandas animum induxere, ut omnia rite ſplendide & ornate pararentur, ac diſponerentur, aliquem S. R. E. Cardinalem, vel virum ſcientia, prudentia, atque dignitate, vel nobilitate ſpectabilem eligere, qui de tota re, & negocio una cum Cauſſarum Poſtulatoribus, ac cæremoniarum Pontificiarum Magiſtris ageret: huic igitur innitens conſuetudini Pontifex prudentiſſimus Pridie Idus Februarii mdcclxvii. per epiſtolium Secretariæ Status hanc demandavit provinciam Illuſtriſſimo, ac Reverendiſſimo Domino Vincentio Macedonio, de cujus vigilantia, & prudentia non dubia Pontifex habebat argumenta, eique inter cætera adiiciens in mandatis, ne aliquid operis aggrederetur, niſi de omnibus Sanctitas Sua certior eſſet effecta, ut omnia præ rei magnitudine ac majeſtate rite recteque compararentur.

Neque præconceptæ de ſe opinioni defuit R. P. D. Macedonius, qui negotio huic tam arduo ac gravi cogitationes omnes intendens, Cauſſarum Poſtulatoribus ad ſe evocatis, cœpit cum illis frequentes conventus habere, in quibus de ratione expenſarum, rebuſque omnibus ad ſollemnitatem parandis ſermo inſtituebatur, neque hiſce conventibus defuere cæremoniarum Magiſtri: ad ipſos enim ſpectat normam regulamque dare circa ornamenta ſacra, picturas, atque theatri arcam, aliaque his ſimilia.

Inter hæc graviſſimum exoritur dubium circa primum honoris locum, quem poſt Beatos Joannem Cantium, & Josephum a Calasanctio, de quibus nulla controverſia eſſe poterat, Conventualium Familia Josepho a Cupertino, & Somaſchenſium Congregatio Hieronymo Æmiliano attribuendum aſſerebat: difficultas tota in eo præcipue vertebatur, quod Hieronymus Æmilianus licet laicus, ac nullo Clericali ordine inſignitus præclaram in Eccleſiæ commodum & utilitatem operam dederat religioſiſſimam Clericorum Somaſchenſium Familiam inſtituendo; verum Josephus a Cupertino, cui hanc Fundatoris laudem minime conveniebat, Sacerdotali charactere erat condecoratus, ac incongruum omnino, & ab eccleſiaſtica diſciplina alienum fuiſſet Presbyterum laico viro in tam ſollemni ritu poſtponere.

Conſultus hac de re graviſſimus vir, quem honoris cauſſa nomino, Carolus Alexius Piſani Fidei Promotor, docte ac profunde quid in hac controverſia agendum Clementi PP. XIII. in eam, quæ ſequitur, ſententiam expoſuit.

O PA-

PARERE

Che ſi umilia alla SANTITA' DI NOSTRO SIGNORE PAPA CLEMENTE XIII. dal Promotore della Fede ſopra l'ordine da tenerſi nella proſſima Canonizazione in riguardo al B. GIROLAMO EMILIANI.

BEATISSIMO PADRE.

„ SULL' ordine da tenerſi nel nominare i „ ſei BEATI nella proſſima ſolenne Ca„ nonizazione, nel portare i loro Stendar„ di, ed in altri atti ſimili naſcono due dub„ bj in riguardo al B. GIROLAMO EMILIANI, „ il quale benchè ſia Fondatore de Chierici „ Regolari Somnaſchi, non è ſtato però Sa„ cerdote, anzi neppure iniziato in alcun' „ Ordine minore.

„ Il primo dubio è, ſe egli per eſſer mor„ to prima, debba precedere al B. GIU„ SEPPE CALASSANZIO, che non ſolamente „ è Fondatore de Chierici Regolari delle „ Scuole Pie, ma è ſtato anche Sacerdote? „ E quando ſi credeſſe eſſer dovuta la pre„ cedenza al B. CALASSANZIO, ſi cerca in ſe„ condo luogo, ſe il B. GIUSEPPE DA CU„ PERTINO per eſſere Sacerdote, benchè dell' „ Ordine de Mendicanti, e non Fondatore, „ debba precedere al detto B. EMILIANI Fon„ datore sì di un Ordine di Chierici Rego„ lari, ma non Sacerdote.

„ In quanto al primo ſembrami facile „ la riſoluzione, perchè ſebbene ne i tem„ pi antichi nel dare queſta precedenza ſi „ attendeſſe il tempo della morte, di ma„ niera che nella Canonizazione fatta dal„ la ſan. mem. di Gregorio XV. fù poſto in „ primo luogo S. Iſidoro, benchè ſemplice „ Laico, e poi furono nominati S. Ignazio, „ S. Franceſco Saverio, S. Tereſa, e S. Fi„ lippo Neri.

„ Succeſſivamente però; e fino da i tempi „ di Clemente X. la S. Congregazione de' Ri„ ti per modo di regola generale determinò, „ che ſi doveſſe attendere l' ordine *Hierar„ chiæ Eccleſiaſticæ*, e che ſoltanto *ſi plu„ res ſint eodem ordine, præferatur dies „ mortis*; e con queſta regola ſi è ſempre „ camminato fino a tempi noſtri: che però „ non eſſendovi alcun dubio, che al Sacer„ dote particolarmente, *cæteris paribus*, ſia „ dovuta la precedenza ſopra il Laico, pa„ re, che non poſſa eſſervi alcuna difficol„ tà nello ſtabilire di dovere il B. CALAS„ SANZIO come Sacerdote precedere al B. „ EMILIANI ſemplice Laico.

„ Di maggiore iſpezione è l'eſame del ſe„ condo dubbio ſulla precedenza tra il B. E„ MILIANI, ed il B. GIUSEPPE DA COPERTI„ NO; a favore del primo concorrono due „ circoſtanze, cioè di eſſere egli di un' Or„ dine di Chierici, e di eſſere Fondatore: „ per il ſecondo poi, benchè ſia Mendican„ te, vi concorre la qualità di eſſere Sacer„ dote, che ſembra doverſi preferire alle „ qualità del B. EMILIANI, per eſſer ſtato „ queſti un ſemplice Laico.

„ A dire il vero, queſto è un caſo nuovo „ non mai deciſo, e dopo la regola ſtabilita „ in tempo di Clemente X. non mai accadu„ to, e forſe neppure prima. Due ſono i „ caſi, che riferiſce il Sommo Pontefice Be„ nedetto XIV. nella ſua inſigne Opera *de „ Canoniz. lib.* 1. *cap.* 36. §. 4., l'uno riſolu„ to nel 1670., e 1671. in tempo di Cle„ mente X., nel quale avendo ſtabilito la re„ gola generale di ſervare *ordinem Hierar„ chiæ Eccleſiaſticæ*, fù data la precedenza „ a S. Gaetano, e a S. Franceſco Borgia co„ me Chierici Regolari, e poi furono nomi„ nati S. Filippo Benizio, e S. Lodovico Ber„ trando Mendicanti, benchè morti prima, „ come leggeſi in detta Opera nel *luogo cit. „ num.* 6. *e* 7.: ma tanto S. Gaetano, che „ S. Franceſco Borgia erano Sacerdoti al pa„ ri de i SS. Filippo, e Lodovico Bertrando; „ onde eſſendo tutti Sacerdoti, l'ordine del„ la Gerarchia Eccleſiaſtica richiedeva in „ quel caſo particolare, che i Chierici Re„ golari ſi preferiſſero a i Mendicanti.

„ L'altro caſo, che riferiſce il detto Som„ mo Pontefice, accadde nel 1737. in oc„ caſio-

,, caſione della Santificazione fatta da Cle-
,, mente XII. di glor. mem.; tra gli altri
,, da ſantificarſi vi erano il B. Vincenzo di
,, Paolo, ed il B. Gio: Franceſco Regis am-
,, bidue Chierici Regolari, ma il primo Fon-
,, datore della Congregazione della Miſſio-
,, ne; e però il Promotore della Fede di quel
,, tempo promoſſe la queſtione ſulla prece-
,, denza, dicendo tra le altre coſe che il
,, B. Vincenzo aveva la qualità di Fondato-
,, re; per riſolvere queſto dubbio la ſan.
,, mem. di Clemente XII. deputò una Con-
,, gregazione particolare di cinque Cardi-
,, nali, col Maeſtro delle Ceremonie, col
,, Segretario della Congregazione de' Riti,
,, e collo ſteſſo Promotore; la quale ſotto
,, il dì 16. Aprile del detto anno conferman-
,, do il decreto del *ſervandum eſſe ordinem*
,, *Hierarchiæ Eccleſiaſticæ*, dichiarò, *quod ſi*
,, *inter plures ejuſdem ſtatus & ordinis*
,, *reperiatur unus, qui ſit Fundator alicu-*
,, *jus Religionis, Congregationis &c. præ-*
,, *feratur aliis, qui hanc qualitatem Fun-*
,, *datoris non habent, licet ante in Domi-*
,, *no obdormiverint*: e per queſta ragione
,, fù detto: *in caſu, de quo agitur, primo*
,, *loco nominetur Vincentius a Paulo, ſe-*
,, *cundo Joannes Franciſcus Regis*: come
,, dal decreto confermato dal Sommo Pon-
,, tefice Clemente XII., e riportato da Bene-
,, detto XIV. *nel luogo citato num.* 8.; ma
,, neppure queſto caſo è adattabile al noſtro,
,, perchè in quel caſo il B. Vincenzo di Pao-
,, lo Fondatore era inſignito della qualità Sa-
,, cerdotale.

,, Oltre queſti due caſi riſoluti dalla Sac.
,, Congregazione de Riti, e dalla Congre-
,, gazione particolare, Benedetto XIV. *nel*
,, *luogo cit. num.* 8. *in fine* ne diſcorre di un'
,, altro, in cui *inter Beatos canonizandos*
,, *ejuſdem ſtatus & ordinis aliquis repe-*
,, *riretur, qui eſſet Fundator alicujus Re-*
,, *ligionis, aut Inſtituti &c., qui non eſſet*
,, *Clericus, aut Sacerdos*? Ed in queſto
,, caſo egli è di parere, che ſe vi foſſe un'
,, altro dello ſteſſo ordine, e ſtato, il qua-
,, le foſſe Sacerdote, dovrebbe queſti eſſere
,, a quello preferito; come ſeguendo l'opi-
,, nione del detto Sommo Pontefice ſoſtie-
,, ne ancora il Cavalieri *ne Commenti ai*
,, *decreti della Sac. Congregazione de Riti*
,, *tomo primo cap.* 3. *decreto* 3. *num.* 24.

,, Queſto caſo ſi accoſta certamente al no-
,, ſtro, ma è alquanto diverſo: impercioc-
,, chè Benedetto XIV. parla di due Beati
,, dello ſteſſo ordine, e ſtato, de i quali
,, uno ſia Fondatore, ma ſemplice Laico, e
,, l'altro non Fondatore, ma Sacerdote;
,, noi ſiamo in un caſo, nel quale il Fonda-
,, tore Laico è dell'Ordine de Chierici Re-
,, golari, ed il Sacerdote è dell'Ordine de
,, Mendicanti; in queſti preciſi termini di
,, due, che ſiano di due ſtati, ed Ordini
,, diverſi, non vi è alcuna riſoluzione, nè
,, vi è alcun decreto, nè Benedetto XIV.
,, parla di queſto caſo preciſo. Biſognerà
,, dunque ricorrere alle regole generali, ed
,, ai caſi ſimili, e da queſti ricavare la riſo-
,, luzione del preſente caſo.

,, Or le regole generali, ed i caſi ſimi-
,, li, ſe mal non mi appongo, ſembrami,
,, che ſiano a favore del B. GIUSEPPE DA CU-
,, PERTINO inſignito colla qualità Sacerdota-
,, le: poichè dopo i decreti del 1671., e
,, 1672. riferiti di ſopra, è regola genera-
,, le, che non ſi mette più in dubbio: *in*
,, *expreſſione nominum Beatorum, qui ca-*
,, *nonizandi ſunt, ſervandum eſſe ordinem*
,, *Hierarchiæ Eccleſiaſticæ*: queſt' ordine
,, porta certamente, che il Chierico Rego-
,, lare Sacerdote debba preferirſi al Frate
,, Sacerdote, come fù riſoluto ne i predetti
,, anni 1671., e 1672., ma non porta mai,
,, che il Laico dell'ordine de Chierici deb-
,, ba eſſere preferito al Religioſo Sacerdote
,, Mendicante, anzi *Ordo Hierarchicus*
,, (ſono parole del detto Cavalieri nel *luogo*
,, *cit. num.* 25.) *exigit, ut Sacerdos quili-*
,, *bet præferatur non Sacerdoti, Diaconus*
,, *Subdiacono, & ſic de reliquis juxta di-*
,, *gniorem ordinem, quo fuerunt inſigniti,*
,, *& demum quilibet de Clero Laicis, quem-*
,, *admodum edocet Bordonus tom.* 4. *in*
,, *Theatro præcedentiæ, & majoritatis, &*
,, *S. Congregationem id decidiſſe offerit*: ed
,, in verità ſarebbe una coſa moſtruoſa il ve-

O 2 ,, de-

,, dere, che un Laico Teatino, Geſuita,
,, Barnabita &c. prendeſſe la man dritta di
,, un Sacerdote Domenicano, Agoſtiniano,
,, Franceſcano &c.

,, Nè la qualità di Fondatore, che vi con-
,, corre nel B. EMILIANI, può fare che egli
,, ſemplice Laico debba precedere al Fran-
,, ceſcano Sacerdote; imperciocchè la qua-
,, lità di Fondatore opera la precedenza, cæ-
,, teris paribus, come era il caſo riſoluto nel
,, 1737., ma non può prevalere alla digni-
,, tà, e qualità di Sacerdote; per queſta ra-
,, gione tanto Benedetto XIV., che il Ca-
,, valieri ne i luoghi ſopra riferiti ſono di
,, parere, che tra i Beati dello ſteſſo ordi-
,, ne, e ſtato debbaſi la precedenza al ſem-
,, plice Sacerdote in concorſo di un Fonda-
,, tore, che foſſe meramente Laico; la ra-
,, gione di queſto ſentimento fondata nella
,, precedenza, che ſecondo l'ordine Gerar-
,, chico è dovuta al Sacerdote, milita anco-
,, ra nel caſo, di cui preſentemente ſi trat-
,, ta, cioè di un Laico, e Sacerdote di due
,, Ordini diverſi.

,, E ciò è tanto vero, che nella proſſima
,, Canonizazione deveſi il primato ſopra gli
,, altri al B. GIOVANNI CANZIO, non perchè
,, egli al Clero ſecolare appartenga; ma
,, perchè nel Clero medeſimo ottenne il gra-
,, do di Sacerdote, ed i Sacerdoti Secolari
,, nell' Eccleſiaſtica Gerarchia della Chieſa
,, militante precedono i Sacerdoti Regola-
,, ri; che ſe egli ſtato foſſe ò Diacono, ò Sud-
,, diacono, ò ſoltanto negli Ordini minori
,, iniziato, dovrebbe eſſer poſpoſto al B. GIU-
,, SEPPE CALASSANZIO, ed al B. GIUSEPPE DA
,, CUPERTINO Sacerdoti amendue, benchè
,, Regolari, e quando egli foſſe ſtato ſempli-
,, ce Laico, ſarebbe potuto ſoltanto eſſere
,, nominato dopo il B. SERAFINO DI ASCOLI,
,, il quale benchè Laico, eſſendo però Re-
,, ligioſo ha qualche ſimilianza ad un Chie-
,, rico inferiore, e perciò gode de' privilegj
,, ad eſſo conceſſi. Se dunque il B. CANZIO
,, per la qualità di Sacerdote unita a quella
,, di Secolare ha il primato ſopra il B. CA-
,, LASSANZIO Sacerdote anche eſſo, e Fon-
,, datore, ma Regolare; per la ragione
,, medeſima ſi deve frà il B. GIUSEPPE DA CU-
,, PERTINO, ed il B. GIROLAMO EMILIANI la
,, precedenza al primo avendo riguardo all'
,, eſſere ſuo di Sacerdote, che come tale
,, precede al ſemplice Laico.

,, A tutto ciò ſi aggiunge l'autorità del
,, detto P. Cavalieri, il quale nel luogo *cit.*
,, §.23. *e ſeq.*, dopo aver ſpiegato la materia
,, della precedenza dovuta nelle Canoniza-
,, zioni, così per modo di regola generale
,, conchiude nel fine del §. 25. ivi: *Eadem*
,, *de cauſſa Regularis Sacerdos præferendus*
,, *venit non Sacerdotibus de Clero ſecu-*
,, *lari, & ſic de reliquis juxta modo di-*
,, *cta, ita ut qui ſunt de Clero ſeculari,*
,, *præferentiam non habeant ſuper eos de*
,, *Clero Regulari, niſi ſtante omnimoda*
,, *paritate in ordine Hierarchico.*

,, E queſto è il debole ſentimento del
,, Promotore della Fede, che ſi umilia alla
,, SANTITA' VOSTRA per prendere col ſuo
,, ſupremo, e ſaviſſimo diſcernimento quel-
,, la riſoluzione, che le ſembrerà più equa,
,, e giuſta, ò col determinare a chi debba
,, darſi la precedenza, ò col deputare una
,, Congregazione particolare, come fù fatto
,, nell'anno 1737.

Cum cognoviſſet PONTIFEX ex hac doctiſſimi viri lucubratione, anno MDCCXXXVII; in fere ſimili controverſia Eminentiſſimorum Patrum habitum fuiſſe peculiarem Conventum, eamdem, quam Prædeceſſores ſui, ſervare methodum cupiens, Eminentiſſimis Cardinalibus Carolo Alberto Guidobono Cavalchini Epiſcopo Oſtienſi, ac Sacri Collegii Decano, Joanni Franciſco Albani Epiſcopo Sabinenſi, Joſepho Maria Feroni Sacrorum Rituum Congregationi Præfecto, Joanni Carolo Boſchi Majori Pœnitentiario, & Benedicto Veterani demandavit, ut cum Illuſtriſſimis Patribus Ignatio Reali Archiepiſcopo Athenarum ſacris cæremoniis Præfecto, Carolo Alexio Piſani Fdei Promotore, & Vincentio Macedonio Sacrorum Rituum Congregationis a Secretis viderent quid hac in parte eſſet ſtatuendum; qui cum ſerio deliberaſſent, XIII. Kalendas Aprilis in ſen-

Digitized by Google

ſententiam Fidei Promotoris deſcenderunt: quamobrem ſtatutum declaratumque fuit Beatum Josephum a Cupertino, utpote charactere Sacerdotali decoratum, præferendum Beato Hieronymo Æmiliano, qui licet religioſæ Congregationis Fundator, in laicorum tamen cœtu fuerat conſtitutus.

Jam Paſchalia feſta imminebant poſt quæ Canonizationis negotium efficaciſſime urgere Pontifex in animo firmaverat; idque exoptabat ſanctius, ac ſollemnius, quo fieri poſſet, celebrari; hinc Archiepiſcopo Petren. Franciſco Xaverio de Zelada Congregationis Eminentiſſimorum Cardinalium Tridentini Concilii Interpretum a Secretis, Italiæ Epiſcopos, ut præſentia ſua Canonizationem condecorarent, illamque conſilio juvarent per epiſtolam Romam evocandos commiſit: hic imperanti Pontifici morem gerens vi. Idus Aprilis mdcclxvii. Epiſcopis, qui intra centeſimum ab Urbe lapidem erant conſtituti, in hæc verba epiſtolas dedit.

Illme, & Rme Dñe Pñe Obsme.

„ Conſilium iniit Santitas Sua & ſibi, „ & univerſæ Chriſtianæ Reipublicæ „ quam maxime optatiſſimum adſcribendi „ Sanctorum catalogo ſollemni ritu, ac cele„ britate B. Joannem Cantium, B. Josephum „ Calasanctium, B. Josephum a Cuperti„ no, B. Hieronymum Æmilianum, B. Sera„ phinum de Asculo, & B. Joannam Fran„ ciscam Fremiot de Chantal. Res eſt, „ ut Amplitudo tua Illuſtriſſima, ac Rma „ optime novit, maximi ponderis, & mo„ menti, & quæ multam habet deliberatio„ nem. Quapropter eadem Sanctitas Sua „ Prædeceſſorum ſuorum inhærens veſtigiis, „ priuſquam negotium tam grave perficiat, „ optat magnopere Amplitudinis tuæ Illu„ ſtriſſimæ exquirere ſuffragium, atque ſen„ tentiam intelligere. Meum eſt itaque San„ ctitatis Suæ nomine Amplitudini tuæ „ Illuſtriſſimæ ſignificare, menſe Majo Conſi„ ſtoria, ut vocant ſemipublica habenda eſſe, „ ad quæ niſi Paſtoralis muneris curæ præſen„ tiam iſtic tuam deſiderent, te acceſſurum „ minime dubito. Id certe & Sanctitati „ Suæ erit gratiſſimum, & jucundiſſimum „ Amplitudini tuæ Illuſtriſſimæ, cujus ma„ nus eo, quo par eſt, officio, atque obſer„ vantia reverenter deoſculor.

Ampl. Tuæ Illmæ, & Reverendiſſimæ.

Romæ vi. *Idus Aprilis 1767.*

Addictiſſus, & Obſeqñus Servus
Franciſcus Xaverius de Zelada Archiepiſcopus Petren. S. Concilii Secretarius.

Cæteris autem Italiæ Epiſcopis, qui ultra centeſimum ab Urbe lapidem morabantur, alteras inſcripſit litteras ſignificans tam gratum, atque acceptum Beatissimo Domino Nostro illorum acceſſum ad Urbem futurum, ut ipſorum per eos dies in Urbe manſio ſacrorum Liminum viſitationis loco ex Apoſtolica beneficentia eſſet habenda.

Illme, & Rme Dñe Pñe Obsme.

„ Quum Sanctissimus in Christo Pa„ ter, ac D. Noster Clemens XIII. „ de novis ad ſalutem præſidiis Chri„ ſtiano populo procurandis in dies magis „ ſollicitus Sanctorum faſtis ſollemni ritu coo„ ptare ſtatuerit, atque deliberaverit B. Jo„ annem Cantium, B. Josephum Calasan„ ctium, B. Josephum a Cupertino, B. Hie„ ronymum Æmilianum, B. Seraphinum de „ Asculo, & B. Joannam Franciscam Fre„ miot de Chantal, mandatum mihi eſt ab „ eadem Sanctitate Sua, ut præter Epi„ ſcopos, qui intra centeſimum ab Urbe lapi„ dem degentes ex veteri inſtituto erant pe„ culiari ratione vocandi, eos etiam, qui in „ tota Italia ſunt, de hoc animi ſui propoſito „ per epiſtolam commonefacerem, invita„ remque ad ferendum ſuffragium. Quo„ niam vero Sanctitati Suæ perſpectum „ eſt, atque exploratum, non levia eſſe longi „ itineris incommoda, & multam Paſtoris „ abſentiam cum ovium periculo ſæpiſſime „ conjungi; hinc non idem onus æque ac „ cæteris, qui non procul ab Urbe moran„ tur, Amplitudini tuæ Illuſtriſſimæ, ac

„ Re-

„ Reverendiſſimæ cenſuit imponendum. Si„ gnificari tamen juſſit, ſi tam grave Cano„ nizationis, ut vocant, negotium Ampli„ tudo tua Illuſtriſſima conſilio juverit, ejuſ„ demque celebritatem honeſtaverit præ„ ſentia, rem SANCTITATI SUÆ gratiſſimam, „ acceptiſſimamque eſſe facturam. Menſe „ Majo ad deliberandum hac de re Conſi„ ſtoria convocabuntur, ad quæ, niſi Pa„ ſtoralis muneris ratio aliud expoſtulave„ rit, Amplitudinem tuam Illuſtriſſimam „ acceſſuram confido: eo magis, quod hic „ in Urbem adventus non ſolum tantæ ce„ lebritatis, quæ raro contingit, ſpectan„ dæ occaſionem offeret, verum etiam Sa„ crorum Liminum viſitationis loco ex Apo„ ſtolica beneficientia habebitur. Quod ſi „ Eccleſiæ res, vel regionis diſtantia, vel „ aliud quidquam impedimento fuerit Am„ plitudini tuæ Illuſtriſſimæ, quominus SAN„ CTITATIS SUÆ votis ſatisfaciat, ſuis ſaltem „ ad Deum precibus gregiſque ſibi crediti „ enitetur ſpero, ut Deus eamdem SANCTI„ TATEM SUAM diu incolumem ſervet, eique „ lumen Divini Spiritus ex alto impertia„ tur, quo graviſsimum hujuſmodi nego„ tium feliciſsime abſolvat. Hæc ſunt, quæ „ SANCTITATIS SUÆ nomine ſignificanda a „ me erant Amplitudini tuæ Illuſtriſsimæ, „ cujus manus officii plenus, atque obſer„ vantiæ reverenter deoſculor.

Ampl. Tuæ Illuſtriſsimæ, ac Rmæ

Romæ 6. Idus Aprilis 1767.

Addictiſſimus, & Obſequentiſſimus Servus
Franciſcus Xaverius de Zelada Archiepiſcopus Petren. S. Concilii Secretarius.

Interea temporis animadvertens vigilantiſsimus PONTIFEX inſtare S. Marci Evangeliſtæ feſtum, in quo ex veteri inſtituto, quod in auctorem, ut communis fert opinio, agnoſcit S. Gregorium PP. I., ſollemnis ad Vaticanam Baſilicam per Clerum Urbis ſupplicatio habetur, ne occaſionem ullam, qua populum ſibi commiſſum ſpiritualibus cumularet beneficiis, & donis, præterire permitteret, ex Eccleſiæ theſauro Indulgentias clementiſsime in illos eſt elargitus, qui piam illam ſupplicationem comitantes, vel Vaticanam Baſilicam, aut S. Marci templum devotionis impulſu inviſentes, efficaciſsimas preces effunderent ad divinam opem in tam arduo, ac ſublimi Canonizationis negocio implorandam; quas pariter Indulgentias & illis voluit attribui, qui eadem hæc peragerent uno ex tribus diebus, quæ Aſcenſionis feſtum præcedunt, quæque Rogationum dicuntur, quia publicæ ſollemneſque ſupplicationes in illis inſtituuntur; quæ ſupplicationes per S. Mamertum Viennenſem in Gallia Epiſcopum ad avertendas quammaximas calamitates, quibus illius regionis accolæ affligebantur, inventæ; ad finem vergente VIII. Eccleſiæ ſeculo, cum Urbs horribili quateretur terræmotu, ut divinum placaretur Numen, a Sancto Leone PP. III. in morem fuerunt receptæ: harum Indulgentiarum elargitionis SUMMUS PONTIFEX monitum voluit populum Urbis per hujuſmodi edictum, quod in foris, ac Baſilicis fuit publice propoſitum.

MARCO ANTONIO del Titolo di S. Maria della Pace della S. R. C. Prete Card. Colonna della SANTITA' DI NOSTRO SIGNORE Vicario Generale &c.

„ LA SANTITA' DI NOSTRO SIGNORE fe„ licemente Regnante niente più ravviſando giovevole in contingenze di tan„ to biſogno, ſe non che per mezzo di re„ plicate fervoroſe orazioni cercare, e me„ ritare l'ajuto di validi, ed efficaci inter„ ceſſori nel Cielo, tanto più che deve diſ„ porſi alla ſolenne Canonizazione de' nuo„ vi Santi, ſtima opportuno d' incomin„ ciare ad approfittarſi della imminente „ Proceſsione di S. Marco, e delle publi„ che preghiere per antichiſsimo coſtume „ dalla Chieſa in tal tempo introdotte, ac„ ciò queſte ſieno dirette ad implorargli an„ cora da Sua Divina Maeſtà l'abbondanza „ de' ſuoi lumi ſupremi in sì grave, ed im„ portante deliberazione. Si farà dunque „ ſecondo il ſolito la ſudetta Proceſsione

„ la

„ la mattina 25. del corrente meſe , ſeſta
„ del Santo Evangeliſta per invocare con
„ le Litanie maggiori l'ajuto Divino, e l'in-
„ terceſsione della Beatiſsima Vergine, e de'
„ Santi , dalla Chieſa di S. Marco alla Baſi-
„ lica di San. Pietrò in Vaticano ; e per
„ aumentare, e rinvigorire ad eſſa il divo-
„ to, e numeroſo concorſo del ſuo dilettiſ-
„ ſimo Popolo di Roma concede SUA SAN-
„ TITA' l' Indulgenza di trent' anni , ed al-
„ trettante quarantene a tutti i Fedeli dell'
„ uno, e dell'altro ſeſſo , che divotamente
„ interveranno a tal Proceſsione, ovvero
„ viſitaranno nel medeſimo giorno l'una ,
„ e l'altrà delle ſopradette due Chieſe , ed
„ ivi pregheranno il Dator d' ogni bene ,
„ perchè ſi degni aſsiſtere il SANTO PADRE
„ nel grande aſſunto della ſuccennata Ca-
„ nonizazione , e perchè voglia riguarda-
„ re con occhio di particolar clemenza
„ tutte le preſenti neceſsità della Chieſa e
„ dello Stato ad eſaltazione maggiore del
„ ſuo nome , e della ſua gloria .

„ Similmente concede SUA SANTITA' la
„ medeſima Indulgenza a quelli , che pure
„ divotamente interverranno a qualſivoglia
„ delle tre Proceſsioni delle Rogazioni da
„ farſi conforme il ſolito nei tre giorni im-
„ mediatamente antecedenti alla ſolennità
„ dell'Aſcenſione del Signore, cioè la pri-
„ ma nel Lunedì 25. del proſsimo meſe di
„ Maggio da Sant' Adriano a Santa Maria
„ Maggiore ; la ſeconda nel Martedì ſeguen-
„ te 26. da Santa Maria Nuova a S. Giovan-
„ ni in Laterano , e la terza nel Mercole-
„ dì 27. detto da S. Lorenzo in Damaſo a
„ S. Pietro in Vaticano, ovvero viſitaranno
„ in uno de' ſudetti giorni la Chieſa donde
„ s' incamina , e quella dove termina la
„ Proceſsione di quel giorno, ed ivi pre-
„ gheranno S. D. M. come ſopra , unendo
„ le loro particolari alle communi orazioni
„ ſecondo la pia intenzione della SANTITA'
„ SUA .

„ Vuole in oltre SUA BEATITUDINE, che
„ le Monache, Oblate, Zitelle , ed altre
„ donne ſecolari , che colle debite licenze
„ dimorano ne' Monaſteri , o Conſervatorj
„ approvati poſſano conſeguire la medeſima
„ Indulgenza col recitare le Litanie ſolite
„ ne' ſudetti giorni , facendo divotamente
„ la Proceſſione per la loro Chieſa interio-
„ re , Oratorio , Clauſura, o Caſa riſpetti-
„ vamente , e pregheranno il Signor Iddio
„ per i biſogni di ſopra eſpreſſi .

„ Eſortiamo però tutti i Fedeli a non tra-
„ ſcurare l'acquiſto di queſto ſpirituale te-
„ ſoro , e a fare in detti giorni altre ope-
„ re di criſtiana pietà, non ſolo per mag-
„ giormente meritar dal Signore il conſe-
„ guimento delle grazie deſiderate , ma an-
„ che per uniformarſi alle ſpeciali premure
„ di SUA BEATITUDINE .

„ In fine per ordine di SUA SANTITA' ſi
„ ricorda ſpecialmente tanto a quei , che
„ compongono la detta Proceſſione , quan-
„ to a chiunque accompagnerà la medeſi-
„ ma, e le altre ſuſſeguenti delle Rogazio-
„ ni di far riſplendere tutta quella mode-
„ ſtia, e divozione, con cui interiormente,
„ ed eſteriormente debbonſi accompagnare
„ azioni sì ſacre , affinche da quella pietà,
„ con cui ſi pratticano poſſa conoſcerſi, che
„ tali publiche preghiere ſecondo il loro
„ iſtituto realmente ſi fanno per placare, e
„ non per irritare lo ſdegno del Signore ,
„ il quale con ſeveri caſtighi ſuol punire le
„ irriverenze, che ſi commettono nelle
„ azioni ordinate al ſuo culto . Dato dalla
„ noſtra ſolita abitazione queſto dì 17. Apri-
„ le 1767.

M. A. Card. Vicario .

Gaſparo Arciprete Ori Segretario.

Die S. Marco Evangeliſtæ ſacra Romanus populus conſulenti PONTIFICI morem gerens pietatem ſummam , & religionem adverſus Deum oſtendit , incredibilis enim omnium ordinum multitudo non ſolum ſupplicationem eſt comitata , verumetiam ad Vaticanam Baſilicam, & ad S. Marci templum preces effuſura frequens acceſſit .

Obtinet jam a multo tempore conſuetudo, ut Cauſſarum Canonizationum expleto atque abſoluto judicio, cum primum ad ſolemnia Canonizationis celebranda animum

PON-

Pontifex appulit in Conſiſtorio ſecreto omnium Eminentiſſimorum Cardinalium in Romana Curia degentium ſententiam exquirat: his, ut optime edocti atque inſtructi ſint de Canonizandorum meritis ac virtutibus, antequam ad Conſiſtorium veniant, in quo ſenſum animumque ſuum in medium proferant, eorumdem Beatorum Vitæ exhibentur, in quibus brevi, at dilucido ſermone heroica facinora per Beatos dum in humanis egerant patrata, miracula ab Altiſſimo ad illorum ſanctitatem conteſtandam edita, necnon omnia, quæ ad judicium harum Cauſſarum recte riteque inſtituendum a Sacrorum Rituum Congregatione facta fuere, relata leguntur. Vitæ hujuſmodi, ſeu compendiariæ hiſtoriæ, quia quæ in iiſdem narrantur ex tabulario Sacrorum Rituum Congregationis deſumuntur, a doctis ac cordatis viris, quibus R. P. D. Macedonius ejuſdem Congregationis a Secretis id dederat negocii, litteris fuerant conſignatæ: verum prudentiſſimus Pontifex, ne quæ in iiſdem referuntur aliquis poſſet ullo pacto in dubium revocare, Illuſtriſſimo Domino Carolo Alexio Piſani Fidei Promotori dedit in mandatis, ut priuſquam publici juris efficerentur, haſce hiſtorias attente perlegeret, atque conſideraret: igitur vir doctiſſimus nil diligentiarum in re tanta prætermittendum ratus, improbo labore ingentes Proceſſus ac ſummaria, ex quibus hiſtoriæ hujuſmodi poterant comprobari diligenter pervolvit, & cum nihil non certum ac evidentibus fulcitum probationibus offendiſſet, eaſdem hiſtorias ipſe ex ejuſdem Pontificis præſcripto in Eminentiſſimos Patres diſtribuit; quibus hiſtoriis ea quæ ſequitur inſtructio de methodo in Conſiſtorio ſervanda per Archiepiſcopum Athenarum Pontificiis ceremoniis Præfectum fuit appoſita.

Eminentiſs., & Reverendiſs. Domine.

„ In proximo ſecreto Conſiſtorio per curſores de more indicendo, Eminentiſſimus, & Reverendiſſimus Dominus Cardinalis Feroni Congregationis Sacrorum Rituum Præfectus referet methodica, ac compendioſa narratione vitam, virtutes, & miracula, nec non acta univerſa in Cauſſis Beatificationis, & Canonizationis Beatorum Joannis Cantii Presbyteri Secularis, Joſephi Calasanctii Fundatoris Ordinis Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum, Joſephi a Cupertino Sacerdotis profeſſi Ordinis Minorum Conventualium S. Franciſci, Hieronymi Æmiliani Fundatoris Clericorum Regularium Congregationis Somaſchæ, Seraphini ab Asculo Laici profeſſi Ordinis Minorum S. Franciſci Capuccinorum, & tandem Joannæ Franciscæ Fremiot da Chantal Fundatricis Ordinis Monialium a Viſitatione Sanctæ Mariæ nuncupatarum: Sanctissimus autem Dominus Noster Clemens Papa XIII. Fratrum ſuffragia exquiret: *An ſcilicet deveniendum ſit ad ſollemnem eorumdem Beatorum Canonizationem*: & ſinguli Cardinales per verbum *placet*, vel *non placet*, ſententias aperient. Ideo tranſmittuntur dilucida narratione compilata ea, quæ Sacrorum Rituum Congregatio prævio rigoroſo examine admiſit, & approbavit, ut inde Eminentia Veſtra prælibare valeat, & præmature perpendere quidquid ad Dei gloriam, & Eccleſiæ Catholicæ decus magis expedire videbitur.

De Mandato SS. D. N. Papæ.

I. Archiepiſcopus Athenarum Apoſt. Carem. Præfectus.

COM-

COMPENDIUM.

Vitæ, virtutum, & miraculorum, necnon actorum in Cauſſa Canonizationis B. JOANNIS CANTII Presbyteri ſecularis, & in Univerſitate Academiæ Cracovienſis Sacræ Theologiæ Doctoris, & Profeſſoris.
Ex Secretaria Congregationis Sac. Rituum.

„ JOANNES CANTIUS in oppido Kenty Cracovienſis Diœceſis ex Stanislao viro Conſulari, & Anna legitimis conjugibus, atque egregiis chriſtianiſque moribus conſpicuis natus eſt anno Domini milleſimo tercenteſimo nonageſimo ſeptimo Junii menſis die 24., qua Chriſti Præcurſoris nativitatem commemorat Eccleſia; eique propterea in baptiſmate JOANNIS nomen fuit impoſitum.

„ Ab ipſa infantia piiſſimorum parentum ſtudio, & ſollicitudine chriſtianæ pietatis rudimentis ſedulo excultus, & divinæ gratiæ præventus auxiliis indolem ad omnia, quæ catholicæ ſunt officia diſciplinæ, pronam maxime præmonſtravit. Erga parentes namque obſequentiſſimus pia & ſancta eorum conſilia, monitaque facile & libenter excipiebat, ac prompte fideliterque exequebatur; nil leve, aut puerile in verbis referebat, vel moribus, ſed gravitatem, modeſtiam, ac ſenilem maturitatem.

„ Poſtquam pueritiæ annos ſub optimorum parentum diſciplina tranſegerat, & primis liberalium artium rudimentis imbutus jam fuerat, illorum conſilio, & voluntate ad Academiam Cracovienſem non multo pridem ab Uladiſlao Jagellone Poloniæ Rege fundatam, ad quam ex univerſa Polonia, exteriſque regionibus plurimi adoleſcentes majorum ſtudiorum cauſſa confluebant, profectus eſt. Hujus Academiæ ſcholas frequentans adoleſcens JOANNES philoſophicis diſciplinis ſedulam adeo ſtrenuamque navavit operam, ut ingenii præſtantia, & laboris aſſiduitate maximos ac celeres in ea ſcientia progreſſus fecerit; ac propterea gradu Baccalaurei primum, mox Magiſtri in philoſophica facultate decorari promeruit.

„ Quum vero ad doctrinæ præſtantiam miram adjungeret vitæ innocentiam, modeſtiam, & comitatem morum, conſtantemque ab omni genere mali fugam, factum eſt, ut non humanæ laudis, atque honoris cupiditate, ſed eorum, qui ejus curam gerebant, incitamento illos ſibi gradus comparaverit. Et quamvis profectum in ſtudiis, & ingenii ſui perſpicacitatem numquam oſtentare, ſed omnino celare conſueviſſet, ne a chriſtianæ humilitatis, quam ardentiſſime diligebat, inſtitutis deficeret; impedire tamen non potuit, quin Academiæ univerſæ, ejuſque Rectoribus comperta fuerit ejus ingenii vis, doctrinæque copia, quam propterea mirantes, ac ſuſpicientes cum vitæ integritate conjunctam eum Decani munere in philoſophica facultate ſemel iterumque decoratum voluerunt.

„ Nec multo poſt lauream etiam doctoralem in ſacra theologia, & Sacerdotalem dignitatem conſecutus eſt, majoribus inde ſtimulis incitatus ad exercitationem virtutum, vitæque ſanctitatem. Quare divinæ gloriæ amplificandæ, adaugendæque impenſiori ſtudio, ac ſollicitudine deinceps ſeſe addixit.

„ Munere itaque Doctoris ſuſcepto, quo humanis, diviniſque litteris ſtudioſam juventutem rite ſancteque inſtitueret, nullam omnino diligentiam, laborem nullum prætermiſit, ac fugit; idque curavit in primis, ut quæ auditoribus ſuis traderet Evangelicæ doctrinæ prorſus conſentirent; ſeque iiſdem præberet exemplum bonorum operum, ut in ejus vitam quaſi ſpeculum intuentes non minus ſcientia, quam religione, ac pietate proficerent.

„ Nemo ſane fuit inter Academiæ profeſſores, qui doctrinam ſacram in ſcholis eo felicius interpretaretur, aut copioſius & efficacius in privatis colloquiis,

Digitized by Google

„ publiciſque concionibus traderet, atque „ explicaret; quapropter eximii doctoris, „ & inſignis concionatoris nomen, ac famam „ ſibi comparavit. Porro illa ætate univer„ ſæ ſcholæ per Britanniam, Hollandiam, „ atque Germaniam ſchiſmatici, hæretici„ que dogmatis viro infectæ doctrina per„ verſa adoleſcentium corrumpebant inge„ nium; ſoli Cracovienſis Academiæ pro„ feſſores orthodoxam a Romano puriſſimo „ fonte hauſtam, & Summorum Pontificum „ infallibili oraculo probatam, confirma„ tamque ſtrenue ſectabantur, edocebant„ que ſapientiam; & præ cæteris Magiſter „ CANTIUS e cathedra juventutem, e ſug„ geſtu populum indeſinenter docebat, in„ ſtruebatque in ſcientia Sanctorum, pie„ tate nimirum, & recta morum diſcipli„ na; voceque, & exemplo vitiorum, & „ peccatorum genus omne maxime vitupe„ rabat, & apoſtolici pectoris libertate „ animadvertebat in deviantes ab evan„ gelica lege; traditam vero ab ipſo do„ ctrinam præclariſſimo ſigno Deus Optimus „ Maximus dignatus eſt confirmare.

„ Quum enim olim magnum excitatum „ fuiſſet incendium in platea S. Annæ, plu„ raque ædificia conſumpſiſſet, quin vora„ ciſſimi ignis impetus ulla humana arte „ coerceri poſſet, timendumque foret, ne „ univerſa civitas in favillam, & cinerem „ converteretur, miſertus JOANNES tantæ „ populi afflictionis ſupremi clementiam „ Numinis ferventi prece exorare cœpit, „ ut miſereretur, & parceret afflictiſſimis ci„ vibus; dumque huic orationi efficacius in„ ſiſteret, præſentem repente habuit virum „ ætate maturum, & aſpectu venerabilem „ (Cracovienſem Epiſcopum S. Stanislaum „ fuiſſe ferunt) qui dulciſſimis verbis ipſum „ ſolatus eſt, monuitque illius incendii vim „ jam ultra non proceſſuram, præcepitque, „ ut populum commonefaceret longe majoris „ incendii calamitatem non multo poſt ex„ perturum, niſi pœnitentiam egiſſet ad di„ vinam placandam juſtitiam communibus „ peccatis nimium exaſperatam. Surgens „ itaque VIR SANCTUS a ſua oratione pœ„ nitentiam toti populo prædicavit, cum„ que adhortatus eſt ad ponendum peccatis „ modum, ac finem, moreſque in melio„ rem ſanctioremque formam inſtituendos, „ prædicens, quod niſi dignos pœnitentiæ „ fructus feciſſet, ſed novis peccatis divi„ nam provocaſſet juſtitiam, graviori fla„ gellu foret juſte plectendus. Cohortatio„ nis hujus, quæ propheticum ſimul erat „ vaticinium, quamcito obliti ſunt Craco„ vienſes cives; quumque eorum peccata „ plurimum in dies multiplicarentur, gra„ vioris incendii, quod nullo modo extin„ gui potuit, & magnam urbis partem in „ cinerem redegit, calamitatem ſubjerunt.

„ Quotidie rem divinam peragebat tan„ ta religioſi cordis ſignificatione, & pie„ tatis æſtu, ut qui aderant in admiratio„ nem rapti ad devotionem vehementer ex„ citarentur. Hoc autem quum indigne „ ferret communis hoſtis diabolus, ſacri„ ficanti ipſi ſemel hyberno tempore in Ec„ cleſia S. Annæ, quæ prope adjacet ædi„ bus Academiæ, & ejus Sacrificio adſtan„ tibus, hirundinis aſſumpta ſpecie per tem„ plum volitantis, garrientiſque turbatio„ nem, ac moleſtiam inferre molitus eſt; „ ſed agnitô dæmonis artificio, Miſſaque „ abſoluta templi fores occluſit, & circum„ volitantem, ac fugam quærentem avem „ apprehendit, atque elata manu terræ al„ lidere dum vellet, deprecantibus, qui „ aderant, ut inſonti, & divinorum ignaræ „ parcat aviculæ, reſpondit VIR SANCTUS: „ *Statim videbitis quod ſit genus avis* „ *iſtius*; moxque eam in terram projecit, „ quæ continuo in colubrum converſa bor„ ribili ſibilo terrorem ſimul, & admira„ tionem ſpectatoribus ingeſſit, & confe„ ſtim evanuit.

„ Egregiæ doctrinæ comites erant chri„ ſtianæ virtutes, in quibus vera conſiſtit „ ſapientia, quæ facilius in cordibus audien„ tium inferitur, quando inſtructoris exem„ plo firmatur. Hac ergo ſibi regula con„ ſtituta, ſtudium omne, ac diligentiam „ eo contulit, ut vitam ſuam dirigeret, „ componeretque ad ſeveriora evangelicæ „ doctri-

,, doctrinæ inſtituta, & perfectam exemplo-
,, rum Chriſti imitationem opera, moreſ-
,, que ſui exprimerent, ac referrent. Non
,, ignorans autem humilitatem eam eſſe,
,, qua mediante homo magis Chriſto aſſimi-
,, latur, ſategit omnino, ut hæc virtus al-
,, tiſſimas in ejus corde figeret radices. In
,, primis namque ſerio mente recogitans vi-
,, liſſimam hominis conditionem, & incom-
,, prehenſibilem Dei magnitudinem, huic
,, honorem, laudem, & gloriam jure tan-
,, tum deberi; illi vero contemptum, vi-
,, tuperium, & dedecus convenire probe
,, agnovit: proinde abjectiſſimam ſui ipſius
,, opinionem fovit ſemper, ratuſque omni
,, contemptu, & vilipendio dignum ſe eſſe,
,, nemini umquam etſi viliſſimo & plebejo
,, homini ſeipſum præferre auſus eſt; ſed
,, cunctis ſe viliorem, deſpicabilioremque
,, exiſtimabat, & quamvis ſcientia, & in-
,, tellectus perſpicacia ſupra cæteros præſta-
,, ret academicos, in privatis tamen, pu-
,, bliciſque diſputationibus non ad pompam
,, & faſtum, neque ad inanem aucupandam
,, gloriam, ſed ſinceræ dumtaxat veritatis
,, ſtudio ſubtilitatem ingenii ſui palam effe-
,, rebat. Nec ipſis academicis honoribus
,, umquam ſuperbiit; quinimo poſt adeptam
,, Doctoris in ſacra theologia dignitatem,
,, multo magis quam antea humilitati ſtu-
,, duit, ſategitque deſpicabilem coram aliis
,, & abjectum apparere.

,, Perſæpe in communi Collegii reſiden-
,, tia expertus eſt aliquot ſui contemptores,
,, & malignos detractores, ſed, quæ erat
,, profundiſſima ejus humilitas privatis ſui
,, contemptus occaſionibus non contenta,
,, vehementer angebatur quod non ab omni-
,, bus deſpiceretur. Nam propter vitæ, mo-
,, rumque ſanctitatem maximo apud pleroſ-
,, que academicos in honore habebatur.
,, Itaque ut eorum de ſe opinionem, ac de-
,, lata ſibi reverentiæ, atque æſtimationis
,, officia declinaret atque defugeret, pere-
,, grinari ignotus ad exteras regiones con-
,, ſtituit: viſi propterea ac paupere veſte in-
,, dutus longa atque incommoda ſuſcepit iti-
,, nera, quæ pedibus ſemper conficiebat, ſemel
,, ad ſancta Palæſtinæ loca, quater vero ad
,, Apoſtolorum limina Romam profectus ege-
,, ni abjectique hominis ſpecie, quo con-
,, temptui ac ludibrio ab omnibus haberetur.

,, Omnis malitiæ, & doli expers ſinceri-
,, tatem, ac ſimplicitatem tantam in ver-
,, bis, & factis demonſtravit ſemper, ut par-
,, vulo recens nato ſimilis eſſe videretur.
,, Quod corde tenebat, lingua ſincere lo-
,, quebatur, & factis confirmabat; ab om-
,, ni fraude, dolo, & mendacio quamma-
,, xime alienus, quod quum omnibus com-
,, pertum foret, tum quibuſdam in primis
,, latronibus, qui eidem Romam proficiſcen-
,, ti omnem ſurripuerunt, quam gerebat pro
,, viatico pecuniam; quumque interrogatus
,, ab illis ſi aliam forte abſconditam habe-
,, ret, negaſſet autem oblitus conſutorum
,, in veſte aureorum; horum poſtea recor-
,, datus revocavit latrones, illiſque rever-
,, ſis: *Nolo*, inquit, *mentiri*; *accipite &*
,, *hanc*, *cujus eram oblitus*, *pecuniam*.
,, Stupentes autem latrones tantam homi-
,, nis ſimplicitatem, & ſanctitatem, ac com-
,, puncti jam ante ſublatam reſtituerunt hu-
,, militer rogantes, ut ſibi ignoſceret, quod
,, facile a mitiſſimo & SANCTO VIRO impe-
,, trarunt.

,, In patriam reverſus virtutum omnium
,, exercitatione animum excolebat, nihil in
,, humanis quærens, vel appetens præter
,, Deum, cui ſoli toto corde inhiabat, &
,, mente. At vacante Parœcia loci Olkusz
,, quinque milliariis Cracovia diſtantis una-
,, nimi voto majorum Collegii profeſſorum,
,, ad quos collatio pertinebat, concredita
,, eſt illius adminiſtratio VIRO SANCTO, qui
,, munus libenter ſuſcepit, atque in illius
,, exercitio boni paſtoris partes omnes im-
,, plevit; exemplo enim irreprehenſibilis
,, vitæ, & frequenti divini verbi prædica-
,, tione oves ſuæ curæ commiſſas ad accu-
,, ratam divinæ legis obſervantiam, ac fu-
,, gam ab omni genere mali allicere ac per-
,, trahere ſategit; ſed non multo poſt tem-
,, pore Parœciam illam reſignavit, ratus
,, animarum curam graviſſimum onus eſſe,
,, & periculi plenam. Metuebat ſcilicet,

„ ne in eo munere diutius obeundo com-
„ plurium ſeſe ommiſſionis culparum reum
„ coram Deo ſtatueret . Itaque ad Colle-
„ gium reverſus, theologiam docere per-
„ rexit .

„ Caſtitatem mentis, & corporis imma-
„ culatam ſervavit, creberrimis jejuniis car-
„ nem maceravit, & flagris; aſperique cili-
„ cii uſu perpetuo edomuit ac ſubegit. In
„ patientia benignus, in fide fortis, in cari-
„ tate fervidus, in contemplatione ſublimis,
„ in expectatione patiens, in abſtinentia ſin-
„ gularis, nihil in ore habens niſi Dominum
„ Jeſum, & nomen ſanctiſſimæ Matris ejus Ma-
„ riæ; cibus ejus parciſſimus vix ad vitæ ſu-
„ ſtentationem, numquam vero ad volupta-
„ tem; veſtis obſoleta non ad frigus pro-
„ pulſandum, ſed ad nuditatem tegendam;
„ ſomnus quoque breviſſimus: vix enim eo
„ ſatigatum jejuniis, & ſpiritualibus ac lit-
„ terariis exercitationibus languidum cor-
„ pus reficiebat. Lectulus nuda ſemper hu-
„ mus; urſina vero pelle ſenio confectus ob
„ naturalem calorem jam deficientem uſus
„ eſt ad ſe calefaciendum. Poſtquam ſacræ
„ theologiæ Doctor renunciatus eſt carnem
„ amplius non comedit.

„ Quum vero ſemel magno carnis come-
„ dendæ appetitu dœmonis arte excitato
„ teneretur, ſuillam carnem, quam aſſari
„ juſſerat vix ab igne amotam accepit, ea-
„ que faciem, dorſumque graviter comma-
„ culans, adurenſque ſeipſum ſevere expro-
„ bravit, inquiens: *Carnem caro expetivi-
„ ſti? veſcere igitur illa ad ſatietatem*; &
„ nec quidem deguſtatam in menſa relio-
„ quens ad orandum illico ſeceſſit, effica-
„ ciſſimeque Deum deprecatus eſt, ut ab
„ ejuſmodi tentationibus, atque a pruritu
„ libidinis deinceps liberaretur, & exaudiri
„ promeruit; ſuppetias ferente Deipara
„ Virgine, quæ cum Puero Jeſu viſibilem
„ illi ſe exhibens ſertum candidum ſervatæ
„ virginitatis præmium, futuræque theſſe-
„ ram gloriæ porrexit.

„ Peccatum tanto proſequebatur horrore,
„ ut leves culpas ita ploraret, ac ſi graves
„ eſſent atque lethales; nil vero umquam
„ reprehenſibile in ejus verbis, & operi-
„ bus animadverſum eſt. In Capitulis, con-
„ gregationibus, aut colloquiis doctorum,
„ & magiſtrorum quum aliquid veri dicen-
„ dum ſibi putaſſet, quo aliquorum animum
„ offendiſſe, atque exaſperaſſe deinde time-
„ ret, illos ſeorſim conveniebat, antequam
„ ad aram rem divinam peracturus accede-
„ ret, hiſque humillimis compellabat ver-
„ bis: *Vado ad officium divinum, rogo te,
„ parce mihi, ſi acerbo aliquo verbo te
„ læſi*; neque recedebat prius, quam cum
„ illorum ſingulis perfectæ reconciliationis
„ fœdus iniviſſet. Ipſe vero ab aliis aſpero
„ & injurioſo verbo laceſſitus humiliter ac
„ manſuete ſiluit ſemper, tacitus mente
„ revolvens canonem, quem fideliſſime ob-
„ ſervare propoſuerat, & ad ſui aliorum-
„ que inſtructionem menſæ ſedilibus, parie-
„ tibuſque cubiculi, portis, & libris in-
„ ſcriptum habuit quoad vixit:

„ *Conturbare cave, non eſt placare ſuave.*
„ *Diffamare cave; nam revocare grave.*

„ Quare irrogatas ſibi quaſcumque injurias
„ perpetuæ oblivioni tradidit ſemper, idem-
„ que alios docuit, ut Divini Magiſtri exem-
„ pla preſſius imitarentur.

„ Opera utriuſque miſericordiæ jugiter
„ exercebat, conſilia petentibus dando, af-
„ flictos, mœrenteſque ſolando, hoſpitio
„ excipiendo pauperes advenas, & peregri-
„ nos, carceribus mancipatos viſitando,
„ & veſtes, ac calceamenta quotannis ſuo
„ ære coempta mendicis utriuſque ſexus di-
„ ſtribuendo, cum quibus etiam ſtipendium
„ ſuorum laborum annuatim dividebat, mi-
„ nore ſibi parte reſervata, majore vero in
„ beneficium indigentium liberaliter eroga-
„ ta. Quumque aliquoties e Collegio egreſ-
„ ſus in pauperem excalceatum offendiſſet,
„ calceos ſibi detractos generoſe illi do-
„ navit, & nudos ſuos pedes demiſſo pal-
„ lio obtegens, ne diſcalceatus per vias in-
„ cedere ab ullo videretur, domum regreſ-
„ ſus eſt.

„ In feſto Nativitatis Domini noſtri Jeſu
„ Chriſti pergens ad Eccleſiam matutinarum
„ laudes recitaturus, pauperem ſupra nivem
„ jacen-

,, jacentem , frigoris rigore toto corpore
,, contremiſcentem , ærumnæque ſuæ com-
,, miſerationem , ac ſubſidium poſtulantem
,, vidit , excepitque , pietate commotus ve-
,, ſtem ſuam illi dedit , quam poſtea ex Ec-
,, cleſia redux a Deipara ſibi reſtitutam in
,, proprio cubiculo inſperato reperiit . Die
,, altera , dum adhuc eſum carnis ſibi non
,, interdixerat , diſcumbens in cœnaculo
,, cum ſuis collegis , audita voce pauperis
,, prope Collegium pertranſeuntis , & ſtipem
,, petentis fruſtum carnis ſibi ſubtractum
,, juſſit ad illum afferri , quod miſericordiæ
,, opus maxime admirati ſunt commenſales
,, ſinguli ; ſed magis deinde obſtupuerunt ,
,, quod repente illud ſupra menſam repo-
,, ſitum conſpexerunt , itaut a Sanctiſſima
,, Dei Genitrice VIRO SANCTO reſtitutum
,, nonnulli crediderint , ut eo veſceretur .

,, Ab hoc autem ſingulari prodigio ex-
,, citati profeſſores majoris Collegii conſti-
,, tuerunt inter ſe unum pauperem quotidie
,, commenſalem habere , atque pari victu ,
,, quo quiſque ipſorum uteretur enutrire ;
,, quæ piiſſima conſuetudo viget adhuc no-
,, ſtris temporibus . Quod ſi aliquando con-
,, tingat venire pauperem ante januam tri-
,, clinii, profeſſoribus jam prandentibus , is ,
,, qui diſcumbentibus miniſtrat , eum , qui
,, primus ad menſam ſedet de pauperis com-
,, monet adventu dicens : *Pauper venit* ;
,, ille vero reſpondet : *Chriſtus venit* , ſta-
,, timque præbet illi paratam victus eleemo-
,, ſynam ; SANCTI quoque VIRI exemplo a
,, profeſſoribus nonnullis legata perpetua in-
,, ſtituta ſunt ad veſtiendos quotannis pau-
,, peres nuditate laborantes , & de gremio
,, profeſſorum unus eligitur , cui ex officio
,, onus incumbit exigendi annuos fructus
,, iſtiuſmodi legatorum , & pauperes ve-
,, ſtiendi .

,, Tanta autem inſederat in corde SANCTI
,, VIRI erga pauperes & afflictos commiſe-
,, ratio , ut nullum eſſet calamitatis , & mi-
,, ſeriæ genus , cui alacriter prompteque
,, occurrere negligeret , & hanc Famuli ſui
,, caritatem Deus ſtupendis ſignis ſibi gra-
,, tam acceptamque fore declaravit . Die
,, namque 16. Junii 1464. excipiens vocem
,, flentis cujuſdam ancillæ , quæ amphoram
,, lacte plenam de manibus forte collapſam
,, fregerat , & duritiem ſeveritatemque do-
,, minæ ſuæ altis gemitibus accuſabat , eam
,, adivit , collectiſque fragmentis , brevi ad
,, Deum fuſa oratione , integram illi reſti-
,, tuit , atque aqua e fluvio Rudava ad mœ-
,, nia Cracovienſis urbis excurrente reple-
,, ri juſſit , quam in lac , novis fuſis ad Deum
,, precibus , ſubinde convertit .

,, Chriſtum Dominum pro redemptione
,, humani generis paſſum tenerrimo pieta-
,, tis ſenſu proſequutus ſemper eſt ; & ideo
,, in jugi contemplatione myſteriorum ejus
,, vitæ paſſionis & mortis aſſiduo ferme ver-
,, ſabatur , pro ipſius amore laborioſa quæ-
,, que , & corpori dura , ac permoleſta pa-
,, ti , & vehementer cupiebat , & pro vi-
,, ribus patiendi occaſiones captabat . Eo in-
,, citatus pio ſanctoque deſiderio in Palæſti-
,, nam uſque ad Chriſti Domini ſepulcrum
,, viſitandum peregrinari deliberavit , nullo
,, terræ , mariſque periculo territus , nulla
,, longinqui itineris , viarumque difficulta-
,, te . Adjunctis ergo ſibi ſociis aliquibus ,
,, petitaque ab Epiſcopo Cracovienſi diſce-
,, dendi venia , ac benedictione abiit in re-
,, gionem illam maxime diſſitam, pedes ſem-
,, per itinerans , & ſarcinula ſua humeros
,, onerans more vilium pauperrimorumque
,, peregrinorum , nec equitare umquam a
,, ſociis,licet vehementer rogatus,voluit ubi-
,, que terreſtre iter perageretur . Ubi Ter-
,, ram ſanctam pervenit eximiæ ſuæ pieta-
,, tis erga Chriſtum Dominum argumenta de-
,, dit luculentiſſima , tellurem illam , quam
,, divinus Redemptor calcaverat , & pre-
,, tioſiſſimo ſuo ſanguine conſperſerat tener-
,, rime exoſculans , & piis lacrymis made-
,, faciens non ſine maximo cordis ſui ſola-
,, tio , ac ſpirituali voluptate , ſepulcrum
,, vero glorioſiſſimum ſui Redemptoris con-
,, ſpiciens actus memoria immenſi beneficii
,, redemptionis noſtræ in lacrymas ſolutus
,, grates egit perquam maximas unigenito
,, Dei Filio , qui humanæ ſalutis cauſſa mor-
,, talem carnem aſſumere , & acerbiſſimam

,, mor-

„ mortem ſupra Crucis patibulum ſuſtine- „ re dignatus eſt. Quamdiu Hieroſolymæ „ verſatus eſt, ne momento quidem a Domi- „ nica paſſione cogitationes abduxit, jugi „ lacrymarum vi, & corde vehementi com- „ punctione transfixo ſingula recolens atque „ revolvens Servatoris noſtri tormenta: Tur- „ carum vero impietatem, & inſenſum in „ chriſtianam Fidem animum magnopere „ deteſtatus, eorum cœcitatem, ac falſæ „ religionis ſuperſtitionem palam coargue- „ re, atque exprobrare non trepidavit, ut „ ad Evangelicæ veritatis lucem eos addu- „ ceret. Nullo proinde abſterritus vitæ pe- „ riculo ſeſe martyrio, cujus deſiderio vehe- „ menter æſtuabat non ſemel objecit, quod „ tamen conſequi minime potuit, propte- „ rea quod a Barbaris illis, atque infideli- „ bus non patienter modo, ſed libenter „ audiretur.

„ Divinæ dilectionis ardore cor ejus adeo „ vehementer æſtuabat, ut nonniſi de Deo „ cogitare, de Deo loqui, cum eo dum- „ taxat agere poſſe videretur; quare vix ab- „ ſoluta muneris ſui in ſcholis exercitatione „ templum illico adibat, atque in preces, „ & lacrymas effuſus ante poſitum in altari „ divinæ Euchariſtiæ Sacramentum ad ho- „ ras perſtabat. Noctes vero ipſas pene „ integras orando tranſigebat ante Imagi- „ nem Chriſti Domini prope Collegii majo- „ ris fores poſitam, quæ eumdem e tranſi- „ xo latere copioſo manantem ſanguine „ repræſentabat; ibique in Dominicæ paſ- „ ſionis myſteria profunda meditatione in- „ tentus non ſemel in diuturnam ecſtaſim ra- „ piebatur. Ab eadem porro Imagine ſu- „ pernas voces perſæpe audiiſſe fertur, qui- „ bus mirifice recreatus in arrepto ſancti- „ tatis curſu confirmabatur. Imago autem „ illam quum mortuo SANCTO VIRO ad Ec- „ cleſiam Sanctæ Annæ majoris veneratio- „ nis ergo translata fuiſſet, ſponte ad lo- „ cum, unde amota fuerat reverſa perhi- „ betur.

„ Virorum ſanctorum, qui tunc Craco- „ viæ vivebant familiari conſuetudine uti „ conſuevit, quorum colloquiis, & exem- „ plo ad Deum ardentius diligendum, at- „ que evangelicam alacrius decurrendam „ perfectionis viam vehementius excitaba- „ tur. Hi fuerunt BB. Sventoslaus, Simon „ de Lipnica, Stanislaus Caſimiritanus, Iſa- „ ias ex Eremitis S. Auguſtini, & Michael „ Ordinis Sanctæ Mariæ de Metro. Horum „ ſanctiſſimorum virorum æmulari innocen- „ tiam vitæ, morumque perfectionem im- „ penſe ſtudebat, & quas in ſingulis mira- „ batur virtutes in ſe referre nitebatur.

„ Septimum ſupra ſexageſimum ætatis an- „ num quum attigiſſet, langueſcentes jam „ corporales vires perſentiens diſſolutionis „ ſuæ tempus imminere cognovit; quare „ totum eo contulit ſtudium, ut ad mortem „ ſe quamdiligentiſſime compararet. In pri- „ mis ergo quidquid penes ſe retinebat in „ neceſſarium uſum, commodumque pau- „ peribus diſtribuit; deinde conſcientia „ ſacra exomologeſi rite expiata, ſanctiſſi- „ moque Chriſti corpore refectus lectulo de- „ cubuit Chriſti Domini adventum impavi- „ de & hilariter præſtolaturus. Morbo in- „ graveſcente, cœleſtis gloriæ incenſus de- „ ſiderio ad Dominum perſæpe clamabat „ cum Pſalmiſta: *Hei mihi Domine quia in- „ colatus meus prolongatus eſt!* aliiſque „ piiſſimis, quibus uti ſolebat verbis cum „ Deo loqui continenter audiebatur, Sacro „ tandem munitus Viatico corporis Domini „ collegas ſuos ferventiſſimo allocutus ſer- „ mone, eos impenſe hortatus eſt ad mu- „ tuam caritatem, pietatem, omnemque „ religionem; moxque ſpiritum ſuum Chri- „ ſto Servatori devotiſſime commendans, „ die 24. Decembris in pervigilio Nativi- „ tatis Dominicæ anno æræ chriſtianæ 1473. „ feliciter ab ergaſtulo carnis ſolutus ad „ ſempiterna gaudia evolavit.

„ Corpus ejus ingenti Cracovienſium ci- „ vium mœrore, & veneratione in Eccle- „ ſia Collegiata S. Annæ ſepultum multis „ ſtatim clareſcere cœpit miraculis, quæ „ fideles magna frequentia ad ipſum ve- „ nerandum traxerunt; adaucto vero popu- „ lorum concurſu idem corpus integrum il- „ læſumque repertum in decentiorem lo- „ cum

,, cum tranſlatum eſt, & in magnificum ex
,, ſelecto lapide ſepulcrum invectum. Ab
,, illo ſepulcro poſt centum triginta ab obi-
,, tu VIRI SANCTI annos recluſo mirabilis &
,, ſuaviſſimus odor manavit a multis perce-
,, ptus; cujus prodigii ſama per civitatem
,, evulgata adauxit magnopere veneratorum
,, frequentiam, hujuſque rei veritas teſti-
,, monio fide dignorum teſtium confirmata
,, eſt. Cracovienſis vero Academiæ profeſ-
,, ſores veſtem SANCTI VIRI purpuream,
,, quam Reverendam vocant, eaque col-
,, legæ majores uti ſolent in diſputationi-
,, bus, pro reliquia religioſe aſſervarunt,
,, & hanc decanus quilibet philoſophiæ re-
,, cens electus induit, quum ſui officii jura-
,, mentum ſollemniter præſtat, renovatque
,, bis ſingulis annis, ut per hanc cæremo-
,, niam excitetur in ipſo memoria SANCTI
,, DOCTORIS, & ad imitanda illius exempla
,, in erudienda juventute, in muneribus;
,, atque laboribus academicis exſtimuletur.

,, Percrebeſcente in dies ejus ſanctitatis,
,, & miraculorum ſama conſtructus eſt a Cra-
,, covienſi Epiſcopo Proceſſus de vita, mo-
,, ribus, & miraculis illius, præviaque iſtius
,, diſcuſſione ſan. mem. Urbanus PP. VIII.
,, per ſpecialem Commiſſionem propria ma-
,, nu ſignatam Cauſſam diſcutiendam commi-
,, ſit Congregationi Sacrorum Rituum, man-
,, davitque, quod omiſſa generali, ad inqui-
,, ſitionem ſpecialem deveniretur; quæ ta-
,, men inſtitui quum non potuiſſet, Cauſſa
,, ſiluit uſque ad annum 1666., quo tandem
,, reaſſumpta eſt, & a fel. record. PP. Ale-
,, xandro VII. prævio conſilio, & voto di-
,, ctæ Sacræ Congregationis nova Commiſſio
,, in ſtatu, & terminis, in quibus Cauſſa
,, ipſa reperiebatur ſignata. Quia vero ſu-
,, pervenerant decreta generalia ſan. mem.
,, Urbani VIII. expediri oportuit eodem
,, anno litteras remiſſoriales ad conſtruen-
,, dum Proceſſum particularem ſuper cul-
,, tu immemorabili BEATO VIRO exhibito,
,, Caſum exceptum faciente a dictis decre-
,, tis generalibus, cujus declaratio, & re-
,, ſpectiva approbatio prodiit poſtea die 20.
,, Martii 1676.

,, Expeditis ſucceſſive novis litteris remiſ-
,, ſorialibus pro inſtruenda inquiſitione ſpe-
,, ciali, dum hæc peragebatur, ſan. mem.
,, Innocentius PP. XI. ad preces Poloniæ
,, Regis die 27. Septembris 1680. benigne
,, indulſit, ut in die anniverſaria obitus BEA-
,, TI Officium, & Miſſa de communi Confeſ-
,, ſoris non Pontificis ſub ritu duplicis in ci-
,, vitate Cracoviæ, & univerſo Regno Polo-
,, niæ recitari, & celebrari poſſet, paullo-
,, que poſt Sacra Rituum Congregatio juſtis
,, de cauſſis permota conceſſit, ut annuum
,, ipſius BEATI feſtum transferretur ad diem
,, 19. Octobris.

,, Abſoluto jam vero Proceſsu Apoſtolico
,, ſpecialis inquiſitionis, iſtiuſque validitate
,, die 5. Junii 1698. approbata, aſsumptum
,, eſt examen operum in Proceſsu dictæ ſpe-
,, cialis inquiſitionis compulſatorum, quæ
,, falſo BEATO attributa ſuiſse tandem com-
,, pertum quum habuiſset Sacra ipſa Rituum
,, Congregatio ideo die 17. Septemb. 1730.
,, declaravit: *Non conſtare, quod opera in*
,, *Proceſſu Apoſtolico compulſata*, *&* BEATO
,, *attributa*, *eſſent ipſius* BEATI, *ideo proce-*
,, *di poſſe ad ulteriora*. Diſcuſſæ ſubinde
,, quum fuerint virtutes in gradu heroico
,, ipſius BEATI, die 4. Julii 1733. approba-
,, tionem ab eadem Sacra Rituum Congre-
,, gatione conſecutæ ſunt.

,, Quum vero interim electus fuiſſet BEA-
,, TUS in Compatronum principalem totius
,, Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Lithua-
,, niæ, die 16. Februarii 1737. confirmavit
,, Sacra Rituum Congregatio iſtiuſmodi ele-
,, ctionem, elevavitque ritum Officii in
,, ejuſdem BEATI honorem jam conceſſi ad
,, duplicem primæ claſſis cum octava; &
,, poſtea die 31. Martii 1739. approbavit
,, orationem, & lectiones proprias ſecundi
,, nocturni pro eodem Officio.

,, Denique diſcuſſioni, & examini ſuba-
,, ctis miraculis, ſuper quibus Apoſtolicus
,, Proceſſus rite inſtructus pro valido fuerat
,, approbatus die 5. Septembris 1739. ſub
,, Pontificatu ſan. mem. Benedicti XIV., Pon-
,, tifex hic nullum ſuper illis decretum edi-
,, dit; nam propoſita, & Suffragantium vo-

,, to

„ to probata ob novam legem ab ipſo Pon„ tifice de ejuſmodi Cauſſis evulgatam in nu„ mero ſufficienti ad obtinendam Canoni„ zationem BEATI non erant; quare neceſſe „ fuit alium conſtruere Apoſtolicum Proceſ„ ſum ſuper aliis recentioribus miraculis. „ Ex his vero tria in Generali Congregatio„ ne coram ſe propoſita, & mature exami„ nata SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER PP. „ CLEMENS XIII.; & alia duo ex illis prius „ diſcuſſis coram Prædeceſſore ſuo Benedi„ cto XIV. plauſu a Suffragatoribus exce„ ptis, quæ tamen coram ſe in particulari „ Congregatione denuo reproponi, rigidam„ que ad trutinam iterum revocari voluit, „ approbavit, quatuor ſcilicet in tertio ge„ nere, & ſunt I. inſtantaneæ ſanationis „ pueri Sebaſtiani Luzark ab hæreditaria, „ & confirmata phthiſi. II. ſubitæ ſanatio„ nis puellæ Heduigis Paskownæ ab acuta „ febri cum integra, & abſoluta virium„ omnium reſtitutione. III. inſtantaneæ ſa„ nationis Mariannæ Gawlickæ a gravi per„ niciosa febri in mortis agonem adductæ „ cum ſubita & perfecta virium reintegra„ tione. Ac IV. inſtantaneæ, & integræ ſa„ nationis magni & profundi ulceris a jugulo „ ad fauces uſque fere omnia præter tendi„ nes, & majora vaſa depaſti, & fœtidiſſi„ ma taba ſcatentis cum alimentorum per „ ejuſdem oſtium lapſu in perſona Antonii „ Olexowic: unum vero in ſecundo gene„ re, hoc eſt regreſſus mercium in flumen „ Sola prolapſarum, & præterfluentium „ aquarum impetu procul raptarum adver„ ſo flumine ad locum demerſionis.

„ Quibus omnibus ſtantibus, idem SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER, fuſis prius ad „ Deum precibus, & Divini Paraclyti lumi„ ne enixe expetito die 2. Februarii cur„ rentis anni feſto Purificationis Beatæ Ma„ riæ Virginis decretum Canonizationis B. „ JOANNIS quandocumque faciendæ pro„ nunciavit, pro cujus executione ſuppli„ cationibus Regum, & chriſtianorum „ Principum initio Cauſſæ Sanctæ Sedi por„ rectis modo ſuas etiam humillimas adjun„ gunt hodiernus Rex, Magnateſque Poloni „ Regni, præſertim Eccleſiaſtici, Craco„ vienſis Senatus, & Academiæ ejuſdem ci„ vitatis collegæ omnes, atque profeſſores.

COMPENDIUM,

Vitæ, virtutum, & miraculorum, necnon actorum in Cauſſa Canonizationis B. JOSEPHI CALASANCTII A MATRE DEI Ordinis Clericorum Regularium Scholarum Piarum Fundatoris.
Ex Secretaria Congregationis Sacrorum Rituum.

„ JOSEPHUS A MATRE DEI, cui Ordo Cle„ ricorum Regularium Scholarum Pia„ rum ſuum debet exordium, Petraltæ „ Salis Aragoniæ oppido perilluſtri anno a „ virginali partu 1556. tertio Idus Septem„ bris in lucem venit, parentes nactus Pe„ trum ex vetuſtiſſimo, clariſſimoque genere „ CALASANCTIORUM, & Mariam Gaſtoniam „ ſua non minus, quam majorum ſuorum „ gloria cum primis nobilem. Puer mira de„ dit futuræ ſanctimoniæ, futuræ puerorum „ inſtitutionis, futuræ animi fortitudinis ar„ gumenta. Eorum incommodorum, quæ in „ primam ætatem ingruunt, patientiſſimus „ ſummam ſemper præſetulit morum ſuavita„ tem, & manſuetudinem cum æquabili vul„ tus hilaritate conjunctam, vix Jeſu, & „ Mariæ nomina uſurpare balbutiens cœpit; „ mirum, quantum his delectaretur, quam „ ſæpe, quantoque cum gaudio repeteret! „ Ut vero orationem Dominicam, & Vir„ ginis Salutationem Angelicam memoriæ „ mandavit, eo precandi genere delecta„ tus, quo diſtincto in decades utimur (Ro„ ſarium dicimus) illud rite, pieque fre„ quentabat, & ut rite, pieque frequenta„ retur, aliis erat incitamento. In dæmo„ nem vero, quem audierat a parentibus, „ beſtiam eſſe immaniſſimam, quæ licet „ æternis oppreſſa vinculis, arrogantia ta„ men intoleranda bellum impium, ac ne„ farium non minus contra homines gere„ ret, quam contra Deum, quo nihil hu„ mano

„ mano generi pernicioſius, Divino Numi„ ni odioſius nihil, explicari non poteſt, „ quo odio ab eo uſque tempore exarſerit. „ Ratus occidi poſſe, congregatæ ſibi æqua„ lium multitudinis dux eum enſiculo per„ ſequebatur, provocabat ad pugnam, & „ tanquam timido magnis vocibus inſulta„ bat. Quum aliquando umbram aſpectu „ horrificam, fœdam, luridam in medio „ arboris conſpexiſſet, arbitratus eam eſſe, „ ut erat, beſtiam, quam inquirebat, cita„ to gradu illam aſcendit; ſed dum ictum „ in eam vibrat, & increpat, umbra fu„ git, & evaneſcit: fractoque, licet vali„ do, cui inſiſtit, trunco, præceps ad ter„ ram fertur, nulli tamen obnoxius vulne„ ri, præſervante, qui hos impetus dede„ rat, Divino Spiritu.

„ Creſcente ætate crevit in eo pietas, „ creverunt Inſtituti ab eo fundandi, exer„ cendique præludia. Ab otio, ac luſibus „ alieniſſimus, de nulla re magis cogitabat, „ quam de alenda in ſe innocentia, de pie„ tate in æqualibus augenda, propagan„ daque: nunquam lætior, quam quum „ puerorum corona cinctus, quos ſpe, pro„ miſſis, præmiis alliciebat, eos vel primis „ Religionis noſtræ capitibus erudiret, vel „ tamquam a ſuggeſtu præco nobilis admo„ neret, & hortaretur, nequid temere, ne„ quid improbe admitterent: ut Deum ti„ merent, & a vitiis, & peccatis deſiſte„ rent, quæ ſic Deus odiſſet, ut, qui ſe iis „ dederent, vivos ſæpe gravi pœna multa„ ret: mortuos certe æternis ignibus cru„ ciaret. Hæc frequenter quum pueris præ„ dicaret, ſuoque præiret exemplo cultu in „ Deum, & Cœlites ſummo, veneratione „ erga Beatiſſimam Virginem maxima, ſin„ gulari obſervantia erga parentes, illud „ conſequebatur, ut ſanctulus ab omnibus „ & haberetur, & vocaretur, & eſſet: pue„ rorum autem chorus ſenſim fieret aut „ emendatior, aut melior.

„ Ut exceſſit ab iis artibus, quibus ætas „ puerilis ad humanitatem informari ſolet, „ ſtudiis ſcientiarum, & legum operam de„ dit partim Ilerdæ, partim Valentiæ, par„ tim Compluti tanto cum fructu, ut nulli „ eſſet in humanarum, divinarumque re„ rum cognitione ſecundus. Quoniam ve„ ro non major eum urgebat ſcientiarum „ acquirendarum, quam innocentiæ in ſe „ conſervandæ, augendæque pietatis ſollici„ tudo, hinc doctrina quidem, ſed multo „ magis morum candore, & ſanctimonia ſu„ pra cæteros ſemper, & ubique reſplen„ duit. Ita ſe igitur in illa lubrica ætate „ continuit, ut nihil eidem daret, nihil „ voluptati concederet; ſed tempus omne „ aut litteris, aut pietatis, aut religionis „ officiis impenderet. Solitudinis amantiſſi„ mus conſuetudinem vitabat æqualium: ra„ roque pedem, niſi ſi aliqua ſacra ædes „ adeunda eſſet, quod erat quotidianum, „ & frequens, domo efferebat. Quod ſi eum „ vel ratio ſtudiorum, vel aliqua neceſſitu„ do cum æqualibus, aliiſque converſari „ aliquando compelleret, tantam mode„ ſtiam, & comitatem in eorum conſuetu„ dine retinebat, ut benevolentiam ſibi om„ nium conciliaret. In pauperibus, & ege„ nis pecunia juvandis, ciboque ſatiandis „ largiſſimus: in divinis Myſteriis partici„ pandis frequentiſſimus: idque tanto men„ tis ardore, tanta gratiarum actione, ut „ in ſui ſpectaculum adſtantium oculos, ani„ moſque converteret: in æternis ſecum at„ tentius reputandis totus cogitatione, & „ animo in Cœlis: in animi, corporiſque „ caſtitate ſervanda ſic vigilans, ut nemini „ unquam adhuc etiam pueri, ac pene in„ fantis licuerit, urgente quamquam mor„ bo, videre partem corporis nudam, ne „ matri quidem, fœminæ, ſi quæ ulla, le„ ctiſſimæ probitatis.

„ Quum igitur ſtudia ſua cum pietate, „ tantaque virtute conjungeret, præcepto„ ribus, nedum condiſcipulis ſic erat ad„ mirationi, ut eum plane venerarentur. „ Itaque quum more, inſtitutoque majo„ rum de principe juventutis renunciando „ Ilerdæ ageretur, iſque eſſet ſeligendus, „ quem unum omnium ducerent probatiſſi„ mum, Josepho, quem, cunctis litteræ mo„ reſque fecerant ſupra cæteros honorabi-

,, lem , hic principatus delatus eſt com-
,, munibus magiſtrorum , diſcipulorumque
,, ſuffragiis . Præfecturam hanc vero non ad
,, honorem ſolum ſibi traditam Josephus
,, cenſuit ; ſed aſſiduitate , ſtudio , diligen-
,, tia , exemplo ita adminiſtravit , ut in diſ-
,, ſidiis inter condiſcipulos componendis ,
,, in corrigendis vitiis , in excitandis virtu-
,, tibus ejus prudentiam , auctoritatem , fi-
,, dem boni diligerent , improbi formida-
,, rent , omnes admirarentur . Non deſue-
,, re præclariſſimi viri , qui univerſam ea-
,, rum ſcholarum adoleſcentiam conſide-
,, rantes , agente Josepho , eo adductam eſ-
,, ſe , ut aſſidua in templis , in ſcholis dili-
,, gens , in xenodochiis frequens ipſum
,, auctorem , hortatoremque imitaretur : in
,, diſputationibus autem moderate , in fa-
,, miliaribus colloquiis verecunde , in ipſis
,, quoque ſolatiis innocenter , & ſobrie ver-
,, ſaretur , non hominem , ſed Angelum ſtu-
,, dioſæ illi juventuti præfectum principem
,, prædicarent . Nemo , vel impudentiſſi-
,, mus erat , qui , ubi Josephus inerat , aut
,, quicquam diceret improbe , aut faceret
,, impudenter : nemo , qui , Calasanctio
,, comite , malum non vitaret , bonum eo-
,, dem auſpice non ſequeretur .

,, His tantæ virtutis non jam præludiis ,
,, ſed argumentis non poterat , qui bonis
,, omnibus infenſus eſt , infernalis hoſtis non
,, accerrime concitari : eoque magis , quod
,, hæc majores ſibi impoſterum clades por-
,, tendebant . Hinc ut tantam virtutem de
,, gradu dejiceret , nullas omittendas ſta-
,, tuit , quas crederet opportuniſſimas , ma-
,, chinationes . Videbat fruſtra jam pridem
,, formas ſeſe induiſſe ferarum luridas , im-
,, maneſque , ut Josephum adhuc adoleſcen-
,, tulum ſtatis precum horis cum Domino
,, converſantem averteret : videbat fruſtra
,, conatum fuiſſe in puteum eum detrude-
,, re , & mergere , ut ejus unius ruina ab iis
,, ſibi conſuleret , qui Josephi hortationibus ,
,, exemplíſque impoſterum animati præcla-
,, ris operibus tenebrarum regnum labefa-
,, ctaſſent . Expertus fuerat malo ſuo , Jose-
,, phum , generoſa ut ſolet virtus , ab inſi-
,, diis evaſiſſe fortiorem , & larvas omnes
,, Deo benefidentem diſſipaſſe metuendum
,, magis quam metuentem . Ad ea igitur ar-
,, ma ſibi confugiendum ocquiſſimus cen-
,, ſuit , quibus de juvenibus præſertim ple-
,, rumque triumphat , ad ea ſcilicet ignea
,, tela , quæ oportune retundere , nedum
,, prorſus infringere , habendum eſt fere lo-
,, co prodigii . Itaque eodem modo , quo
,, olim alterum in Ægypto Joſephum , ita
,, illuſtris cujuſdam fœminæ , cum qua Cala-
,, ſanctiis erat neceſſitudo , impotentia , in-
,, citamentis , illecebris , precibus Jose-
,, phum hunc noſtrum quartum vitæ luſtrum
,, agentem , nec quicquam tale tunc ſuſpi-
,, cantem non minus impudentiſſime , quam
,, fortiſſime aggreditur . Sed cujus adhuc
,, pueri incipientem virtutem vincere non
,, potuerat , multo minus confirmatam in
,, juvene , qui in clientelam a Beatiſſima
,, Matre Virgine jam pridem acceptus ejus
,, patrocinio perfruebatur . Ab ea enim do-
,, mo fœminæque conſpectu ſe ſtatim prori-
,, piens recta convolavit ad templum . Ibi
,, proſtratus ad aram Virginis Deo , ipſique
,, & egit , & habuit gratias , quas potuit ,
,, maximas . Caſtimoniæ votum , quo ſe jam
,, obſtrinxerat , confirmavit , & ut veniam
,, mulieri nobiliſſimæ ſupplex imploraret ,
,, nullos ſingultus , nullas preces omiſit . Sed
,, nondum ſatis . Prudenter veritus , ne , ſi
,, diutius Valentiæ moraretur , & matro-
,, nam , cujus apud omnes ſalva erat exiſti-
,, matio , amplius non adiret , pateret ru-
,, mori locus , ac ſuſpicioni , nihil tergi-
,, verſatus , nihil reputans , quid præcepto-
,, res , quid comites , quid affines dictu-
,, ri forent , ſi relinqueret inſalutatos ,
,, uno audito conſcientiæ ſuæ moderato-
,, re , ſtatim de diſceſſu ex urbe ſibi ju-
,, cundiſſima conſilium cœpit , adimplevit-
,, que Complutum pergens . In ea urbe
,, corpus quotidie incuſans ſuum , quod ve-
,, nuſtate ſua periculum matronæ honeſtiſ-
,, ſimæ creaviſſet , diuturnius , aſperius ,
,, cruentius illi bellum indixit . Somnus bre-
,, vior , & incommodior : inediæ ratio ſe-
,, verior ; vexandis membris catenæ ferreæ

,, mole-

„ moleſtiores: acutiora cilicia: nullum de-„ nique pœnarum genus, quod ultro a ſe re-„ peteret non acerbius.

„ Abſoluto ſcientiarum, & legum curſu, „ laureaque donatus, Joanni Gaſpari Fi-„ guera Jaccæ Epiſcopo, cujus nomen præ-„ clariſſimum erat in univerſa Hiſpania, „ operam ſuam in paſtoralis officii ſollici-„ tudine præſtare rogatus debuit, quum „ nondum Sacerdotio, imo nec ſacris eſſet „ initiatus Ordinibus. Quanta autem ejus „ Eccleſiæ utilitate id fecerit, illud eſt ar-„ gumento, quod hinc diſcedens, ut pa-„ ternis pareret nutibus, deſiderium ſui „ reliquit, & memoriam omnibus ſempi-„ ternam. Ut vero Sacerdotio initiaretur, „ pugnandum fuit diu eum Patre. Quum „ enim mors eripuiſſet ſine liberis fratrem „ ſpem domus unicam, incredibile dictu eſt, „ quam aſſidue, ardenterque apud Josephum „ pater inſtaret, ut a ſuſcipiendi Sacerdo-„ tii propoſito ad nuptias avocaret. Quum „ vero occulto ſacramento ſe Josephus fore „ ſemper virginem ſpopondiſſet, metueret-„ que, ne, eo manifeſtato, dolore graviſſi-„ mo ex familiæ interitu ſenem patrem af-„ ficeret, multa excuſabat, ut rem in lon-„ gum protraheret, multis interea Deum „ obſecrans lacrymis, ut modum ipſe ſup-„ peditaret, quo patrem poſſet pertrahere „ in partes ſuas & libenter & facile. Deus „ oranti non defuit. Extemplo Josephus ve-„ hementiſſima febri corripitur, eaque in „ dies ingraveſcente eo adducitur, ut illi „ a medicis conclametur. Tunc aſſidentem „ lectulo, lugentemque patrem Josephus „ aggreditur, obſecratque, ut in tanto vi-„ tæ diſcrimine conſcientiam ſuam voto ſi-„ bi liceret obſtringere de ſervanda invio-„ lata hactenus pudicitia, ſacriſque Ordi-„ nibus, ſi convaleſceret, ſuſcipiendis. Vix „ aſſenſum extorquet a patre: (quid enim „ faceret, quum aliam morbo medicinam „ adhibere non poſſet) en ſtatim contra „ omnium expectationem ſanitas non ſpera-„ ta: cui vix reſtitoto nihil fuit antiquius, „ quam ut liberatus a Deo fidem ſuam ſa-„ cris initiatus Ordinibus liberaret.

„ Vix redditus ſanitati, & Sacerdotio or-„ natus in partem laborum certatim vocatus „ eſt ab Epiſcopis Lobetano, Ilerdenſi, Ur-„ gelitano: & mirum, quam diſciplinæ ec-„ cleſiaſticæ vel revocandæ, vel confirman-„ dæ, quam malis germinibus extirpandis, „ quam cunctis ordinibus ſive ſacris, ſive „ non ſacris aſſiduitate, ſtudio, diligentia, „ doctrina profuerit! Cum Ilerdenſi Epiſco-„ po in auguſtis Aragoniæ, Valentiæ, Ca-„ talauniæ Comitiis locum habuit perhono-„ rificum: neque ab Epiſcopis modo, & „ Dynaſtis, quotquot illic aderant, ſpecta-„ tiſſimis, ſed etiam a Rege ipſo Philippo II. „ ejus prudentia cognita probe fuit, atque „ probata. Quo etiam tempore Ordini anti-„ quiſſimo, cujus fuit auctor lumen Eccle-„ ſiæ maximum Auguſtinus, ad ſeveriorem „ regulam revocando conſilium, operam, „ auxilium præſtitit ſuum. Auctoritate re-„ gia ad templum celeberrimum Montiſ-„ ferrati cum eodem Epiſcopo delegatus in „ conſtituendis judiciis, in diſſidiis compo-„ nendis, in iis omnibus excitandis, quæ „ jacebant injuria temporum, impetuque „ factionum perculſa, atque proſtrata, io-„ tegerrimum ſeſe, fortiſſimum, pruden-„ tiſſimum præbuit.

„ Nullibi tamen magis, quam in ampliſ-„ ſima Urgellenſi Diœceſi virtutem proba-„ vit ſuam, qua parte præſertim Eccleſiam „ Trempenſem reſpicit, & vallem de Bar-„ rebes in Pyrenæis, quas peculiari aucto-„ ritate luſtrandas accepit. Nulla fuit mon-„ tium tam difficilis altitudo, confragoſa, „ impervia, inacceſſa, quo caritate fervi-„ dus noo aſcenderit: nulla vallis tam gelu „ horrida, tamque altis oppleta nivibus, „ quam, ut ſolatio eſſet incolis, eorum-„ que mores emendaret in melius, non pe-„ netraverit: nullus populus tam agreſtis, „ ac barbarus, cui vitæ fructus non com-„ municaverit maximos. Quum Sacerdo-„ tes inveniſſet ſacrarum rerum ignorantia, „ erroribuſque teterrimis obcæcatos, ava-„ ros, liberos, voluptatibus deditos, ut ad „ ſanam doctrinam reverterentur, oppor-„ tune providit: avaritiam increpavit: ar-

,, guit libertatem: vitam ad Evangelii re-
,, gulam emeodavit. Sæpe illi mors inten-
,, tata; ſed ea virum ſortem terrere non
,, potuit. Quin imo prudentia ſua, ſuaque
,, moderatione illud obtinuit, ut eorum
,, ipſorum, quibus odio erat, animis im-
,, mutatis, cum poſtea venerarentur, tam-
,, quam Angelum ad ſui ſalutem divinitus
,, delegatum.

,, Ab Urgellenſi Diœceſi Barcinonem ire
,, jubetur, illuc ab Epiſcopo miſſus Regia
,, auctoritate. Ob raptum nobiliſſimæ vir-
,, ginis inteſtinis undique ſeditionibus præ-
,, clariſſima ea urbs in duas factiones diviſa
,, agitabatur. Nibil erat propius, quam ut
,, aciebus utrinque inſtructis, ſeditioſorum
,, turbis huc illuc torrentis more ruentibus,
,, paratiſque ſacere in ſolo ſuo, quod vix
,, ſacerent in boſtili, ſtrages civium borri-
,, bilis ederetur. Josephus media byeme
,, Barcinonem profectus tantum precibus
,, potuit apud Deum, tantum prudentia,
,, tantum conſilio valuit apud cives, ut in-
,, ſtar novi ſyderis omnia repente ſplendo-
,, re ſuo compleverit, ſeditione in con-
,, cordiam nullis tacendam ſæculis immu-
,, tata. Sed quod magis mirandum, dum
,, omnia feſtivo plauſu circumſonant, dum
,, Josephi amplexus expetit tanto liberata
,, periculo tota civitas: dum bonores, quos
,, poteſt, maximos parat, Josephus Cbriſti
,, exemplum ſequutus, quibus ſalutem de-
,, dit, ab oculis ſe omnium quam citiſſime
,, ſurripit Urgellam rediens. Sed quum
,, tanti magnitudo ſacinoris ubique, præ-
,, ſertim in Aula Regia omnium ſermonibus
,, celebraretur, eſſentque quamplurimi,
,, qui peramplam dignitatem a Rege brevi
,, non deſuturam illi gratularentur, ut om-
,, nem illi aditum intercluderet, Romam
,, cogitavit; eo libentius, quod interna
,, quadam voce divinitus, ut Romam per-
,, geret, frequenter admonebatur. Itaque
,, ſacultate ab Urgellitano Epiſcopo ægerri-
,, me, & extorta potius, quam impetrata:
,, iis, quæ ad patriam hæreditatem perti-
,, nerent, brevi compoſitis: multis perpe-
,, tuo ſtatutis ad pauperum utilitatem pro-
,, ventibus, ſeſe viæ commiſit, Romam-
,, que ſauſto venit itinere anno 1592., quum
,, annum ætatis ſuæ ſecundum ageret ſupra
,, trigeſimum.

,, Romam ingreſſum noo amœnitas ad de-
,, lectationem, non majeſtas ad volupta-
,, tem, non nobilitas ad conſuetudines in-
,, vitarunt, ſed ad limina Apoſtolorum fides,
,, ad ſepulcra Martyrum pietas, ad templa
,, Sanctorum religio. Vitam cum Cbriſto
,, Jeſu in Deo abſconditam ducere medita-
,, batur in jejuniis, in vigiliis obſecrans
,, nocte ac die. Sed tantus vir in Urbe tan-
,, ta deliteſcere minime potuit. Ejus ad-
,, ventu Marco Antonio Columnenſi Cardi-
,, nali vere ampliſſimo Urgellitani Epiſcopi
,, litteris maniſeſtato, ejuſdem juſſu diu quæ-
,, ſitus, taodem inventus ad eum invitus
,, adducitur, & excipitur perbenigne. No-
,, verat ſiquidem, Calasanctium homi-
,, nem eſſe, cui, ſi doctrinam requireret,
,, non bene multos, ſi integritatem, pa-
,, rem fortaſſe neminem inveniret. Hunc
,, igitur multa fruſtra excuſantem proximam,
,, quam diu incoluit S. Carolus Borromæus,
,, domus ſuæ partem habere jubet: Theo-
,, logum, ſive Auditorem, ut dicunt, ſuum
,, declarat: eique Pbilippum pronepotem
,, optimæ ſpei adoleſcentulum informandum
,, committit ad ſtudia pietatis. Cardinalis
,, expectationi Josephus ſic ſatisfecit, ut,
,, eo defuncto, Cardinalis Aſcanius ex ea-
,, dem ſamilia nepos, qui Josephum nove-
,, rat in Hiſpaniis, in eodem munere con-
,, firmatum voluerit.

,, Sed Josephi caritas unius domus, licet
,, omnium, quæ Romæ ſunt, facile ampliſſi-
,, mæ, anguſtiis circumſcribi non valuit. Hinc
,, illuſtri illi nobilium virorum ſodalitati in
,, SS. Apoſtolorum adſcribi voluit, quæ in
,, inviſendis ægrotis, ſublevandiſque aſſidue
,, eſt occupata, maximeque ſollicita: item
,, alteri, cujus omne ſtudium io populo de re-
,, bus fidei ſalutariter edocendo inſtituto vere
,, Apoſtolico diligenter impenditur, accura-
,, teque: paulo poſt tertiæ, quæ ob egregiam
,, in peregrinos pietatem nomen habet ſplen-
,, doris majeſtatiſque pleniſſimum ab augu-
,, ſtiſſi-

,, ſtiſſima Trinitate deſumptum: quartæ etiam,
,, quam ſtigmata S. Franciſci glorioſam fa-
,, ciunt, ejus autem imitatio multo glorio-
,, ſiorem: tandem quintæ, quam a ſuffragio
,, denominamus, quæ ſcilicet in liberandis
,, a purgatoriis ignibus animabus miſericor-
,, diam, pietatem, operam omnem exercet
,, ſuam. In harum legibus, inſtitutiſque
,, non perfunctorie, ſed accurate implendis
,, quum ipſe per ſe eſſet diligentiſſimus, tum
,, ſingulos in iis fratres, etſi ſua ſponte jam
,, ſatis incitatos ad caritatis officia, tam miri-
,, fice accendebat morum innocentia, vitæ
,, integritate, pietatis ardore, ut eum tunc
,, omnes venerarentur, nunc vero non tam-
,, quam fratrem, ſed parentem veluti aman-
,, tiſſimum exquiſitiſſimis ad cœlum laudibus
,, efferant. Itaque omnium primus com-
,, munibus precibus intereſſe: una cum
,, fratribus ſe flagellis duriter cædere: po-
,, pularium moribus emendandis ſedulo in-
,, cumbere: ruſticos homines in Eccleſiis,
,, in plateis, ubicumque liceret, ſacris my-
,, ſteriis inſtruere, & ad cœleſtia concupi-
,, ſcenda mirabiliter inflammare: peregrinos,
,, & advenas in hanc Urbem ex omnibus mun-
,, di partibus confluentes benigniſſime exci-
,, pere, pedes abluere, menſæ inſervire:
,, ægrotos quotidie ſive in privatis domibus,
,, ſive in xenodochiis inviſere, conſolari, ju-
,, vare: pauperes, qui præcipue mendicare
,, erubeſcerent, diligenter inquirere, ma-
,, gniſque largitionibus ſublevare, captivis in
,, carceribus præſto eſſe, eorumque impro-
,, bos mores, vitamque vitiis, & flagitiis per-
,, ditam ad bonam frugem mirifice revoca-
,, re: nullum denique officium, nullam vitæ
,, exercitationem omittere, quam cum pro-
,, ximorum utilitate conjunctam eſſe cogno-
,, ſceret. Lue Romæ in populares ſæviente,
,, eo uſque progreſſa eſt ejus caritas, ut ſibi
,, ſatisfacere non videretur, ſi aſſiduus eſſet
,, in xenodochiis, ſi pauperum domos excur-
,, reret, ſi ægros inviſeret, & recrearet, ſi mo-
,, rientibus aſſideret, ſi pro languentium ſub-
,, ſidio ſe abiiceret divitibus ſupplicem, om-
,, nibus ſe præberet conſolatorem: niſi etiam
,, Sancto Camillo ſeſe adjungeret comitem,
,, & jumentum medicinis, & alimentis onu-
,, ſtum ad reficiendos ægros vir talis, ac tan-
,, tus per Urbem ageret, & per feneſtras, ſi
,, aliter nequiret, in domos intraret, futu-
,, rus aut ſubſidio morientibus, aut extrema
,, mortuis officia paraturus: Tiberi vero in-
,, ſolita aquarum magnitudine ſupra ripas ſe
,, efferente, ipſa etiam cadavera ex aquarum
,, impetu rapta ſuis ipſe humeris tumulanda
,, transferret.

,, Sed hæc intra unius Urbis Romanæ con-
,, finia. Ut vero eſſet non Romanorum mo-
,, do, ſed etiam aliarum nationum omnium
,, ac gentium conſolator, rem excogitavit
,, apprime omnibus ſalutarem. Vidit, tunc
,, demum ſalvas futuras eſſe Reſpublicas,
,, maximamque venturam cum corporibus,
,, tum multo majorem animabus utilitatem,
,, ſi probi ſint adoleſcentes, ſi pudentes, ſi
,, præclaris ad officium, & honeſtatem exem-
,, plis, ac litteris informati: vidit ad inſinuan-
,, dam in animis pietatem nihil eſſe litteris
,, opportunius: vidit denique ſuorum tem-
,, porum adoleſcentes infimæ præſertim ple-
,, bis ſic incultos, ſic otio deditos, ſibi ſic de-
,, relictos, ut nunquam fortaſſe magis imple-
,, tum viſum fuerit illud Prophetæ oraculum:
,, *Parvuli petierunt panem, nec panem*
,, *qui eis frangeret, inveniebatur*. Tactus
,, dolore cordis intrinſecus ingemuit, decre-
,, vitque, caritate, qua incenſus erat, ur-
,, gente, huic malo maxime omnium tetro,
,, periculoſoque, quantum in ſe eſſet, op-
,, portune conſulere. In hanc igitur rem
,, multa tentavit, multa molitus eſt. Sæpe
,, ſupplex confugit ad Deum: ſæpe Senatum
,, Romanum: ſæpe viros graviſſimos, ut hanc
,, provinciam ſuſciperent, obſecravit. Sed
,, hæc dum agit, & quidem fruſtra, Deum
,, audit ſibi in corde loquentem, admonen-
,, temque, ſibi non aliis eſſe pauperem dere-
,, lictum: adjutorem orphano ſe deſtinatum.
,, Factus de voluntate Dei certior, nihil mo-
,, ratus ad opus illico feſtinavit. Columnen-
,, ſi domo valere juſſa ſcholas aperit: magi-
,, ſtros, qui eadem caritate ſuccenſi ſecum
,, in idem opus incumbant, inquirit, & in-
,, venit: ab iis non multo poſt derelictus,
alios

,, alios impenſis conducit ſuis : pueros præ-
,, ſertim pauperes per Urbem colligit : cala-
,, mos , atramentum , chartam , libros , qui-
,, buſdam etiam victum ſuis ſumptibus ſubmi-
,, niſtrat: eis aſſiduam , & indeſeſſam ope-
,, ram navat : magiſtris non minus , quam
,, pueris diligenter invigilat : nullum eſt in-
,, duſtriæ genus, in qua illum non exerceat
,, puerorum inſtruendorum pietate , & litte-
,, ris ſollicitudo . Aliis præceptoribus diſci-
,, pulos paulo grandiores, & honeſtiores , ſibi
,, parvulos reſervat, & egentiſſimos: iis dele-
,, ctatur impenſe . Nec ſolum dies , ſed etiam
,, noctes ad eorum utilitatem impendit:occu-
,, patus propterea nunc in eorum ſcriptis di-
,, ligentiſsime emendandis, in calamis eorum
,, uſui diſponendis , in ſcholis , lociſque fœ-
,, diſsimis ſuis manibus everrendis , & expur-
,, gandis , ſolitus etiam eo tempore ſcribere
,, italice , quæ poſtridie a pueris latine ver-
,, tenda præceptoribus traderet . Neque hæc
,, florenti adhuc ſolum ætate , ſed a quadra-
,, geſimo primo uſque ad ſecundum ſupra no-
,, nageſimum vitæ annum in hoc ſuſcepto ſe-
,, mel graviſsimo munere indeſeſſus conſtan-
,, tiſsime perſtitit , repudiatis idcirco non ſe-
,, mel ampliſsimis dignitatibus . Quodque
,, magis mirere , nunquam omiſsis ſuſceptis
,, ab initio caritatis operibus , non ægrotis ,
,, non peregrinis , oon villicis , non carceri-
,, bus , non xenodochiis, non ſacrorum libro-
,, rum ſtatis horis conſueta lectione , non di-
,, vinorum contemplatione : imo nec inter-
,, rupta , niſi poſt aliquot annos antelucana
,, ſeptem Urbis Eccleſiarum luſtratione : &
,, quod magis eſt, tot illis calamitatibus agi-
,, tatus , quæ toto diuturniſsimæ vitæ tempo-
,, re miſerandum in modum eum exercue-
,, runt .

,, Factum hinc eſt, ut ſcholæ piæ (ſic eas
,, placuit denominare a pietate , quæ pri.
,, mus eſt earum finis) ſtatim Romæ celebra-
,, rentur , diſcipuliſque frequentiſsimæ eva-
,, derent . Accedentibus poſtea , qui JOSEPHI
,, virtute , exemploque animati ſeſe ipſi con-
,, jugerent , ſpectatiſsimæ virtutis viris non
,, modo non ſtipendiariis , ſed qui præter
,, egregiam operam patrimonia etiam pro-
,, pria in opus tam egregiæ pietatis libentes
,, proſunderent , primo Sacerdotum ſodali-
,, tas . Clemente VIII. P. M. laudante , coa-
,, luit : poſtea Clericorum ſocietas , quæ pau-
,, pertati evangelicæ , & cujuſvis ordinis ju-
,, ventuti pietate , ac litteris imbuendæ ad-
,, dicta decreto conſtituta eſt Apoſtolico , no-
,, mine Congregatio Paulina a Paulo V.P.M,
,, cujus apud Ordinem Scholarum Piarum
,, ab ipſo beneficiis maximis cumulatum vi-
,, vet immortalis gloria , & recordatio: tan-
,, dem Congregatione in varias urbes ampli-
,, ficata , dato per Gregorium XV.P.M. pe-
,, culiari diplomate , Religioſus conſtitutus
,, eſt Ordo , qui propter ſummam utilitatem
,, ab omnibus ſtudioſiſsime concupitus quam-
,, plurimas Europæ regiones brevi pervaſit .

,, Quot vero inter hæc JOSEPHO ſubſtinen-
,, di labores ſuerint , quot calamitates de-
,, vorandæ , quot adverſa ferenda , quot vin-
,, cendæ excitatæ per dæmonem tempeſta-
,, tes , nemo facile expreſſerit . Tot eæ fue-
,, runt , ac tam ſurioſæ , ut non facile inve-
,, nias , contra quem , aut tot , aut pares ,
,, aut tales , aut tantæ . Sed nec facile occur-
,, ret , qui in tot , talibus , tantiſque procel-
,, lis tam invicto uſus ſit animi robore. Quare
,, merito a Benedicto XIV. dictum accepi-
,, mus , CALASANCTIUM non quidem cum
,, Jobo æterno tolerantiæ miraculo compa-
,, randum , ſed alterum ætatis ſuæ Jobum pa-
,, tientiſſimum jure optimo nuncupandum .
,, Quoniam ſingula , quæ contra JOSEPHUM
,, dicta , quæ tentata, quæ facta ſunt per ſum-
,, mam quorumdam hominum impudentiam
,, domi , foriſque graviſſima , indigniſſima ,
,, inſanda a primo Congregationis initio bre-
,, vi compendio complecti non licet omnia ,
,, illud hic ſufficiat innuere , Inſtituti Scho-
,, larum Piarum auctorem ſanctiſsimum in
,, ultima tandem ſenectute flagitioſiſsime ca-
,, lumniis oppreſſum , deſertum , perditum
,, fuiſſe inter cæteros etiam ab eo , qui Ju-
,, dam imitatus maluit hoſtis , & proditoris
,, perſonam ſuſtinere , quam filii : ab eodem
,, verbis , factiſque contumelioſiſsime con-
,, culcatum per vulgi , per nobilitatis per
,, Magiſtratuum ora fuiſſe traductum : ejuſ-
,, dem

Digitized by Google

,, dem fraude, atque malignitate apud ſan-
,, ctiſsimos, ſeveriſsimoſque judices de ini-
,, quitate, de ſcelere accuſatum ad ſqualo-
,, rem carceris ſumma cum ignominia dam-
,, natum, & magna ſatellitum multitudine
,, ſtipatum, tota ſpectante Roma perductum:
,, per vim denique, & ſummam injuriam
,, omnibus dignitatis inſignibus, omni rerum
,, procuratione, omni auctoritate ſpoliatum.
,, Nec ſatis. Eo proceſsit cum externorum,
,, tum domeſticorum quorumdam hoſtium
,, odium inexpiabile, ſceleſtiſsimi præſer-
,, tim illius Semei diabolicus plane furor, ut
,, nunquam quieſcere, aut libere reſpirare
,, potuerint, donec Ordinem, non quidem
,, everſum penitus proſtratumque, quod in
,, votis habebant, ſed omni parte labantem,
,, ac pene perditum aſpexerunt, legeſque
,, ſanctiſsimas Josepho auctore ſancitas, ir-
,, ritas, inſectaſque viderunt, ut jam inte-
,, grum eſſet omnibus redire in priſtinum,
,, & a ſuſcepto vitæ inſtituto impune diſce-
,, dere. Eum igitur Ordinem, quem Jose-
,, phus ſuis ipſe auſpiciis, ac laboribus inſti-
,, tuerat: cui leges, cui jura, cui collegia,
,, domoſque dederat: pro cujus propagatio-
,, ne multa, & aſpera itinera, diuturnas ini-
,, micorum injurias, indigniſsima famæ, ca-
,, pitiſque pericula, vigilias, curas, ſollici-
,, tudines innumerabiles, ac infinitas liben-
,, tiſsime ſuſtinuerat: quem triginta & pluri-
,, bus annis ſapientiſsime adminiſtraverat:
,, hunc inquam Ordinem in ſeptem Provin-
,, cias tam feliciter jam propagatum videre
,, coactus fuit, quoad vixit (vixit autem diu)
,, vulneribus profundiſsimis undequaque con-
,, foſſum, lacerum, & membris in dies ex
,, vitiato veluti corpore decidentibus, ita exa-
,, nimem, ut nulla, vel perexigua vitæ ſpes
,, ſupereſſet, niſi in eo Dei, & Beatiſsimæ
,, Virginis numine collocata, quod potens
,, eſt mortuos ab inferis revocare.

,, Tot vero, tantæque calamitates, qui-
,, bus in Ordinis Fundatore graviores, &
,, acerbiores dari non poſſunt, non ſolum
,, de conſtantiæ gradu Josephum dejicere
,, minime potuerunt, ſed nec perturbare,
,, nec commovere. Eo ipſo tempore, quo
,, ejus hoſtes contumelioſiſſime eum habe-
,, bant, quo impudentiæ, & temeritati
,, plaudebant ſuæ, quo exultabant, & læ-
,, titiæ, ſeu potius furoris impotentes de-
,, bacabantur, quo ſenem delirum, & in-
,, fantiſſimum appellabant, quo mendacii,
,, fraudis, ſuperbiæ, improbitatis argue-
,, bant, nihil unquam reſpondit non man-
,, ſuete, non leniter, non moderate. Nun-
,, quam eos coercendos curavit, quod ei
,, facillimum fuiſſet, virorum principum
,, auctoritate, qui ſuam illi operam exhi-
,, bebant, nunquam pro eis ad Deum pre-
,, ces fundere, quod Chriſtianorum eſt om-
,, nium, deſiit: ſed eos ex intimo ſenſu,
,, totoque ex animo, quod perfectorum eſt,
,, adamavit: percuſſis a Deo & humiliatis
,, pacem imploravit, & veniam: ſupplex
,, morientes adiit: mortuis lacrymavit.

,, Deus tamen totius conſolationis, qui
,, ſervos ſuos ſalvos facit ſperantes in ſe,
,, eoſque conſolatur in omni eorum tribu-
,, latione, cœleſtia interea Josepho gaudia
,, communicabat. Pueris quondam in ſacel-
,, lo precantibus videndam ſe palam dedit
,, Virgo Sanctiſſima cum puero Jeſu, qui
,, elata illis manu dignatus eſt benedicere,
,, plaudentibus interea, & quamdam roris
,, ſpeciem ſuper pueros fundentibus Ange-
,, lis. Quod quantam Josepho attulerit vo-
,, luptatem, explicari non poteſt. Jose-
,, phi frontem cœleſti ſæpe luce radiantem,
,, quum puerorum precibus ſuas adjunge-
,, ret: totum corpus inter divina Myſteria
,, divino lumine circumfuſum, & ſuſpen-
,, ſum aere mirabiliter: ejus cubiculum
,, radiis cœleſtibus illuſtratum, quum ipſe
,, interea præſentia, colloquioque Beatiſſi-
,, mæ Virginis, aliorumque Cœlitum frue-
,, retur, viderunt multi. Filiis ſuis, aliiſ-
,, que ſæpe periclitantibus in remotis lon-
,, ge regionibus, ejuſque abſentis opem im-
,, plorantibus voce, conſilio, opera præſto
,, fuit. Quæ Prophetæ ſunt propria, Jose-
,, pho fuiſſe a Deo communicata, futuro-
,, rum exitus comprobavit. Morituris vi-
,, tam, bene valentibus mortem, viris vir-
,, tute præclaris dignitates, purpuram,
,, ſum-

Digitized by Google

„ ſummum Pontificatum ; improbis pœnam,
„ & quidem peculiarem, atque determinatam,
„ exitu oraculum comprobante, prædixit.
„ Multorum arcana, & intimas cordis la-
„ tebras oculis ejus apertas fuiſſe, explica-
„ taſque, ipſimet confiteri debuerunt. Sæ-
„ pe in remotis longe Provinciis ſiquid ejus
„ filii deliquiſſent, aut litteras ad eum da-
„ rent, vel reſponſum, vel reprehenſionem
„ ab eo ipſo momento temporis acceperunt.
„ Imperium ſupra morbos, ſupra dæmones,
„ ſupra mortem ipſam, Domino conferen-
„ te, JOSEPHUS exercuit. Quocumque aut
„ invitatus adiret, aut ultro, manus ſupra
„ ægros vix imponebat, repente miranti-
„ bus medicis convaleſcebant. Quantum
„ JOSEPHI potentiam metuerent, quantum
„ præſentiam fugerent immundi ſpiritus,
„ ipſimet diris, & execrandis in illum vo-
„ cibus prædicaverunt. Mortem ipſam
„ triumphantem jam, & exultantem vicit,
„ non hominibus modo revocatis ad vitam,
„ ſed etiam beſtiis.

„ Sed illud tandem advenit tempus a JO-
„ SEPHO multo ante præſcitum, ac prænun-
„ ciatum, quo tanti, ac tam diuturni labo-
„ ris mercedem eidem Dominus redderet.
„ Quum igitur incidiſſet in morbum, quem
„ celebriores in Urbe medici minime gra-
„ vem, ipſe vero poſtremum dixit, etſi vi-
„ tam ita ſemper duxiſſet ſuam, ut, qua
„ hora veniret Dominus, eum exciperet pa-
„ ratiſſimus, tunc tamen totus in eo fuit,
„ ut vigilantiſſimus inveniretur. Univerſum
„ temporis ſpatium, quo morbi vis cum
„ exercuit, precibus, cœleſtium contem-
„ platione, Dominicæ præſertim Paſſionis
„ pia meditatione, exercendiſque humili-
„ tatis, patientiæ, caritatis actibus tradu-
„ ctum eſt. Nullus ferme dies abiit, quo ho-
„ ſtiæ ſalutaris deſiderium, quo ſummopere
„ tenebatur, in lectulo ardentiſſime non ex-
„ pleverit, & adſtantium pietatem accen-
„ derit miris modis. Morbo in dies inva-
„ leſcente eum urgebant acerrimi doloris
„ morſus, ut nullam partem aut diei le-
„ varet quies, aut noctis ſalleret. Sed lon-
„ ga illa malorum patientia, quæ jamdiu
„ percalluerat, tunc tanta enituit, quanta
„ fere incredibilis haberetur, niſi illius pro-
„ pria extitiſſet, qui in tota vitæ perpetui-
„ tate ſibi conſtans ſupra ætatem, ſupra na-
„ turam inventus eſt.

„ Dolorum etiam acerbitatem, & ma-
„ gnitudinem, unde corpus opprimebatur,
„ cœleſtia gaudia minuerunt. Cœleſtes enim,
„ frequenteſque viſiones, quibus & Virgo
„ Sanctiſſima, & plures eum Cœlites recrea-
„ verunt, adeo ſemper caute occultare non
„ potuit, ut quarumdam certior non fieret
„ operarius, qui in continenti cubiculo ver-
„ ſabatur : aliquarum teſtes non eſſent cum
„ domeſticis etiam externi, qui ad cubicu-
„ lum vigilantes ex eo non prorſus clauſo
„ mirati ſunt radios divinæ lucis, qua to-
„ tum undique domicilium circumfulgebat :
„ quaſdam ipſemet debuit maniſeſtare. In-
„ ter eas una omnium jucundiſſima illa eſſe
„ debuit, quam Conſtantino Palamolla ex
„ Ordine Barnabitarum, ut ſecum Deo
„ gratias ageret, neceſſitudinis cauſſa com-
„ municavit. Solus cum Deo in cœleſtium
„ contemplatione poſt percepta divina My-
„ ſteria verſabatur, quum ſe illi videndam
„ obtulit Angelorum Regina, unaque in
„ ejus conſpectum dedit, quotquot obierant,
„ ſupra ducentos, & quinquaginta, ejus fi-
„ lios, uno detracto, quorum alii, ut ipſe-
„ met poſtea cum Palamolla interpretatus
„ eſt, tamquam in tuto poſiti tranquilli ſta-
„ bant, alii jam regni compotes cum Do-
„ mina Beatiſſima Beati ſedebant, eminen-
„ te inter hos ſanctiſſimo juvene Glycerio
„ Landriano. Ope morituro promiſſa, per-
„ ſuſum divina gaudii voluptate Virgo reli-
„ quit : filii, ut Patrem diutius conſolaren-
„ tur, diutius perſeverarunt. Excepit hanc
„ alia non plane diſſimilis viſio. Deiparens
„ ſe illi præſentem dedit ſub ea effigie, quæ
„ Romæ ad montes colitur in æde ejuſdem
„ Virginis. Quum geſtaret in ſinu filium,
„ ipſe, ea rogante, fauſta ſpoſpondit omnia
„ ſalutari ſigno crucis, & quoniam JOSEPHUS
„ de inſtituto a ſe Ordine laborabat, beni-
„ gniſſima Parens auctoritatem promiſit,
„ patrociniumque interpoſituram ſe ſuum,

„ ut, qui proſtratus jacebat Ordo, feliciſ-
„ ſime reſloreſceret. A modeſtiæ poſtea le-
„ gibus cenſuit non abhorrere optimus pa-
„ ter, viſionem hanc filiis communicare,
„ ut in propoſito ſtabiles, & paratos ad for-
„ tia poſt ſe relinqueret.

„ Sacramentali Viatico communitum,
„ quum gemebundi, nixique genibus ora-
„ rent filii, ne ſe cæteroſque, qui procul
„ aberant, inſalutatos Crucis ſigno relin-
„ queret, ſed pro paterna in omnes bene-
„ volentia tam difficili præſertim tempore
„ omnibus benediceret, id ægerrime, nec
„ niſi repetitis gemitibus ab ejus ſumma
„ animi demiſſione impetrare potuerunt.
„ Extremo interea urgente vitæ die, miſ-
„ ſis duobus filiis ad Vaticanum, ut Petri
„ ſtatuam venerati ſuo nomine darent oſcu-
„ lum pedibus, fidemque Catholicam, in qua
„ vixerat, & mori optabat, ad Apoſtolo-
„ rum Sepulcrum profiterentur: duobus
„ aliis, qui pœnæ, & culparum liberatio-
„ nem impetrarent a Chriſti Vicario, ſacro
„ perunctus oleo, alternis, ut petierat, ex
„ Evangelio Chriſti tormenta percurrenti-
„ bus filiis, & preces recitantibus, quibus
„ auctori ſuo decedentium animæ commen-
„ dantur, hora, quam indicaverat, oculis
„ prius converſis ad ſuos, eiſque erecta pau-
„ lulum dextera bene precatus; tum vultu
„ in Cœlum defixo, Chriſtum pendentem e
„ Cruce noviſſime exoſculatus, ter repeti-
„ to Jeſu nomine, ſui compos, ſenſibus be-
„ ne valentibus, placidus, tranquillus ſpi-
„ ritum exhalavit.

„ Statim ac ille obiit, illud primum mi-
„ rabile contigit, quod filiorum animos, quos
„ hactenus ex patris vicino interitu ſummus
„ anxerat dolor, occupavit repente talis,
„ ac tanta lætitia, ut non geſtire non poſ-
„ ſent, & quodam quaſi æſtro correpti in-
„ ter ſeſe complecterentur, & intimam
„ voluptatem ore, oculis, vocibus indi-
„ carent: tum illud, quod ex ore demor-
„ tui emicabat peculiaris quædam majeſtas
„ cum ſplendore conjuncta, quæ intuentium
„ oculos rapiebat: ex toto autem corpore
„ odor manabat plane cœleſtis: tum &
„ aliud ſingulare, quod, quum ſublata eſſet
„ corporis abluendi cauſſa ſubucula, ſtatim
„ eas partes, quas modeſtia videri vetat,
„ per ſeſe ipſa, nullo movente, dextera ob-
„ texit: & hac loco mota, admirabiliter
„ ejus manus, nullo pariter eam tractante,
„ obivit læva, eaque immota perſtitit in
„ officio, donec reſtituta ſunt femoralia.

„ Poſtridie quum deferretur in templum
„ Sancti Pantaleonis corpus, admirationem
„ omnium excitavit quadriennis puer, qui
„ forte tunc pene unus aderat. Ut enim
„ primum apparuit feretrum cum venerabi-
„ li pondere, alta voce protinus exclama-
„ vit: *En Sanctus: Sanctus advenit: Ecce*
„ *Sanctus*: ex ore infantium SANCTI VIRI lau-
„ dem Domino perficiente. Tantus ſtatim
„ ad feretrum concurſus hominum factus eſt,
„ ut Roma ſuis pene convulſa ſedibus vide-
„ retur. Miracula vero tot, ac talia patra-
„ ta ſunt, ut, quum nunciata fuiſſent Sum-
„ mo Pontifici a Præſule Camillo de Maxi-
„ mis, qui ex odeo eorum ſpectator fuerat
„ religioſus, & diligens, denunciatum fue-
„ rit Patribus cum ejus, tum Cardinalis Gi-
„ netti in Urbe Vicarii nomine, ut accura-
„ te deſcriberentur, graviſſimum poſtea Ec-
„ cleſiæ ſubitura judicium.

„ Neque tunc ſolum, ſed ſemper impo-
„ ſterum crebris JOSEPHUM Deus miraculis
„ illuſtravit. Quo factum eſt, ut creſcente
„ in dies ejus virtutum, & portentorum
„ fama, creſcente populorum erga JOSE-
„ PHUM veneratione ex inſignibus benefi-
„ ciis, quæ iis a Deo JOSEPHI meritis con-
„ ferebantur, indultum facile fuerit, ut de
„ heroicis ejuſdem virtutibus agi poſſet. In-
„ quiſitum igitur eſt conſuetis ritibus in
„ ejus virtutes Cardinalis primum in Urbe
„ Vicarii, poſtea Apoſtolica auctoritate.
„ Inſtitutis deinde apud Patres ampliſſimos
„ de more quæſtionibus, examen eæ rigi-
„ diſſimum ſubierunt. Eoque peracto, quum
„ ii una cum Eminentiſſimis Sac. Rituum
„ Congregationis Cardinalibus vere heroicas
„ fuiſſe coram Summo Pontifice concordi
„ ſenſu cenſuiſſent, Benedictus XIII. P.M.
„ eorum judicium decreto infallibili con-

„ ſirmavit die octava Septembris anni 1728.
„ Virtutum judicium judicium miraculo-
„ rum excepit, in quæ per tres Epiſcopos
„ juſſu Summi Pontificis rite valideque fue-
„ rat conſuetis ritibus inquiſitum. Habitis
„ itaque de more quæſtionibus, & Patrum,
„ quorum intereſt, auditis tertio ſententiis,
„ latum ab iis pro duorum miraculorum
„ veritate judicium Benedictus XIV. P.M.
„ poſt effuſas ad Deum plurimas preces,
„ divina, quam a Deo acceperat, aucto-
„ ritate ratum habuit, approbavitque die
„ Maii decima anni 1748.

„ Primum miraculum impetrare meruit
„ Margarita Tanteri virgo Florentina, quam
„ decenni, enormique aneuriſmate ad ex-
„ trema redactam poſt imploratam Josephi
„ opem Deus continuo ſanitati, viribuſque
„ reſtituit. Secundum Chriſtina Ceccheri-
„ ni Florentina pariter virgo monialis ex
„ iis, quæ Capoccinæ dicuntur, quam mor-
„ borum inſanabilium complexione a ſepten-
„ nio cruciatam, immobilem, & concla-
„ matam Deus, Josepho intercedente, mo-
„ mento ſanitate donavit, & viribus. Quum
„ igitur nullum amplius foret dubium nec
„ de virtutibus, nec de miraculis: nec am-
„ bigeodi locus eſſet, ut idem Summus Pon-
„ tifex declaravit, quin tuto inter Beatos
„ adſcribi poſſet, die tandem ſeptima men-
„ ſis Auguſti anni ejuſdem, Apoſtolico da-
„ to diplomate, Beatorum faſtis inſeruit.

„ Josepho inter Beatos adſcripto, quum
„ novis in dies miraculis ſignificaret, di-
„ gnum plane eſſe, quem Sancta Romana
„ Eccleſia juberet ſuperius aſcendere, agi
„ cœptum eſt de iis honoribus, qui Sancto-
„ rum ſunt, Josepho tribuendis. Inquiſi-
„ tum igitur eſt Summi Pontificis auctorita-
„ te in ea miracula recentiſſima, quæ Jo-
„ sepho intercedente, dicebantur a Deo
„ ſuiſſe patrata. Iis autem omnibus, ſingu-
„ liſque rite ſervatis, quæ ex laudabili in-
„ ſtituto ſervari jubet Eccleſia Romana, duo
„ inter plura Reverendiſſimis Patribus, &
„ Eminentiſſimis Sac. Rituum Congregatio-
„ nis Cardinalibus viſa ſunt, nonniſi divi-
„ na uoa virtute fieri potuiſſe.

„ Primum illud eſt, quod impetravit So-
„ ror Maria Conſtantia Caminati Genuenſis
„ virgo monialis in monaſterio Ordinis San-
„ ctæ Claræ extra civitatem Tuderti. Me-
„ dicorum judicio hæc fuerat conclamata:
„ quippe quæ phtyſi in tertio gradu labo-
„ rare diceretur. Prima morbi ſemina con-
„ traxerat ex parentibus eo morbo infectis:
„ contracta poſtea ſemina altas radices ege-
„ rant ex imprudenti communicatione cum
„ fratribus, atque ſororibus, qui, phtyſi in
„ maraſmum converſa, juvenes obierunt.
„ Non enim ſolum cum iis familiariſſime
„ ſemper vixit, ſed quum undecimum an-
„ num ageret, uni ex iis longo decem, &
„ ſeptem menſium ſpatio, quo decubuit,
„ aſſiduam ſuam operam præſtitit ex pecu-
„ liari, quo illum proſequebatur, amore.
„ Quin etiam poſtea illud ipſum cubiculum,
„ in quo ille obierat, ad plures annos inco-
„ luit. His adceſſere conſcientiæ ſcrupuli
„ inanes, & vani, quibus agitata ſic fuit,
„ ut ioquietum ſemper ſpiritum duceret.
„ Quum tamen invaleſcentem in dies mor-
„ bum extrinſeca vultus hilaritate celaret,
„ nullam medicorum curam admiſit. Anno
„ tamen 1741., quum jam eſſet in Tuder-
„ tino monaſterio monialis, morbus erupit
„ cum tali, tantaque violentia, & tam pra-
„ vorum ſymptomatum comitatu, ut de-
„ cumbere, & medicorum curæ ſe trade-
„ re omnino debuerit. Ex eo anno ad an-
„ num uſque 1752. nunquam eam per annos
„ undecim reliquit febris, nunquam capi-
„ tis dolor, nunquam ciborum faſtidium,
„ ardor conſumens in ſtomacho, anguſtia
„ pectoris, tumor in corpore, arida, &
„ ſicca tuſſis cum ſaoguineis excretionibus,
„ aliaque prava ſymptomata, quæ ad po-
„ ſtremum repentinæ ſanationis momentum
„ pertioaciſſime perſeveraverunt.

„ Præterea anno 1744. manifeſtus appa-
„ ruit in jecore virginis prægrandis ſcir-
„ rhus, qui prius latebat, cujus argumen-
„ tum certiſſimum erat viſibilis, & extrin-
„ ſecus late patens tumor cum extrema du-
„ ritie. Ab eo tempore infirmam omnes
„ nec pauci medici conclamarunt. Et re-

„ vera

„ vera non ſolum is omnem ſemper reſpuit
„ curam, & omnes eorum conatus eluſit, ſed
„ majorem ſemper pravitatem acquirens,
„ magis magiſque horrendum in modum ſæ-
„ viit in infirmam. Quot enim ab eo tam-
„ quam a primo principio varia morborum
„ genera, eaque omnia letalia, quot pra-
„ viſſimæ conditionis ſymptomata nata fue-
„ rint, longum eſt enarrare. Obſeratis a
„ ſcirrho, aliiſque tumoribus viis, quibus
„ fit apta digeſtio, quum neque cibum re-
„ tinere poſſet in ſtomacho, neque conco-
„ quere: quum neque ſanguis poſſet li-
„ bere fluere, neque reſpirandi facultas eſ-
„ ſet, niſi cum maxima difficultate, eo de-
„ venerat, ut, viribus omnibus in tanta tot
„ morborum diuturnitate, & vehementia
„ deperditis, corpore toto ſumma, &
„ extrema macie conſumpto, nil aliud de
„ ſe repræſentaret, ſi teſtibus credimus,
„ niſi oſſium congeriem ſumma pelle ob-
„ ductorum, verique exſiccati cadaveris
„ ſpeciem. Sacramentis omnibus ſæpe
„ munita, tamquam quæ crederetur brevi
„ certiſſime moritura, in hoc tam deplora-
„ bili ſtatu reperiebatur anno 1752. ineun-
„ te, omni auxilii humani ſpe deſtituta mor-
„ tem expectans proximam. Sed opem,
„ quam a natura habere non poterat, de
„ Cælo imploratus Josephus attulit. Ea
„ enim ipſa die 15. Januarii anni 1752., qua
„ ad impetrandum ejus auxilium novendia-
„ les in lectulo peregerat breves preces,
„ hora noctis quarta, quum acerbius ſævi-
„ rent morbi, nihilque expectaretur cer-
„ tius, quam ut ſpiritum exhalaret, inſpe-
„ rato placidiſſimo ſomno corripitur ægra,
„ nec jam amplius ægra monialis: eoque
„ per noctem totam ſine ulla moleſtia (quod
„ nunquam evenerat a tot annis) producto,
„ mane reperitur cum incredibili omnium
„ admiratione in ſtatu optimæ valetudinis,
„ non ſolum nullo morborum veſtigio, ſed
„ recuperatis eum egregio colore viribus in-
„ tegris, & quod magis eſt, ea carne, quam
„ nunquam fortaſſe tantam habuerat. Ne-
„ que unquam impoſterum aut ullum præ-
„ teritorum morborum ſenſit incommodum,
„ aut ab ea, quam ſemel per miraculum re-
„ cuperavit, valetudine decidit.

„ Secundum miraculum obtinere meruit
„ Vincentia Buada Valentina puella. Dum
„ hanc, quum trium, vel quatuor eſſet an-
„ norum, quidam per jocum in altum im-
„ prudenter projiceret, reciperetque per
„ aerem, contigit, ut toto in terram cor-
„ pore ore ſupino decideret ictu tali, ut
„ aliquot medullæ ſpinalis vertebræ luxaren-
„ tur. Omnia adhibita ſunt, quæ adhiberi
„ potuerunt medicamenta ad luxationem
„ conſolidandam, ſed tantum abſuit ut ſa-
„ nari potuerit, ut imo plures & maximi
„ inde exorti ſint morbi, qui in infelicem
„ puellam miſerandum in modum pluribus
„ annis ſævierunt. Inter cæteros vera fuit,
„ & perfecta paralyſis in cruribus cum atro-
„ phia, ſaltem ut videbatur. Quum enim
„ ex luxatione medullæ ſpinalis ſuccus nu-
„ tritius in eas partes non poſſet, ſicut an-
„ tea libere fluere, factum eſt, ut & motus,
„ & ſenſus paullatim imminueretur, donec
„ interclulis penitus viis, per quas antea
„ permeabat uterque omnino deperdere-
„ tur. Eo igitur calamitatis infelix puella
„ devenerat, ut neque etiam leviſſime mo-
„ vere pedes poſſet, neque ullam ſentiret
„ in cruribus doloris vim, ſi aut vulnera-
„ rentur, aut acu penetrarentur, aut in
„ ebullienti aqua collocarentur. Hine pa-
„ ralyſis in atrophiam viſa eſt degenerare.
„ Etenim motu, ſenſuque omni deperdi-
„ tis, ſuccoque, ne flueret, impedito,
„ puellæ crura ita arida, ſicca, exearnea,
„ dura, nigra evaſerant, ſoliſque obducta
„ nervis, & ſumma pelle, ut baculorum po-
„ tius, quam crurum ſpeciem intuentibus
„ repræſentarent.

„ In hoc ſtatu infeliciſſimo a pluribus an-
„ nis perſeveraverat infelix puella omni ſpe
„ deſtituta vel motus, vel ſenſus aliquando
„ recuperandi, quum inter beatos adſcri-
„ pto Josepho Calasanctio, ejuſdem Bea-
„ tificationis ſollemnia Valentiæ celebraren-
„ tur anno 1748. menſe Novembri. Ea oc-
„ caſione, quum ſpem concepiſſet, fore
„ ut ejuſdem beati meritis ab ea infirmita-

„ te liberaretur, ſi ſe illi ex animo com-
„ mendaſſet, novendiales preces peragen-
„ das hoc fine ſuſcepit. Ea ipſa, qua pre-
„ ces terminaverat, die forte contigit, ut
„ cum genitore filia conquereretur, quod,
„ cum aliis opitularetur (artem chirurgicam
„ exercebat), ſe interea omnino negligeret,
„ & nulla morbo ſuo remedia præſtaret. Fru-
„ ſtra, reſpondit genitor, pro ea ſananda
„ omnia artis remedia fuiſſe tentata: nul-
„ lam in humano auxilio ſpem amplius re-
„ manere, ſed ſolum divino. Commenda-
„ ret igitur ſe BEATO JOSEPHO CALASANCTIO,
„ & opem imploraret ab eo. Se illi com-
„ mendaviſſe ægra reſpondit, peractis ea
„ ipſa die ad hunc finem novendialibus pre-
„ cibus: quare ſibi modum ſuggereret, quo
„ ab eo ſanitatem ultimo poſtularet. Id ſta-
„ tim quum genitor præſtitiſſet, BEATI JO-
„ SEPHI auxilio prece breviſſima fide viva
„ ter implorato, in inſtanti omnis morbus
„ evanuit. Apertis ſcilicet viis, per quas
„ ſanguis ſic flueret, ut ſenſu percipere-
„ tur, & dilatatis vaſis, in quibus recipe-
„ retur, ſenſum, motum, calorem, flexi-
„ bilitatem, carnem puella momento tem-
„ poris recuperavit.

„ Duobus hiſce miraculis judicio Apoſto-
„ lico confirmatis per CLEMENTEM XIII. P.
„ O. M. die vigeſima quinta Maii anni 1766.,
„ unicum illud, quod remanere poterat du-
„ bium, eadem auctoritate ſublatum eſt.
„ Idem enim SUMMUS PONTIFEX CLEMENS
„ poſt habitum Sacrorum Rituum Congrega-
„ tionis, nemine dubitante, conſenſum,
„ infallibile judicium tulit die Octobris duo-
„ decima ejuſdem anni, JOSEPHUM CALA-
„ SANCTIUM poſt approbatas virtutes, at-
„ que miracula cum ante, tum etiam poſt-
„ quam in Beatorum numerum relatus eſt,
„ tuto Sanctorum honores conſequi tandem
„ poſſe. Itaque quum illud tempus a JOSE-
„ PHI filiis tamdiu deſideratum videatur jam
„ adveniſſe, quo ſolium teneat gloriæ ſuæ,
„ & in eo coronetur a matre ſua Romana
„ Eccleſia eo diademate honoris, quod ex-
„ preſſum ſit ſigno ſanctitatis, & ſit opus
„ fortitudinis, ut id tandem fiat, ejuſdem
„ filii Regis Catholici, & univerſæ Chriſtia-
„ næ Reipublicæ votis ſua inprimis adjun-
„ gunt.

COMPENDIUM

Vitæ, virtutum, & miraculorum, necnon
actorum in Cauſſa Canonizationis B. JO-
SEPHI A CUPERTINO Sacerdotis
profeſſi Ordinis Minorum S. Fran-
ciſci Conventualium: ex Se-
cretaria Congregationis
Sacrorum Rituum.

„ SEculo reparatæ per Chriſtum ſalutis
„ decimo ſeptimo ineunte Cupertini,
„ quod eſt in Salentinis oppidum Nerito-
„ nenſis Diœceſis, lucem adſpexit JOSEPHUS,
„ humilibus ſimul, piiſque parentibus ortus.
„ Gravidæ matri ſupervenientes ex repen-
„ tino metu partus dolores in cauſſa fuere,
„ cur illum in ſtabulo eniteretur, ſic con-
„ ſimilem futurum Franciſco Aſſiſiati. Su-
„ pernis Divini Spiritus favoribus extemplo
„ præventus, illuſtria præbuit futuræ ſancti-
„ tatis indicia. Inſtitutus quippe materna
„ educatione, ſpecie tenus ſeveriore, in
„ tenella adhuc ætate quaſi conſummati vi-
„ ri partes agebat, nonniſi honeſtis, ſacriſ-
„ que exercitiis ita vacando, ut interdum
„ oculis in Cœlum fixis, & diductis labiis, hæ-
„ reret more ecſtatici: unde coæquales pue-
„ ri ipſum *oris aperti* agnomine deludere
„ conſueverant: ſed, quorſum tenderet præ-
„ cox iſta JOSEPHI, præſertim orantis, con-
„ formatio, ſatis innotuit procedente tem-
„ pore. Interim palæſtram ſubiens veræ,
„ ſolidæque virtutis, morbum contraxit,
„ vomicis & ulceribus ſparſim in corpore
„ enatis, pergravem æque, ac diuturnum, in
„ quo quidem ſtrenue ferendo percalluit in-
„ credibilis ejus patientia. Ubi demum,
„ non ſine prodigio Deiparæ, convaluit, pu-
„ beſcente jam ætate, ad perfectiorem vitam
„ intra Beati Franciſci clauſtra capeſſendam
„ animum adjunxit,

„ A Conventualibus Fratribus, quos pri-
„ mo adierat, repulſam paſſus Capuccinos
„ faven-

„ faventes invenit. Aſt, quum tyrocinio „ ultra medietatem peracto, curtæ nimium „ ſupellectilis homo reputaretur, atque pla„ne impar cœnobitico famulatui obeundo, „ ab his quoque dimiſſus fuit. Ut in ea „ calamitate animum vehementer angen„te, ſibi conſuleret, putavit quærendum „ perfugium apud patruum Conventualem, „ quo ad rem ſuam opportuniorem nemi„nem agnoſcebat. Uti ergo erat incondi„te veſtitus, & rubore multo perfuſus, ſic „ itinere recto ad illum contendit, ſacris „ concionibus extra Cupertinum tunc ope„rantem; a quo quidem primo adſpectu „ graviter fuit reprehenſus, poſtea tamen „ ibidem detentus, atque abſoluto Paſcha„te ad matrem latenter deductus. Hæc pro „ ſua indole duriſſime ipſum excepit, va„riiſque modis ſubinde etiam exagitavit. „ Sed nihil potuit eximiam ejus conſtantiam „ labefactare, utpote firmiſſimo humilitatis „ & ſpei ſanctæ fundamento ſubnixam. Con„tigit haud multo poſt, ut matre jam vi„dua cauſſam perdilecti cæteroquin filii qua „ precibus, qua lacrymis apud Conventua„les Fratres agente, ab iſtis tandem reci„peretur, ſequiori tamen, uti vocant, „ laicorum ſorti adjiciendus. Hoc per„quam ſatis Josepho, mirum in modum „ jam recreato; non item providentiæ di„vinæ, ad Sacerdotalem ſtatum ipſum vo„canti. Senſim itaque, decurſu triennii, „ abditæ ſanctimoniæ radiis promicantibus, „ tantam ſibi conciliavit æſtimationem, ut „ primores ſimul congregati provehendum „ putaverint ad novitiorum Clericorum claſ„ſem, & alumnum conſcripſerint cœno„bii Sanctæ Mariæ de Cryptula, Cuperti„no ferme adjacentis. Quum ingenio val„de rudis, ac prorſus illiteratus foret, dif„ficile dictu eſt, quantum decurrente pro„bationis anno deſudarit in libris rite le„gendis, primaque litteratura apprehen„denda. Unde pronum eſt detegere origi„nem longe alteram præcellentis illius ſa„pientiæ, qua deinceps in naturali adhuc „ perſeverans imperitia de altiſſimis fidei „ Myſteriis mira ſæpiſſime eructabat. Suc„ceſſu majori explevit reliquas muneris ſui „ partes; conſtanter namque ſubmiſſo fuit „ animo, laboris patiens, mandatis obtem„perans, affligendo corpori intentus, di„ſciplinæ tenax, cœleſtibus inhians. Qua„re ſumma cum laude ad metam pervenit, „ & lacrymarum imbre perfuſus ſollemnia „ Religionis vota emiſit. Eodem ſervato „ domicilio, vocandus in ſortem Domini, „ morbo prius tentatur ſat ancipiti, ex eo„que ſe recolligit non ſine proventu. E ve„ſtigio comparat ſeſe ad recipiendos par„tim a Neritonenſi, partim a Caſtrenſi An„tiſtite Eccleſiaſticos Ordines, ſervatis pro „ more interſtitiis; ſicque iterato inde „ egredi cogitur. Sacerdotio potitus, quaſi „ jam Deo plenus, repetiit priſtinum cœ„nobium, ubi confeſtim ad aram Virginis „ Sanctiſſimæ proſtratus grates humillimas „ perſolvit, quod ipſa mire opitulante, con„tigiſſet ſibi pervenire ad tantum faſtigium. „ In peragendis autem primitiarum Miſſa„rum ſollemniis elevato, vividæque fidei „ ſplendoribus irradiato ſpiritu Chriſtum „ Dominum præſentiſſimum ſenſit, exulta„tione ſimul, & reverentia permaxima; ut „ propterea cœleſtis plane vitæ genus vel „ tunc auſpicandum firmiſſimo propoſito de„liberaverit.

„ Profecto, magnanimis votis aſpirante „ Divino Spiritu, quanta ſpiritualis ædifi„cii moles conſurrexit integro annorum „ decem intervallo, quibus idem cœno„bium Cupertinianum poſtea incoluit! Im„primis ſolitudinis deſiderio percitus, ut „ mundi pridem a ſe deſpecti pericula quæ„que vitaret, nunc in anguſta cellula ſupra „ templi fornicem conſtructa, nunc in re„motiori oliveti ſacello deliteſcere, in „ deliciis habuit. Utrobique vero in ſeip„ſum immaniter animadvertens, ſimulque „ contemplationi, & orationi vacans, quæ „ ſurſum ſunt quærebat, vitamque ſuam „ abſconditam cum Chriſto in Deo redde„bat. Verum, ne vel minima terrenarum „ rerum affectione implicaretur, retenta „ ſola exteriori tunica rem omnem dome„ſticam Prælato ſuo reſignavit. Unde ad

„ Cru-

„ Crucifixi imaginem procumbens, fidenter potuit edicere: *Ecce, Domine, propter te cuncta dimiſi, tu modo ſis mihi omne bonum*. Etſi, qui ad pauperculos reſpicit, tam generoſæ ſpoliationis ſacrificium ſuerit actutum odoratus, ipſum tamen propterea gravia, ac permoleſta perpeti permiſit; quoniam ſicut in igne probatur aurum, & argentum, ſic homines receptibiles in camino humiliationis. Nimirum paupertatis tantæ anguſtias ſentiens ſubinde JOSEPHUS cœpit paullatim contriſtari, ac mœſtus eſſe; ſimul & Deus levamen omne conſolationum lætificantium ab ejus anima ſubtraxit; nec ſathanas deſuit, ad diffidentiam tum erga Deum, tum erga fratres perurgens, ita quldem, ut quo ſe verteret, prorſus neſciret, & agones ferret ipſa morte amariores. Quum biennium omnino tranſegiſſet in dolore ſuſtinens, & in humilitate patientiam habens, ſuperſtitem quoque tunicam vidit prope conſumptam. Hinc clauſo ſemel cubiculi oſtio, feneſtraque, provolutus lectulo ad Dominum ſuum exclamavit præ triſtitia: *Ut quid dereliquiſti me?* Tum Dominus miro modo ſolatus eſt eum. Conſpexit namque adſtantem ſibi Religioſum ignotum (iſque Angelus fuiſſe creditur) qui blando ſermone ipſum affatus novam exhibuit tunicam, & diſparuit. Ubi ergo veſtimentum hocce lætitiæ induit, protinus ab ejus animo abſceſſit omne nubilum, rediitque ſerenum priſtinum ingenti cum fœnore. At, quis crederet? Tam arctæ paupertatis, & amaræ deſolationis diuturna perpeſſio vividiores in corde ejus ſuccreſcere fecit divini amoris flammas, quæ ſubitum corporis magis magiſque diſcruciandi deſiderium pepererunt. Cœpit exinde tantam in victum temperantiam ſervare, ut non immerito ejus vita vocari poſſit continuatum jejunium. Nam diutiſſime a pane, & vino; jugiter vero a carnibus, lacticioiis, & delicatis quibuſque dapibus, ſecluſo obedientiæ ſanctæ mandato, abſtinuit. Statos hebdomadæ dies, potiſſimum eſuriali tempore, abſque ullo prorſus cibo traduxit, ſolo confortatus epulo Euchariſtico. Diebus reliquis aut herbas amariſſimas, aut legumina inſipida, aut arefactos fructus, aut quid vile piſcium, unica plerumque refectione ſumere conſuevit. Auſteritate itidem ſumma carnem ſuam, ut in officio perfecte contineretur, ad obitum uſque afflixit. Nec enim deſcripta jejunandi methodo, mira nocturni ſomni parcitate, varia cubilis, ſtratique incommoditate, tantummodo ipſam macerare; verum & ciliciis, catenis, laminis ferreis circumveſtire, diriſque flagellationibus cruentare, ſollemne habuit. Idcirco coactus inopinato præcepto ſui Prælati ſeipſum denudare, horribilem ſanguinis, vulnerum, ſaniei congeriem magis, quam humani corporis ſpeciem contuendam præbuit.

„ Hæc JOSEPHUS fortis, & conſtans; quoniam per patientiam currebat ad propoſitum ſibi certamen, aſpiciens in auctorem fidei, & conſummatorem Jeſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit Crucem. Sane in Dominicæ Paſſionis meditatione, atque in ſalutiferæ Crucis adoratione totus fuit. Hinc ſecundum exemplar ſibi in monte monſtratum, tres Cruces in vertice collis cœnobio proximi (quemadmodum & alibi paſſim alias) ſtatui curavit: quarum unam, utpote prægravem, quum plures homines junctis viribus ſuſtollere nequirent, prodigioſo volatu accurrens unus ipſe Crucis amator mox erexit, tranſtulit, locavit. Quantus vero in ipſo, ex tam jugi meditatione, ac pia exercitatione, exarſerit ignis, ſive mavis, quanta flammarum incendia, quis definiet? Illud ſatis exploratum, vel a teneris annis hanc fuiſſe votorum ejus metam, huc laborem ejus omnem ſemper collimaſſe, ut totus Dei eſſet, totus Deo adhæreret, atque unus cum Deo quaſi ſpiritus fieret, utique caritate perfectiſſima, quæ dulce & ſalubre vinculum mentium. Si nullum dubium, quio *ecſtaſim faciat divinus amor*, uti ex Sancto Dionyſio admonet Angelicus Doctor; nonne ferventiſſimam æque, ac ſu-

„ bli-

„ blimiſſimam dilectionem certo certius lice-
„ bit repetere ex ejuſdem raptuum, ecſta-
„ ſum, volatuum frequentia, ac varietate
„ tanta, quantam fortaſſe in aliis quibuſcun-
„ que ſecula nulla viderunt? Ut in ejuſce-
„ modi rerum genere unum, alterumve
„ proferatur exemplum, animadverſione di-
„ gnum eſt, quod Romæ evenit coram Ur-
„ bano VIII.. Quum ſupremus Ordinis mo-
„ derator Pontificem Maximum aditurus
„ ſecum duxiſſet JOSEPHUM, qui tunc primo
„ ad Urbem devenerat, atque ambo in ejuſ-
„ dem conſpectu adſtarent; JOSEPHUS, dum
„ Pontificios pedes oſculari parat, animo
„ recogitans Sanctiſſimum Jeſu Chriſti Vi-
„ carium, ecſtatico motu in aere placidiſſi-
„ me ſublevatur: ſicque tamdiu manſit im-
„ mobilis, quo uſque ſuperioris ſui voce re-
„ vocaretur ad terram. Mirandus item du-
„ plex raptus cum volatu in Aſſiſienſi San-
„ cti Franciſci cœnobio, ad quod VIR DEI
„ dehinc proceſſerat, ſuadente eodem Ro-
„ mano Pontifice. Illic prima vice Eccle-
„ ſiam ingreſſus, quum imaginem Beatæ
„ Virginis infantem Jeſum ſinu geſtantis
„ conſpexiſſet in fornice depictam; eam-
„ que ſimillimam deprehendiſſet alteri, quam
„ antehac tenerrimo affectu veneratus fuerat
„ in cœnobio Sanctæ Mariæ de Cryptula,
„ emiſſo confeſtim ejulatu: *Ah Mater mea*
„ inquit, *huc ſecuta es me*! Tumque rapido
„ volatu octodecim paſſuum ad eam ample-
„ xandam aſcendit. Rurſus, feſto die imma-
„ culatæ Conceptionis Deiparæ dum veſpe-
„ ræ decantarentur in ſacello novitiorum,
„ quos ipſe frequenter convenire, & *Ovi-*
„ *culas* appellitare conſueverat, plures ſuc-
„ ceſſivas ecſtaſes paſſus eſt, utpote ejuſdem
„ Myſterii recolendi ſtudioſiſſimus. Super-
„ veniente poſtmodum ſacri cœnobii Præ-
„ ſide, atque ipſum, quidnam ibi ageret,
„ ſciſcitante, reſpondit digito ſignans Ma-
„ riæ iconem: *Pater cuſtos, quam pulchra*
„ *Maria! Dic & tu: pulchra Maria*. Quod
„ quum voce ſubmiſſa protuliſſet Præſes, ut
„ altiori repeteret, etiam atque etiam inſti-
„ tit. Nova interim amoris vi incaleſcens,
„ iterumque Mariam pulchram compellans,
„ Præſidem ejulando amplexus eſt, quem,
„ ubi aliquantiſper ſecum a terra levatum
„ tenuiſſet, dimiſit; ipſe vero continuato
„ volatu altare aſcendit, ubi diſtentis bra-
„ chiis genuflexus remanſit, indeque ad lo-
„ cum priſtinum rediit muſſitans: *Pulchritu-*
„ *do Mariæ! Turpitudo peccati!* Demum
„ ſilentio minime obvolvendus, in conſpe-
„ ctu Lauretani Templi accidit, inſignis ra-
„ ptus cum volatu. Relicto triennali inco-
„ latu Fori Sempronii, Auximum commi-
„ grans ad ſuburbanam fratrum ſuorum man-
„ ſionem devenit, ubi aliquantum hoſpitari
„ fuit neceſſe. Quum porro ex hujus per-
„ gula monſtraretur ei a ſocio habitaculum
„ Virginis ſacratiſſimum: *utique*, ſtatim re-
„ poſuit; *Nonne & tu Angelos cernis*,
„ *e Cælo, ſanctaque Domo turmatim*
„ *exeuntes, ac redeuntes*? Dein, edito ſtri-
„ dore conſueto, evolavit ad arborem duo-
„ decim paſsibus inde diſtantem, ubi tam-
„ diu hæſit ſublimis, donec recuperato ſen-
„ ſuum exteriorum uſu reliquum iter confi-
„ cere licuit. Hæc, & ſimilia innumera
„ operabatur in BEATO VIRO Divinus Spiri-
„ tus, in Sanctis ſuis vere mirabilis, ſuaque
„ chariſmata dividens ſingulis, prout vult.
„ Propterea factum eſt, ut ſuperiores jube-
„ rent plerumque ſegregatum degere a con-
„ ſortio reliquorum fratrum, ne ſcilicet
„ evolationibus tam inſolitis, ſtupendiſque
„ publicas chori, & Eccleſiæ functiones in-
„ terturbaret. Cæterum, quidnam definite
„ ageret in perpetua ejuſmodi ad Deum
„ profectione, ſi quæratur, hæc verba qua-
„ drabunt Sancti Bonaventuræ, de Seraphi-
„ co Patriarcha Franciſco in monte Alver-
„ niæ per exceſſivi amoris incendium totali-
„ ter in Deum transformato ita ſcribentis:
„ *Hoc eſt myſticum, & ſecretiſſimum, quod*
„ *nemo novit, niſi qui accipit; nec acci-*
„ *pit, niſi qui deſiderat; nec deſiderat,*
„ *niſi quem ignis Spiritus Sancti medul-*
„ *litus inflammat, quem Chriſtus miſit in*
„ *terram*. JOSEPHUS porro, qui *acceperat*
„ (referente Eminentiſſimo Cardinali de
„ Laurea ipſi in amicitiam familiariſſime jun-
„ cto) *factum ecſtaticorum hac ſimilitudi-*
„ *ne*

,, *ne plurium imaginam alicujus muſæi*
,, *declarans*, *addebat*. *Si in eo muſæo ma-*
,, *gnum aliquod adeſſet ſpeculum*, *& ima-*
,, *gines omnes ſuas ſpecies in illud immit-*
,, *terent*; *tunc reſpiciens ſpeculum*, *omnia*
,, *in muſæo exiſtentia unico intuitu in*
,, *ſpeculo cerneret*. *Sic*, *ajebat*, *ſe ha-*
,, *bent eeſtatici*, *cum Deus eis ſecreta di-*
,, *vina demonſtrat*. Ipſe pariter, teſte eo-
,, dem Purpurato Patre, clamorem emitti
,, ſolitum ab eeſtaſim patientibus, ceu ſi-
,, gnum evaporantis amoris, ita explicabat:
,, *Cum in ſelopeto pulvis tormentarius ac-*
,, *cenditur*, *illud boatum*, *& fragorem*
,, *foras emittit*: *ita cor eeſtatici accenſum*
,, *Dei amore*. Ut ut ſit, illud impræſen-
,, tiarum nobis perquam ſatis, ſi exinde
,, inferamus rectiſſime, JOSEPHUM *unitiva*
,, *& concretiva* (ut ait Angelicus) *vi amo-*
,, *ris* Deo adglutinatum, iis procul dubio
,, præditum fuiſſe *virtutum*, & *gratiarum*
,, ornamentis, quæ conceptu ſuo præſefert
,, divioum iſtud conſortium. Utraſque ſum-
,, matim delibare haud pigeat.

,, Primo dum, præter virtutes hactenus
,, jam deſcriptas, ſeſe offert obedientia,
,, quæ adeo perfecta vivendi lex illi ſuit,
,, ut abſque ejus præſcripto ne pedem
,, quidem e cella efferre, feneſtram ape-
,, rire; aut minimum quid agere auderet,
,, ſolitus propterea dicere: *ſe mori po-*
,, *tius paratum*, *quam non obedire*. Hinc
,, ejuſdem ſuffultus præſidio multiplices dæ-
,, monum eluſit inſidias, & miranda plura
,, patravit. In arduis autem, & repentinis
,, caſibus quam hilariter, prompteque mo-
,, rem gereret, pluribus patefactum exem-
,, plis. Quum annis fere quindecim in cœ-
,, nobio Sanctæ Mariæ de Cryptula, habitu
,, quidem ſtatuque diverſo, eadem tamen
,, laudabili vitæ ratione conſtanter ſervata,
,, commoratus fuiſſet; indeque digreſſus ſpa-
,, tio alterius anni ad perluſtrandam ſimul
,, cum Præſule ſuo Barenſem Provinciam,
,, qui eum ſibi comitem potiſſime adjun-
,, xerat, ut vivum Chriſtianæ perfectionis
,, exemplar eunctis exhiberetur: cœpit jam
,, communi fama percrebreſcere excellens
,, ejus ſanctitas, adeo ut concurrentibus un-
,, dique populis acclamaretur illius *Regni*
,, *Apoſtolus*. At, ſiniſtris nuntiis hanc ip-
,, ſam ob rem ad Neapolitanam Metropo-
,, lim ſecreto delatis, eo repente fuit vo-
,, catus, ut ſiſteret ſe Tribunali Sacræ In-
,, quiſitionis: ubi tamen, ſpiritum ſuum
,, ex Deo eſſe, ſtupendis pro more monſtra-
,, vit prodigiis. Romam nihilominus tranſ-
,, miſſus ad ſupremum Ordinis moderato-
,, rem, qui in ædibus Sanctorum XII. Apo-
,, ſtolorum prorſus ſolitarium detinuit, do-
,, nec explorata Pontificia voluntate Aſſi-
,, ſium ſtatim progredi juberet. Biennio poſt
,, ad Urbem accitus; illucque denuo re-
,, dux, atque Seraphici Patris concivis
,, plaudentibus univerſis renuntiatus, diu-
,, turnam octo, & amplius annorum ſtatio-
,, nem apud fratres ſuos habuit, eamque
,, vario illuſtrium eventuum genere memo-
,, randam. Tum repetitis Sacræ Inquiſitio-
,, nis Romanæ mandatis aſportatus per vi-
,, ces, trium ferme annorum intervallo, ad
,, triplex Capuccinorum cœnobium, ſcilicet
,, Petræ Rubeæ, Fori Sempronii, ac Mon-
,, tis Veteris. Decernente tandem Alexan-
,, dro VII. Pontifice Summo (qui eum pro-
,, pter inſignis ſanctimoniæ famam omnibus
,, modis ſervabat; quemque viciſſim demor-
,, tuus ipſe a præſenti vitæ diſcrimine ſer-
,, vavit) quaſi poſtliminio reſtitutus Ordini
,, ſuo, atque Auximum latenter deductus,
,, ubi evoluto ſexennio vitam clauſit. Porro
,, autem peregrinationum, & viciſſitudinum
,, tantarum occaſione, quas certe ab im-
,, perſcrutabili altitudine divini conſilii par
,, eſt repetere, ſemper tranquillus, comis,
,, paratus ad omnia, vel ſi in ignem proſi-
,, liendum fuiſſet, ſatis oſtendit reipſa, quod
,, verbis conſueverat enuntiare: *nimirum*
,, *obedientiæ vi effectum ſe veluti cæcum*,
,, *quem catulus fidenter circumducit*. Quid,
,, quod etiam ſui neſcius, atque in ſublime
,, elevatus ardoribus eeſtaticis, obedientiæ
,, neutiquam refragabatur, eſto clamori-
,, bus, concuſſionibus, aduſtionibus mini-
,, me cederet. Ad nutum namque Præla-
,, ti, aut cujuſvis ſerio præcipientis, præ-

,, ſto

„ ſto ſemper aderat recuperato priſtino ſta-
„ tu. Cujus quidem rei ipſemet interdum
„ aſſignans rationem, ſic ajebat: *Jubentis*
„ *vocem tunc utique haud perſentio. Aſt*
„ *obedientiæ amator Deus, ea prolata,*
„ *arcanam viſionem, unde occupabatur*
„ *anima tota, illico abrumpit. Quo fit,*
„ *ut hæc ſibi reddita poſſit, ut antea, libe-*
„ *re uti corporeis viribus*. Erat ergo vi-
„ dere in ejuſcemodi caſibus prodigium
„ prodigio nexum.

„ Ab obedientia numeris omnibus ſic ab-
„ ſoluta, quiſquis poteſt, vel cogitatione
„ ſeparet profundiſſimam humilitatem. Hac
„ profecto fiebat, ut perquam demiſſe de
„ ſe ſentiret, ad cuncta ineptum, & veluti
„ mortuum, imo flagitium hominis ſeipſum
„ denominaret, ſicque ab omnibus vere
„ credi percuperet; increpationes, probra,
„ ærumnas æquo animo ferret; humanos fa-
„ vores laudeſque reſpueret; viliora munia
„ obire geſtiret; & ubertim ſibi collata do-
„ na cœleſtia ingenioſiſſime celare ſatage-
„ ret, ipſas præſertim ecſtaſes & raptus non
„ aliis, quam infirmitatis, torporis, ſo-
„ mnolentiæ vocabulis deſignando. De hu-
„ militatis pediſſequa paupertate perpauca
„ ſufficiat, quum ſuperius jam exhibueri-
„ mus hominem, qui ipſo converſionis ſuæ
„ primordio conatus eſt nudus fieri cum
„ nudo in Cruce; quod vere ſapientis pro-
„ prium eſſe indigitat Sanctus Bonaventu-
„ ra. Nec aliud extitit deinceps vitæ ejus
„ tenor. Siquidem ſola Dei poſſeſſione ditiſ-
„ ſimus, Seraphicique Patriarchæ ardua
„ premens veſtigia, adamuſſim ſectatus eſt,
„ ſive victus, ſive veſtitus, ſive habitacu-
„ li arctitudinem reſpicias, quæ religio-
„ ſæ paupertatis perfectionem conſtant.
„ Unde morti proximus potuit vere dice-
„ re, ſe nihil habere domeſtico Prælato
„ reſignandum. Ecquis autem in animum
„ inducat, citra heroicam patientiam
„ potuiſſe JOSEPHUM tam arctam fove-
„ re pauperiem; tam vario cruciatuum
„ genere carnem affligere, ſimul & ægri-
„ tudines, alibi jam deſcriptas, exantla-
„ re; tam acres item nequiſſimorum ſpi-
„ rituum infeſtationes ſufferre, quibus diu-
„ tiſſime ipſum impeti divina providen-
„ tia permiſit, ut hoc quoque tribulationis
„ modo perficeretur ejus virtus? Adde il-
„ latas ab hominibus moleſtias, atque in-
„ jurias; intimas amaritudines, deſolatio-
„ neſque cœlitus immiſſas; nec non incom-
„ moda perpetui fere receſſus, cui addictum
„ voluere ſuperiores, ut Deo tam mira in
„ ipſo operanti poſſet ſolus liberius vacare.
„ Inter tot ſpinas omnimodæ ſubjectionis,
„ humilitatis, paupertatis, tolerantiæ, quam
„ pulchrum emerſit caſtitatis lilium! Diu-
„ tinas equidem, graveſque paſſus eſt car-
„ nis tentationes, quas humanæ ſalutis ho-
„ ſtis invaleſcere faciebat obſcæniſſimis ſpe-
„ ctris, aliiſve modis nefandis; at conſli-
„ ctu validiore illas retundens, ſemper ipſe
„ ſuperior evaſit. Severa quippe ſenſuum
„ exteriorum cuſtodia, ſtrenua carnis ma-
„ ceratione, ſollicita a mulieribus fuga,
„ humilitate, oratione, ac reliquis tuendæ
„ integritatis vallatus præſidiis perſiſtebat in
„ ſancto propoſito: unde ad mortem uſque
„ ſervavit illibatum pudorem. Nec inno-
„ centiæ tantæ indicia defuere, communi
„ ſenſu, & teſtificatione firmata. Aſpectu vi-
„ debatur Angelus; præſeferebat ſummum
„ laſciviæ horrorem; huic vitio mancipa-
„ tos ſentiebat quaſi peſſime olentes, mo-
„ nebatque blanditer, ut abluerent faciem
„ atramento deturpatam, hoc eſt, conſcien-
„ tiam expiarent: ſuaviſſimum denique,
„ qualis interdum prodit ex Divi Antonii
„ Patavini ſepulcro glorioſo, odorem con-
„ ſtanter ſpirabat, cujus fragrantia tunicis,
„ cingulis, & quibuſcumque ab ipſo con-
„ trectatis plerumque inhærente, mirum
„ quantum ipſe angeretur præ humilitate,
„ ſatageretque eamdem occulere ſagaciſſi-
„ mis modis. Verum, qui poterat caſtimo-
„ nia non excellere, immaculatæ Virgini
„ Mariæ tantopere devotus, ſimulque ca-
„ rus? Hanc ab ipſa pueritia, ſemperque
„ deinceps, ceu patronam, dominam,
„ matrem diligere, revereri, invocare
„ conſuevit; & qua potuit arte, ut ab aliis
„ item coleretur, adniſus eſt. Nuncupa-

Digitized by Google

„ tione tamen magis familiari, ac ſenſu magis intimo, Matrem ſuam vocitabat: ejuſque nomine undelibet audito, mox excitabatur, afficiebatur, inflammabatur, quaſi plectro vocis extrinſecæ chorda interior cordis tangeretur. Deprecationi benigniſſimæ ejuſdem matris, plenæ & ſuperplenæ gratia, referebat accepta maxima, & pretioſa quæque ſibi divinitus donata. Similiter ex hujus plenitudinis abundantia, unde reſperſa revireſcit omnis creatura, defluere proclamabat quidquid pro incolumitate, & ſalute proximorum abs ſe geſtum miro modo videretur. His de cauſſis Mariam tum privatim, tum publice litaniis exorandi nullum prope faciebat finem.

„ Quod ſpectat memoratam caritatem erga proximum, Josephus, utpote amore divino permaxime ſuccenſus, non potuit ipſum non diligere multipliciter. Primo, ob juge deſiderium ſalutis omnium, triſtabatur de alienis peccatis, deque æterna animarum perditione. Idcirco peccatores peramanter excipiebat, corripiebat, occultas quoque noxas eis ſæpiſſime indigitans. Utque efficacius illorum ageret negotium, voluntariis ipſe jejuniis, precibus, flagellationibus conabatur Deum placare; atque ad ſimilia officia iiſdem impendenda bonos quoſque extimulabat. Quin & portentis magis perditos ad bonam frugem, inſigneſque hæreticos ad Eccleſiæ Catholicæ unitatem victor pertraxit. Ærumnoſis compatiebatur inſtar matris, & quos valde anxios ac triſtes noverat, ſic exhilarabat: *Heus ſcrupuli, & melancholiæ abſcedant a domo mea*: tumque adhibitis ſcopis ſcrupulos omnes ſe ab ipſis abſtergere ſimulabat. Pauperibus quum ipſe, quo poterat, modo prodeſſet, eorum inopiam aliena ſtipe levatum iri gaudebat. Affectu ſingulari præſto erat infirmis, ac periclitantibus, prodigioſe etiam utroſque a malis liberando. Inimicorum dilectio, diffidentium pax, erant ei cordi, quam quod maxime. Totus in commeodanda paſſim caritate familiarum rectoribus potiſſime, gravi illo effato: *Qui caritate pollet, locuples eſt vel neſcius; qui caret, infelix valde*. Nemini umquam iratus, ſed ſemper mitis, urbanus, hilaris. Temporaria quoque vitæ ſubſidia e Cœlo deprecabatur, præſertim populis penuria laborantibus, illos in ſpem erigens prædictionibus admirandis; quarum quidem recenſeri poſſet ingens numerus in aliis item caſibus. Qui ſic proximum dilexit, nonne legem implevit?

„ Jam vero, ut ad finem tendat compendiaria hæc narratio, ex iis, quæ ſparſim huc uſque interſeruimus, præcipuarum virtutum B. Josephi ſeriem texendo (ſingulas enim diſtincte proſequi & longum, & difficillimum) ſatis quiſque deprehendit, quantis prætere Dei Optimi Maximi largitate abundaverit ſupernarum gratiarum donis, quas gratis datas appellare conſueverunt doctores, videlicet ecſtaſum, raptuum, volatuum, viſionum, ſapientiæ, perſcrutationis cordium, prophetiæ, curationum, miraculorum, & quæ ſunt ejus generis aliæ. Atque hinc præcellens ejus ſanctitas ſplendidius fuit confirmata. Sanctitatis fama longe lateque diffuſa cum in Italia univerſa, tum in exteris Sabaudiæ, Galliæ, Hiſpaniæ, Germaniæ, Poloniæ, Lithuaniæ regionibus. Quam ob rem tam frequens extitit hominum cujuſvis ſexus, ætatis, ordinis ad eum ſuſpiciendum, deprecandumque, concurſus.

„ Unum ergo reſtabat, ut fideliſſimus Servus factus jam hic ſexagenarius, æterni Regni poſſeſſionem diligentibus præparatam adiret, depoſita corporis ſarcina: quod & factum eſt noviſſimo cœleſtis remuneratoris beneficio. Siquidem in Auximano ſui Ordinis cœnobio, ubi ſe deceſſurum jam pridem multimodis prædixerat, feſtiva luce Sancti Laurentii febri correptus primum intervallata, ſubinde continua & lethali, poſt edita ad miraculum uſque, ſpatio triginta octo dierum, quibus ægritudo illa duravit, varia ſpecimina chriſtianarum virtutum, maxime humi-

„ humilitatis , manſuetudinis , patientiæ ,
„ pietatis tum erga Redemptorem Jeſum
„ Eucbariſticis ſymbolis velatum, tum er-
„ ga Virgineam Matrem, in cujus glorioſæ
„ Aſſumptionis feſto ultimam in altari ob-
„ tulerat Hoſtiam ; item fidei , fiduciæ, &
„ flagrantiſſimæ in Deum caritatis, non ſi-
„ ne raptibus & eſtaſibus ſuaviſſimis, in
„ ſumptione præſertim ſanctiſſimi Viatici,
„ atque unctionis extremæ, vultu ad Cœ-
„ lum verſo, ſimulque ridenti , & inſolita
„ luce circumfuſo, exſpiravit decimo octa-
„ vo Kalendas Octobris anno ſupra mil-
„ leſimum ſexcenteſimo ſexageſimo tertio.

„ Demortui cadavere in ipſa Auximana
„ Eccleſia Sancti Franciſci necdum tumula-
„ to, multoque magis deinceps, placuit Al-
„ tiſſimo Servi ſui jam in Cœlo regnantis
„ gloriam mundo teſtatam facere ſignis atque
„ portentis, quæ votis cedebant, bonoque
„ multiplici cunctorum ipſum pro re nata
„ invocantium ſinceræ fidei , ac devotionis
„ affectu. Quocirca quum duobus ab obitu
„ feliciſſimo annis dignus reputaretur pu-
„ blico Beatorum honore, plures, ut ajunt
„ Proceſſus facultate Ordinaria confecti fue-
„ re, ſcilicet Neritonenſis, Aſſiſienſis, &
„ Auximanus : quibus ad Urbem perlatis,
„ a Venerabili Innocentio XI., qui viventis
„ adhuc ſanctimoniam exploraverat, con-
„ ſtitutum fuit judicium Sacri Rituum Sena-
„ tus pro nova Cauſſa Beatificationis; ſicque
„ iidem reſtaurati auctoritate altera , quæ
„ dicitur Apoſtolica . Utrorumque porro
„ firmitate rite perſpecta, & præmiſſis de
„ more , intervallo temporis ſat diuturno,
„ binis Congregationibus Antepræparatoriis,
„ Præparatoriis, Generalibus , partim ad
„ virtutum, partim ad miraculorum ſeve-
„ rum examen, tandem die 15. Auguſti an-
„ no 1735. Clemens XII. Pontificio decre-
„ to declaravit, conſtare de illis in gradu
„ heroico; horum vero inſigniora duo die 4.
„ Octobris anno 1752. Benedictus XIV. al-
„ tero decreto comprobavit. Primum mi-
„ raculum contigit Stephano de Matthæis
„ puero duodenni, cujus dexteri oculi pu-
„ pilla cum a coætaneo puero ictu ſqua-
„ moſi, acutique lapidis vulnerata , & in
„ tranſverſum ſciſſa fuiſſet, ita ut, ob hu-
„ mores hinc effluentes exſiccata, & intror-
„ ſum depreſſa totius oculi orbita, amiſiſſet
„ videndi facultatem: factum eſt, ut invo-
„ cata Venerabilis Josephi ope, & oculo ad
„ ejus ſepulcrum admoto , eumdem retra-
„ xerit ipſiſſimo temporis momento priſtinæ
„ integritati, ac venuſtati reſtitutum. Se-
„ cundum miraculum accidit patri ejuſdem
„ pueri Victorio de Matthæis. Hic genu
„ dextero humorem cyſticum gerens, qui
„ ſex ferme annorum ſpatio in duram , &
„ enormem molem ob humorum aggeſtum
„ concreverat , unde tum genuflectendi ,
„ tum gradiendi vis plurimum impedieba-
„ tur, remedium, quod chirurgi nec pote-
„ rant , nec tentarant umquam præſtare ,
„ præſentiſſimum invenit a contactu ſuppeda-
„ nei altaris privati, in quo Servus Dei diu-
„ turno orandi uſu impreſſa reliquerat ge-
„ nuum veſtigia. Unum quippe idemque
„ fuit & ſuppedaneo admovere male affe-
„ ctum genu, & illud attollere ab omni
„ etiam cyſtidis ſigno liberum, atque ad
„ motum prorſus expeditum. Brevi poſt
„ idem Pontifex Maximus, viam compen-
„ diariam inſiſtens peculiares ob cauſſas,
„ mandavit expediri diploma Beatificatio-
„ nis, quod die 24. Februarii anno 1753.
„ publicatum fuit in Baſilica Vaticana, ubi
„ pariter eadem peracta ritu ſollemni.

„ Josepho Beatorum faſtis adſcripto dum
„ gratulatur plaudens Roma, increſcit fa-
„ ma recentium miraculorum, quæ conti-
„ nuato cœleſti favore variis in locis patra-
„ ta narrantur; atque exinde prænuntia
„ dignoſcitur altioris gloriæ, ipſimet denuo
„ decernendæ ſplendidiſſima Canonizatio-
„ nis pompa. Hunc in finem biennio vix
„ elapſo reſumpta Cauſſa, accedentibus ma-
„ xime qua Regum, & Principum, qua Præ-
„ ſulum Eccleſiaſticorum diverſi Ordinis,
„ communibus votis , poſtulationibuſque.
„ Novi igitur Proceſſus auctoritate Apoſto-
„ lica conſtruuntur tribus ſuper miraculis
„ in Diœceſi Præneſtina, Firmana, Auxi-
„ mana: tum eorum validitas hic ad in-

„ eudem revocatur. Poſtmodum in gemi-
„ nis conſuetis Congregationibus, Antepræ-
„ paratoria, & Præparatoria, quæſtio di-
„ ſcuſſa: indeque delata ad SS. D. N. Cle-
„ mentem XIII. nunc auguſte imperantem,
„ qui auditis in Generali Cœtu ſuffragan-
„ tium quorumcumque Patrum ſententiis,
„ ſingula prorſus rata fecit, edito decre-
„ to die 12. Octobris aoni 1766.

„ Primum miraculum, quod contigit
„ puellæ Mariæ Magdalenæ Panzironi die
„ 31. Octobris anno 1753., eſt ſubitæ ſana-
„ tioois a ſcyrrhoſo maligno tumore ma-
„ gnitudine palmaris diametri, pondere li-
„ brarum circiter decem, duritie ferme la-
„ pidea, in epigaſtrio, ſeu cartilagine mu-
„ cronata, quæ vulgo os ſtomachi nuncu-
„ patur. Quum medicorum, & domeſti-
„ corum unanimi ſenſu prorſus conclama-
„ tum eſſet, illis extremam Myſteriorum
„ divinorum ſumptionem ſuadentibus, iſtis
„ ſunebria juſta parantibus; atque reipſa ad
„ eum ſtatum deveniſſet Maria, ut loquela,
„ motu, calore, pulſu, cæteriſque vitæ indi-
„ ciis ſenſim deficientibus, crederetur jam
„ jam moritura, adſtantes mulieres a Beato
„ Josepho, cui ſingulari pietate prius addi-
„ ctam noverant, cogitarunt implorandum
„ auxilium in tanto diſcrimine. Ad hoc igi-
„ tur ipſammet, quo poterant, modo ex-
„ citantes, inſeruerunt digitis manus ejus
„ Beati reliquiam, & ſacram imaginem
„ mortifero tumori ſuperpoſuerunt. Tum-
„ que momento eodem veluti expergefacta
„ oculos aperuit, brachia extendit, ac pri-
„ mævas vires omnes perfecte recepit. Cujus
„ rei multiplex argumentum e veſtigio præ-
„ buit. Nam ipſo veſpere, quo talia paſſa
„ fuerat, ſurrexit e lectulo, nemine admi-
„ niculante, læta proceſſit ad locum com-
„ munis jentaculi, menſæque aſſidens man-
„ ducavit, & bibit; ſuum deinde repetiit
„ cubile, ubi in utrumvis oculum dormi-
„ vit reliquum noctis. Inſequenti mane, re-
„ luctante licet fratre, domo egreſſa con-
„ volavit ad Eccleſiam religionis cauſſa:
„ poſtmodum redux cœpit pro more obire
„ domeſtica officia, perinde ac ſi nullo mor-
„ bo umquam laboraſſet,

„ Secundum miraculum, quod accidit
„ die 18. Januarii anno 1756. Benedictæ Pie-
„ rangelinæ cælibi mulieri, eſt repentinæ li-
„ berationis a peſſima inveterata cordis or-
„ ganica affectione, funeſtiſſimis ſtipata ſym-
„ ptomatibus, miro inſuper modo peractæ
„ per duarum molium a nonnullis artis
„ medicæ peritis polypoſarum, ſive poly-
„ porum nuncupatarum, e diſſecta vena
„ ſalvatella cum educto ſanguine expulſio-
„ nem. Vaſibus cordis inhærentes ejuſmodi
„ polypi impediebant liberum ſanguinis cur-
„ ſum & recurſum per eadem vaſa. Hinc ju-
„ ges cordis palpitationes, pectoris angores,
„ pulſuum intermiſſiones, jugularium vena-
„ rum intumeſcentia, anhelitus difficilis, ta-
„ leſque propterea lipothymiæ, ut identidem
„ verſaretur miſera in evidenti ſuffocatio-
„ nis, ac mortis periculo. Ad reprimendam
„ horum paroxiſmorum ferociam unicum
„ adhibebatur phlæbotomiæ remedium, ve-
„ næ ſcilicet inciſione detrahendo octo, de-
„ cem, ſexdecim, viginti & amplius ſangui-
„ nis pondo; idque non ſingulis tantum heb-
„ domadibus, ſed interdum die bis, terve.
„ Inveteratum ſexdecim annorum malum eo
„ tandem proceſſerat, ut ipſi quoque phlæ-
„ botomiæ omnino prævaleret. Unde con-
„ tinuis diebus quindecim ſæve ingraveſcens
„ ad paroxiſmos lethales ægram redegit,
„ quam idcirco conſueto chriſtianis hinc mi-
„ grantibus Sacramentorum præſidio com-
„ munire fuit neceſſe. Interim, hortatu piæ
„ ſororis, ad Beatum Josephum animum
„ erigens, ut ſibi præſto ſit, medullitus pre-
„ catur. Ejuſdem reliquia pectori mox ap-
„ plicata, graviſſimo corripitur paroxiſmo,
„ quem tamen ipſa interius quaſi ſenſit ad
„ ſalutem tendere ſibi cælitus donandam.
„ Quare, ubi ſuperveniente medico, qui
„ primum renitebatur, poſtea intus ſimili-
„ ter affectus ceſſerat, poſtrema, uti Bene-
„ dicta prædicebat, ſanguinis miſſio fuit de-
„ creta, ad primam eamque minimam ape-
„ ritionem ſalvatellæ manus dexteræ exiere
„ mirabiliter, inter paucas ſanguinis guttas,
„ binæ moles a peritis nuncupatæ polypoſæ;
„ atque in ſubjectum aquæ vas delapſæ: al-

„ tera

„ tera quidem longitudinis duorum digito-
„ rum tranſverſalium; altera vero figuræ,
„ & magnitudinis ovi columbini, ac ſub-
„ ſtantiæ prorſus carnoſæ, & filamentoſæ,
„ quemadmodum ſectione anatomica, va-
„ riiſque experimentis chymicis, ſatis ſu-
„ perque compertum evaſit ſubinde. Eo-
„ dem momento perfecte convaluit, quæ
„ morbo organico adeo deſperato tamdiu de-
„ cubuerat: ſicque in uno ſupernæ virtutis
„ opere plura mirari ſubiit, eaque magna,
„ inaudita, ſingularia.

„ Tertium miraculum, & illud, ut di-
„ citur, ſupra numerum, quod evenit Ber-
„ nardino Sinigalieſe mulioni die 18. Junii
„ anno 1754., eſt ſubitaneæ, perfectæque
„ ſanationis ab herpete moleſtiſſimo, peſſi-
„ mis ſymptomatibus juncto, quæ ſunt hu-
„ juſmodi. Cœpit nimirum pridem enatus
„ converti in tetrum ulcus, ex quo dein-
„ ceps copioſus jugiter manabat humor adeo
„ malignus & acer, ut ſtygiæ inſtar aquæ
„ non modo carnem ſcinderet in profundas
„ rimas, ſed & pannos ipſos circumpoſitos
„ roderet. Iſtud præterea, octo menſium
„ intervallo, ſic adauctum eſt, ut ab in-
„ guine ſiniſtræ coxæ pervaſerit uſque ad ge-
„ nu; tumque, contracto femore, interce-
„ pta etiam facultas incedendi. Ægrotum
„ lecto detentum inceſſerunt febres graviſſi-
„ mæ, ſpaſmodici tremores, dolores atro-
„ ciſſimi, quibus ad jugem ejulatum adige-
„ batur. Porro quum ſemel afflictationi tam
„ multiplici noctem integram æquaſſet citra
„ ullam requiem, ejuſque uxor omnia de-
„ ſperatiora cerneret, communi conſilio pu-
„ tarunt ambo deprecandam ſalutem a BEATO
„ JOSEPHO ſat famigerato. Hujuſce rei cauſſa
„ bene mane perrexit illa ad Eccleſiam,
„ maritum linquens ſolitarium in ſtrato do-
„ loris. Ipſe ſoporem interim paſſus, a BEA-
„ TO JOSEPHO ſibi apparente audivit: *Eja
„ recitemus ſimul litanias Sanctæ Virgi-
„ nis*: cui protinus morem gerens, ad ſalu-
„ tationes ſingulas ab eo prolatas repone-
„ bat: *Ora pro nobis*. Quumque ad illam
„ ventum eſſet: *Salus infirmorum*: item-
„ que reſponſum: *Ora pro nobis*: BEATUS
„ diſparuit, ceſſavit viſio, morbus evanuit.
„ Itaque, redeunte uxore, ac factum ſtupente,
„ e lecto proſiliit, atque ad eamdem Franci-
„ ſcanam Eccleſiam grates habiturus eximio
„ liberatori proceſſit expedito pede; inde-
„ que dominis ſuis ſpectandum ſe obtulit,
„ qui priſtino famulatui die poſtera ipſum
„ deſtinarunt, quaſi numquam ægrotaſſet.
„ „ Cenſuit nihilominus SUPREMUS PASTOR
„ indicendum pro coronide Generalem alte-
„ rum Conventum die 27. Januarii hujuſce
„ anni, in quo univerſis Patribus pronun-
„ tiantibus, ad BEATI JOSEPHI Canoniza-
„ tionem quandocumque peragendam tuto
„ poſſe procedi, Cauſſam abſolvit decreto
„ ſollemni, quod palam innotuit die 2. Fe-
„ bruarii inſequentis. Ut res porro tanti
„ momenti ſuccedat, precatur quam demiſ-
„ ſe Minorum Conventualium Seraphicus
„ Ordo.

COMPENDIUM.

Vitæ, virtutum, & miraculorum, necnon acto-
rum in Cauſſa Canonizationis B. HIERO-
NYMI ÆMILIANI Fundatoris Cleri-
corum Regularium Congregationis
Somaſchæ: ex Secretaria Con-
gregationis Sacror. Rituum.

„ HIERONYMUS ÆMILIANUS, vulgo MIA-
„ NI, Venetiis natus eſt anno poſt
„ Virginis partum 1481. patre Angelo Æmi-
„ liano, matre Dianora Maurocena, utroque
„ de gente patritia. Cameraci anno 1508.
„ Europæ Principes fœdere inito adver-
„ ſus Rempublicam Venetorum vires jun-
„ xerunt, quarum impetum ut ſiſterent, vel
„ frangerent Veneti Patres HIERONYMUM
„ belli ſubagitatum igniculis in Caſtrinovi
„ gubernatorem vi ſingularis privilegii ele-
„ ctum ad arcem illam, in finibus Tarviſi-
„ nis ſitam, defendendam anno 1511. mi-
„ ſerunt. Verum HIERONYMI virtus bellica
„ impar fuit repellendis, vel retundendis
„ validioribus hoſtium viribus. Maximilia-
„ ni enim Cæſaris exercitus obſidione capta
„ arce nulli ex parvo militum Venetorum
nume-

,, numero pepercit. Hoſtium vero impera-
,, tor quum ex reſiſtentiæ pertinacia majo-
,, rem, quam revera eſſet, propugnatorum
,, numerum putaſſet, eorum paucitate com-
,, perta in unum arcis gubernatorem cauſ-
,, ſam moræ omnem conferre coactus eſt;
,, ideoque ira incenſus eum vinctum, onu-
,, ſtumque catenis juſſit in ſquallidum car-
,, cerem detrudi. Hic veluti irretitus, pro-
,, ſtratuſque leo, mitior factus juvenis paul-
,, lo ante animum gerens vanitati intentum
,, ſuper ſe Domini miſerentis manum ſenſit,
,, terreniſque omnibus miſſis cogitationibus,
,, cœleſtia ſuſpexit. Ad refugium peccato-
,, rum, ad afflictorum conſolatricem B. V.
,, Mariam convertit animum, eamque pre-
,, catus, ut ferret opem, vovit, ſe in li-
,, bertatem vindicatum confeſtim pedes, &
,, prope cætera nudum, ut erat, Tarviſii ad
,, ejus templum, vulgo *della Madonna*
,, *Grande*, convolaturum, ejuſque imagi-
,, nem veneraturum miraculorum fama ce-
,, leberrimam. Vix ea corde conceperat
,, HIERONYMUS, quum ſplendor refulsit in
,, habitaculo carceris; adſtat invocata Vir-
,, go, captivo vincula ſolvit, traditque
,, cuſtodiæ claves. Tunc HIERONYMUS in
,, genua provolutus, lacrymis perfuſus, præ
,, gaudio elinguis, at interius loquax, tan-
,, tæ liberatrici gratias agit, carcerem re-
,, cludit manum ductante Virgine, collectiſ-
,, que in unum captivitatis, & doloris in-
,, ſtrumentis Tarviſium verſus iter ingredi-
,, tur. Verum undique inimici, nec via
,, quidem tuta, & pervia. Mariam ſecun-
,, do invocat, quam præſentem ſecundo ſuiſ-
,, met oculis videt: ſentitque manum manu
,, arripientem, perque medios hoſtes ducem,
,, & ſociam ad portas uſque civitatis, ubi
,, eam diſparuiſſe cognoſcit. Incolumis re-
,, cta ad templum pergit, procidenſque an-
,, te altare piis grati animi ſenſubus frænum
,, laxat. Voti liberatus manicas, compedes,
,, catenas, globum marmoreum, qui col-
,, lum ejus pronum in terram traxerat, ibi
,, relinquit monumentum ſuæ libertatis,
,, quæ omnia & nunc viſuntur.

,, Victus ab hoſte HIERONYMUS, divina
,, operante gratia, rationes apud ſemeti-
,, pſum ſubducit, quomodo de ſe ipſo trium-
,, phet. Totus hinc mutatus a militari illo
,, HIERONYMO Venetias invehitur mente re-
,, volvens Mariam Virginem, ejuſque bis
,, præſens auxilium. Intelligit, ſe Dei Ma-
,, tri non poſſe placere, quin prius divino
,, ejus filio placeat pœnitentia, & chriſtia-
,, narum virtutum exercitio, maxime ca-
,, ritate. Propterea octo annorum ſpatio ab
,, oculis, & convictu hominum pene abhor-
,, ret pietati vacans, poſthabitiſque hono-
,, ribus, quos ei Veneti patres decreverant,
,, in educationem, curamque filiorum fra-
,, tris incumbit, qui parentis morte imma-
,, tura pupilli fuerant relicti. Sic Dei pro-
,, videntia HIERONYMO viam ſternebat, ut
,, pauperum adjutor, & orphanorum pater
,, diceretur, & eſſet. Mala, quæ conſequi
,, bella ſolent, Venetiis graſſabantur, cari-
,, tas annonæ, immo verius fames, & dira
,, contagia. Puerorum turbæ huc illuc diſ-
,, currentes & fora, & compita impedie-
,, bant quærentes quo famem pellerent, nu-
,, ditatem tegerent, ſeque ſub tecto recipe-
,, rent. Homines confecti miſeriis paſſim
,, mortui ſternebantur, nec erat qui ſepe-
,, liret. HIERONYMUS interdiu pueros coge-
,, bat in domum pecunia ſua conductam: il-
,, los alebat, curabat, cuſtodiebat; noctu
,, autem cadavera conquirebat, ſuiſque hu-
,, meris ad ſepeliendum aſportabat. Inte-
,, rea augebatur in dies languentium nume-
,, rus, neque vero HIERONYMI elanguebat
,, miſericordia, quin quotidie magis magiſ-
,, que & amor erga alios, & deſiderium ſe-
,, ſe omnibus præſtandi, in primiſque orpha-
,, nis vires acquirebant. Puerorum, quos
,, coegerat, quoſque tanquam filios aman-
,, tiſſimus pater complectebatur, multitudi-
,, ni anguſtior facta eſt conducta domus. Di-
,, vendita itaque domeſtica, & ſatis ampla
,, ſupellectili, ut aliorum paupertati proſpi-
,, ceret, domum alteram conduxit, & pau-
,, per, quod optabat, ipſe brevi factus eſt.
,, Propterea non reſpexit majorum imagi-
,, nes, quinimmo ſpreta ingenita nobilita-
,, te, oblituſque quo gradu, & honore paul-
,, lo

„ lo ante ſtetiſſet, ſumma ſollicitudine, &
„ labore ſtipem quærere, ac panem emen-
„ dicare æquo, & forti animo tulit, quibus
„ utraque familia ſuſtentata eſt. At magis
„ etiam anxium, vigilemque tenebat Hie-
„ ronymum animarum cibus. Hinc non pro-
„ curator tantum, & promus, condus, ſed
„ doctor, & magiſter factus, puerulos ipſe
„ rudimenta fidei edocebat, quotidiana re-
„ petitione tenellæ eorum memoriæ conſue-
„ tas Eccleſiæ orationes inſigebat; feſtis die-
„ bus binos longo ordine, Chriſti crucifixi
„ imagine præeunte, ad Eccleſias viſitan-
„ das deducebat, omnia animadvertens, &
„ moderans. Neque præſentibus contentus,
„ futura proſpexit providus pater. Stipen-
„ diis enim pactis cum mechanicarum ar-
„ tium peritis pueros inſtruendos illis com-
„ miſit, ut inpoſterum manu, & arte victui
„ neceſſaria & ſibi, & ſuis, quin aliis oneri
„ forent, comparare poſſent.

„ Sed nuſquam magis foras erumpebat
„ Hieronymi virtus, quam cum ſubigen-
„ da, ac edomanda eſſet ipſa natura, do-
„ meſticis exemplis, educatione, & con-
„ ſuetudine cum æqualibus ſuis ab ineunte
„ ætate confirmata. Inter collectos pueros
„ non deerant, qui porrigine, impetigine,
„ aliiſque id genus morbis, & ulceribus ſa-
„ nie manantibus fœdarentur. Ab hiſce non
„ abhorrebat Hieronymus, immo eos ſuis
„ ipſe manibus curabat, & ut naturam hæc
„ officia refugientem vinceret, ore fœdis
„ ulceribus admoto, eadem fovebat, at-
„ que oſculabatur.

„ Venetiis aliorum orphanorum, & pau-
„ perum beneficio digreſſus in viciniores
„ inſulas contendit, uti ſemper miſerorum
„ altrices; ita ea temporis conditione exi-
„ lia quædam infelicium omni calamitatum
„ genere pereuntium. Nomine tenus notæ
„ ſunt Buranum, Majurbium. In harum
„ ſingulis invenit Hieronymus conſuetæ ca-
„ ritatis, & miſericordiæ pabulum. Omni-
„ bus enim ſolatio fuit, doloris objectum
„ ſubtrahens, puerulos ſcilicet derelictos,
„ quos in utramque familiam diſtribuit,
„ quarum primam in Parœcia S. Baſilii,
„ alteram prope S. Rocchum, cum jam ipſe
„ fuiſſet & cauſſa, & principium hoſpita-
„ lis ad templum SS. Joannis, & Pauli, lo-
„ caverat. Præſides hoſpitalis incurabilium
„ perſpecta Hieronymi pietate, voluntaria
„ paupertate, & caritate erga pueros præſer-
„ tim, ſocietatum, & Rerumpublicarum, ſi
„ recte inſtituantur, ſeminarium eidem, &,
„ congregatis orphanis hoſpitale obtulerunt,
„ domicilium & ſibi, & ſuis. Occaſionem
„ hanc nactus vivendi non ſibi quidem, ſed
„ curæ, ſervitioque ægrotantium, & orpha-
„ norum, oblatum miniſterium libentiſſime
„ ſuſcepit. Quamobrem una cum orphanis
„ domus S. Baſilii, ac S. Rocchi in hoſpi-
„ tale incurabilium ſe recepit. Adhuc Ve-
„ netiis viget Hieronymi caritas in duobus
„ hoſpitalibus, altero ab ipſo in hunc uſum
„ redacto, altero ab iis, quorum proprium
„ erat, obtento, ubi veluti per manus tra-
„ dita Hieronymi inſtituta ab Somaſchenſi-
„ bus patribus opere complentur.

„ Conſtabilita Venetiis orphanorum con-
„ gregatione, Deo afflante, alibi eamdem
„ conſtituere meditatur. Igitur pedibus iter
„ arripit Veronam verſus, ubi cum celebri
„ Joanne Matthæo Giberto ejuſdem civita-
„ tis Epiſcopo colloquutus, ſibi faciendum
„ Veronæ, quæ feciſſet in patria ab eo audit.
„ Nec mora, Hieronymus orphanos con-
„ gregat, leges, quibus tenerentur, ut juſ-
„ ſus fuerat, ſancit, orphanotrophium con-
„ ſtitutum eſt. Brixiam petit, orphanos ſi-
„ bi adſociat, piiſque, & divitibus viris fa-
„ ventibus, & annuo proventu domum no-
„ vam donantibus Brixiæ ſtetit orphanotro-
„ phium. Viris illis redituum curam relin-
„ quit, ipſe occupatus ſervitio, munditie-
„ que corporum, & chriſtiana animarum
„ eruditione. Brixia diſcedens Bergomatium
„ fines ingreditur, quo tunc tempore me-
„ tendis frugibus agricolæ operas locabant
„ ſuas. Hieronymus animarum ſalutem
„ mente reputans correpta falce improbo
„ huic labori non parcit, atque inter col-
„ loquendum, ſolo animarum zelo diſtinctus,
„ attentionem rudium illorum hominum ca-
„ ptat, & a ſegetum ubertate occaſionem ar-
„ ripiens

„ ripiens urgendi propoſitum ſuum, Deum „ omnium largitorem beneficentiſſimum magnificat, hortaturque, ut debitas ei gratias „ agant, pœnitentiam ament, caveant a peccatis, legemque per omnia divinam impleant. Quum vero eorum nonnullos in hujuſce legis ignoratione verſari ſuſpicaretur, „ comiter ad audiendum allicit, ſingula legis „ capita explicatione perſequitur, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Apoſtolorum Symbolum, cæteraſque communiores preces eos docet, & illud obtinet, ut profanis cantilenis reprobatis, harum loco illas præcinentem ipſum „ cantu una ſimul imitari omnes conentur. „ Bergomi Petrum Lippomanum Epiſcopum „ adit, qui in HIERONYMO Angelum a Deo „ miſſum ſibi videre viſus eſt, ab eoque eadem „ audit, quæ Veronæ a Giberto audierat. „ Itaque HIERONYMUS auctor, & ſuaſor eſt „ viris dignitate, & pietate præſtantibus, „ ut orphanotrophium, quod ipſe jam mente gerebat, & divina fretus providentia propediem erat inſpecturus, probent, juvent, „ ac tueantur. Quibus vix peractis, domus, „ orphani, ſupellex, eleemoſynæ, omnia „ labore, & orationibus HIERONYMI comparata, præſto fuerunt. Semper æque ſibi „ conſtans ſimillima & hic exempla virtutum edit, quibus ſeſe commendarat Venetiis, niſi quod gratiæ, & miracula accedebant. Contigit enim, ut die quadam neceſſaria obſonia deeſſent; divina „ confiſus miſericordia HIERONYMUS orat, „ nihilque de ſua oratione præſumens ad „ orandum puerulos invitat; qua perfecta „ prece triclinium pueris præeuntibus ingreditur, ibique omnia cœleſti manu parata, & condita omnibus abunde ſuffeciſſe „ cognoſcit. Eo munere læti laudant & benedicunt illum, qui dat eſcam eſurientibus „ ex puro, & mundo corde invocatus. Aliud „ in eadem civitate opus difficile quidem, „ ſed HIERONYMI caritate digniſſimum aggreſſus eſt, mulierum diſpendio caſtitatis, & honeſtatis lucra facientium converſionem. Haſce eloquentia illa, quam „ rudibus quoque litterarum ſuggerit virtutis amor intenſus, ad pœnitentiam adducit, in vitia earum invehitur, a via iniquitatis retrahit, matronis prudentia, & „ pietate notis primo cuſtodiendas tradit, „ clauſtro dehinc ad id deſignato, communem & vitam, & pœnitentiam in eo agendam proponit, unaque evangelicis rationibus ſuadet. Inſtat vir Dei laboribus, curis, vigiliis, ut & ſpiritualem, & corpoream harum vitam, ſimulque & orphanorum ſuſtentet, foveat, conſervet.

„ Barbarorum exercituum frequens in Italiam irruptio, atque huc illuc diſcurſus, & mora non tam corporum, quam „ animorum morbos urbibus, pagiſque invexerant. Corrupti hinc mores ſerpſerant, „ brevique radices egerant: inde negligentia, oblivio, contemptus rerum divinarum. Huic malo mederi percupiens HIERONYMUS provectiores ætate, & Sanctorum ſcientia promptiores orphanos deligit, quos ſub Crucifixi erecto ſimulacro „ in canticis ſpiritualibus viam fallentibus „ vel ad anguſtiores villulas, obſcurioreſque deducit. Iſthic palam, & ſeorſum domi, foriſque prædicat, arguit, obſecrat, „ terret, docet; judicia Dei formidanda; „ neceſſaria ad æternam ſalutem addiſcenda; a peccatis recedendum, iram Dei „ contritione cordis placandam, ſacramento pœnitentiæ conſcientiam eluendam, „ orationi, cæteriſque bonis operibus inſiſtendum, atque ita demerendam æternam „ vitam. Exempla, & monita patris orphanos otiari non ſinunt. Caritate pari, virtute haud diſſimili actus cum iiſdem orphanis Novocomenſem regionem peragrat, „ & in ipſa urbe binas orphanorum familias „ congregat, quibus regendis viros præficit „ ſpiritu ſuo imbutos, quos diſcretione quadam ſpirituum donatus idoneos ſibi ſocios „ adjunxerat. Ipſe Bergomatium vallem, „ quam S. Martini vocant, pagis, villiſque „ frequentem iterum inviſit, animumque ſuum, labores indefeſſos, zelumque ardentem animarum nunc huc, nunc illuc „ dividit. Tandem Somaſchæ (qui pagus „ Venetæ ditionis eſt, in ſupranominata „ valle

„ valle ad prærupti montis radices ſitus, & „ ſolo domicilio, benefactis, ſanctitate, & „ HIERONYMI ſepulcro nobilis) ordinariam „ moram fixit. Locus quippe obeundis ad „ utilitatem rudium populorum laboribus, „ aſperrimæque, cui animum intendebat, „ pœnitentiæ, & meditationi rerum æternarum aptior a DEI VIRO eſt dijudicatus.

„ Igitur Somaſcham advocat nonnullos „ laborum ſuorum ſocios, eiſque normam „ præſcribit, ad quam vitam, actionesque „ exigant orphanorum, quos domus jam ad „ id aptata receperat. Hinc nomen, & origo Congregationis de Somaſcha. In dies „ vero creſcente orphanorum, & diſcipulorum numero, quorum illi hinc inde collecti, hi virtutibus illecti HIERONYMI, & „ pia naſcentis inſtituti conditione: non jam „ aliquos dimittendo, ſeu nullos deinceps „ recipiendo, aut quærendo, ſed coloniam „ veluti quamdam alio deducendo familiam „ minuit prudens inſtitutor. Quinque enim „ & triginta pueros uſitata ordinis, & pietatis ratione Mediolanum adduxit, quo „ fama ejus ſanctitatis, inſtitutique jam „ pervaſerat. Mediolanenſium Dux virtutem exploraturus celebris advenæ magnam per aulicum auri vim dono miſit. „ At ex integra reportata pecunia intellexit „ ſinceram VIRI DEI ſanctitatem: illum evangelicam paupertatem amare, orphanos, „ non divitias quærere. Quapropter domum „ recipiendis hoſpitibus, aliiſque orphanis „ aptam, auxiliumque præbuit. In hac ampliſſima civitate per id tempus lues prorepſit, quæ ſingula propemodum corpora „ corripiebat, unde ubique mors, ubique „ mortis imago; at ubique etiam HIERONYMI caritas, hic ad populum concionem „ habentis, illic infirmos viſitantis, hic pauperibus opem ferentis, illic divites conſiliis, & orationibus adjuvantis. Orphanotrophium quidem ejuſdem morbi peſtem „ paſſum eſt, mortuum nullum neque de orphanorum, neque de miniſtrorum magno „ numero vidit. Miraculo id tributum. Hoc „ ſane pacto Servi ſui eximiam ſanctitatem, „ & labores domi, foriſque exhauſtos Deus „ probavit. Hinc HIERONYMUS illuſtrior, ac „ venerabilior factus inter eos, qui & veſtigia ſua premerent, & inſtitutum ſuum profiterentur, plures ſibi adhæſiſſe novit de „ nobilioribus, atque opulentioribus civitatis.

„ Papiam proficiſcitur, ibique & orphanotrophium conſtituit, & ſocios acquirit. „ Inde Somaſcham divertit, laborum, curarumque ſuarum centrum. Accidit ut bini fratres, quos inter acris inimicitia exarſerat, viciſſim ſeſe minis impeterent, „ maledictis proſcinderent, verbaque effunderent quæ perditis de trivio hominibus „ ſuggerit effrænis libido, & impotens ira. „ Caſu in hoſce incidit Dei Servus; audivit, „ & inhorruit, ac zelo incenſus. *Ah*, exclamavit, *Chriſtiani: quid vobis mali Deus „ veſter fecit, ejuſque Mater amantiſſima, „ quorum ſanctiſſima nomina tanto contemptui habetis?* Surdis canebat: propterea „ ante eorum pedes procidens manu corradit „ cœnum, atque in os ſibi conjectum mandit, lugenſque: *Ego*, inquit, *pro vobis „ miſeris agam pœnitentiam: luet lingua „ mea pœnam hanc, donec veſtra ab hiſce „ adverſus Deum injuriis vocibus abſiſtat.* „ Hoc ſpectaculo rubore ſuffuſi fratres veniam a Deo rogarunt, monitis, conſiliiſque „ Servi Dei ſunt obſequuti, pacemque, & „ amicitiam ſecum inierunt. Caritatis impulſu facere, & pati fortia pro Dei gloria, peccatorum converſione, animarumque ſalute perpetuus HIERONYMI mos „ fuit.

„ Somaſchæ domus anguſtior, quam par eſt „ ſociis, pueriſque capiendis, B. PATRIS ſtudio, atque cura undique conquiſitis, in „ cauſſa fuit, cur in montis vertice, qui „ Somaſchæ ipſi imminet nulla quidem impenſa, ſed magno, & improbo labore & „ ſibi, & ſociis nonnullis ſolitudinis, orationis, chriſtianæque perfectionis amantioribus paraverit habitationem. Inter rudera enim veteris cujuſdam dirutæ arcis „ ſubſtructiones detexit, in quibus humilem „ ædificavit caſam ipſe architectus, faber „ murarius, & bajulus. Verum quum pro-

„ vidus paternus amor ſollicitum eum tene-
„ ret, cui aſperum, & longum iter facien-
„ dum, ut quotidie, quos Somaſchæ relique-
„ rat, inviſeret: media via gurguſtiolum
„ aptavit, quod ipſe cum valetudinariis
„ puerulis incoleret. Aquam nullus vicinus
„ fons, aut rivus ſuggerebat. Genibus flexis,
„ erectiſque in Cœlum oculis oravit, & pu-
„ riſſima de præſenti rupe aqua defluxit, quæ
„ uſque in hodiernam diem manat, & plura
„ tum in loco, tum alio deportata B. Hie-
„ ronymi interceſſione miracula operata eſt.
„ Montem cum puerulis ſuis quadam aſcen-
„ debat die, quum ecce luporum grex, quos
„ fames de ſylva exegerat, turbat pueros:
„ minime territus vir Dei, fideque plenus
„ Crucis ſigno belluas in fugam dicto cele-
„ rius vertit. Quidam lignum findens ruri-
„ cola ſibi profundum in crure vulnus ſecu-
„ ri infligit: clamoribus patientis actus ad-
„ ſtat Hieronymus, ſigno Crucis vulnus ſi-
„ gnat, & momento ſanat. Panem, vinum-
„ que multiplicat, aliaque edit miracula,
„ quæ humilis pater non ſuis, ſed ſimpli-
„ cium, & innocentium orphanorum pre-
„ cibus tribuit. B. V. Mariæ ipſe devotiſſi-
„ mus idem ſtudium, eumdemque affectum
„ omnium animis inſerere gaudet.

„ Venetias ad hoſpitalia viſitanda invi-
„ tatus adire non recuſat. Epitomes hujuſce
„ brevitas narrationem reſpuit eorum, quæ
„ in pedeſtri ſuo itinere egit Hieronymus.
„ Caritatis, quæ nunquam excidit, ſtudium
„ Venetiis eum pauliſper detinuit, moraſque
„ Veronæ, Brixiæ, Bergomi innexuit Soma-
„ ſcham revertenti, ac properanti. Vero-
„ næ ab Epiſcopo Teatino, qui apud Gi-
„ bertum tunc temporis morabatur, ulti-
„ mam petiit benedictionem. Salodii, quo
„ forte jubente, aut conſulente Patre Caraffa
„ proceſſerat, religioſiſſimæ paupertatis e-
„ xempla reliquit. Bergomi laus Hieronymi
„ fuit, illum Bergomi inſtituiſſe orphanos,
„ orphanas, mulieres pœnitentes, & Pa-
„ tres Capuccinos. Patuit etiam quanta
„ Hieronymus veneratione Sacramentum
„ altaris, quantiſque votis pœnitentiæ, &
„ Euchariſtiæ Sacramenta proſequeretur.

„ Domi ſuæ (ea enim domus illi erat exi-
„ mia) tandem redditus fervet ſpiritu, di-
„ vinoque exæſtuans amore quærit receſſus.
„ Porro in montis latere inventa ſpecu, in
„ eam ſeſe conjicit, aſperrimum corpori bel-
„ lum indicit flagellis, fame, ſiti, ſomno
„ breviſſimo, quem nudo ſuper ſaxo carpit,
„ ſpiritum vero paſcit nocturna, diurnaque
„ oratione. Ex hac tamen cavea erumpit,
„ ut Brixiæ una cum ſociis regimini Con-
„ gregationis conſulat, & firmitati. Præſcie-
„ rat enim ſe brevi moriturum, id quod de-
„ inceps reſciverunt ſocii tam ex Hiero-
„ nymi ſermonibus, quam ex pueruli narra-
„ tione ajentis, fulgentiſſimam in ſublimi ſe
„ vidiſſe Hieronymi Æmiliani ſedem. So-
„ maſchæ præſentia ſua ſuccurrit, quæ peſti-
„ fera implicata lue miſeriis, ac morte tur-
„ babatur. Difficile dictu eſt, quos, quantoſ-
„ que hac data occaſione ſubierit labores,
„ quæ, & quanta exhibuerit exempla virtu-
„ tum, quot potiſſimum modis expreſſerit
„ caritatem. Sit ſatis dixiſſe, ipſum dum vi-
„ ta functos ſuis humeris ſepulturæ infert,
„ dum ægrotis infervit, & ſe correptum ea-
„ dem lue ſenſiſſe, & infirmitatem eſſe ad
„ mortem cognoviſſe. Quare in anguſtum
„ cubiculum, cujus nudum parietem rubra
„ Cruce ſignatum ejus manibus videre licet,
„ ſe recepit, decumbenſque Eccleſiæ Sacra-
„ mentis munitur, humilitatis, pietatiſque
„ affectibus emicans. Interea ſeniores rura-
„ colas, ſocioſque ad ſe vocat, quibus con-
„ ſilia, & monita, quæ ſingulis conveni-
„ rent, dum ingerit, hora mortis propin-
„ quat. Compoſito itaque ad hilaritatem vul-
„ tu, mente ſerena, & integra, dulciſſima
„ Jeſu, & Mariæ nomina ingeminans media
„ nocte diei ſeptimæ elapſa, id eſt ante lu-
„ cana die octava menſis Februarii anno Do-
„ mini 1537. expiravit.

„ Ubi primum pretioſæ hujuſce mortis ru-
„ mor auditus eſt, ibi dolor, & luctus claman-
„ tium patrem, benefactorem, interceſſo-
„ rem ad Deum. Omnes quotquot gravis non
„ detinebat infirmitas ad Eccleſiam S. Bar-
„ tholomæi, in quam delatum mane fuerat
„ cadaver, confluxerunt, ubi a nemine in-

„ vita-

„ vitati, aut ad invicem moniti plus tri-
„ ginta Sacerdotes e diverſis pagis adfuerunt,
„ inferias VENERABILI daturi. Populorum val-
„ lis S. Martini univerſæ deſiderio ſatisfa-
„ ctum eſt, corpore per plures dies inſepul-
„ to, cujus manus, pedeſque iterum, ite-
„ rumque ſinguli deoſculantur, veſtium de-
„ tritarum fruſtula ſurripuiſſe gaudent, ſan-
„ ctumque uno ore HIERONYMUM vocare,
„ atque invocare geſtiunt, quod Sancti no-
„ men & veterum, & recentium gratiarum,
„ miraculorumque ÆMILIANI memoria ab
„ illis populis ſemper deinceps extorſit.
„ Quibus S. Carolus Borromæus acceſſit,
„ qui S. Bartbolomæi Ecelesiam Somaſcbæ
„ ingreſſus SANCTI oſſa ibi poſita ex ſuavi
„ odore percepit, eiſque thuris honores tri-
„ buit, & veneratus eſt.

„ Sanctitatem Servi ſui declaravit Deus
„ pluribus miraculis, quorum novem duo-
„ bus annexa, quæ dum inter vivos ageret,
„ patraverat, Rotæ Auditores tamquam cer-
„ ta commendarunt in Relatione oblata fel.
„ mem. Papæ Urbano VIII. anno 1630.. Alia
„ recenſita fuere in Proceſſu auctoritate
„ Apoſtolica Somaſchæ formato anno 1678.
„ Ad virtutes vero quod attinet anno 1737.
„ die 25. Auguſti ſan. mem. Clemens XII.
„ promulgari mandavit decretum: Conſta-
„ re de virtutibus VEN. SERVI DEI HIERO-
„ NYMI ÆMILIANI tam theologalibus, quam
„ cardinalibus, earumque annexis in gradu
„ beroico. Audierat enim Summus Pontifex
„ tum Conſultorum, tum Cardinalium Sac.
„ Rituum Congregationis vota. Ut autem
„ ad Beatificationem Cauſſa progrederetur
„ fel. rec. Benedictus XIV. P.M. anno 1747.
„ die 23. Aprilis decreto ſuo declaravit,
„ inter miracula a Deo patrata interceſſione
„ VEN. SERVI DEI HIERONYMI ÆMILIANI eſſe
„ recenſendam inſtantaneam ſanationem
„ Hieronymæ Durighellæ ab habituali ſcor-
„ butico morbo, quem diriſſimæ convulſio-
„ nes, maligna ulcera, & alia peſſima ſym-
„ ptomata ſunt comitata; quibus per plures
„ annos vèxata eſt, ita ut quatuor ultimos
„ decumbens in lecto miſerabiliter tranſege-
„ rit. Hoc miraculum Venetiis contigit an-
„ no 1737.; & inſtantaneam ſanationem
„ Antonii Blanchini pueri ſeptennis ab in-
„ curabili, & antiquato morbo comitiali,
„ quo ſæpiſſime ſingulos dies uſque ab ipſa
„ nativitate miſerrime laboraverat. Hoc al-
„ terum miraculum evenit anno 1738.. Poſt
„ hoc decretum occaſione quarumdam dif-
„ ficultatum aliud emiſit Sanctitas Sua eodem
„ anno die 5. Auguſti, in quo pronunciavit,
„ tuto ad Beatificationem, ſtante approba-
„ tione duorum miraculorum, procedi poſ-
„ ſe. Quod decreverat perfecit die 22. Se-
„ ptembris vulgato Brevi Beatificationis, quæ
„ in Baſilica Vaticana die 29. ejuſdem men-
„ ſis ſollemni pompa celebrata eſt.

„ A Beatificatione ad Canonizationem im-
„ pellere Cauſſam videbantur miracula, quæ
„ interceſſione BEATI HIERONYMI patrata
„ hic illic audiebantur. Quare auctoritate
„ Apoſtolica confectis Proceſſibus, eorum
„ validitas probata eſt a Sac. Rituum Con-
„ gregatione die 7. Maii anno 1763. SAN-
„ CTISSIMUS vero DOMINUS NOSTER PAPA
„ CLEMENS XIII. Congregationis judicium
„ approbavit die 14. ejuſdem menſis, & an-
„ ni. Hinc poſt Congregationes Antepræpa-
„ ratoriam, & Præparatoriam coactas diebus
„ 5. Februarii anni 1765., & 4. Martii an-
„ ni 1766. in Congregatione tandem Gene-
„ rali habita die 13. Maii anni ejuſdem co-
„ ram Sanctiſſimo duo miracula mox narran-
„ da probata ſunt. Judicium tamen ſuum
„ diſtulit SANCTITAS SUA, ut interim con-
„ ſilium, & lumen imploraret ab eo, qui Pa-
„ ter luminum eſt, & ſolus faciens mirabi-
„ lia. Die autem 25. ejuſdem menſis pro-
„ nunciavit decretum Canonizationis BEATI
„ HIERONYMI ÆMILIANI, declarans conſta-
„ re de duobus miraculis, nimirum de mi-
„ raculoſa ſanatione Sororis Mariæ Geſual-
„ dæ Iſabellæ Pocobello a peſſimo ulceroſo
„ tumore in tarſo pedis ſiniſtri cum carnis,
„ & oſſium putrefactione, nec non de ſana-
„ tione miraculoſa Eliſabethæ Zandanelliæ
„ a colica nephritica, aliiſque pravis affe-
„ ctionibus, quæ illam adduxerant in extre-
„ mum vitæ diſcrimen una cum ſubita, &
„ integra virium reſtitutione. Felix mira-

„ culi primi eventus fuit anni 1748. menſe Junio, alterius menſe Aprili anni 1754. Propoſitum deinceps fuit dubium in Generali Congregatione habita coram SANCTITATE SUA die 23. Septembris 1766. *An ſtante approbatione duorum miraculorum tuto procedi poſſit ad ſollemnem dicti* BEATI *Canonizationem?* Et SANCTITAS SUA, auditis Eminentiſſimis Cardinalibus, & Conſultoribus, qui eidem dubio omnes affirmative reſponderunt, reſolutionem diſtulit, ut uberioris auxilii, & luminis copiam largius a Deo imploraret. Tandem die 12. Octobris 1766. accitis coram ſe Reverendiſſimo Cardinali Feronio S. R. C. Præfecto, R. P. Vincentio Macedonio Sac. Rituum Congregationis Secretario, atque R. P. Carolo Piſani Fidei Promotore Canonizationis BEATI HIERONYMI ÆMILIANI quandocumque faciendæ decretum publicari, ac in Acta S. R. C. referri mandavit. Ad quam ſollemnem Canonizationem BEATI HIERONYMI ÆMILIANI exequendam poſt Regum, Principum, Ordinumque Religioſorum ſupplicationes in ipſius Cauſſæ initio Sanctæ Sedi porrectas, modo humillime iteratas preces effundit univerſa Somaſchenſis Congregationis Familia.

COMPENDIUM.

Vitæ, virtutum, & miraculorum, necnon actorum in Cauſſa Canonizationis BEATI SERAPHINI AB ASCULO, ſeu de MONTE GRANARIO Laici profeſſi Ordinis Minorum S. Franciſci Capuccinorum: ex Secretaria Congregationis Sacrorum Rituum.

„ SERAPHINUS Ordinis Capuccinorum Laicus ab ASCULO dictus, quia in ea civitate diutiſſime commoratus, majora edidit virtutum ſuarum exempla, mirabiliora patravit, & pretioſam mortem obivit, in oppido Montis Granarii Firmanæ Diœceſis anno chriſtianæ vulgaris æræ 1540. natus eſt. Patrem habuit Hieronymum cœmentariæ artis fabrum; matrem vero Theodoram, humiles quidem genere, ſed moribus, & pietate conſpicuos. In baptiſmate nuncupatus eſt Felix. Hic primo ætatis diluculo optimæ genitricis cura, & ſollicitudine catholicæ religionis, & moralis diſciplinæ rudimentis rite inſtructus futuræ ſuæ ſanctitatis præclara præbuit ſpecimina. Nam a puerilibus quibuſvis occupationibus alienus, & coæqualium conſuetudinem, qui præſertim pravis erant moribus, effugiens, in ſacris templis fere aſſidue verſari, & abdita in loca ad orandum ſecedere maxime delectabatur, ac piis aliis exercitationibus aſſiduam dabat operam.

„ Pater extrema rei familiaris inopia quum non haberet, quo filios enutriret, Felicis operam villico cuidam locavit, qui armentorum cuſtodiam eidem tradidit. Tam vili licet diſtractus officio, conſuetos tamen pietatis actus non intermiſit, ſed adauxit. In diem enim armentis per prata paſcentibus ſolitaria petens loca de genu ferventiſſime orabat; mox nocte incumbente, & grege in ſtabulum coacto, poſt expletam cum ſociis cœnulam, ſolus ad orandum redibat, & cum perdilecto Domino diu, ac familiariter agere proſequebatur. Deus vero O. M. quam ſibi grata, & accepta foret conſtans hæc Felicis pietas prodigio demonſtravit. Quum enim quadam vice devoto in Deiparam, quam ſibi patronam ſtatuerat, cordis affectu permotus cum aliis ſociis ad ſacram Lauretanam ædem accederet, Potentiæ flumen ita excreverat, ut trajici nequaquam poſſet. Hæſerunt omnes; nemo namque periculoſum tranſitum attentare audebat. Unus Felix illud ſemel, atque iterum intrepido, & ſicco pede ſumma adſtantium, & ſociorum admiratione trajecit.

„ Quum ita ſe gerens primos adoleſcentiæ annos attingeret, Hieronymus ejus pater deceſſit. Erat Felici frater natu major Silentius nomine, paternæ artis imitator,

„ tator; vir ingenio aſper, efferata natu-
„ ra, & ad iram facillime pronus. Hic Fe-
„ licem ab agro, ut cœmentariam addiſce-
„ ret artem, qua ſibi in operibus præſto
„ eſſet, domum revocat. Paruit adoleſcens;
„ at difficile dictu eſt, quæ, & quam dira
„ ab inhumano fratre perpeſſus fuit. Quum
„ enim ad ejuſmodi artem natura nequa-
„ quam eſſet idoneus, quoties leviter defi-
„ ceret, aut ſegnius ageret; toties illum
„ Silentius conviciis, pugnis, & verberibus
„ impetitum divexabat, ferreoque etiam
„ malleo crudeliter percutiebat. Accede-
„ bat altera, eaque maxima ita Felicem per
„ ſequendi cauſſa; quia nempe tribus heb-
„ domadæ diebus jejunium agere, & ora-
„ tioni, quoad poterat, vacare volens ab
„ ejuſdem artis ſociis reſectionis tempore
„ oraturus recedebat, quod Silentius ferre
„ haud poterat.

„ Aſperrima tamen hæc dudum admira-
„ bili patientia quum tuliſſet, accidit, ut
„ Nicolaus Minucci honeſtus oppidi Lauri
„ incola, qui fratres, quos Capuccinos vo-
„ cant, domi ſuæ hoſpitari conſueverat,
„ ad columbarii ædificationem Silentium ad-
„ vocarit, qui ſecum in adjutorium Felicem
„ adduxit. Erat Nicolao piiſſima filia Lu-
„ dovica, quæ ſacra lectione plurimum de-
„ lectabatur. Hæc Felicis pietatem, ſingu-
„ laremque abſtinentiam admirata cum eo-
„ dem in amicitiam, parentibus adſentien-
„ tibus, venit; & ut ei morem gereret,
„ frequenter aſceticos libros, illo audien-
„ te, perlegebat. Quadam die, quum Dio-
„ nyſium Carthuſianum de noviſſimis agen-
„ tem lectione pervolveret, tanto timore
„ Felix percitus eſt ob extremi judicii ſeve-
„ ritatem, ut ad eam evitandam aſſereret
„ eremiticam amplecti vitam ſibi neceſſe
„ fore. Illi vero ſubridens Ludovica, non
„ idcirco ad eremum, ſed ad Capuccino-
„ rum clauſtra confugiendum eſſe reſpon-
„ dit, ſuadetque, ſanctos eorumdem mo-
„ res, rigidiſſimamque vivendi rationem
„ deſcribens.

„ Tanto inde ardore religioſum illud pro-
„ fitendi inſtitutum exarſit Felix, ut impa-
„ tiens Tolentinum, fratre inconſulto, adie-
„ rit, & inter Religioſos adnumerari enixis
„ precibus poſtulaverit. Spes tamen illi tan-
„ tum data eſt. In oppidum Lauri proinde
„ reverſus ob clandeſtinum ſuſceptum iter
„ conſuetis a fratre exceptus eſt injuriis, at-
„ que verberibus, quæ de more patientiſſi-
„ me toleravit. At non ideo ab inito pro-
„ poſito revocatus eſt; ſingulis enim feſtis
„ diebus Tolentinum petebat, gratiam, quam
„ poſtulabat conſequuturus; & adeo inſtitit,
„ ut tandem precibus, & lacrymis voti
„ compos factus fuerit.

„ Nondum incœptum columbarii ædifi-
„ cium abſolutum erat, quum Felix ſextum
„ & decimum agens annum, diu exopta-
„ tam ſacram Divi Franciſci tunicam in ur-
„ be Æſina maxima cordis exultatione in-
„ duit, ac Seraphini nomen aſſumpſit.
„ Tyro ita ſe geſſit, ut irreprehenſibilis fue-
„ rit, eaque vitæ integritate, ut poſt an-
„ num unanimi ſuffragantium conſenſu in
„ ſacrum illum Ordinem adoptatus fuerit.

„ Sollemni profeſſione, votiſque elicitis,
„ quum integre ſe ſupremo Numini manci-
„ patum noſceret, ſuccenſus in ejus corde
„ cœleſtis pietatis ardor vividius efferbuit,
„ & per arreptam evangelicæ perfectionis
„ viam alacrius progredi cœpit. Monaſticæ
„ diſciplinæ ſedulus cultor arduas illius in-
„ ſtituti regulas, omneſque auſteritates ad
„ obitum uſque vix imitabili diligentia exe-
„ quutus eſt. Muneribus ſibi impoſitis, etſi
„ laborioſis; apprime tamen, mirumque in
„ modum reſpondit. Erga omnes comes,
„ officioſus, affabilis, alienique honoris, &
„ famæ acerrimus propugnator fuit. Supe-
„ riorum mandatis ſine ulla præcepti cribra-
„ tione, & examine prompto, hilarique
„ animo ſemper paruit; licet pluries ejus
„ generis præcepta forent, quæ ardua, &
„ difficillima, nec non ejuſdem voluntati ad-
„ verſantia viderentur. Imo etiam ſenio
„ confectus, fractiſque quum eſſet viribus a
„ ſuperiore vocatus, obedientia vires ſup-
„ peditante, ad illum velociter accurrebat,
„ ut citius imperanda perciperet, & exe-
„ queretur.

„ Ab

Digitized by Google

„ Ab omnium rerum cupiditate alieniſſimus paupertatem quam qui maxime adamavit. Vix enim, & ne vix quidem neceſſariis utebatur, cellulam humiliorem & obſcuriſſimam, a qua cæteri abhorrebant, perpetuo incoluit. In ea autem præter durum lectulum, & vile ſcamnum ſupellex nulla. Veſtes nonniſi obſoletas, & vetuſtate detritas induebat. Vix ſibi hærebant ejuſdem ſemoralia, ſtrophiola, ſandalia, cingulus; adeout abſolutiſſimum evangelicæ paupertatis exemplum cæteris exhiberet.

„ Præclaris hiſce virtutibus ſingularem vitæ innocentiam, Sacramentorum frequentiam, orationis exercitium, & eximiam in Deum caritatem addidit, quibus ſupremum ſanctitatis apicem eſt aſſequutus. Peccatum enim vel leviſſimum toto vitæ tempore non egit umquam; proindeque, dum ad ſacram exomologeſim accederet, quod expiatione ſoret dignum in eo reperiri non poterat. Quicquid enim ſecundum Deum non eſſet, illud non modo agere, vel cogitare, ſed & audire nefas eſſe ducebat. Quare quum olim Aſculi a nobili quadam fœmina imprudentiſſime ſuaderetur, ut officioſum mendaciolum ad cujuſdam facti excuſationem proferret, ejuſdem temeritate exprobrata, ab ea perturbatus aufugit.

„ Diebus fere ſingulis Euchariſtico pane maxima demiſſione animi reficiebatur, & Miſſæ ſacris quotquot poterat brachiis in formam Crucis extenſis mira religioſitate inſerviebat. Idem orationis, & contemplationis fuit ſtudioſiſſimus. Plerumque diu noctuque orabat; de more vero præter trium horarum ſpatium, quo ſomno indulgebat, reliquum omne tempus aut vocalibus precibus, aut cœleſtium cogitationibus tribuebat: quumque ex cujuslibet rei aſpectu orandi occaſionem arriperet, tunc quoque orabat, quum per vias incederet, in ſecularium domibus adeſſet, & monaſtica munera obiret. Lugubre Dominicæ paſſionis myſterium præ cæteris quotidie meditabatur, & quidem tam intenſo miſerationis affectu, ut in uberrimas diſſolveretur lacrymas, a quibus cohiberi nequaquam poterat, quoties aut ipſe de Chriſti Domini cruciatibus loqueretur, aut alios de iis loquentes audiret. Sæpe etiam dum cœleſtia cogitabat in dulcem ecſtaſim ſopitis ſenſibus rapiebatur, & vultu aliquando explendeſcere viſus fuit. Ardentiſſimus enim erat dilectionis æſtus, quo in Deum ſerebatur, pro cujus gloria mortem oppetere vehementi deſiderio deſiderans ſuperiorem adiit, eumque etiam, atque etiam rogavit, ut ſibi liceret in regiones infidelium abire, ubi ſanguinem pro Chriſto effunderet.

„ Quoniam id non potuit, totum ſe fidelium ſaluti dedidit, quo ſuam in Deum maximam explere poſſet caritatem, ac ſtudium. Itaque omnes a culpis avertere, errantes corrigere, & ad virtutem, pietatemque colendam, necnon ad Sacramentorum frequentiam, virtutumque exercitationem monitis, precibus, minis, factis quoque, & objurgationibus ſumma animi contentione incitare enitebatur. Longum eſſet referre quot ab improba peccandi conſuetudine ad bonam frugem, quot a ſeculi vanitatibus ad honeſtam vitæ rationem revocarit, quot ejus opera, caducis rebus poſthabitis, in clauſtra ſeceſſerint, & evangelicam perfectionem aſſequuti ſint. Illud non prætereundum, quod intelligens alearum ludum ſine crimine haud eſſe, huic indulgentes non ſolum palam coarguere, & increpare, ſed caritatis etiam zelo percitus, ut ab illa peccandi occaſione prorſus averteret, aleas ab eorumdem manibus audacter extortas diſperdere, & laceratas projicere pluries Aſculi viſus ſit, obſtupeſcentibus illis, & præ maxima in VIRUM DEI veneratione, ſilentibus. Quid plura? Satis aperteque quanta ejus in proximum caritas fuit, illud declarat, quod quum plurima ea tempeſtate inter Aſculanas familias inteſtina vigerent diſſidia, & odia graſſarentur, iis occurrit SERAPHINUS, ſanctiſque monitis pervetuſtas inimi-

„ citias

citias feliciter prorſus extinxit; non dubitans ad componendos odientium animos ſune collum circumpoſita in genua ante illos procumbere, eoſque precibus, & obſecrationibus ad concordiam impellere. Hæc ſiquidem glorioſa caritatis facinora quum ab homine geſta ſint genere humili, inter religioſos laico, doctrina, & humana ſapientia experte glorioſiora eſſe videntur.

„ Pauperes quoque, & egenos quantum potuit, aſſentiente Præſide, adjuvit, iiſdemque ea etiam, quæ ſibi in vitam neceſſaria erant, ſæpe largitus eſt. Dimidiato tantum pane eremitæ Paulli ad inſtar quotidie contentus, quod reliquum erat unacum fere integro obſonio famelicis donabat. Imo olim annonæ difficultate urgente perexiguam illam ſibi conſtitutam panis portionem adhuc etiam imminuit, & ad quartam partem redegit; quo tempore res admiranda contigit: quum enim janitoris munus obiret, & ad confluentium inopum famem levandam, quæ ex conſuetudine iis impertiebatur, panis copia non eſſet ſatis, horti olera eiſdem diſtribuere cœpit. Id ut animadvertit cœnobii Præſes, eum de hac nimia in pauperes liberalitate arguit, veritus ne quid ex illa detrimenti communitas caperet. Cui Seraphinus ne vereretur reſpondit; futurum quippe, quod olera in poſterum ita abundarent, ut & ſodalibus, & pauperibus nunquam eſſent defectura. Mirum! Ex eo tempore hortus prodigioſam fœcunditatem induit; quotidie enim ſub veſperas oleribus majori ex parte receſis mane quolibet nova vireſcere conſpiciebantur. Item Guardianus alter quum modicam horti aream eidem aſſignaſſet excolendam, ex qua tantum pauperibus ſuppeditanda colligeret, conditionem accepit vir sanctus; Deoque ejus caritati annuente, hortuli pars illa ſine ullo artis adjutorio tot proferebat edules herbas, quot reliquus hortus proferre nequaquam poterat, quamvis longe major foret, omnique ſtudio, & diligentia coleretur.

„ Nec vero pauperibus tantum ampliſſima Seraphini caritas proſpexit, ſed ſpiritu etiam mœrentes, afflictos, in tribulatione poſitos verborum ſuavitate, ac dulcedine mirum in modum erexit, & recreavit. In carcere vinctos frequenter conſolaturus adibat, ſanctiſque monitis ad patientiam hortabatur, iiſdemque ſolamen ferebat. Infirmos vero tum ſodales, tum exteros cujuſcumque generis maxima cordis miſeratione proſequebatur. Eos enim non ſolum ad perfectam cum Domino conſormitatem ſacris colloquiis excitabat, ſed inſuper illis peramanter inſervire, neceſſaria quælibet miniſtrare, viliſſima ad eorum commodum obire munia, atque ut convaleſcerent Deum fervide deprecari aſſuevit. Ab iiſdem vocatus nuſquam ire renuit, nec vocatus etiam opem allaturus ad eos accedebat. Vix itaque novit improbum prædonum ducem Marcum Sciarra nomine ex gravi recepto vulnere in Divi Antonii cœnobio prope Aſculum ſito ægrotantem eſſe, quum ſtatim illuc ſe contulit, eique dum maxima animi voluptate omne adjutorium, & adſiſtentiam præbuit, optima quoque, ut ſui moris erat, tradidit pietatis monita, quibus prædo ille ſe non mediocriter commotum cæteris confeſſus eſt.

„ Quantum vero erga alios comes, affabilis, miſericors, & amans erat, tantum ſui ipſius durus carnifex, & contemptor fuit. Corpus diræ pœnitentiæ actibus perenniter excruciavit. Cilicio enim aſperrimis pilis contexto ad nudata membra ſemper præcinctus, diebus ſingulis flagello ex clavorum acuminibus conſtructo mira fortitudine ad largam uſque ſanguinis effuſionem ſe cædebat. Detritis, & adeo obſoletis utebatur ſandaliis, ut pedes per ſolum continuate obreperet; quodque admirabilius eſt dehiſcentem inde, fractamque pellem acu non ſemel intrepida manu aſſuere viſus fuit. Diurnis laboribus defatigato, fractoque corpori neceſſariam negabat requiem; aut enim inſomnes integras noctes ducebat, aut breviſſimo trium

„ hora-

„ horarum Spatio non in lectulo cubans, ſed
„ vel conſidens, vel ſcamno capiti ſubpo-
„ ſito dormitabat; ut in ipſa, quam capta-
„ bat requie, quod pateretur non deeſſet.

„ Diriſſimis hiſce cruciatibus ſingularem
„ abſtinentiam adjunxit. Eam quippe vi-
„ ctus legem ſibi conſtituerat, ut fere ſem-
„ per jejunaret. Enim vero ſtatuta ſacri il-
„ lius Ordinis, diuturnaque jejunia non mo-
„ do nuſquam violavit, ac fregit, ſed inſu-
„ per in iis a veſpertina refectiuncula ſem-
„ per ſe abſtinuit. Ter præterea hebdoma-
„ da quaque, ut jam inde ab adoleſcentia
„ conſueverat, rigidiſſimam ſolo pane, &
„ aqua inediam ſuſtulit, ex qua eam corpo-
„ ris cacheſiam contraxit, ut ſanguinem
„ mingeret. Reliquis autem diebus panis
„ exigua tantum parte, & ſola paſcebatur
„ pulte; inſipida tamen, & quæ confratri-
„ bus eo die, aut pridie ſuperfuiſſet, eam-
„ que ſæpiſſime cinere etiam aſpergebat,
„ ut magis ingrata foret, & palati guſtum
„ amaricaret. Cæterum extra refectionis tem-
„ pus adeo conſtanter omnem cibum, po-
„ tumque reſpuit, ut licet æſtivo tempore
„ mendicantis munus exercens ſiti ureretur,
„ & ab amicis ad vinum deguſtandum pro-
„ vocaretur, nuſquam iis blanditus fuerit,
„ nec biberit unquam.

„ Corpore tam diris auſteritatibus perfe-
„ ctam in ſervitutem redacto, virginitate,
„ & caſtitate perquammaxime claruit. Tan-
„ tæ enim virtutis venuſtatem, qua in rege-
„ nerationis lavacro donatus fuerat, inte-
„ gram cuſtodivit, & ne leviter quidem quo-
„ ad vixit obumbravit. Ferunt enim aut
„ nunquam, aut rariſſime inhoneſtis cogita-
„ tionibus, & inordinatis carnis motibus fuiſ-
„ ſe impetitum, eoſque facile compreſſiſſe.
„ Modeſtus quippe erat, & verecundus ſu-
„ pra quam credi poſſit. Licet ob mendi-
„ cantis, & janitoris officium perſæpe mu-
„ lierea alloqui cogeretur; oculos tamen
„ aut in terram dejectos, aut in Cœlum ela-
„ tos ab ipſarum viſu avertebat.

„ Tot quum floreret virtutum opibus, &
„ magno ab omnibus haberetur in pretio,
„ viliſſimam tamen ſui opinionem fovit.
„ Nullius criminis ſibi conſcius, conſtan-
„ ter tamen ſe ſceleſtiſſimum eſſe, & pec-
„ catorem maximum dijudicabat, & affe-
„ rebat. Manus ſibi ab aliis oſculari non ſi-
„ vit unquam; & quia olim ſibi per vias
„ incedenti furtive tunicæ fruſtulum præci-
„ ſum fuit vehementer contriſtatus eſt. Sin-
„ gulari ſtudio virtutes, & cœleſtia, qui-
„ bus affluebat dona celabat. Humanas nam-
„ que laudes, populorum plauſus, & æſti-
„ mationem faſtidiens contemni, & pro ni-
„ hilo haberi unice peroptabat. Quare
„ quum ad prandium olim ab Aſculi Cardi-
„ nali Epiſcopo; alias a nobili quodam ci-
„ ve invitatus eo ire compulſus fuerit, ab
„ utroque convivio non ſine maximo hu-
„ militatis fructu receſſit. In priori enim,
„ ut rudis, & agreſtis irrideretur, ovum ſub
„ menſæ initio abſorbens in barbam, ac men-
„ tum conſulto effudit; in altero vero li-
„ quidam pultem fuſcinula carpens, quaſi
„ vellet nobilium urbanitatem imitari, va-
„ cuam ori admovebat, quibus illud conſe-
„ quutus eſt, ut commenſales in utraque
„ menſa ad riſum, ſuique contemptum im-
„ pulerit.

„ Quid autem de ejus patientia dicam,
„ quæ tanta fuit, ut merito patientiæ mar-
„ tyr ſit appellandus? Ut enim ea, quæ ſu-
„ pra commemoravimus a germano illata
„ prætermittam, dici vix poteſt quam ſeve-
„ re, ne dicam crudeliter a religioſis Præ-
„ ſidibus ob ſuam ingenii tarditatem mulcta-
„ tus fuerit. Atqui VIR SANCTUS omnes non
„ modo contumelias, & jurgia, ſed caſti-
„ gationes etiam pene quotidianas tam læto
„ animo perferebat, ut hinc eas contemne-
„ re quidam ſuſpicati magis magiſque illum
„ divexarent. Eos quoque, qui ipſum probe
„ noverant, ad ejus virtutem amplificandam
„ non minus ſeveros experiebatur. Quam-
„ quam non inficior initio vexationis iſtius
„ tam vehementer perturbatum fuiſſe, ut
„ animo fere prorſus ceciderit. Qua tamen
„ mentis perturbatione divina voce, quum
„ ante ſacram Synaxim Dei opem lacryma-
„ bundus imploraret, levatus eſt. Quapro-
„ pter ex eo tempore ad quadraginta, &

„ am-

„ amplius annos non modo inflictas offenſio„ nes, pœnaſque hilariter toleravit; ve„ rum etiam ſollicite perquiſivit; perinde „ ac ſi maximis ea ratione beneficiis afficeretur. De quibus ut afficientibus gratias „ ageret, eis plaudebat, ac manus etiam, „ pedeſque humiliter oſculabatur.

„ Eadem manſuetudine, iiſdemque gra„ ti animi ſignificationibus erga correligio„ ſos, cæteroſque omnes ſibi injurios uſus „ eſt. Fuerunt enim, qui aut dæmonis im„ pulſu, aut ad periculum de Seraphini vir„ tute faciendum in ipſum contumelioſis „ verbis, factiſque inſævierunt. Sceleſtiſ„ ſimus homo gravem ei alapam ſummâ „ olim temeritate impegit. Item religio„ ſus quidam, ut tentaret eum, poſtquam „ ad ſe conſulto advocatum veteratoris, „ hypocritæ, & impoſtoris nota coram ad„ ſtantibus inuſſit, barbam apprehendit, „ atque per ſummum dedecus plures inde „ pilos avulſit, quin tamen utraque injuria „ vir dei vel minimum commotus fuerit. „ Tandem religioſus alter (rem certe om„ nium admiratione digniſſimam!), qui ſin„ gularem Seraphini virtutem commendari „ audierat, ſatana inſtigante, manum plum„ bea lamina armatus tam gravi ictu nu„ datum ejus caput oppetiit, ut ſtupidum, & „ a ſenſibus prorſus alienum effecerit. Vix „ autem ſibi redditus eſt dei vir, quum „ percurſorem ridenti vultu reſpiciens San„ ctuli decoravit nomine; & ac ſi grande „ aliquod beneficium ab eo reportaſſet, „ bona illi, & benedictionem a Domino de„ precatus fuit.

„ Externis hiſce injuriis, quibus ab ho„ minibus perpetuo laceſſitus eſt tum per„ moleſtæ ægritudines, quas patientiſſime „ ſemper tulit, tum diræ ſatanæ vexatio„ nes, Deo ſic diſponente, ſuperadditæ „ fuere, ut ejuſdem virtus undequaque „ probata perficeretur, & glorioſior eluce„ ſceret. Teterrimus enim humani generis „ hoſtis tantam in Seraphino virtutem in„ videns ad eam labefactandam duriſſimum „ cum ipſo certamen iniit, in quo uſque „ eo proceſſit, ut aſſiduis infeſtationibus „ minas etiam, moleſtias, diraque verbera „ adjecerit. Modo enim de genu orantem „ pedibus pertrahebat; modo in aerem „ ſublatum ſolo moliebatur allidere; & ſæ„ piſſime in ſublime raptum, atque in ædi„ culam in viridario ſitam deportatum di„ riſſimis plagis conſuevit afficere, ut ab „ orationis ſtudio avocaret. Verum hæc, „ aliaque dæmonis molimina inania prorſus „ ſuere. Firmiſſima enim Seraphini pa„ tientia non ſolum ab iis vinci non potuit; „ quin imo inter moleſtias, & verbera, „ ſibi complacens malas dæmonis artes „ deſpicabatur, eidemque exprobrans in„ trahendo, & incedendo ſegnitiem, ut va„ lidius pedes pertraheret, diriuſque cor„ pus cæderet, provocabat. Atque hinc In„ ferni ſpiritus Seraphini præſentiam adeo „ in poſterum reformidarunt, ut ab eo au„ fugerent, eoque adventante ab obſeſſis ho„ minum corporibus ſtatim diſcederent.

„ Jam vero ſupremam perfectionem per „ aſſiduum virtutum omnium, & patientiæ „ præſertim exercitium conſequutus erat Se„ raphinus, quum illam D.O.M. ſupernis „ cariſmatum donis cumulatiſſime ornatam „ hominibus perſuadere voluit. Etſi autem „ profunda beati viri humilitas diligentiſſi„ me ſemper cavit, ne panderentur; atta„ men id fieri nequaquam potuit. Prophe„ tiæ enim, & ſcrutationis cordium dono „ maximopere excelluit, atque ecſtaſes, „ cæleſteſque raptus habuit plurimos, in „ quorum altero Beatiſſimam Virginem viſi„ biliter conſpexiſſe perhibetur.

„ Aſt miracula operandi virtus ſupra cæ„ tera Spiritus Sancti cariſmata in ipſo emi„ cuit. Simplici enim Crucis ſigno febribus „ laborantes, hydrope affectos, ulceribus, „ gangrenis, carcinomatibus diſcruciatos, „ lethali percuſſos vulnere prodigioſe, & de „ repente ſanavit. Claudi greſſum, cœcis vi„ ſum reſtituit, vinumque corruptum ſe„ mel, ac iterum in optimum convertit, „ & mirabiliter ad integræ Familiæ utilita„ tem perauxit. Hæc autem quum omnibus „ nota eſſent, factum eſt, ut ad illum ægro„ tantium turba confluerent, quo a languo„ ribus

„ ribus ſuis ſanarentur. Quare aliquando per
„ Ulmi montem facieoti iter tam ingens
„ populi agmen occurrit, ut vix, pallio,
„ & tunica obtruncata, & diſſecta, inco-
„ lumis potuerit ex illo emergere. Inſuper
„ quum in cœnobio Montis Granarii dege-
„ ret, adeo perauċta eſt infirmorum ad eum
„ affluentium multitudo, ut pluries inte-
„ grum diei ſpatium in illis benedictione
„ ſanandis impenderet. Porro quia tumul-
„ tuoſa hæc languentium turba faſtidium,
„ ac moleſtiam concœnobitis afferebat ma-
„ ximam, parum fuit, ut Guardianus, ſi-
„ cut SERAPHINO minatus erat, obedien-
„ tiæ præcepto datam cælitus miracula pa-
„ trandi poteſtatem coerceret. Quamvis
„ autem id perfectum non fuerit; atta-
„ meo, ut ab importuna populi frequen-
„ tia cœnobium illud liberaretur, in Aſcu-
„ li conventum SERAPHINUS miſſus eſt.

„ Virum porro tot, tantiſque virtutibus
„ inſignitum, & ſupernaturalibus donis tam
„ abunde ditatum non vulgus tantum, ſed
„ viri etiam doctrina, pietate, prudèntia,
„ ac dignitate præſtantes unanimiter ſanctum
„ eſſe aſſerebant, & conclamabant. Illum
„ cujuſcumque ſexus, ac conditionis homi-
„ nes, ut in ſpiritualibus egeſtatibus conſu-
„ lerent, ejuſdemque apud Deum preces ob-
„ tinerent, frequenter adibant. Illum ægro-
„ ti omnes vehementer exoptabant, deper-
„ ditam corporis ſanitatem ex ejuſdem præ-
„ ſentia ſibi certiſſime pollicentes. Illi per
„ vias incedenti nonnulli veſtes præſcinde-
„ re, fere omnes manus, aut pallium in
„ venerationis argumentum, quamvis ipſe
„ reluctaretur, devote tamen deoſculari
„ conſueverunt.

„ Sexagenario major erat, & jamdiu ex
„ aſpera vivendi ratione, potiſſimum vero
„ ex diuturnis jejuniis gravem pectoris mor-
„ bum nactus erat, quo velut peracuto ſpi-
„ culi mucrone confodiebatur. Sibi in eo
„ perferendo maximopere complacens tan-
„ ta æquanimitate ejuſdem moleſtias, acer-
„ boſque dolores adhuc uſque toleraverat,
„ ut nemini eos aperuerit. Invaluit morbus
„ tunc temporis, cœleſtique lumine no-
„ vit SERAPHINUS vitæ occaſum, quem diu
„ ardentiſſime concupierat, ſibi imminere.
„ Ut Eccleſiæ Sacramentis in eo, quo ver-
„ ſabatur vitæ diſcrimine, opportuno tem-
„ pore inſtrueretur, inſtantem ſibi mortem
„ conſodalibus renunciavit, eos rogans, at-
„ que obſecrans, ut ſacrum corporis Chri-
„ ſti Viaticum ſibi deferrent. Verum quia
„ morbi vis extrinſecus non eruperat, me-
„ dicus, & ſodales tanti eum non facie-
„ bant, ut SERAPHINI verbis haberent fi-
„ dem; præſertim quum nec febri correptus
„ eſſet, nec in lectulo cogeretur decum-
„ bere. Itaque, ut iteratis ejuſdem preci-
„ bus fieret ſatis, poſtrema adveniente die,
„ 12. ſcilicet Octobris anni 1604. Euchari-
„ ſtiæ Viatico illum roborarunt. Satis expli-
„ cari non poteſt quænam fuerit pietas, qui
„ amoris æſtus, qui animi ſenſus, cordiſ-
„ que affectus, quibus prope jam moriturus
„ divinum hoſpitem excepit, & inter ejuſ-
„ dem amplexus uſque ad tertiam poſt me-
„ ridiem horam perſeveravit. Poſt hæc ſa-
„ cro infirmorum Oleo poſtulat inungi. Re-
„ nuunt ſodales rati nondum in vitæ diſcri-
„ mine ægrotum obverſari, quos ille futu-
„ rum admonuit, ut quod præſenti tempo-
„ ris opportunitate negligerent, paullo poſt
„ feſtinanter exequi cogerentur. Et ſane
„ mox poſtquam genuflexus in lectulo ad bo-
„ ram ferventiſſime oravit, oculos in Cœ-
„ lum ſuſtulit, Deumque obſecravit, ut quo-
„ niam loquenti ſibi nulla a ſodalibus ha-
„ bebatur fides, ipſe Dominus loco ſui loque-
„ retur. Vix hæc protulerat, quum ſtatim
„ repentino eum deliquio corripi, palleſce-
„ re vultu, rigere membris, cadavericam
„ formam, & imaginem induere, aliaque
„ proximæ mortis feralia ſigna præferre
„ animadvertentes qui aderant extremæ
„ unctionis Sacramento pluſquam propere
„ munierunt. His peractis, VIR DEI placi-
„ diſſimo vultu ſanctiſſimam efflavit ani-
„ mam.

„ Verens Guardianus, ne tumultus in
„ cœnobio, & Eccleſia fieret, vetuit cam-
„ panæ ſonitu SERAPHINI mortem ſignifica-
„ ri; ratus, quod ita inſcio populo funus
„ ſine

„ ſine ſtrepitu abſolveretur. At non ideo, „ quod veritus erat non accidit. Deus enim, „ qui viventis adhuc ſanctitatem tot muneribus, & cœleſtibus ſignis oſtenderat, ejuſdem pretioſam mortem inhonoratam noluit. Illam igitur ex ore infantium, & „ lactentium, per quos ſervorum ſuorum laudes ſolet perficere, in vulgus manifeſtavit. Pueri enim quidam cœleſti impulſu permoti per urbem incedentes ſanctum „ virum mortuum fuiſſe conclamarunt. Vix „ rumor obtinuit, quum fere tota civitas „ unacum primatibus ad cœnobium accurrit, ſacrumque defuncti cadaver poſtulat „ intueri. In Eccleſiam itaque defertur, ubi „ promeritis laudibus, & præconiis undique „ perſonantibus a devota populi turba exceptum fuit. Tum vero uoiverſi turmatim ad illud accedere, ſacras exuvias deoſculari, & amplecti; quidam capitis capillos avellere, quidam barbam præſcindere, ungues obtruncare, univerſi vero veſtes certatim diſcerpere viſi ſunt; adeout „ denudatum corpus tertio ac iterum nova „ tunica operiri neceſſe fuerit. Imo ni prudentum conſilio Eccleſiæ fores fuiſſent occluſæ, & ſacri cadaveris cuſtodia non minus, quam decem ab initio viris fuiſſet tradita, membratim, & in fruſtula diſcerptum, & cæſum certo fuiſſet a maxima, „ ſed inordinata populi pietate. Hæc enim „ magis in adſtantibus ſuccenſa eſt, & efferbuit, SANCTI VIRI corpus, ac ſi animatum „ foret, prodigioſa mollitie, & flexibilitate præditum, necnon ſuaviſſimo, cœleſtique flagrans odore dignoſcentibus. „ Quum itaque magnus hic fidelium concurſus nequaquam decreſceret, non potuit niſi poſt biduum, & quidem ad multam noctem venerabile corpus ſepeliri. „ Tunc enim, confluentium, & adſtantium „ turba aliquantulum imminuta, minuſque „ urgente, lignea in capſa incluſum, quæ „ publici ærarii ſumptibus ſerico intus fuerat ornata in peculiari tumulo de ſeniorum urbis imperio compoſitum tandem „ fuit.

„ Tumulato cadavere conſepulta non fuit „ SERAPHINI memoria, nec populi erga eum „ veneratio deſerbuit. Statim enim quamplures ejuſdem imagines impreſſæ fuere, „ ac depictæ, quarum altera in magiſtratus „ palatio, altera ad ejus ſepulcrum appenſa fuit. Non Aſculani tantum cives, ſed „ exteri quoque tum ex proximis, tum ex „ diſſitis etiam regionibus ad ejus ſepulcrum „ venerabundi, & frequentes accedere viſi „ ſunt, vel ut beneficia poſtularent, vel „ ut de receptis gratias debitas redderent. Quum vero in dies ſingulos beneficia, & miracula BEATI VIRI nomine invocato Deus ingeminaret; hinc popularis „ iſte concurſus mirifice ſemper percrebuit. „ Tot inde votivis tabellis, pretioſis donariis, aliiſque grati animi monumentis templi parietes circumornari cœperunt, ut „ brevi neceſſe fuerit antiqua auferre, ut novis daretur locus.

„ Itaque quoniam optima de SERAPHINI „ ſanctitate opinio, & fama alte ubique obtinuerat, pati non poterant Aſculani religioſi cives SANCTI VIRI ſepulcrum ſine „ publico honore eſſe; quare anno 1610. „ preces ad Paullum PP. V. miſerunt, ut „ ardens perpetuo lampas ante illud ſiſteretur, quibus Pontifex benigniſſime annuit. „ Tum vero quum Aſculanus Antiſtes informativum Proceſſum ſuper fama ſanctitatis, & virtutibus, ac miraculis compilaſſet, Cauſſa in Sacrorum Rituum Congregatione die 7. Junii 1625. diſcuſſa, ſecundum tunc temporis diſciplinam reſcriptum „ fuit: Poſſe concedi litteras remiſſoriales „ ad effectum inquirendi in ſpecie in prælaudata Cauſſa. Litteris expeditis, Proceſſus auctoritate Apoſtolica inſtructus fuit; „ attamen neceſſariis deſtituta præſidiis, & „ oneri expenſarum ferendo impar ſiluit „ Cauſſa hæc uſque ad annum 1704., quo „ tempore aperti fuerunt Proceſſus jamdiu „ abſoluti.

„ Prodierant interim decreta noviſſima „ a Ven. Innocentio PP. XI. confirmata, „ in quibus vetitum erat quamlibet hujus generis Cauſſam ante Urbani VIII. decreta „ initam proſequi poſſe, ni prius ſignata fo-

 „ ret

„ ret Commiſſio reaſſumptionis; id quod in hac Cauſſa ſub Clemente XI. anno 1712. obtentum ſuit. Probato ſubinde cultu in vim Pontificii indulti BEATO VIRO exhibito, & caſu excepto a decretis Urbani, tandem Benedictus XIII. anno 1726. particulari Cardinalium Sacris Ritibus præpoſitorum Congregationi virtutum BEATI VIRI examen demandavit.

„ Dum hæc geruntur, facultas ab eodem Pontifice menſe Auguſti ejuſdem anni data eſt ſacrum SERAPHINI cadaver a veteri ſacello ad novum recens conſtructum, eidemque dicatum publice transferendi. Dein vero, anno ſcilicet 1729. idem Pontifex benigne etiam indulſit, ut ab univerſo Ordine Minorum S. Franciſci, & ab utroque Clero tum civitatis, & Diœceſis Aſculanæ, tum oppidi Montis Granarii Officium de communi Confeſſorum non Pontificum ſub ritu duplici quotannis recitaretur, & Miſſa in BEATI VIRI honorem celebraretur die 12. Octobris, quæ mortis ejuſdem dies erat anniverſaria.

„ Vita functo Benedicto XIII. Clemens Papa XII. ejuſdem ſucceſſor B. SERAPHINI virtutes, quarum examen particulari Cardinalium conſeſſui commiſſum fuerat, in ordinaria Sacrorum Rituum Congregatione diſcutiendas voluit, quæ, quum probationibus directis, ſeu teſtibus de viſu inniterentur, tandem die 19. Maii 1733. approbatæ fuerunt.

„ Abſoluto poſt hæc Apoſtolico Proceſſu ſuper miraculis poſt indultam SERAPHINI venerationem a Deo patratis, probata prius ejuſdem Proceſſus validitate, illiſque diſcuſſis in Generalibus Comitiis habitis coram SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO CLEMENTE PP. XIII., cui Deus ſollemnem BEATI SERAPHINI Canonizationem reſervaverat, duo hæc idem PONTIFEX approbavit in tertio genere. Primum nempe inſtantaneæ ſanationis Januarii Ranalli a peſſimo ulceroſo tumore ſub ſiniſtram axillam; alterum perfectæ ſanationis Ugonis Antonii Carletti hominis valde ſenis a paralyſi manus ſiniſtræ.

„ His expletis, quum nulla adeſſet difficultas, quominus BEATO VIRO cœleſtes in terris honores decernerentur, & tuto illi decerni poſſe univerſi Patres aſſererent, idem SUMMUS PONTIFEX Sancti Spiritus tum propriis, tum aliorum precibus implorato lumine, die 12. Octobris anni 1766. ſollemnem jamdiu a fidelibus cunctis præſtolatam B. SERAPHINI Canonizationem maximo omnium populorum plauſu, ac ſpirituali lætitia decrevit. Unum, quod ſupereſt, nempe decreti hujus executio, illud eſt, quod Catholici omnes, maxime vero Aſculani cives, Montis Granarii incolæ, totiuſque Provinciæ Picenæ habitatores unacum univerſa Minorum S. Franciſci Capuccinorum Familia enixe, & impatienter expectant, ardentiſſimo deſiderio deſiderant, & urgentiſſimis precibus ab Apoſtolica Sede poſtulant, & deprecantur.

COMPENDIUM.

Vitæ, virtutum, & miraculorum, necnon actorum in Cauſſa Canonizationis B. JOANNÆ FRANCISCÆ FREMIOT DE CHANTAL Fundatricis Ordinis Viſitationis Sanctæ Mariæ: ex Secretaria Congregationis Sacrorum Rituum.

„ Divione, quæ urbs eſt princeps in Burgundiæ Ducatu, ex nobiliſſimis in ea Provincia, totaque Gallia parentibus Benigno Fremiot, & Margarita Berbeſia edita in lucem fuit decimo Kalendas Februarias anni 1572. JOANNA FRANCISCA, cujus vitam compendio complectimur. Aquis abluta luſtralibus, ſanctaque a primis annis inſtituta educatione clariſſima ab eo tempore præbuit argumenta, fuiſſe prælectam a Domino, ab eoque præventam in benedictionibus dulcedinis, & lenitatis. In ea nihil irarum, nihil pervicaciæ, nihil aſperitatis, ſed quæ parentibus docilem, & ad Deum perpetuo converſam ſignificarent. Religionis Catholi-

„ cæ

„ eæ ſtudio ab ipſa infantia adeo exarſit, ut
„ & pie martyribus invideret, & hæreticos,
„ quorum tum erat in Gallia maxima mul-
„ titudo, non modo erroris argueret, at-
„ que perfidiæ, ſed plane convinceret. Con-
„ tigit aliquando, quum annum ætatis quin-
„ tum nondum excederet, ut caſu audiret
„ hæreticum de veritate Corporis Chriſti in
„ Sacramento Euchariſtiæ juxta Calvini ſeo-
„ tentiam cum patre de religione Catholica
„ optime merito diſputantem, atque impia
„ profereotem. Contineri puella non potuit,
„ quin acta eo ſpiritu, qui linguas infan-
„ tium facit eſſe diſſertas, & propter inimi-
„ cos ſuos perficit laudem ex ore lactentium,
„ ad eum converſa diceret: mentitus ne
„ igitur eſt ſumma veritas Chriſtus, quum
„ carnem ſuam verum cibum eſſe, ſuumque
„ ſanguinem verum potum claris, nec ſal-
„ lacibus verbis edocuit? Attonitus, & ex-
„ tra ſe pene raptus ſpiritum ad hæc verba
„ continuit hæreticus: quumque eum æque
„ puderet, & cum tam parvula virgine de
„ fidei dogmate decertare, & veritatem,
„ ea docente, fateri, ad eam placandam,
„ deliniendamque bellaria quædam protulit;
„ ſed ab iis abhorrens virgo tenellula ea non
„ manibus, ſed ſerico, quod ante pectus
„ gerebat, excepit: inde in ignem confeſtim
„ projecit dicens, hæreticos eodem modo
„ in inferis comburendos, qui fidem iis mi-
„ nime haberent, quæ Chriſtus dixit. Ocu-
„ lis poſtea converſis ad tabulam, in qua
„ Sancti Apoſtoli Petrus, & Paulus depicti
„ conſpiciebantur: ſi Regi, inquit, men-
„ dacii notam inureretis, pater vos meus
„ morte multaret (Senatui is præerat Di-
„ vionenſi): cum vobis impudentiſſime
„ agentibus mendaciorum reus appareat
„ Chriſtus Dominus, duo hi Apoſtolici Se-
„ natus Principes æterno vos igne damna-
„ bunt.

„ Tam præclara in excolenda virtute,
„ tuendaque religione principia de inſueto
„ aliquo divinæ gratiæ portento in JOANNA
„ FRANCISCA pro futuris temporibus conje-
„ cturam faciebant minime dubiam: quum
„ adultior facta duo ſubiit innoceotiæ amit-
„ tendæ, & fortaſſe religionis labefactan-
„ dæ pericula. Patre annuente poſt obitum
„ genitricis domi eam ſuæ tenebat ſoror na-
„ tu major viro jam pridem nupta inprimis
„ nobili, ac diviti, non tam ut eam edu-
„ caret, & erudiret, quam quia piis, &
„ ſuaviſſimis ejuſdem moribus delectabatur.
„ Erat in ea domo mulier ſane vaferrima ex
„ iis, quæ ſub ſpecie honeſtatis, & probi-
„ tatis occultant vitia vitæ turpiſſimæ. Hæc
„ primo in gratiam JOANNÆ ſeſe callide
„ inſinuare, ejuſque benevolentiam ſibi con-
„ ciliare, poſtea amorem ſeculi paulatim
„ infundere, mundique illecebras, & volu-
„ ptates artificioſe inſtillare: inde pietatem
„ imminuere: demum nihil reliquum facere
„ quod videretur poſſe conferre ad virginem
„ depravandam, eamque innocentia, vitæ-
„ que candore ſpoliandam. Reſtitit ſemper
„ tamen conſtantiſſime fortis virgo: implo-
„ ratoque de Cœlo Deiparæ patrocinio,
„ quam, genitrice defuncta, ſibi in matrem
„ elegerat nunquam interituram, conatus
„ omnes mulieris impudentiſſimæ eluſit, in-
„ nocentia ſervata, relatoque inſigni de in-
„ fernali hoſte triumpho.

„ Magnum hoc beneficium per Deiparam
„ a Deo JOANNÆ collatum aliud excepit
„ non minus grande, & peculiare. Matri-
„ monio eam ſibi copulare deſiderabat juve-
„ nis eques fortunæ naturæque dotibus cu-
„ mulatiſſimus, ſi hæreſim Calvinianam ex-
„ cipias, qua ejus animus, ſecreto tamen,
„ erat infectus. Has nuptias, quandoqui-
„ dem honeſtiſſimæ videbantur, probabant
„ quammaxime & ſororius & ſoror. Ita-
„ que ut aſſenſum extorquerent a JOANNA
„ FRANCISCA, omnem operam adhibue-
„ runt, eamque fortaſſe non perdidiſſent,
„ niſi impia hominis religio manifeſtata di-
„ vinitus patuiſſet. Quum enim illa de mo-
„ re in omnibus, tum vero præcipue in re
„ tanti momenti ad Deum precibus confu-
„ giſſet, Deipara in advocatam adhibita,
„ divino illuſtrata lumine intimas hominis
„ latebras penetravit, animumque erroribus
„ Calvinianis imbutum, quos celare cautiſ-
„ ſime ſatagebat, oe nuptiis cum virgine

„ reli-

„ religionis Catholicæ ſtudioſiſſima contra„ hendis eſſent impedimento. Re pateſa„ cta, propoſitum connubium ita perhor„ ruit, ut de eo cogitare non poſſet, quin „ periculi, in quo verſata fuerat, magni„ tudine exterrita totis artubus contremi„ ſceret. Tum ſorori ſororioque, cæteriſ„ que, qui aderant, omnibus conteſtando „ denunciavit, carcere ſe perpetuo mace„ rari, mortemque millies ſubire malle, „ quam cum eo conjungi, qui hoſtis eſſet „ Eccleſiæ. Hinc domum, in qua jam bis „ innocentiæ, religionique ita timuiſſet, „ habere faſtidio, paternam deſiderare, „ Deumque precibus exorare, ut a patre „ revocaretur, quod inſperato, & contra „ omnem expectationem obtinuit.

„ Patri vero ſic ſe probavit diligentem „ officii, frugi, prudentem, navam, mo„ deſtam, comem, facilem, ejus volunta„ ti obſequentem, divino cultui ſervien„ tem, domeſticorum curam habentem, ut „ ſummam ex ejus conſortio, & contuber„ nio ille caperet voluptatem. Nullæ in „ ejus victu ſingulares deliciæ, nulla mol„ lities in moribus, nulla in veſtitu luxuria; „ ſed eximia in Deum, atque Deiparam „ pietas, magnus Cœlitum cultus, ſummum „ precandi ſtudium, amor in pauperes ſin„ gularis. Hiſce virtutibus omnium oculos, „ animoſque in ſe ita convertit, ut a pluri„ mis Galliæ primoribus, & nobiliſſimis in „ ſponſam honeſtiſſimis conditionibus expe„ teretur. Pater autem, etſi eam a ſe ægre „ dimitteret, ne tamen magis ſuo, quam „ filiæ bono, commodoque conſulere vide„ retur, eum potiſſimum cenſuit ſeligendum, „ quem & antiquitas generis, & familiæ „ opulentia, & corporis, animique ſpecta„ tæ dotes maxime commendabant. Fuit „ is Chriſtophorus Rabutinius dominus de „ Chantal honoris gratia a regio cubiculo. „ Ad caſtitatem ſervandam libentiori animo „ ferebatur JOANNA FRANCISCA; paruit ta„ men, & voluntatem patris pro ſuo in eum „ obſequio ſuæ credidit præferendam.

„ In novo vitæ genere non ſolum comi„ tes ſemper habuit virtutes priſtinas, ſed „ majori luce fulgentes, & ex aliarum acceſ„ ſione ſpectabiliores. Fortem illam mulie„ rem æmulata, quam Spiritus Sanctus tot „ laudibus cumulavit, ſeſe illi conformem „ fieri ſic ſemper ſtuduit, ut vulgare mini„ me fuerit, ſed procul, & de ultimis fini„ bus pretium ejus. In rebus domeſticis „ diligenter adminiſtrandis, in familiaribus „ prudentiſſime dirigendis, in prole pie re„ ligioſeque educanda, in viro ad pietatis „ officia perducendo, in pauperibus magnis „ largitionibus ſublevandis, in ægris blande „ inviſendis, & conſolandis, in ſubditis ſi„ bi populis adjuvandis, in Marthæ mune„ re cum Magdalenæ contemplationibus con„ jungendo laudem meruit immortalem. „ Nemo illam otioſam vidit, nemo ceſſan„ tem, nemo fallaci gratiæ, vanæque pul„ chritudini ſervientem, nemo cumulandis „ opibus inhiantem, nemo voluptatibus in„ dulgentem, nemo famulis ſuperbe, & cru„ deliter imperantem, ſed unice Deo, ſi„ bi, familiæ ſuæ, ſuorumque utilitati, & „ ſaluti vacantem. Itaque viro per uxorem „ ſanctam ſanctificato, prole ad pietatem, „ & religionem exercita, cæteris in timo„ re Domini caute ambulantibus, regnabat „ in ea domo pax magna, tranquillitas ſum„ ma, felicitas rara.

„ Hactenus proſpera. Quoniam vero ac„ cepti erant Deo piiſſimi conjuges, neceſ„ ſe fuit, ut non levis probaret utrumque „ tentatio: eaque virtus, quæ in ſecundis „ ſic enituerat, multo major eluceſceret in „ adverſis. Invitatus ad venationem Chri„ ſtophorus a conſanguineo morem libenter „ eidem geſſit; ſed inter venandum, dum „ ille feras ardenter nimis inſequitur, igni„ ta baliſta repente, & imprudenter explo„ ſa, Chriſtophorum pro fera ſumptum gra„ viſſimo vulnere in coxendice fauciat. Quo „ ille accepto domum delatus, quum nihil „ remediis adhibitis profeciſſet, poſt aliquot „ dies interiit, datis tamen æternæ ſalutis „ ſuæ argumentis, quæ plerumque non fal„ lunt. Nam tantum abſuit, ut maledice„ ret interfectori, ut eidem ſtatim oſculum „ pacis ſinceræ præbuerit: mortem ex Dei

„ volun-

„ voluntate profectam libenter admiſerit :
„ Sacramenta Eccleſiæ non minus ſtudioſe
„ petierit, quam ſumpſerit religioſe : Deo
„ ſupremo omnium patri filios obtulerit, &
„ commendaverit : & eonjugem eonſolatus
„ auctor ei primus ſuerit, ut loco ſui Chri-
„ ſtum Dominum uberiori longe ſœnore ſpon-
„ ſum aceiperet, adverſus quem nullum eſſet
„ mortis imperium. Tantum ille Joanna
„ Francisca uxore duee in virtute proſe-
„ eerat.

„ Viri caſum dolentiſſime quidem, ſed
„ religioſo chriſtianoque animo ſui victrix
„ tulit Joanna Francisea. Humi proſtrata
„ divina judicia humillime venerata ſpon-
„ ſum & ſemetipſam in holocauſtum divinæ
„ obtulit voluntati. Secum poſtea reputans,
„ quid eo eaſu a ſe Deus vellet, quid por-
„ tenderet, quid admoneret, irradiata Di-
„ vini Spiritus lumine plane intellexit, ſibi
„ conjugalia vincula a Deo ſuiſſe diſrupta,
„ ut ei hoſtiam laudis ſacrificaret : totam ſe
„ illi dederet : amoremque, quem hacte-
„ nus inter ſponſum, ipſumque diviſerat,
„ in eo uno diligendo multo utilius, & ſeli-
„ cius oceuparet. Nihil cunctata, paratum
„ cor ſuum, paratum eſſe, reſpondit : ju-
„ beret quid vellet fieri : juſſa ſtatim eſſe
„ ſacturam. Tum ante pulvinar Beatiſſimæ
„ Virginis voto ſe perpetuæ caſtitatis ad-
„ ſtringens unum poſthac ejus filium Domi-
„ num Jeſum Chriſtum ſponſum ſibi ſutu-
„ rum propoſuit, ejuſque honorem unice
„ curaturam. Quod & verbis expreſſit, &
„ opere ad ultimum vitæ ſpiritum præſti-
„ tit. Ad interfectorem quod attinet, in-
„ ſurgentes intimos humanitatis motus, &
„ voces tanta illico virtute eompreſſit,
„ ut amoris, & benevolentiæ argumenta
„ illi dederit ſingularia, nedum quid-
„ quid ille peccaſſet, donatum eidem vo-
„ luerit. Inter quæ illud, teſte Saleſio æquiſ-
„ ſimo virtutum æſtimatore, admirandum
„ prorſus, heroicumque, quod voluerit ejus
„ filium non multis poſt diebus de ſaero ba-
„ ptiſmi lavacro ſuſcipere.

„ Ut vero hoſtiam laudis a ſe Deo ſemel
„ oblatam præſtaret numeris omnibus abſo-
„ lutam, multo quam antea diuturnius, te-
„ trius, cruentius ſibi bellum indixit. Or-
„ namenta omnia, copiam omnem rerum
„ puleherrimarum, quibus uti aliquando ne-
„ ceſſe ſuit, quum viro ſerviret, partim
„ augendo ſplendori templorum, partim in
„ inopum levandis anguſtiis addixit. Rejecta
„ maxima ex parte in ſocerum rerum do-
„ meſticarum cura, & adminiſtratione am-
„ pliſſimi patrimonii, tenuiſſimo victitans ci-
„ bo, vulgari veſtitu ineedens, ſomno utens
„ breviſſimo, corpus eiliciis, & jejuniis affli-
„ gens, noctes dieſque integros partim preci-
„ bus, partim contemplationi, partim ſacro-
„ rum librorum lectioni, partim conſolandis
„ infirmis in noſocomiis vacabat, illud a Deo
„ præcipue poſtulans, ut, quoniam ſibi pro-
„ poſitum erat, arduum perfectionis iter arri-
„ pere, virum ipſe tribueret juxta cor ſuum,
„ qui viam noſceret, & in ea percurrenda
„ dux eſſet, & comes. Humilitati vero,
„ patientiæ, manſuetudini ſie incubuit, ut
„ & vilibus miniſteriis exereeretur, & con-
„ tumeliis nullis, nullis calumniis a menda-
„ ci, ſuperba, & impudentiſſima quadam
„ ſamula contra ipſam inſandum in modum
„ adhibitis ad iram, ad vindictam, ad odium
„ provoeari potuerit; imo vero omni eam
„ amore, & humanitate complexa injurias
„ ejuſdem maximas beneficiis ſemper ma-
„ ximis compenſaverit.

„ Dum vero intimam unice quærit unio-
„ nem cum Deo filia, contra de ea novis
„ nuptiis conjungenda eum viro præclariſſi-
„ mo cogitat pater. Sed id Joannæ vix re-
„ nunciatur, illa eonfidenter, atque animo-
„ ſe appellat patrem, cui cæterum obſe-
„ quium ſemper præſtiterat ſingulare; caſti-
„ tatem magnæ Virgini a ſe devotam ma-
„ nifeſtat, ſignificatque, integrum ſibi non
„ eſſe, alteri ſponſo dare fidem in terris,
„ quæ Mariæ Virginis Filium jam pridem
„ ſponſum haberet in Cælis. Æqui bonique
„ filiæ conſilium propoſitumque pater fecit.
„ Quoniam tamen Joanna animadverterat,
„ ſe adhuc appeti a mundo, a mundo ad-
„ huc diligi, etſi ipſa neque mundum ap-
„ peteret, neque diligeret, hinc ut ejus
„ amo-

Digitized by Google

amorem a ſe totum averteret, conſilium ſuſcepit novum, plenumque fiduciæ. Candente ferro nudum pectus Jeſu nomine obſignat eo conſilio, ut poſito tanquam ſignaculo ſuper cor ſuum, & pectus eo nomine ſplendidiſſimo, illud obiiciens terrenarum deliciarum irritamentis cum Paulo exclamare poſſet & ipſa, & admonere, neminem debere ſibi eſſe moleſtum, quum ſtigmata Domini Jeſu in corpore, multoque magis in corde ſuo portaret.

„ Illud unum ei deerat, quod tot ardentiſſimis votis a Deo petierat, peculiaris ſcilicet dux, qui ſpiritu Domini plenus eam de Dei voluntate certiorem faceret, & veræ perfectionis ſemitam edoceret; eamque tandem votorum ſuorom compotem fecit Deus. Vix quadam die eam magnus Saleſius vidit: vix ea Saleſium, quum illa divinitus admonita intellexit, hunc eum eſſe, quem magiſtrum, cuſtodem, ducem, comitem ſibi Deus determinaverat: hic eadem perſuſus luce cognovit, illam eam eſſe, qua alumna, & ſocia uteretur in eo fundando, atque amplificando ſacrarum virginum Ordine, qui tantæ futurus eſſet Eccleſiæ utilitati, ornamentoque. Hinc quæ jam tam bene currebat, tanti poſtea ductoris, hortatoris, moderatoris illuminata, inſtructa, inflammata doctrinis, exemplis, præceptis ſic exultavit ut gigas ad currendam viam, ut nihil poſtea fuerit tam arduum, quod illa precibus, vigiliis, laboribus, virtute non ſuperaverit: nihil tam ſublime, quod non fuerit aſſecuta: nihil tam limites humanæ naturæ ſuperexcedens, quod non obtinuerit, non perfecerit. Et vero quantum proceſſerit in ſcientia Dei, quantum in gratia creverit, quantum virtute profecerit, habemus ab ipſomet Franciſco Saleſio ſpirituum probatione longe clariſſimo luculentiſſimum teſtimonium. Etenim pronunciare non dubitavit, eo ſanctitatis, & virtutis proceſſiſſe JOANNAM, ut pro ratione gratiarum, quibus a Deo fuit locupletata, nemini unquam liceret altius aſſurgere. Neque vero fieri aliter aut potuit, aut debuit, quum ipſo conſentiente Saleſio præ cæteris cariſmatibus arduum ſane, ac perdifficile illud votum emiſerit, annis ſingulis inſtauraverit, Dominoque in conſpectu omnis populi ejus reddiderit integre, ſemper ea faciendi, quæ perfectiora, ipſique gratiora, & acceptiora fore cognoſceret.

„ Hæc igitur quum a moderatore ſuo Saleſio intellexiſſet, electam ſe a Deo laborum ſuorum ſociam, & comitem: ſeque illam eſſe, cui ex Dei voluntate in excitando, confirmandoque Ordine Viſitationis curæ graviſſimæ ſuſcipiendæ, laboreſque exantlandi committerentur, confeſſa quidem fuit infirmitatem ſuam; ſed in eo ſperans, in quo confortante omnia poſſumus, accingens fortitudine lumbos ſuos humeros oneri ſubmittere non dubitavit: antequam vero Annecium veniret prima Ordinis fundamenta jactura, quot ſuperandæ difficultates, quot diſſipanda impedimenta, quot ineunda certamina! Rationes domeſticæ multæ, grav.., implexæ tranſigendæ, & componendæ: univerſæ cognationis obſtrepentis tumultus ſedandus, & temperandus: nobilium irridentium, & ſubſannantium voces contemnendæ: dulciſſimi parentis voluntas adverſa emollienda, & convincenda: fratris Bituricarum Antiſtitis diſſentiens animus in ſuas partes pertrahendus. Sed mulier fortis, quo vehementius oppugnatur, quo majora experitur impedimenta, quo pluribus quatitur machinis, eo majori virtute reſiſtit: omnia ſuſtinet: omnia ſuperat: nihil in rem ſuam non agit: pugnat, vincit, triumphat.

„ Nihil tamen fuit, in quo ſuperando major ſibi vis fuerit inferenda, quam in ſqualore, luctuque filii dulciſſimi contemnendis. Quum ille precibus gemitibuſque, quibus domus tota perſonabat, matrem a ſuſcepto conſilio removere minime potuiſſet: & conſtitutum adeſſet tempus, quo matri egrediendum erat domo Annecium profecturæ, neſciens quid amplius ageret, quove alio ſe verteret, id

tan-

,, tandem conſilii cœpit, ut ad januæ veſti-
,, bulum, qua illa erat tranſitura, quam
,, late illud patebat, prono corpore ſeſe ja-
,, centem proſterneret. In ſpem ſcilicet ere-
,, ctus fuerat, fore ut mater optima, filii-
,, que amantiſſima nunquam eſſet ſuis illum
,, pedibus proculcatura; ſed in extrema illa
,, miſerabilis filii afflictatione a ſuſcepto con-
,, ſilio receſſura. Verum ad loco moven-
,, dam mulierem fortem hoſtiam laudis quo-
,, cumque ſui diſpendio in ſe ipſa immola-
,, re diſpoſitam nihil potis fuit. Itaque filii
,, dilectiſſimi corpore incredibili animi ma-
,, gnitudine nihili facto, tranſilitoque Anne-
,, cium recta contendit in ea erumpens iden-
,, tidem Davidis verba: *Anima noſtra ere-*
,, *pta eſt de laqueo venantium; laqueus con-*
,, *tritus eſt, & nos liberati ſumus.*

,, Quanta animi voluptate, quanto gau-
,, dio, cœleſti plane perfuſus illam Saleſius
,, exceperit: quas ambo votis adjunctis Deo
,, egerint gratias, nemo verbis exprimere
,, ſe ſatis poſse confidat. Et quoniam tar-
,, da neſcit molimina Sancti Spiritus gratia,
,, nihil fuit illis antiquius, quam ut ſpiri-
,, tuali ædificio, quod meditati fuerant,
,, conſtruendo, manum ſtatim admoverent,
,, omnemque operam collocarent. Utriuſque
,, igitur communicata virtute undequaque
,, perfectum creſcebat divinum opus in dies:
,, quum, qui exadverſo ſtat ſemper ſatan,
,, infremuit, nec prætermiſit per homines
,, improbos ad illud evertendum conſuetis
,, uti machinationibus. Sed qui conſilia
,, diſſipat gentium, vanaſque facit homi-
,, num cogitationes, ex alto non defuit:
,, quodque cœperat opus bonum, diabolica
,, omni humanaque iniquitate proſtrata,
,, perfecit. Brevi itaque factum eſt, ut Ordo
,, Viſitationis, Saleſio plantante, JOANNA
,, rigante, Deo incrementum dante, in
,, arborem proceram cito creſceret, quæ
,, ramos latiſſime expanderet, & uberrimos
,, produceret fructus honoris, & honeſta-
,, tis, dignos plane, quos in ſaporem ſua-
,, vitatis Deo offerret Sancta Mater Eccle-
,, ſia. Neque enim aut obſtrepentium ad-
,, verſariorum livor, aut quæ ſuſcipere co-
,, acta frequenter fuit, itinerum longitudo,
,, aut tenere quas debuit, viarum aſperitas,
,, aut quæ per Sabaudiam, & Galliam graſ-
,, ſabatur teterrima lues, aut lurida quæ-
,, libet rerum facies JOANNAM exanimare,
,, & retardare potuerunt, ne de firmando,
,, amplificandoque Ordine cogitaret, ne
,, ageret, ne omnes vires intenderet. Qua-
,, tuor ſupra octoginta cœnobia lectiſſima-
,, rum virgioum in regionibus, nationibuſ-
,, que diverſis excitavit; eaque pene om-
,, nia ſic inviſit, inſtituitque, ut ſanctiſſimis
,, legibus communiverit, unam eamdem-
,, que in omnibus vivendi normam, unam
,, mentem, unum ſenſum induxerit, ſapien-
,, tiæ ſuæ copia, & ubertate locupletaverit,
,, lampadeſque in cunctis reliquerit non ſo-
,, lum oleo plenas, ſed accenſas, clariſſi-
,, maque luce radiantes. Alia præterea di-
,, verſorum Ordinum aſceteria ex Epiſco-
,, porum, quibus ſuberant, auctoritate ad
,, priſtinam ſeveriorem regulam revocavit:
,, multis tranquillitatem, concordiamque
,, reſtituit: omnibus parentis amantiſſimæ
,, loco fuit. Nec his ſolum finibus circum-
,, ſcribi potuit JOANNÆ ſtudium. Quibus
,, non potuit præſentia corporis, præſen-
,, tiam animi præſtitit ſingularem. Ejuſ-
,, dem epiſtolarum volumen, aliaque ſcri-
,, pta ſacrarum præcipue virginum mani-
,, bus teruntur, terenturque, quoad uſque
,, Religio, & ſacra clauſtra vigebunt, qui-
,, bus abſens multis virginum millibus ſic
,, præſto fuit, ut aliis ſecuritatem pararet,
,, aliis animum adderet, aliis facilem ad re-
,, ligioſam vitam aditum aperiret, aliis fa-
,, ces ſubderet, quibus ad currendam per-
,, fectionis ſemitam inflammarentur.

,, Rebus interea ex voto ſuo fauſte feli-
,, citerque fluentibus exultabat in Domino Jo-
,, ANNA FRANCISCA; non ita tamen ut ad
,, comprobandam, augendamque ejus virtu-
,, tem amariſſima identidem illi pocula idem
,, Dominus non propinaret, patrem, ſoro-
,, rium, generos duos, nurum, unicum fi-
,, lium, omnemque pene gentem ſuam mor-
,, te ſublatam vidit. Sed vulnus, quod eo
,, tempore, atque eo rerum ſtatu paratiſſi-

„ mum quemque animum dejeciſſet, acerbitas mortis fuit, quæ Saleſium eripuit, ex cujus ſapientia tamquam non dicam conſiliarii, & adminiſtri, ſed auctoris, atque parentis ſuum ducebat ſpiritum JOANNÆ commendatus Ordo Viſitationis. Senſit illa quidem tanti vulneris acerbitatem, ſenſit Ordinis luctuoſiſſimam calamitatem. Tantum tamen abfuit, ut animum deſponderet, ut in Domino ſpem ſuam collocans illum potius erexerit ad ardua quælibet proſequenda, & perficienda. Et vero in iis peragendis eo ubique venit celebritatis, & famæ, ut decretæ eidem fuerint ex diſſitis regionibus perhonorificæ legationes: viri ex ordinibus clariſſimis doctrina, & rerum humanarum, divinarumque ſcientia ſpectatiſſimi eam conſulendam conſueverint: ampliſſima Eccleſiarum Galliæ, Aquitaniæ, Lotaringiæ, Sabaudiæ, Italiæ lumina ſibi verterint gloriæ, vel ejus diſciplinæ ſe tradere, vel in ancipiti rerum diſcrimine ab ejus ore, conſiliiſque pendere: Reges, virique principes ſe, ſuos filios, ſuaſque ditiones ejus precibus commendaverint: clariſſimum denique illud Eccleſiæ ornamentum, & decus Vincentius a Paulo omnem, quam apud ſuos vivendi rationem induxerat, omnes, quas alumnis ſuis propoſuerat, leges JOANNÆ FRANCISCÆ caſtigandas, moderandaſque commiſerit, & alumnos ipſos juſſerit illius quaſi parentis mandata tenere, & facere.

„ Sed illud tempus advenerat, quo de Sponſi cœleſtis manu coronam gloriæ in Cœlis acciperet, quæ pro ejus honore tantum laboris impenderat hic in terris. Itaque Pariſiis rediens, quo Epiſcopi Gebennenſis juſſu ſe contulerat votis Annæ Auſtriacæ Galliarum Reginæ obſecutura, quum Molinum veniſſet in Borbonienſi Ducatu, in morbum incidit, ex quo cognoſcens ſe morituram, ſtatim in occurſum cœleſtis Sponſi ſe præparavit Eccleſiæ Sacramentis rite, religioſeque ſuſceptis. Tum ad Ordinem univerſum dedit epiſtolam, in qua tamquam in ſupremis tabulis Saleſii, ſuumque ſpiritum exprimens, ſorores ſingulas graviter adhortata ad inſtituti leges adamuſſim implendas, ad mores Saleſii auctoritate inductos perpetuo ſervandos, ad pacem, atque concordiam nexu indiſſolubili cuſtodiendam earum precibus ſe commendabat. Abſentibus poſtea, præſentibus, futuris etiam ſororibus cœleſtia bona a Domino, alumnis ipſis ſuis inſtantibus deprecata, actus ingeminans fidei, ſpei, & ardentiſſimæ caritatis inter pias filiarum ſuarum lacrymas in amplexus Sponſi cœleſtis hilaris convolavit Idibus Decembris anni 1641. Maximo populorum concurſu juſtis exequialibus perſolutis, corpus Annecium deductum eſt, tumuloque mandatum in templo primi Monaſterii ejuſdem urbis tanta celebritate, atque frequentia, quanta eam decebat, quæ inter ſanctas referenda ab omnibus judicabatur. Qua in Cælo excepta fuerit gloria mulier fortis, pluribus ſanctimonia conſpicuis a Deo manifeſtatum fuit. Inter quos Sanctus Vincentius a Paulo, quum luce de Cœlo in ipſum delapſa globum ſplendidum con ſpexiſſet elevatum in aera cum altero majori & ſplendidiori globo ſe conjungentem; utrumque poſtea ſimul unitum cum altero ſuperiori longe maximo, & ſplendidiſſimo ſe commiſcentem, intellexit divinitus, in primo globo JOANNAM FRANCISCAM, in ſecundo Sanctum Franciſcum Saleſium, in tertio Deum, a quo uterque abſorptus eſt, deſignari.

„ Etſi vero ſanctimoniæ fama JOANNÆ FRANCISCÆ per ora omnium volitaret, errore tamen hominum factum eſt, ut de ea Sanctarum faſtis adſcribenda ante annum 1715. non ageretur. Invaluerat enim falſa quædam opinio, Urbani VIII. Pont. Max. decreto vetitum fuiſſe, ne ante quinquageſimum ab obitu ſervorum Dei de tribuendis iiſdem divinis honoribus agi quidquam poſſet. Eo igitur anno inſtituta primum ſunt de virtutibus ejus examina Epiſcopali auctoritate: anno poſtea 1719. Apoſtolica. Quibus rite confectis, ad Urbem delatis, approbatiſque, habitæ de iis

„ ſuot

„ ſunt in tribus Congregationibus conſuetæ
„ quæſtiones. In iis, quum præter teſtium
„ & clariſſimorum Scriptorum, qui eodem
„ tempore vixerant, ampliſſima teſtimonia,
„ ratio habita fuiſſet maxima Sanctorum
„ Franciſci Saleſii, & Vincentii a Paulo, qui
„ de heroicis Joannæ virtutibus tam ma-
„ gnifice ſenſerant, ſcripſerantque, anno
„ tandem 1743. die 31. menſis Martii per
„ ſan. mem. Benedictum XIV. P. M. decre-
„ tum editum eſt, declaratumque, heroi-
„ cas vere fuiſſe Joannæ virtutes. Quia ta-
„ men tamdiu dilata fuerant virtutum ipſa-
„ rum examina, ut nullus reperiri potuerit
„ teſtis, qui eas obſervatione propria con-
„ firmaret, ſtatutum pariter fuit, ut inter
„ Beatas minime recenſeretur, niſi prius
„ quatuor approbata fuiſſent Apoſtolica
„ auctoritate poſt obitum patrata miracula.

„ Judicio igitur de virtutibus abſoluto,
„ agi de miraculis cœptum eſt: habitiſque de
„ more quæſtionibus, quatuor infallibile Be-
„ nedicti XIV. judicium meruerunt die 21.
„ Auguſti anni 1751.. Hæc nos ex ejuſdem
„ Summi Pontificis ore narrabimus. Pri-
„ mum in ſacra virgine Gabriella Angelica
„ Morel patratum eſt in Monaſterio Viſitatio-
„ nis Aballonenſi Diœceſis Auguſtodunenſis.
„ Habuit infelix virgo a nativitate ad deci-
„ mum quintum ætatis annum coxendicem,
„ femur, tibiam, pedemque in dextera cor-
„ poris parte ſiniſtris ſemipalmo breviora;
„ hinc toto corpore in dexteram partem in-
„ flexo, ita deformiter claudicabat, ut ne-
„ que poſſet in genua procumbere, niſi pul-
„ vinar, aut aliud quidpiam genu dextero
„ ſubjiceretur, neque progredi, niſi calceo
„ dextero calcaneus altior eſſet aſſutus, qui
„ ſic talum attolleret, ut apices digitorum
„ incumbere poſſent terræ. His addebatur,
„ quod dextera tibia erat altera ſiccior, &
„ nutritioni, calorique minus obnoxia. Hæc
„ vitia quum eſſent per ſe non minus defor-
„ mia, quam maxime incommoda, tum mul-
„ to magis, quod miſeræ virgini erant im-
„ pedimento, ne in Ordine Viſitationis, ut
„ habebat in votis, reciperetur. Erecto igi-
„ tur in Joannam Franciscam animo no-
„ vendialem in ejus honorem ſupplicationem
„ inſtituit. Mirum! Singulis diebus protra-
„ ctis aliquantulum membris, vitium ſic im-
„ minuitur, ut genuflectere quarto die po-
„ tuerit utroque genu æqualitate donato, li-
„ bratoque corpore ſuper utroque. Nono
„ demum, & ultimo ſupplicationis die tibiam
„ experitur ac pedem dexterum longitudine,
„ robore, craſſitie, calore, ſenſu tibiæ, pe-
„ dique ſiniſtro omnino conformem, & pa-
„ rem omni & quacumque claudicationis de-
„ formitate remota.

„ Secunda ſanatio ea eſt Eliſabethæ Dro-
„ nier de la Perouſe monialis profeſſæ ejuſ-
„ dem Ordinis Viſitationis in oppido de
„ Saint Amour Diœceſis Lugdunenſis. Ab
„ octavo ætatis anno exilis puella non uno
„ eſt conflictata morbo, ſed fere oppreſſa
„ malorum acervo. Alvi fluxus, dolores ſto-
„ machi, rheumatiſmus, aſſidua febris, tuſ-
„ ſis violenta infirmam primum debilitarunt:
„ adultam vero, & religioſis votis obſtri-
„ ctam febris acerbior vexare cœpit, & vo-
„ mitus adeo frequens, ut non ſolum cibum,
„ & potum, ſed vivum ejecerit quandoque
„ ſanguinem, & una ſiniſtri lateris coſtula vi-
„ ſa ſit elevari. Poſtquam diu varia adhibi-
„ ta fuere remedia pro medicorum ingenio,
„ ab his tandem relicta in lecto ad tres men-
„ ſes ſemimortua decubuit tanto virium diſ-
„ pendio, ut non ſolum ſupina, immobilis,
„ ac inſomnis jaceret, ſed ægram vox ipſa
„ penitus defecerit. Morti tamen proxima
„ Servam Dei Joannam de Chantal invo-
„ cat, & ad novem dies ſupplicationem in-
„ ſtituit: in quorum ultimo poſt ſacram Com-
„ munionem eliminata in inſtanti tot malo-
„ rum congerie, reſtitutis confirmatiſque vi-
„ ribus, ſana e lecto proſilit, veſtes induit,
„ privatim ac publice benefactrici ſuæ gra-
„ tias agit, communi accumbit menſæ, ac
„ munus quodcumque religionis, etſi gra-
„ ve, & difficile conſtanti valetudine exer-
„ cet.

„ Tertia ſanatio fuit ea Claræ de Rubeis
„ puellæ Romanæ. Viva adhuc matre, quæ
„ phtiſi conſumpta interiit, filia, quæ diu,
„ noctuque in illius erat contubernio, id ge-

„ ous morbi contraait. Ægram angebant len-
„ ta, & continua febris, dolores capitis, nau-
„ ſea ſtomachi, tardi anhelitus, difficultas
„ decumbendi ſupra dexterum latus, tuſſis
„ aſſidua, ac permoleſta, qua excreti erant
„ ſputi flavi, & purulenti vivo identidem
„ ſanguine immixti, ac vomicæ putres, qui-
„ bus puella ſuffocari poſſe videbatur. Au-
„ ctam in diem tabem confirmabant voa de-
„ perdita, perennis ac gelidus expreſſus ſu-
„ dor, totius corporis macies, dejectæ fra-
„ ctæque adeo vires, ut Parochus, qui il-
„ lam omnibus munierat Eccleſiæ Sacramen-
„ tis, oon ſolum crederet brevi morituram,
„ ſed mortuam aliquando putaverit, niſi ori
„ candelam accenſam admoviſſet. Interim
„ puella novem menſibus omni medicorum
„ ope deſtituta, ac proximo efferenda fune-
„ re VENERABILEM SERVAM DEI invocat,
„ propoſita ſibi novem, ut aſſolet, dierum
„ ſupplicatione. A tertio, vel quarto ad no.
„ num diem omnis vis morbi depellitur: ceſ-
„ ſat febris, tuſſis, ſudor, vigiliæ, purulen-
„ tæ eacretiones: redditur ori color, ſto-
„ macho cibus, corpori univerſo adeo vi-
„ res reſtaorantur, ut domo egreſſa in om-
„ nium conſpectum ſanata prodierit.

„ Quarta contigit Eugeniæ Trochon mo-
„ niali profeſſæ prædicti Ordinis Viſitationis
„ in eivitate Salmurienſi Diæceſis Andega-
„ venſis. Tertio ab expleta pubertate anno
„ ægrotavit levi quotidiana febri, & tuſſi
„ convulſiva; confirmata moa ætate labo-
„ ravit diro aſthmate, intercepta adeo re-
„ ſpirandi difficultate, ut adigi ad mortem
„ videretur, niſi creberrima venæ ſectio,
„ plories etiam uno die facta, per octo fere
„ annos opem languenti attuliſſet. In irri-
„ tum ceſſere adhibita remedia, ſed præci-
„ pue vomitiones emetico medicamine ex-
„ citatæ, ob quas in deterius lapſa eſt vale-
„ tudo. Pravus quippe humor ſiniſtram cor-
„ poris partem inſedit, indeque gravis orta
„ paralyſis, quæ pluribus menſibus perſeve-
„ rans tandem brachio, ac cruri omnem
„ motum ademit, multum etiam imminuto
„ eorumdem membrorum ſenſu. Quadrage-
„ nos, ut minimum in hoc peſſimo ſtatu mo-
„ nialis eaegit dies, nullo adhibito medicæ
„ artis præſidio: tantaque erat nervorum ſo-
„ lutio, ut moniales de uno ad alterum il-
„ lam efferentes locum, alligato funiculo
„ pendentem tibiam attraherent. In gravi
„ adeo ærumna monialis conſtituta, VENE-
„ RABILIS SERVÆ DEI per novem dies præſi-
„ dium invocat. Ultima labente die, ſana
„ in inſtanti aſſurgit, graditur, genuflectit,
„ & quæcumque vitæ munia diu intermiſſa
„ eaequitur.

„ Quatuor hiſce miraculis quintum idem
„ Summus Pontifex Benedictus adjunxit: cui
„ quum hoc unum deeſſet, quo minus in-
„ ter vera miracula recenſeretur, quod in-
„ quiſitum in illud non fuiſſet auctoritate
„ Apoſtolica, ſed unius Aurelianenſis Epi-
„ ſcopi, in cujus Diœceſi patratum fuerat,
„ hunc illi defectum ſuſtulit Summus Ponti-
„ fex, & quidquid ab eo Epiſcopo factum
„ fuerat, ratum haberi juſſit, perinde ac ſi
„ interceſſiſſet Apoſtolicæ Sedis auctoritas.
„ Facti autem ſpecies a juratis teſtibus re-
„ præſentata, & eorum unanimi judicio pro
„ miraculo habita, eodem narrante Summo
„ Pontifice Benedicto, talis eſt. Suſanna
„ Bienfait monialis profeſſa Ordinis Viſita-
„ tionis Beatiſſimæ Virginis Mariæ ad trien-
„ nium laboraverat tumore ſcirrhoſo In par-
„ te dextera circa jecur, extrinſecus tanta
„ mole compacto, ut pugni magnitudinem
„ excederet, nonoque ante ſanationem men-
„ ſe, quum in ſiniſtrum qooque latus progredi
„ cœpiſſet, acerbiſſimus doloris ſenſus a leni
„ etiam contactu excitatus ægram maxime
„ eaagitabat. Acceſſerunt capitis dolores,
„ noctes inſomnes, nauſea cibi, frequens vo-
„ mitus, viſcerumque cruciatus. Cumulum
„ auxit malorum confirmata paralyſis, ob
„ quam crura, amiſſo prorſus ſenſu, ac mo-
„ tu tanto rigebant frigore, ut fomenta aquæ
„ ebullientis illis admota torpedinem non mi-
„ nuerent, nec ullum ſenſum eacitarent:
„ crus præterea dexterum atrophia laborans
„ ſiccum erat, & aridum, nec aliam intuen-
„ ti ſpeciem eahibebat, quam oſſis ſola eute
„ contecti. Sævientibus in diem morbis, ab-
„ ſtinuit ægra per duos menſes a quocumque

„ reme-

„ remedio; ſed invocato SERVÆ DEI præſi-
„ dio, oblatiſque eidem novem dierum pre-
„ cibus, ultima labente die, integræ vale-
„ tudini fuit in inſtanti miraculoſe reſtituta.
„ Abſceſſit enim capitis dolor, viſcerumque
„ cruciatus, ſoluta fuit crurum paralyſis, &
„ crus, quod atrophia laborabat, carnoſius
„ momento temporis effectum eſt: recupe-
„ ratiſque momento temporis viribus, ægra
„ illico ea omnia adimplevit, quæ cæteræ
„ moniales, quæ nullo morbo laboraverant,
„ aut laborabant, juxta ſuum inſtitutum, &
„ modum vivendi peragebant.

„ Itaque quum virtutibus, miraculiſque
„ auctoritate Apoſtolica confirmatis, nul-
„ lum ſupereſſet dubium, teſte ipſo Summo
„ Pontifice, quin tuto Beatarum faſtis JO-
„ ANNA FRANCISCA adſcribi poſſet, Bene-
„ dictus idem XIV. P. M. dato die 13. No-
„ vembris anni 1751. diplomate, JOANNAM
„ ipſam FRANCISCAM inter Beatas impoſte-
„ rum colendam decrevit, .& Officium, &
„ Miſſam in ejus honorem quotannis cele-
„ brari permiſit: quod Eccleſiæ Divionen-
„ ſi, in qua nata fuerat, Molinenſi, in qua
„ ſpiritum Deo reddiderat, Annecienſi, in
„ qua prima jecerat Ordinis fundamenta,
„ humatæque fuerant ejus exuviæ, univerſo-
„ que Ordini Viſitationis, in quo tam præ-
„ clara ediderat exempla virtutum, con-
„ ceſſum voluit.

„ Hiſce peractis, quum novis in dies ſi-
„ gnis eam Dominus illuſtraret, pro augen-
„ do, & decernendo eidem Sanctarum
„ cultu inſtitutæ novæ quæſtiones ſunt, &
„ ad examen ea vocata miracula, quæ pa-
„ trata recentiſſime ferebantur. Iis igitur
„ omnibus rite confectis, quæ hiſce Cauſſis
„ fieri voluerunt Summi Pontifices, duo inter
„ plura Reverendiſſimorum Patrum, & Emi-
„ nentiſſimorum Cardinalium Sac. Rituum
„ Congregationis ſuffragia meruerunt.

„ Primi facti ſpecies, qualis narratur a
„ teſtibus, ſequens eſt. Soror Maria Droz
„ virgo ſanctimonialis in Monaſterio Pon-
„ tis Aurelii Biſuntinæ Diœceſis Ordinis San-
„ cti Bernardi, ſortita tenuem, ac gracilem
„ ab ipſa nativitate texturam corporis, ina-
„ nibus illibatæ cæteroquin conſcientiæ ti-
„ moribus, ſive ut vocant, ſcrupulis, agi-
„ tata ſic fuit, ut corrupto paulatim ſan-
„ guine frequenter cœperit ægrotare. Anno
„ itaque ætatis ſuæ trigeſimo non obſcura
„ dedit phtiſis vel introductæ, vel ultimo
„ imminentis indicia, corpore macilentio-
„ ri, languidis viribus, colore turpi, ſpu-
„ tis frequentibus, atque viſcoſis, crebriſ-
„ que febribus, quibus biennio ſic labora-
„ vit, ut ſæpe decumbere, & in valetudi-
„ narium ſecedere cogeretur. Anno tan-
„ dem ætatis ſuæ trigeſimo tertio phtiſis in
„ ægra virgine tam claris notis ſe decla-
„ ravit, ut nemini non innotuerit. Sed
„ quum aperta quidem, nondum tamen cre-
„ deretur confirmata, & in ultimo ſtatu,
„ periti non omnem depoſuerunt ſpem, fore
„ ut per opportuna remedia convaleſcere
„ tandem poſſet. Sed quantum eos fefellerit
„ eorum opinio, exitus declaravit. Quum
„ enim omnia vocata ad uſum forent me-
„ dicamenta, quæ neceſſaria, & opportu-
„ na reputabantur trium annorum ſpatio,
„ tantum tamen abfuit, ut morbi vis tan-
„ tillum cederet, ut majores in dies acqui-
„ reret vires, fieretque robuſtior; donec
„ ad ultimum phtiſis gradum infelix virgo
„ devenerit. Quum igitur ulceratos, corru-
„ ptoſque cognoſceretur habere pulmones,
„ febri etiam continua, dolore, & angu-
„ ſtia pectoris, reſpirandi difficultate, tuſſi
„ arida, & ſicca, nocturnis, diurniſque vi-
„ giliis, ſudoribus, ut inquiunt, liquefacti-
„ vis, extrema virium debilitate, corpo-
„ ris laſſitudine, & macie ſumma preme-
„ retur: nec modo fœtorem intolerabilem
„ ex ore emitteret, ſed ſputa etiam ſan-
„ guinolenta cum pure mixta, eam eſſe
„ medici judicarunt extra ſtatum valetudi-
„ nis recuperandæ. Itaque ab omnibus me-
„ dicaminibus tamquam inutilibus, imo per-
„ nicioſis ceſſatum eſt: in eoque ſtatu Do-
„ mini ſe voluntati conformans mortem
„ ſeptem menſibus expectavit.

„ Quum autem morti proxima & crede-
„ retur, & eſſet, accidit, ut Antiſtita qua-
„ dam die conſolandæ ejus gratia ægram
„ de

,, de more inviſens illi præciperet, ut quam
,, a natura obtinere non poterat, a Deo
,, peteret ſanitatem meritis B. JOANNÆ FRE-
,, MIOT DE CHANTAL, quam apud Deum
,, ipſum potentem crebra, quæ prædicaban-
,, tur, miracula teſtabantur. Orandi etiam
,, præſcripſit & locum & modum: novendia-
,, les ſcilicet breves preces in choro ante BEA-
,, TÆ MATRIS imaginem recitandas. Paruit
,, ægra virgo ſpe ducta tanta, tantaque fide
,, animata, ut, etſi inchoatis jam novendia-
,, libus precibus in deterius ſe cognoſceret
,, ruere morbo invaleſcente, ſeque eſſe mor-
,, ti quam proximam, in ſpem tamen con-
,, tra ſpem crederet, ſanitatem ſibi, B. JOAN-
,, NA intercedente, reſtituendam. Neque
,, vero eam feſellit ſua ſpes, ſua fides. Fa-
,, ctum enim eſt, ut, dum peractis noven-
,, dialibus precibus a choro diſcederet in
,, valetudinarium reditura, illico momen-
,, to temporis liberam ſe omni morbo, mor-
,, bique moleſtiis experiretur, priſtiniſque
,, integris viribus reſtitutam. Nulla enim
,, ab eo inſtanti amplius febris, nulla tuſ-
,, ſis, nulla anguſtia pectoris, nullus anhe-
,, litus, nulli ſudores, nullæ vigiliæ, nullum
,, ſputum ſanguinolentum, & putridum,
,, nulla macies, ſed vividus color, ſed vi-
,, res validæ, ſed perfecta, conſtans, & in-
,, tegra valetudo.

,, Secundum miraculum ita contigit;
,, Quum paupercula quædam virgo nomi-
,, ne Florida, ſive, ut dicunt Galli, Fleu-
,, ries Coing febri correpta in noſocomium
,, Lugdunenſe ſe contuliſſet, ut curaretur,
,, medicorum juſſu ſecandam obtulit venam
,, in inferiori parte dexteri brachii inex-
,, perto cuidam juveni, qui illic morabatur,
,, ut artem alieno, ut fit, periculo diſce-
,, ret. Ictu lanceola dato, dolorem adeo acu-
,, tum Florida ſtatim ſenſit, ut exclamave-
,, rit ſe læſam cum brachii maximo detri-
,, mento, quod eventu poſtea probatum
,, eſt. Errori nihilominus primo ſecundum
,, multo pejorem addidit juvenis inexper-
,, tiſſimus, ac pene dixerim irrationalis.
,, Quum enim ex vulnere ſanguis non flue-
,, ret, ad eum excitandum, provocandum-
,, que acum ferream non parvæ molis pro-
,, funde in factum foramen immiſit: ut ſci-
,, licet, eo dilatato, ſanguis libere exiret.
,, Non ſolum vero finem ſuum non aſſecutus
,, fuit, ſanguine non emergente, ſed factum
,, eſt, ut vel fracto, vel quam maxime læ-
,, ſo nervo bicipite, ſicuti creditum fuit,
,, aut alio quopiam, ſtatim brachium ſic in-
,, tumuerit, ut lineæ faſciæ, quibus liga-
,, tum, & obſeratum fuerat vulnus, diſ-
,, rumperentur. Simul autem ſic rigidum
,, evaſit, ut nec complicari, nec moveri
,, ullo pacto potuerit. Ad tumorem tollen-
,, dum, ſuperandamque rigiditatem multa
,, in miſeræ virginis brachio a peritis in-
,, flicta, & aperta ſunt vulnera, quibus re-
,, vera factum eſt, ut paulatim evaneſceret
,, tumor, cederetque tanta illa brachii ri-
,, giditas. At vero, vitata Charibdi in Scyl-
,, lam offenſum eſt. Qua enim proportio-
,, ne tumor decreſcebat, inferior brachii
,, pars accedebat ad ſuperiorem, eodem-
,, que modo manus ad brachium, digiti ad
,, palmam, donec tumore omni ſublato,
,, geminæ brachii partes inferior, atque
,, ſuperior quaſi unitæ remanſerint: os pu-
,, gni, contracta verſus brachium violenter
,, manu, elevaretur: digiti vero contra
,, palmam arctiſſime converterentur, adeo ut
,, neceſſe fuerit, ut inter ipſos, & palmam
,, ponerentur impedimenta, ne ea ab un-
,, guibus penetraretur.

,, Huic contractioni ſolvendæ adhibita fue-
,, runt omnia, quæ adhibenda præſcribit ars
,, medica. Fruſtra tamen. Ea enim ſic con-
,, tumax fuit, & pertinax, ut induſtriam
,, omnem eluſerit, & partes contractæ,
,, complicatæque a peritis omnibus fuerint
,, conclamatæ. Quinimo intercluſis viis,
,, per quas ad eas partes eſt aditus nutri-
,, mento, ita omnis deperditus fuit motus,
,, & ſenſus, ut ex confricatæ, percuſſæ, pe-
,, netratæ nullum doloris, nullum indicium
,, vitæ præberent. Hinc factum eſt, ut ſen-
,, ſu, motuque deperditis, nutritione ceſ-
,, ſante, pars brachii inferior, in qua fa-
,, cta fuerat venæ ſectio, una cum manu,
,, ac digitis induere viſa ſit atrophiam.

,, Ita

„ Ita ſcilicet evaſit exilis, arida, ſicca, „ exanguis, ut ligno potius, quam brachio „ ſimilis videretur.

„ In hoc miſero, deplorandoque ſtatu mi- „ ſerrimam vitam quinquennio traxit infelix „ virgo, & peritorum judicio ad mortem „ uſque traxiſſet, niſi rebus deſperatiſſimis „ opem a Beata Joanna imploraviſſet. „ Quum enim audiſſet ejuſdem beatæ ſepul- „ crum Annecii miſeris, ægriſque tutum, „ certumque eſſe perfugium, & ex omnibus „ mundi partibus infirmos cujuſcumque ge- „ neris eo confluere, ut ejus beneficentiam „ opemque experirentur eventu fauſto atque „ felici, in eamdem & ipſa erecta fuit ſpem, „ fore ut a ſuo morbo Beatæ Joannæ „ Franciscæ meritis liberaretur, ſi ejus ſe- „ pulcrum adiret, ſeque eidem precibus „ commendaret. Magno igitur, confiden- „ tique animo iter ingreſſa Annecium ve- „ nit; ſed cum impetrare minime potuiſ- „ ſet, ut ad Beatæ tumulum accedere poſ- „ ſet, ad patriam voti impos redire coacta „ fuit. Fide tamen non cecidit fortis virgo. „ Hinc elapſo biennio Annecium rediit: „ quum impetraſſet poſt factam peccatorum „ exomologeſin, cibumque Euchariſticum „ religioſe ſumptum, ut beatæ tumulus ſi- „ bi, velis deductis, oſtenderetur, & tan- „ geretur, ejuſdem opem magna fide brevi- „ bus, ſed fervidis precibus imploravit. „ Ægrum poſtea brachium, ut potuit, tu- „ mulo admovit. Mirum! Brachium, manus, „ digiti momento temporis extenduntur: „ motum, ſenſumque recuperant; imo colo- „ rem, carnem, & vires ſtupentibus omni- „ bus, Deumque, qui mirabilis eſt in San- „ ctis ſuis, magna voce laudantibus. Ne- „ que vero repentina ſanitas brachii aut bre- „ vis fuit, aut imperfecta; ſed conſtans, „ ſed diuturna, ſed integra, quum nulla „ impoſterum contractio brachium affece- „ rit, ſed ſemper eodem modo fuerit ope- „ roſum, quo alterum brachium, feren- „ diſque magnis ponderibus, & laboribus „ peragendis æquè aptum atque ſufficiens.

„ Hæc duo miracula Clemens XIII. P. „ O. M. poſt accepta Reverendiſſimorum „ Patrum, & Eminentiſſimorum Cardina- „ lium Sacror. Rituum Congregationis faven- „ tia ſuffragia, & opem cum ſuis, tum alio- „ rum precibus a Patre luminum implora- „ tam, judicio ſuo infallibili confirmavit die „ 9. Martii anni 1766. Hinc quum Patres „ Reverendiſſimi, & Eminentiſſimi Sacror. „ Rituum Congregationis Cardinales tuto „ Sanctarum honores Beatæ Joannæ Fran- „ ciscæ tribui poſſe cenſuiſſent, idem „ Sanctissimus Dominus Noster poſt ef- „ fuſas iterum ad Deum plurimas preces, „ eorum ſententiam divina, qua pollet, „ auctoritate approbavit die Octobris 12. „ ejuſdem anni. Quum igitur nihil reli- „ quum ſit, quam ut eo evehatur mulier „ hæc fortis, quo evehendam prædixit San- „ ctus Franciſcus Saleſius, ut id tandem „ fiat, Chriſtiani totius populi votis, Catholi- „ corum Regum, & Principum aſſiduis poſtu- „ lationibus, Venerabilium Eccleſiæ Paſto- „ rum ſupplicationibus ſuas humillimas pre- „ ces univerſus Ordo Viſitationis adjungit.

SExto Kalendas Maii, Dominica enim dies erat, dum Pontifex Hoſtiam expiationis in privato ſacello Æterno Patri magna animi pietate offerebat, duo Pontificii curſores lanea violacea veſte induti ad Palatii fores convenere, ibique uſque dum Sacrum eſſet expletum ſtetere: tum in aulam introducti Pontificem ad intimum revertentem cubiculum conſueta ſalutarunt formula: *Sanitas, & vita longa* Pater Sancte, *cras eritne Conſiſtorium*? Eique *erit* reſpondenti felicitatem *ad multos annos* apprecantes, ædes Eminentiſſimorum Cardinalium recta petierunt: ad illos enim aditus ſemper ubique curſoribus patet, neque cuiquam ulla de cauſſa licet eiſdem illum intercludere, ne Conſiſtorium ſolitis denuncient verbis: *Sanitas, & gaudium Eminentiſſime, & Reverendiſſime Domine: cras erit Conſiſtorium*; hoc omnibus Eminentiſſimis Dominis officio præſtito, ut univerſis innoteſceret civibus in craſtinum Conſiſtorium habendum, ad Curiæ Innocentianæ valvas tabellam appoſuerunt, in qua hujuſmodi ſignata erant verba: *Cras erit Conſiſtorium*.

Po-

Poſtridie ejus diei cum clarum mane eſſet Eminentiſſimi Cardinales frequentes ad Quirinalem, Conſiſtorialem aulam ingreſſuri, venere: in hac enim jam erant omnia diſpoſita ad Conſiſtorium celebrandum: aderat ſub umbella duobus gradibus eminens ſedes Pontificia, cui ad latera ſcamna duorum Diaconorum Cardinalium ad ornatum tantum erant appoſita; congruo deinde interpoſito intervallo viridi ſuper ſtrato ſedilia Eminentiſſimorum Patrum variis depicta coloribus erant ordinata, quæ tetrogamum ita efformabant, ut vacuum ante PONTIFICIS ſolium relinquerent locum, per quem advenientibus ingrediendi eſſet poteſtas, qui locus familiarium turba dimiſſa ſcamno ſtatim fuit obſeratus.

Cum bene multi Eminentiſſimi Patres in Conſiſtorium veniſſent, atque ea eſſet hora, qua Congregatio Sanctiſſimæ Inquiſitionis ſolet coram PONTIFICE ſtatis diebus haberi, ex proprio cubiculo BEATISSIMUS DOMINUS NOSTER ſalda magna, ac ſtola rubri coloris opere phrygio exornata indutus, ac camelaucio coopertus in Conſiſtorium prodiit: interim nonnulli ex iis, qui aderant, PONTIFICEM alloquuturi, ad ejus ſedem nudo capite accedunt, eique ad aures reverenter verba faciunt, quod tunc temporis, præter Eños Patres nemini licet. Dum ii ſermonibus hiſce erant intenti, cuſtos Conſiſtorii cæremoniarum monente Magiſtro, elata, ac ſonora voce *extra omnes* clamavit: illico populus, qui ſenſim in aulam fuerat ingreſſus foras proſiluit, & Secretarius, aliique miniſtri, qui intus remanſerant ſine colloquiis impoſito, per poſticum exiere.

Tunc ad dexteram PONTIFICIS conſidentibus Cardinalibus Epiſcopis, poſt quos Presbyteris locus erat conſtitutus, ac ad lævam Diaconis, SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER primum omnium in Epiſcopum Zamorenſem Veteris Caſtellæ, Antonium Torge, & Galbani Eccleſiæ Cæſarauguſtanæ Decanum propoſuit; & declaravit Epiſcopum Chiappenſem in Americanis regionibus Michaelem de Ziliexa, & Velaſco tunc Adrumeti titularem Epiſcopum; deinde Eminentiſſimus Dominus Cardinalis Alexander Albani expoſuit Reverendum Dominum Bedam Angehrn Monachum Sangallenſem Ordinis S. Benedicti in Abbatem Monaſterii S. Gallinullius Diœceſis a Monacis ejuſdem Monaſterii canonice fuiſſe electum, quam electionem a PONTIFICE confirmari flagitavit Inſtantius.

Hiſce negociis abſolutis, BEATISSIMUS DOMINUS NOSTER, antequam Eminentiſſimus Cardinalis Feroni Sacrorum Rituum Congregationi Præfectus de laudibus BEATORUM, quorum Canonizatio expoſtulabatur, ſermonem inſtitueret, ad Eminentiſſimos Patres orationem convertens ita docte, graviter, & eleganter eſt fatus.

VENERABILES FRATRES: Increbreſcentibus in dies Eccleſiæ calamitatibus & ærumnis levavimus [1] ad Deum animam noſtram, & in eo fidentes, qui de [2] tantis periculis nos eripuit & eruit; in quem ſperamus quoniam & adhuc eripiet; ad paſcendum dominicum gregem eo intentiores curas noſtras adiicimus, quo graviores in nos tribulationes videntur ingruere: neque enim in tantis moleſtiis ad noſtrum animum major pervenire unquam poterit conſolatio, quam ſi fidelem populum miſericors Deus per Apoſtolicum miniſterium noſtrum deducat [3] in ſemitam mandatorum ſuorum, eumque ambulare faciat in via [4] immaculata. Ad commonſtrandas autem fidelibus vias Domini, eoſque ſegregandos ab iis, qui abeunt [5] in conſilio impiorum nihil exiſtimamus accomodatius, quam ſanctorum virorum exempla proponere, qui accepto [6] Jeſu Chriſto Domino,

in

1 *Pſal.* 24.1. 2 *II.Corinth.* 1.10. 3 *Pſal.* 118.35. 4 *Pſal.* 100.6. 5 *Pſal.* 1.1. 6 *Coloſſen.* 2.6.7.8.

in ipſo ambularunt radicati, & ſuperædificati in ipſo, & confirmati in fide; nec paſſi ſunt decipi per philoſophiam, ut ait Apoſtolus, & inanem fallaciam ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi, & non ſecundum Chriſtum. Et quoniam exempla quo ſunt recentiora, ita eſſe ſolent efficaciora, animum & ſtudia noſtra convertimus ad promovendas Cauſſas Canonizationis BEATORUM JOANNIS CANTII, JOSEPHI CALASANCTII, JOSEPHI A CUPERTINO, HIERONYMI ÆMILIANI, SERAPHINI AB ASCULO, ET JOANNÆ FRANCISCÆ FREMIOT DE CHANTAL, ut eorum virtutes, & præclara merita in excelſo ſanctuarii loco poſita luceant coram hominibus, & univerſæ Eccleſiæ præſidio æque ſint, & fidelibus incitamento ad Jeſu Chriſti cultum firmiter retinendum, ejuſque ſtrenue ſectanda veſtigia. Itaque de eorum rebus geſtis, & de miraculis, quibus clarificata eſt, quæ in illis abundavit, Jeſu Chriſti gratia, Prædeceſſorum noſtrorum more expetimus ad Nos in præſenti Conſiſtorio referri.

Ut PONTIFEX loquendi finem fecit, Cardinalis Feroni in pedes erectus in obſequii ac reverentiæ argumentum PONTIFICEM verſus caput inclinavit; deinde iterum aſſidens, ſeque bireto cooperiens de BEATO JOANNE CANTIO paucis, ſed pereleganter ac venuſte orationem habuit, in qua virtutes omnes, quæ Eccleſiæ miniſtris decent, complexus eſt, oſtenditque JOANNEM, veluti lucidiſſimum ſydus ſupra cæteros ſi le præfulgentem: ſpe in Deo, cui adhærere bonum eſt, immobiliter innixum: caritate adverſus Deum, ac proximum quammaxima flagrantem.

Harum virtutum argumenta clara, conſpicua, & indubia fuere efficaciſſimæ, quas ad Deum diurno nocturnoque tempore preces fundebat: iter longiſſimum, ac permoleſtum, quod in Palæſtinam pedibus habuit, ut loca illa, quæ Chriſtus Dominus, dum mortales inter verſabatur, incoluit, venerarætur: frequentes ac difficiles peregrinationes, quas temporibus calamitoſiſſimis prædonum latronumque inſidias minime expaveſcens Romam inſtituit, ut ad Apoſtolorum limina ſe proſterneret, ſicque Apoſtolorum Principis trophea in Vaticano, & Doctoris gentium via Oſtienſi præſens, devotuſque concelebraret: aſſidua diligenſque cura, quam adhibuit, ut populum ſibi commiſſum, Parochum enim geſſit, a vitiis revocaret, & viam mandatorum Dei percurrendam edoceret: incredibilis illius ſcientia, ac ſapientia ſingularis, qua ſuos auditores contra furentes impiorum hæreſes, & ſchiſmata ita firmavit excitavitque, ut nemo unus eſſet qui errores quoslibet ac ſchiſmata cane pejus, & angue non exhorreſceret.

Hiſce, aliiſque multis heroicis JOANNIS facinoribus per ſumma capita indigitatis, concluſit Eminentiſſimus Dominus in BEATO JOANNE illuſtre habere exemplum ad imitandum ſimplices Presbyteros, ſi eximiam illius erga Deum pietatem, & in res ſacras religionem ſectarentur: Parochos ſi eamdem, quam JOANNES vigilantiam præſeferant ac prudentiam, ne populus a juſtitiæ, ſanctitatiſque ſemita deflectat: Doctores, qui in univerſitatibus & academiis ſcientiis, liberalibuſque diſciplinis tradendis dant operam, ſi dum auditores ſcientias docent, eoſdem imbuant præceptis, inſtitutiſque Sanctorum.

Hinc miracula, quæ Deus ad augendam gloriam Servi ſui ediderat, graphice eruditeque ita deſcripſit, ut Eminentiſſimi Patres mirabilia Dei conſiderantes in ſtuporem admirationemque raperentur: ſeriem tandem

ac judicii ordinem in Cauſſa ſervatum elare, & dilucide expoſuit, ſicque finem ſermoni fecit.

Tunc BEATISSIMUS DOMINUS NOSTER orationem reaſſumens ſententias Eminentiſſimorum Cardinalium in hæc verba exquiſivit.

IN BEATO JOANNE CANTIO, qui, ut audiſtis, VENERABILES FRATRES, mortificationem [1] Jeſu circumferens in corpore ſuo, ipſe ſe exhibuit hoſtiam viventem [2], ſanctam Deo placentem, qui laboravit [3] in verbo & doctrina, abſolutum perſpicere potuiſtis egregii Sacerdotis exemplum. Placetne igitur vobis, ut quem heroicis virtutibus præfulgentem, Omnipotens Deus miraculorum etiam gloria fecit illuſtrem, ad illius ſollemnem Canonizationem more Prædeceſſorum noſtrorum rite procedamus?

Illico Domini Cardinales unus poſt alium aſſurgentes per verbum *placet* ſenſum aperuerunt ſuum.

Vix poſtremus Diaconorum Cardinalium conſederat, cum Eminentiſſimus Feroni de BEATO JOSEPHO CALASANCTIO ſermonem exordiens illius ſanctitatem mirum in modum comprobavit. Oſtendit namque JOSEPHUM, cum ab ineunte ætate Deum timuerit, ad ſublime illud perfectionis faſtigium maturioribus annis perveniſſe, ad quod noſtris hiſce diebus paucis datum eſt aſcendere. Et ſane nil unquam teneris illis annis puerile geſſit, nil quod non grave, non prudentiſſimum, non ſanctum foret: vel ſi aliqua, quæ infantili ætati convenirent unquam patravit, hæc ad evidentiam uſque oſtendebant acerrimum vitiorum diabolique inimicum JOSEPHUM ſemper ubique futurum.

Multa in hanc rem produxit certiſſima argumenta; ſed illud præclariſſimum. Ex oppido Peraltæ magna ingenuorum pucrorum accita caterva in proximum agrum exiit, ut diabolum, quem belluam immanem, Deoque inimicam a majoribus acceperat, trucidaret: cum igitur umbram quamdam diram ac fœdiſſimam arbori inſidentem, ita puerili ejus ſimplicitati obſecundante Deo, conſpexiſſet, concitato gradu arborem aſcendit, ut illam pugione confoderet; quod puerile facinus indicium certum indubiumque fuit illius ſummi, ac perfecti odii, quo vir effectus in peccata erat inſurrecturus.

Quæ JOSEPHUS edidit heroica, ac admiranda geſta ut primum exceſſit e pueris, noluit Eminentiſſimus Dominus attingere ne nimium in longum protraheretur oratio, ſed ad præclara illa, quæ Sacerdotali charactere condecoratus factitavit, ſermonem convertens ſummos, ac pene incredibiles ejus labores in Lobetana, Illerdenſi, ac Urgellenſi Diœceſibus vicaria poteſtate regendis, Monachiſque Montis ſerrati ad primævum perfectionis inſtitutum reducendis exantlatos expoſuit: cætera autem, quæ in Hiſpaniis ardua profecto ac difficillima fortiter aggreſſus, feliciter explevit, recenſere Eminentiſſimus Dominus omiſit, ut nobiliora, quæ Romæ JOSEPHUS edidit virtutum exempla per ſumma ſaltem capita indigitaret.

Hinc primum præclaram illius Religionem, qua impellente, licet undique negociis implicatus, diſtentus, & impeditus ad ſeptem principes Urbis Baſilicas Martyrum memorias veneraturus quotidie accedebat, debitis concelebravit encomiis: ſingularem inde illius prudentiam in duorum ampliſſimorum Columnenſium Cardinalium tractandis terminandiſque negociis commendavit: caritatem tandem eximiam mirum in modum expoſuit: deſcripſit enim virum venerandum, doctrina celebrem, nobilitate conſpicuum ac illuſtrem in edocendis pueris, qui prima crudimenta addiſcebant, aſſiduam operam dantem: deſcripſit non modica auri pondera profundentem in conducendis magiſtris, qui

1 *II. Corinth.* 4. 10. 2 *Rom.* 12. 1. 3 *I. Timoth.* 5. 17.

qui eoſdem litteris boniſque moribus imbuerent pueros, in emendis libris omnibuſque, quæ ad humaniores tradendas diſciplinas pauperrimis pueris neceſſaria erant comparandis: deſcripſit inter hæc in oratione aſſiduum, aliiſque pietatis operibus, ac caritatis continuo vacantem, nihilque eorum prætermiſit, quæ in Reipublicæ, & Eccleſiæ commodum Josephus eſt operatus.

Neque hic ſtetit Eminentiſſimus Dominus, verum ad heroicam patientiam viri conſiderandam orationem convertens, calamitates, injurias, contumeliaſque omnes a perditis ſceleſtiſque hominibus erga præclarum virum illatas propoſuit, quas cum forti invictoque animo ſemper ſuſtinuerit, jure meritoque patientiæ ac fortitudinis heroem illum affirmavit. Heroem enim Josephum dixit lictores inter & ſatellites, veluti graviſſimi criminis reum ad Sanctiſſimæ Inquiſitionis Tribunal claro mane per frequentiſſimas Urbis vias perductum, nec verbum in propriæ innocentiæ comprobationem proferentem: heroem eumdem dixit hilari vultu, inconcuſſoque pectore nuncium everſionis religioſæ Familiæ, quam tot laboribus, vigiliis, & curis Domino progenuerat excipientem.

His, aliiſque pluribus brevi comprehenſis ſermone concluſit de beati viri ſanctitate amplius dubium cuique eſſe non debere: clariſſima ad hæc adjecit teſtimonia miraculorum, quæ Deus, ut Josephi ſanctitas clarius evinceretur, omnipotenti dextera patraverat: neque indigitare omiſit omnia, quæ in Cauſſa acta fuerant, & agitata, ut cuilibet Eminentiſſimorum Patrum innoteſceret juſto legitimoque judicio Calasanctii virtutes fuiſſe comprobatas.

Hæc cum claritate ſumma, ac perſpicuitate ſermonis Cardinalis Feroni dixiſſet, Summus Pontifex ſic Eminentiſſimos Patres eſt alloquutus.

Venerabiles Fratres: Beati Josephi Calasanctii virtutes plane heroicas fuiſſe oportuit: neque enim ſine firmiſſima fide, magnaque ſpe futurorum bonorum, & flagrantiſſima in Deum, & proximum caritate tam multas, tamque graves injurias, contumelias, & probra, tantaſque calamitates tam fortiter ſuſtinere potuiſſet. Hominem ſibi carum Deus oſtendit illuſtribus miraculorum ſignis, & prophetiæ dono, ad cujus Canonizationem placetne vobis, ut juxta Apoſtolicæ Sedis inſtitutum ſollemni ritu deveniamus.

Interroganti Pontifici Domini Cardinales per verbum *placet* reſponſum dedere.

Ad Josephi de Cupertino perpendendas virtutes tranſitum faciens Eminentiſſimus Feroni in eo totus fuit, ut immenſam, vel, ſi ita dicere fas eſt, incredibilem illius adverſus Deum caritatem comprobaret, quæ tanta ac excellens fuit, ut ipſius vim nequaquam continere Josephus valens, eadem incenſus, & commotus contra omnes naturæ leges per aerem quamſæpiſſime, & modo ita ſingulari ac inaudito volitaret, ut hominum memoriæ unquam fuerit conſignatum nullos Dei Servos tam frequentes, tamque admirabiles ecſtaſes aut raptus habuiſſe. Hoc tamen quod ita raro in aliis Dei Servis accidit, ut ſi quando auditum ſit, inter inuſitata prodigia ac portenta numeretur, frequentiſſime adeo Josepho noſtro evenit, ut ipſarum ecſtaſum, ac raptuum copia viros quoslibet graviſſimos prudentiſſimoſque in admirationem ſtuporemque excitaret.

Et quis non eſſet quammaxime, ac ſupra modum miratus, ſi Josephum ligneam Crucem enormis ponderis ac magnitudinis ferentem ad faſtigium montis evolantem conſpexiſſet? Quis non ſtupuiſſet ſi Josephum ex altiſſima egredientem feneſtra altare, ubi Divinum Euchariſticum ſervabatur Sacramentum recta per aereas vias petentem, ac ad eamdem feneſtram vidiſſet redeuntem? Quis tenerrimos pietatis, & religionis motus non

eſſet expertus, ſi dum Sacrum JOSEPHUS peragebat, eumdem e ſolo in ulnas plurimas elatum animadvertiſſet?

Quarum ecſtaſum teſtes in medium Eminentiſſimus Dominus produxit graviſſimos lectiſſimoſque viros ſcientia ac integritate morum ſpectabiles & illuſtres, non e Conventualium Familia modo, verum e quolibet ampliſſimo ordine allectos, inter quos enumerare minime prætermiſit ipſum Urbanum VIII. Pontificem O. M.: admiſſus namque JOSEPHUS in illius Pontificis conſpectum vix in genua provolutus parat ſe, ut ejuſdem pedes deoſcularetur, majeſtatem Chriſti Vicarii admirans tanto caritatis æſtu continuo corripitur, ut ſupra Pontificis ſedem, ad rei novitatem Urbano, aulicisque ſtupentibus proſilierit.

Ex hiſce admirandis ecſtaſibus pro ſua ſapientia Eminentiſſimus Dominus clariſſime oſtendit cæteras theologales, quas vocant, virtutes profundas in JOSEPHO defixas habuiſſe radices, neque ex ecſtaſibus tantum, verum etiam plurimis aliis argumentis id comprobarit, atque evicit.

Non omiſit præterea cæteras illius deſcribere, & exornare virtutes, prudentiam nempe, juſtitiam, fortitudinem, ac temperantiam, humilitatem, obedientiam; paupertatem cum angelica caſtitate, atque puritate conjunctas. Addidit ad hæc Deum O. M. plurimis portentis ac prodigiis editis voluiſſe mortalibus teſtatum fore quam grata, quam accepta eximia JOSEPHI virtus ſibi fuerit; quamobrem, cum omnia rite recteque in hujus Cauſſæ judicio eſſent expleta, affirmavit nemini dubium eſſe debere, quin JOSEPHUS A CUPERTINO digniſſimus foret qui Canonizationis honore condecoraretur.

Tunc BEATISSIMUS DOMINUS NOSTER ita ad Eminentiſſimos Patres ſermonem direxit.

AUdiſtis, VENERABILES FRATRES, inſtitutum vitæ BEATI JOSEPHI A CUPERTINO fuiſſe corde fixum habere in Cælis, quo ſuos affectus omnes tranſtulerat, ut vere uſurpare potuiſſet illud Apoſtoli [1]: noſtra autem converſatio in Cælis eſt. Ex aſſidua & profundiſſima cæleſtium rerum contemplatione mirabiles ac frequentes audiſtis ecſtaticos motus, quibus in aera ſublimis placidiſſime tollebatur. Ad ſollemnem itidem Canonizationem hujus BEATI VIRI tum heroicis virtutibus, tum miraculis, quibus ejus ſanctitatem Deus comprobavit, maxime inſignis, & in omni vitæ ſuæ curſu admirandi, placetne vobis, ut juxta conſuetum Apoſtolicæ Sedis morem deveniamus?

Et Eminentiſſimi Cardinales omnes ad unum uſque conſueta formula *placet* ſenſum aperuerunt ſuum.

Iterum Eminentiſſimus Cardinalis Feroni interruptum inſtituens ſermonem de BEATO HIERONYMO ÆMILIANO, Venetæ gentis gloria & præclarum ornamentum, non abſimili elegantia ac orationis venuſtate verba fecit; ejuſque in eo omnis verſata eſt oratio, ut heroem ſanctitatis præcipue ex ſumma caritate, quia in hac una virtute tota lex conſiſtit, HIERONYMUM evinceret.

Et re quidem vera, ut in teterrima turri compedibus cateniſque onuſtum HIERONYMUS ſe vidit detentum, cogitatione primævum vitæ inſtitutum revolvens, cum liberius vivendi ſeſe uſum fuiſſe licentia cognoviſſet, adoleſcentiæ vitia, virtutum ſplendore diſſipare conſtituit. Hinc vix e turri liberum divinitus evaſit, quæ ſeculi erant abiiciens, novum induit hominem in juſtitia, & ſanctitate veritatis, cogitationes ad inopem & pauperem ſublevandum convertit, & orphano, cui non erat adjutor caritativas manus extendit.

Gra-

[1] Philippen. 3. 20.

Graviſſimum bellum, ac diuturnum, quo bello Italia fere univerſa preſſa divexataque fuit, Venetorum Reſpublica ſuſtinuit, ex quo quidquid calamitatis erat poſtmodum eſt experta: agros maximos & feraciſſimos laſcivientes hoſtium milites ſunt depopulati: lætas ſegetes, vineas, res omnes ruſticas, ſane bene cultas & fructuoſas, incenderunt, agricolaſque fugarunt: hinc primum ſumma annonæ caritas, gravis inde adeo oborta eſt peſtilentia, ut miſerum in modum in cujuſcumque ordinis cives, ſed præcipue in pauperes, quippe qui macie ac inedia fere erant confecti, fuerit debaccata: ingens proinde puerorum multitudo omni deſtituta auxilio per vicos ac plateas langueſcebat, nec qui ſolatium & levamen afflictis miſeriſque præſtaret, inveniebatur.

Horum miſeriis, ac ærumnis Hieronymus commotus cœpit, quos poterat, in unum colligere pueros, eos per pietatis ſemitam dirigere, boniſque præceptis imbuere. Enumeravit hic loci Eminentiſſimus Dominus labores omnes, quos in hoc arduo aggrediendo negocio Hieronymus viriliter ſuſcepit, difficultates omnes, quas ſuperare debuit, deſcripſit: heroicam inſuper illius fidem commendavit, ſpem ſummam debitis concelebravit encomiis: quis enim ſummis illam laudibus non cumulaſſet, ſi Deus ipſe ſingulari prodigio illam probare firmareque non eſt dedignatus? Accidit, ut pueri, quorum curam Hieronymus gerebat, nil cibi, nil obſonii, præter paucas panis reliquias in prandium die quadam haberent, quæ ſatis non erant ad eorum famem levandam, eas tamen in ſingulos Hieronymus dividens pueros, illos ita refecit, atque recreavit, ut multum etiam panis ſuperfuerit, qui in rei mirandæ monumentum religioſiſſime per ejus diſcipulos ac ſpirituales filios fuit ſervatus.

Præterea Eminentiſſimus Dominus Hieronymi liberalitatem, qua ditiſſimum omne patrimonium in alendis orphanis conſumpſit, prædicare non deſtitit: humilitatem etiam viri dixit profundam; etenim patritius vir gloria militari ſatis celebris & illuſtris, nobilitate majorum conſpicuus non recuſavit ſtipem oſtiatim quærere, ut orphanorum miſerias levaret: tantumque humilitatis ac paupertatis ſtudium oſtendit, ut ingentem auri vim ſibi a Franciſco Maria Sfortia Mediolanenſi Duce oblatam recuſaverit atque reſpuerit.

Jure igitur, meritoque Beatus dici poterat Hieronymus, beatus enim eſt vir ille, qui poſt aurum non abiit, neque ſperavit in pecuniis, & theſauris. Neque his limitibus tantum caritas Hieronymi ſtetit, verum maximas quaſque res ſemper animo revolvens, multum operis, ac laboris contulit, ut perditiſſimas mulieres, quæ queſtum corpore occuperant ad caſtitatem ſervandam induceret: quamobrem hujuſce rei gratia bene morata aſceteria conſtituit, fundavit, erexit.

Hæc omnia magna quidem & ſingularia caritatis fuere exempla, verum maximum certum & inauditum illud fuit, quod in ultima profecto ætate edidit: etenim ſi majorem caritatem nemo habet, ut animam ſuam ponat pro amicis ſuis, ſummam heroicam ac eximiam Hieronymi caritatem fuiſſe dicendum eſt, qui, ut egenis labe peſtifera correptis ſubveniret, ſui omnino oblitus, de aliorum autem commodis, & incolumitate apprime ſollicitus, eodem morbo correptus placidiſſima morte occubuit.

Tum Eminentiſſimus Dominus miracula, quæ Deus Omnipotens, poſtquam Hieronymus Beatos inter per Benedictum PP. XIV. fuerat adnumeratus, ut glorioſum ejuſdem nomen per univerſam redderetur Eccleſiam, patraverat, luculenta oratione expoſuit, ac ſeriem, ſeu judicii ordinem a Sacrorum Rituum Congregatione ſervatum clariſſime deſcripſit.

Statim Sanctissimus Dominus Noster ſuffragia Eminentiſſimorum Patrum hunc in modum exquiſivit.

Inter heroicas virtutes, quas in animum Beati Hieronymi Æmiliani divina indidit gratia, ſingularis, ut audiſtis, Venerabiles Fratres, eminet in proximum caritas,

cujus

cujus exercendæ præſertim erga pueros orphanos,& humana ope deſtitutos BEATUS VIR omnia ſtudia ſua devovit. Quantopere Deus probaverit ejus vitæ genus, quod eſt amplexus, ut eſſet pauperi [1], & orphano adjutor inſignibus miraculorum indiciis compertum eſt, quibus BEATUM VIRUM illuſtrem fecit divina dignatio. Igitur placetne vobis, ut ad illius etiam ſollemnem Canonizationem rite procedamus?

Domini autem Cardinales per verbum *placet* aſſenſum præbuerunt ſuum.

Ad BEATI SERAPHINI AB ASCULO ſeu a MONTE GRANARIO admirabile vitæ genus perpendendum tranſitum inde faciens Cardinalis Feroni primo orationis limine SERAPHINUM benedictionibus dulcedinis in ipſa pueritia oſtendit a Domino præventum: etenim pius ſemper in parentes, ſuperioribus continuo obſequentiſſimus, comes in æquales fuit, erga res autem ſacras & cultum divinum adeo propenſus & proclivis, ut oblectamenta, quæ propria illius ætatis ſunt, omnino reſpuens, nil aliud quæreret, quam divinis rebus vacare, nullibi requiem inveniret, niſi templum peteret efficaciſſimas preces effuſurus.

A quo pio ſanctoque inſtituto, licet rei familiaris anguſtia coactus, paſcendis gregibus villico cuidam operam locaverit ſuam, nunquam receſſit. Qua vivendi ratione ita ſtabile, ac firmum virtutis jecit fundamentum, ut maxima deinde tribulationum calamitatumque procella ſuperventa, nequaquam loco dimoveri potuerit. Mortuo enim Theodoro patre, Silentius frater natu major aſperrimi ingenii vir SERAPHINUM domum revocavit, ut in cæmentarium opus agendum illius uteretur opera: verum cum par non haberet ille huic rei ingenium, dure adeo ac crudeliter cum eodem agere cœpit, ut ad virtutes SERAPHINI, præcipue autem patientiam, & fortitudinem comprobandas magnum exigi nequeat argumentum.

Hoc pacto in virtutum palæſtra diu multumque SERAPHINUS exercitatus, cum audita aſcetici libri Dionyſii Carthuſiani lectione maximum divini judicii præconcepiſſet timorem, ut alacriori ſtudio perfectioni tantum incumberet ad Capuccinos venit, illorumque caſtris nomen dedit. Cum huc Eminentiſſimi Domini perveniſſet oratio, difficile dictu eſt quot heroica facinora per SERAPHINUM inter Capuccinos patrata, in medium produxit: produxit enim ecſtaſes fere continuas, quas patiebatur vel dum in cæleſtialium rerum contemplatione verſabatur, vel dum Sacris quamdevotiſſime inſerviebat: produxit illius humilitatem vere eximiam, qua infimum abjectumque in domo Dei ſe reputabat: produxit ſummam, ac evangelicam paupertatem, qua inter pauperes pauperrimus apparebat: produxit obedientiam adverſus Ordinis Præſules heroicam vere & præclaram, vix enim illis innuentibus, arduum quodlibet opus aggrediebatur: produxit aſſiduas innumeraſque carnis afflictationes, quibus in ſervitutem corpus ſuum redigebat, quæ tam graves & enormes fuere, ut licet in Capuccinorum Ordine ſemper pii adinventi ſint viri, qui pœnitentiis mirum in modum operam dederint, nihilo tamenminus SERAPHINUS omnes in eo exercitio facile ſuperabat: produxit caſtitatem, ſi ita loqui fas eſt, vere angelicam: produxit ſingularem illius caritatem, qua diſſidentes Aſculanos cives in amicitiam compoſuit, qua furentia compreſſit arma, qua latronem ad mortem vulneratum omni officii, & caritatis genere eſt proſequutus: produxit cæteras ejus virtutes, quæ nimium in longum ſermonem protraherent; ſi omnia vel per ſumma capita libitum eſſet recenſere.

Ad deſcribendum deinde illuſtrem SERAPHINI obitum deſcendit, illumque ſanctum, pium, & in conſpectu Domini pretioſum fuiſſe

1 *Pſalm.* 9. 14.

fuiſſe comprobavit. Miracula etiam, quæ jam Sanctiſſimus Dominus Noster oraculo firmaverat ſuo, eleganter expoſuit, neque judicii ordinem in Cauſſa ſervatum declarare omiſit.

Ut finem ſermoni Eminentiſſimus Peroni impoſuit Clementiſſimus Dominus Noster Cardinalibus ibidem conſidentibus hoc pacto verba fecit.

Admirandam audiſtis, Venerabiles Fratres, Beati Seraphini ab Asculo aſperitatem vitæ, profundiſſimam humilitatem, altiſſimam paupertatem, majores omni theſauro divitias æſtimantis [1] improperium Chriſti, ut ſanctiſſimi viri Franciſci, cujus amplexus eſt inſtitutum, pœnitentiam, patientiam, cæteraſque ejus virtutes in omni vita ſua repræſentaverit. Beati Viri ſanctitatem, ut intellexiſtis, luculenter nobis Deus oſtendit, cum miraculorum gloria, ac præcipue curationum gratia illum voluit præfulgere. Placetne vobis, ut ad ejus itidem Canonizationem Prædeceſſorum noſtrorum more ſollemni ritu procedamus?

Solita, conſuetaque formula *placet* interroganti Pontifici reſponſum dedere Eminentiſſimi Domini.

De Beata Joanna Francisca Fremiot de Chantal inſtituit ultimo loco orationem Eminentiſſimus Feroni ac conſpicuis comprobavit verbis abſolutiſſimum ſanctitatis exemplar fœminas quaslibet, ſive virgines domeſticos inter parietes verſantes, ſive viris in matrimonium copulatas, ſive in honorabili viduitatis ſtatu conſtitutas, ſive in aſceteriis monaſticam degentes vitam in Joanna Francisca habere quod imitentur. Et ſane ſi ſpectetur illius vitæ inſtitutum, quod in paterna domo traduxit, nil quod non honeſtatem, ſummamque morum ſanctimoniam, fidemque vere heroicam ſapiat, poteſt inveniri: dulciaria ab hæretico homine blande ſibi oblata ipſa in ignem projecit, clamitans hæreticos, ni reſipiſcant, ſic in ignem pœnas daturos: ipſa perditiſſimæ mulieris fraudes eximia declinavit prudentia: ipſa nobiliſſimi lectiſſimique adoleſcentuli, quia a Catholica fide animum alienum habebat, conſtanter connubium reſpuit, & virginitatem certe fuiſſet profeſſa, niſi patris coacta imperio nuptias cum viro præclariſſimo Chriſtophoro Rabutinio de Chantal debuiſſet celebrare.

Vix domum viri ingreſſa adeo certa & indubia virtutum omnium exhibuit argumenta, ut unam Joannam illam eſſe mulierem fortem, cujus prætium procul & ab ultimis finibus eſt, nemo addubitaverit: viri namque voluntati ſemper fuit obſequentiſſima: domeſticorum providam curam geſſit: filium filiaſque, quos habuit dilectiſſimos, optimis moribus pietate, boniſque inſtitutis imbuit: erga pauperes effuſa, comes in omnes ac benigna, nil, quod honeſtatem non præſeferret, geſſit, nil vanitatis, vel ſuperſlui ornamenti unquam adhibuit. Verum in quo maxime Joannæ virtus ac fortitudo enituit fuit, dum in ipſo ætatis robore ac flore virum dilectiſſimum acerba immaturaque morte e vivorum numero vidit ſublatum. Viro defuncto ad eamdem ſemper perfectionis metam intendens novam rationem vivendi, quæ veræ viduæ deceret, eſt aggreſſa: rei enim domeſticæ ac familiaris curam aſſiduam diligentemque ſuſcepit: filiorum educationi attentius incubuit, & adverſus ſocerum difficillimæ naturæ virum obſequium ſummum, ac reverentiam exhibuit. Quo rerum ſtatu, ut ejuſdem virtus ſicut aurum in fornace, magis magiſque purgaretur, con-

1 *Hebræor.* 11. 26.

continuæ calumniæ contumeliæ ac dicteria, quibus a perditiſſima famula proſequebatur, ei minime defuere; in quibus perferendis, licet virilem exhibuerit animum, majorem certo certius fortitudinem, ac conſtantiam oſtendit, dum ob ſingularem pulchritudinem, morumque ſuavitatem, a nobiliſſimis viris ad novas nuptias inſtantius expetita, ab iis alienam ſemper ſe declaravit, caſtitatem, quam Deo voverat, in poſterum ſervatura.

Hiſce igitur exculta virtutibus JOANNA FRANCISCA, ut aggreſſum perfectionis iter facilius percurreret, ſingulari Dei providentia, in ſpiritualem ducem, & magiſtrum S. Franciſcum Saleſium obtinuit, cujus ſuaviſſimis monitis, & conſiliis tantum in palæſtra virtutum profecit, ut ſeculo vale dicere, reſque omnes omnino derelinquere, & novam, Franciſco duce, in Eccleſia Dei ſacrarum virginum Familiam conſtituere decreverit.

Verum permaximæ erant ſuperandæ atque evincendæ difficultates: obſtabat enim materuus affectus ne dilectiſſimos amatiſſimoſque derelinqueret filios: obſtabat patris pietas, qui domum aliam cariſſimam retinere cupiebat: flebant propinqui, domeſtici amare lugebant, at immobilis JOANNA in propoſito perſtitit: filius denique, quem ſupra cæteros habebat dilectiſſimum, ut diſcedentem remoraretur matrem ad oſtii limen ita ſe proſternit, ut ſi exire cuperet illum conculcare deberet: venit ad oſtium JOANNA jacentem filium conſpicit, pietatis, ac amoris affectus omnes commoventur materna caritas illam retinere curat, ſed qui eidem velle dederat, Divino Spiritu vires ſuppeditante forti virilique pede filium tranſilit, domo exit, Anneciam ad Franciſcum Saleſium venit, & novæ religioſiſſimæ virginum Familiæ ſundamenta ponit.

Sic admirabili Altiſſimi conſilio evenit, ut JOANNA, quæ virginibus, mulieribus, ac viduis illuſtria dederat exempla virtutum, præclariſsima etiam earumdem ederet facinora, quæ per virgines in aſceteriis recluſis eſſent imitanda. Ipſa enim tunc etiam quam maxime virtutibus præſulſit, licet pluribus difficillimiſque diſtenta negociis in commodum ac incrementum hujuſce bene moratæ Familiæ ſuſceptis.

Quot enim ſtatuit, fundavit, ac erexit lectiſsimarum virginum aſceteria, tot teſtes habemus, qui clariſsimis argumentis eximiam illius prudentiam, fortitudinem ſingularem, fidem pergrandem, ſpem firmam, caritatem excellentem teſtantur; non unum enim aut alterum, ſed ſeptem ſupra octoginta virginum aſceteria in præcipuis Galliæ Regni urbibus, in Sabaudia, aliiſque Provinciis conſtituit, in quibus prudentes virgines oleum in lampadibus habentes, ut Sponſo cœleſti occurrant religioſam ducunt vitam.

Ad hæc Eminentiſsimus Feroni brevem elegantem & conſpicuam miraculorum, quæ a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO fuerant probata deſcriptionem adjecit, & quæ in hac Cauſſa Sacra Rituum Congregatio egit, fideliſsime expoſuit.

Ut loqui deſtitit Eminentiſsimus Dominus, CLEMENS PP. XIII. in hanc ſententiam ad Dominos Cardinales ſermonem habuit.

QUodcumque vitæ genus ſectantur chriſtianæ mulieres omnibus BEATA JOANNA FRANCISCA FREMIOT DE CHANTAL ſingulare magnarum virtutum ſpecimen præbet. Nam & in virginali ſtatu, quem præoptaverat, & ex patris voluntate viro nupta, & in viduitate, & perfectioris vitæ denique viam ingrediens, egregia edidit ſuæ ſanctitatis exempla. Heroicas ejus virtutes, ut audiſtis, VENERABILES FRATRES, mirabilium ſignorum teſtimoniis Deus comprobavit. Placetne igitur vobis, ut ad ejus quoque Canonizationem more Prædeceſſorum noſtrorum ſollemni ritu progrediamur?

Cum-

Cumque per verbum *placet* Eminentiſſimi Patres animum declaraſſent ſuum, ſtatim Pontifex Sanctissimus ſumma animi lætitia affectus ſubjunxit.

Sententias veſtras de his, quæ vos rogavimus, Venerabiles Fratres, libentiſſimo animo audivimus. Cum autem noſtræ Conſiſtorialis aulæ Advocati Beatorum inter Sanctos ſollemniter adſcribendorum ſanctitatem, & miracula accurata oratione nobis debeant exponere: idcirco duo ad hanc rem indicenda ſunt publica Conſiſtoria, quæ quo die haberi oportuerit vos certiores fieri curabimus.

His dictis, e ſella ſtatim ſurrexit, & cum ab Alexandro Cardinali Albano Diaconorum priore ſtola fuiſſet exutus, producto in Eminentiſſimos omnes ſigno Crucis, Conſiſtorium dimiſit, & ad intimum reverſus eſt cubiculum.

In more ſemper Romani habuere Pontifices, cum proxima Canonizationis eſſent ſollemnia, aliquem ex Eminentiſſimis S. R. E. Cardinalibus in Procuratorem Canonizationis ſeligere, qui ipſa celebritatis die in auguſtiſſima Vaticana Baſilica toto ſacro adſtante Senatu, præſentibuſque Cleri univerſi ordinibus, efficaciſſime Beatos in Sanctorum catalogum a Summo Pontifice referri efflagitaret. Hanc provinciam Beatissimus Dominus Noster Clemens PP. XIII. v. Nonas Maii Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo D. Carolo Rezzonico fratris filio S.R.E. Camerario commiſit, ſequens hac in parte Prædeceſſorum ſuorum illuſtre exemplum, ac præcipue Clementis PP. XI. æternæ memoriæ Pontificis, qui Canonizationis, quam hujuſce ſeculi initiis celebravit, Procuratorem conſtituit fratris filium Annibalem Albani Cardinalem ampliſſimum. Quia autem Canonizationis Procurator inſtantes hujuſmodi preces per Advocatum Conſiſtorialem Pontifici exhibet, hinc Eminentiſſimus Rezzonicus in hanc rem virum clariſſimum Philippum Durani Conſiſtorialis aulæ, Fiſci, & R. C. A. Advocatum elegit.

Erant, impræſentiarum ſecundum, quæ jam obtinet, conſuetudinem, publica celebranda Conſiſtoria, in quibus Conſiſtorialis aulæ Advocati elegantibus orationibus de virtutibus, ac miraculis Beatorum diſſerere debebant: hi, ad ipſos enim diligentiſſimus vir Carolus Alexius Piſani Fidei Promotor compendiarias narrationes de geſtis, ac prodigiis per Beatos editis tranſmiſerat, jam orationes paraverant; proindeque nil aliud ſupererat, niſi ut per Pontificem Conſiſtoriis dies indiceretur. Etenim, ne nimium in longum Canonizationis negocium diſtraheretur, ſi juxta Sacrorum Rituum Congregationis decretum[1] nonniſi de uno Beato in quolibet publico Conſiſtorio Advocati eſſent verba facturi, neve id permaxime incommodum & moleſtum Eminentiſſimis Patribus, graviſſimis Eccleſiæ, & Reipublicæ negociis occupatis & intentis foret, re m omnem prudenti deliberatione in ſecreto Conſiſtorio verba ad Cardinales habens, compoſuerat Beatissimus Pater jubens duo tantum publica indicenda eſſe Conſiſtoria: quorum primo cum Nonis Maii dies fuiſſet conſtitutus Eminentiſſimi Cardinales, aliique omnes, quibus ex Romanorum Pontificum benignitate in hiſce Conſiſtoriis locus eſt attributus, per hanc quam apponimus ſchedulam fuere admoniti.

INTIMATIO

Per curſores facienda, domi quoque dimiſſa copia.

„ Die 7. Maii feria quinta hora decima „ quarta, in aula regia Palatii Apoſto„ lici Quirinalis publicum erit Conſiſtorium „ pro proximis Canonizationis ſollemniis „ Beatorum Joannis Cantii Presbyteri Se„ cularis, Josephi Calasanctii Fundatoris „ Ordinis ClericorumRegularium Pauperum

 „ Ma-

1 *In decreto Sacrorum Rituum Congregationis 3. Januarii* MDCCXXII.

„ Matris Dei Scholarum Piarum, & JOSEPHI
„ A CUPERTINO Sacerdotis profeſſi Ordinis
„ Minorum Conventualium S.Franciſci Con-
„ feſſorum.

„ Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi DD.
„ Cardinales in prædictum Quirinale Pala-
„ tium convenient ſub eamdem horam, &
„ ſumptis violaceis cappis in conſueto loco,
„ ad aulam paramentorum accedent, unde
„ SUMMUS PONTIFEX in præfatam aulam re-
„ giam deferetur.

„ Cum SANCTITAS SUA ſe compoſuerit in
„ ſolio, obedientiam rite præſtabunt.

„ Mox Sacri Conſiſtorii Advocati ſeriem
„ vitæ, virtutum, & miraculorum eorum-
„ dem trium BEATORUM ſequenti ordine re-
„ ferent.

„ Primam de BEATO JOANNE narrationem
„ habebit R.P.D. Litta Sacræ Conſiſtorialis
„ aulæ Advocatus, unaque illius pro Cano-
„ nizatione ex more inſtabit.

„ Secundam de BEATO JOSEPHO CALASAN-
„ CTIO D. Advocatus Hieronymus Tozzi,
„ qui & narrationem, & inſtantiam, ut ſu-
„ pra, faciet.

„ Tertiam vero de BEATO JOSEPHO A CU-
„ PERTINO D. Advocatus Philippus Durani
„ non abſimili modo referet, & pro Cano-
„ nizatione pariter inſtabit.

„ Demum R. P. D. Michael Angelus Gia-
„ comelli Archiepiſcopus Chalcedonenſis
„ Apoſtolicarum litterarum ad Principes Se-
„ cretarius DD. Advocatis in genua provolu-
„ tis SANCTITATIS SUÆ nomine, ſtans e
„ ſiniſtro ſolii latere cappa indutus, reſ-
„ pondebit.

„ Ideo intimentur omnes, & ſinguli præ-
„ dicti Emi, & Rmi DD. Cardinales; in-
„ timentur etiam Decani, ſeu antiquiores
„ Epiſcoporum Aſſiſtentium, & non Aſſiſten-
„ tium, Protonotariorum, Auditorum Ro-
„ tæ, Clericorum Cameræ Apoſtolicæ, Vo-
„ tantium Signaturæ Juſtitiæ, Abbreviato-
„ rum, & Advocatorum Conſiſtorialium,
„ ut collegas ſuos admoneant, & publico
„ Conſiſtorio cappis induti interſint; ſicut
„ etiam Secretarius Congregationis Sacro-
„ rum Rituum, & Promotor Fidei.

„ Intimentur quoque Gubernator Urbis
„ Vice-Camerarius, Principes ſolii, Con-
„ ſervatores Urbis, Magiſter Sacri Hoſpi-
„ tii, cæterique intimari ſoliti.

De Mandato SS. D. N. PAPÆ.

I. Archiepiſcopus Athenarum Apoſt. Cærem. Præfectus.

Aula regia Quirinalis, quæ Paulino adjacet ſacello, ad normam libri cæremonialis per coſmetas Apoſtolici Palatii exornata jam fuerat, & inſtructa. Videre enim erat ſublime PONTIFICIS ſolium, cui ſedes attalica aurea veſte cooperta imminebat, attrabaticis aulæis ornatum adverſus Paulinum ſacellum poſitum: hinc inde Eminentiſſimorum Patrum ſedilia peripetaſmatibus tecta eleganter erant diſpoſita.

Elvetii milites baſtati januam cuſtodiebant, nemini niſi Eminentiſſimis Patribus, aliiſque in eodem Conſiſtorio locum habentibus ingreſſionem liberam concedentes. Cum fere omnes, qui Romæ aderant Eminentiſſimi Patres ad paramentorum aulam PONTIFICEM præſtolaturi conveniſſent, PONTIFEX ad ipſam aulam deſcendit magna ſerica ſalda præcinctus, quam cubicularii duo, ne ambulanti eſſet impedimento, leviter ad pedes attollebant, cujus longum ſyrma caudatarius a parte poſtica ſuſtinebat: ſalda enim eſt veſtimentum valde amplum & lacinoſum, quod ad terram uſque protenditur.

Diaconi Cardinales, qui ad Ictum paramentorum aderant PATREM BEATISSIMUM camelaucio, & birro, qui mozzetta dicitur exuentes, amictu, alba, cingulo, ſtola, ac pluviali rubri coloris prænobili opere phrygio ſplendeſcente veſtierunt: formale, quod alio vocabulo rationale dicitur, adamantibus ac pretioſis lapillis dives ejus pectori adaptarunt, ac capiti mitram aureis filamentis contextam impoſuere.

Ut PONTIFEX ſtola fuit ornatus, & Crucem, quam Subdiaconus Apoſtolicus ante ipſum attulerat, capitis inclinatione fuit veneratus, ſtatim cæremoniarum Magiſtro *extra* elata voce clamante, Subdiaconus idem inter magiſtros oſtiarios parvam virgam oloſerico rubri coloris coopertam argenteaque capita habe-

habentem præ manibus geſtantes, ſupplicationis in modum ad aulam regiam eſt profectus. Bini poſt Crucem veniebant Eminentiſſimi Patres cappis violaceis ſuper purpureis veſtibus induti: cumque geſtatoriam ſellam Beatissimus Dominus Noster conſcendiſſet ab octo paraphrenariis rubro ſago veſtitis majeſtate ſumma, quæ Eccleſiæ maximo Patri, ac Paſtori decet, vectus in aulam regiam fuit, & ut primum e ſella deſcendit conſpicuo ſe componens in ſolio Cardinales omnes ad oſculum manus ſub auriphrygio porrectæ admiſit: idque obedientia dicitur.

Obedientia per Eminentiſſimos Patres præſtita Diaconi Cardinales, qui interea temporis ad Pontificis latera ſteterant, una cum aliis Eminentiſſimis Patribus juxta proprii ordinis gradum conſedere: Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Protonotarii Apoſtolici, Fidei Promotor, Sacrorum Rituum Congregationis Secretarius, cæterique, qui aderant Romanæ Curiæ Prælati locum ſibi debitum tenuere. Advocati Conſiſtoriales duplici ordine ante Pontificem conſiſtentes, cæremoniarum monente Magiſtro ſolita formula *accedant*, in unum coeuntes ſemicircularem figuram efformantes de genu Dominum Apostolicum venerati ſunt, ac ſtatim in pedes ſtetere: tum R. P. D. Alexander Litta Mediolanenſis, qui in ipſorum medio erat conſtitutus hanc de Beato Joanne Cantio elegantem habuit ad Pontificem orationem.

„ Non bellica ſolum virtute, Beatissime Pater, non acribus tantum ingeniis floruit Sarmatia, quam recentiores Poloniam appellant, verum etiam viris ſanctioris vitæ inſtituto longe clariſſimis, qui tamquam nova ſydera eccleſiaſtico orbi illuxerunt, nitidiſſimæque lucis fulgore majorum noſtrorum ad ſe oculos, menteſque rapuerunt. Hos inter viros, hæc inter ſydera novo quodam lumine coruſcat B. Joannes Cantius, qui principem locum habuit in Cracovienſi academia, multaque cum laude tradidit ſacram theologiæ facultatem.

„ De maximo hoc Viro dicendum mihi hodierna die coram te, Beatissima Pater, ſed ita dicendum, ut ejus laudes attingendæ potius ſint, quam exponendæ. Quamobrem non mea longe exſpatiabitur oratio, ſed intra eos fines coercebitur, quos temporis ad dicendum conſtituti brevitas mihi ipſi præſtituere videtur. Non eſt vero, ut a me quidpiam ingenio elaboratum, & induſtria perpolitum expectes, Beatissime Pater, quoniam neque ingenii viribus polleo, neque ſum in ea arte verſatus, quam, qui diu excoluerunt elegantia florent, & venuſtate ſermonis.

„ Eo autem dirigenda eſt oratio mea, ut oſtendam Joanni Cantio ſupremos duliæ honores decerni oportere, quos quidem moris eſt Eccleſiæ viris ſanctitate præſtantibus, atque in ipſo jam Beatitudinis portu conquieſcentibus decernere. Quod, ut aſſequar, non aliud mibi agendum video, quam, ut delibem quodammodo, & proferam ea, quibus Joannes, dum in vivis ageret, integerrimæ ſanctiſſimæque vitæ curſum inſtituit, & abſolvit; tum obiter commemorem inſignem illam miraculorum virtutem, qua a Deo cumulatus eſt poſt mortem, & maxima conſtantique per univerſum orbem fama celebratur.

„ Anno a Chriſti nativitate mcdxlvi. viii. Kalendas Julias natus eſt Joannes in oppido Cracovienſis Diœceſeos, quod oppidum Kentium dicunt, optimis parentibus Staniſlao Cantio viro Conſulari, & Anna pientiſſima muliere. Vix in lucem editus baptiſmalibus aquis tinctus eſt, & quod ortus eſſet ea die, qua natalem magni Præcurſoris diem ſollemni memoria recolit Eccleſia, Joannis nomen accepit.

„ Maxima fuit in infantem parentum cura, & ſolicitudo, quo pie, ſancteque inſtitutus adoleſceret. Hinc non ante cœpit ingenium prodere, & loqui puer, quam ejus jam apparuiſſent futuræ ſanctitatis argumenta. Cæleſtis cujuſdam animi illud præ cæteris indicium præbebat,

 „ quod

,, quod vehementi amore ferretur in Vir-
,, ginem Deiparam, eamque ſumma reli-
,, gione colcret.

,, Ubi primis litterarum rudimeotis im-
,, butus eſt, ſtatim mittitur a parentibus ad
,, Cracovienſem academiam, quam paulo
,, ante condiderat Ladislaus Jagellonus Po-
,, loniæ Rex. Dici autem vix poteſt quam
,, facile ſcientias arripuerit JOANNES, quan-
,, taque celeritate litterarium curriculum
,, abſolverit. Adoleſceotes, qui ſecum lit-
,, teris operam dabant, vel eos, qui magis
,, ingenio præſtabant, longo poſt ſe inter-
,, vallo reliquit: mira enim in JOANNE men-
,, tis acies, & maxima in diſcendo ſeduli-
,, tas. Quare factum eſt, ut brevi tempore
,, cum philoſopbicæ, tum theologicæ diſci-
,, plinæ lauream conſequeretur, & omnium
,, in ſe Cracovienſium admirationem, & ſtu-
,, dia converteret.

,, Ex ipſa vero JOANNIS doctrina uber-
,, rimum inde fructum perceperunt non
,, Cracovienſes modo, ſed univerſi quoque
,, Poloni. Etenim, cum illa ætate erupiſ-
,, ſent ex orci latebris teterrima hæreſcos,
,, & ſchiſmatis monſtra, cum Angli, Ba-
,, tavi, plurimæque per Germaniam ſcho-
,, læ pravas opiniones diſſeminarent, Ec-
,, cleſiæque bellum ioferrent, Catholicæ
,, veritatis in ſe præſidium ſuſcepit JOANNES,
,, avertit a Poloniæ finibus gliſcentium er-
,, rorum monſtra, eoque vires ſuas conver-
,, tit, ut impiorum hominum conatus re-
,, tunderet, & Cracovienſem academiam,
,, tamquam ſanioris doctrinæ arcem, & pro-
,, pugnaculum conſtitueret.

,, Tum vero patentiorem campum, in
,, quo exultaret pietas JOANNIS nacta eſt,
,, tum inſitæ ejus animo virtutes exſerue-
,, runt ſeſe quodammodo, & illuſtrius pa-
,, tuerunt, cum Sacerdos factus eſt, & in-
,, tellexit ſe jam in ſortem Domini vocatum.
,, Tum corporis caſtitatem ita cum mentis
,, puritate conjunxit, ut omnem, vel leviſ-
,, ſimam criminis labem reformidaret. Hu-
,, militati ſtuduit, ſtudio divinæ legis exar-
,, ſit, carnem, ne inſoleſceret adverſus ſpi-
,, ritum, jejunio, flagris, cilicio domuit,
,, atque in ſervitutem redegit: nunquam
,, niſi ſuper duriori humo breviſſimos ſomnos
,, capere, nec alia, quam detrita veſte uti
,, conſuevit, quæ corporis nuditatem tege-
,, ret, & vix, ac ne vix quidem tempeſta-
,, tis injurias averteret. Quod ſi demum ur-
,, ſinam pellem, cum decumbendum eſſet,
,, ſibi pro culcitra ſubſtravit, id non vo-
,, luntate fecit, ſed neceſſitate propter in-
,, graveſcentem ætatem, & imminutas cor-
,, poris vires.

,, Sacerdos autem quotidie rem ſacram
,, fecit tanto religionis, ac pietatis ardore,
,, ut qui adeſſent VIRO Sacrum peragenti ſæ-
,, pe lacrymas funderent, & ſalutari crimi-
,, oum ſuorum pœnitentia concuterentur.
,, Hoc vero cum ægre ferret communis pio-
,, rum hominum hoſtis dæmon ſeſe ad malas
,, artes recepit, & conatus eſt aliquando JO-
,, ANNEM rem ſacram facientem a divinis
,, cogitationibus abducere: nam hirundinis
,, ſpeciem induit, cœpitque huc illuc per
,, Eccleſiam volitare, garruliſque vocibus
,, ſacram ædem complere. Verum cona-
,, tus irrito ceſſit dæmoni: JOANNES enim
,, ejus fraude perſpecta ferventiores ad Deum
,, preces fudit, neque ſe abduci paſſus eſt
,, a divino cogitationum ſuarum receſſu.
,, Poſtquam vero Sacrum abſolviſset, juſſit
,, templi fores occludi: ementitam hirun-
,, dinem manu arripuit, ſublataque in al-
,, tum manu, quo avem majori impetu in
,, terram projiceret, hæc in colubrum re-
,, pente converſa eſt, emiſsoque horribili
,, ſybilo ex adſtantium oculis dilapſa eſt, &
,, evanuit.

,, Porro ſanctiſſimi VIRI fama in dies per-
,, crebeſcente, omnes Sarmatiæ regiones
,, ejus nomine, virtute, laudibus perſona-
,, bant. Univerſi civium ordines JOANNEM
,, ſummis præconiis celebrabant, & veluti
,, hominem e Cœlo delapſum iotuebantur.
,, Ipſe vero de ſe nunquam non demiſſe,
,, humiliterque ſentiebat, graviſſimam illam
,, Jacobi Apoſtoli ſententiam animo revol-
,, vens: *Omne* [1] *datum bonum, & omne*
,, *do-*

[1] *Cap.* 1. *verſ.* 17.

,, *donum perfectum deſurſum eſt deſcendens*
,, *a Patre luminum*. Ut autem mundi plau-
,, ſus, & inanem gloriam declinaret abje-
,, ctiſſimi, viliſſimique hominis habitum præ-
,, ſeſerebat, quo contemptui, & ludibrio ab
,, omnibus haberetur; indeque longinquas,
,, aſperrimaſque peregrinationes ſuſcepit, &
,, contulit ſe Romam quater, ſemel vero in
,, Palæſtinam.

,, At in Patriam reverſus, quamquam
,, honores, dignitates, ſplendidum quod-
,, cumque munus effugeret, neque aliud ap-
,, peteret, quam Deum, divinæque legis
,, obſervantiam, Parochus tamen renuncia-
,, tur: cui muneri invito quidem ſuſcepto,
,, abunde nihilominus, cumulateque reſpon-
,, dit. Etenim exemplo non minus, quam
,, verbo gregi præerat: oves ſuas, tamquam
,, bonus paſtor noverat, & diligebat, oveſ-
,, que paſtorem nullis incommodis, nulliſ-
,, que laboribus parcentem, quo ſibi ipſis
,, conſuleret, & caveret, libentiſſime ſe-
,, quebantur, & mirifice diligebant.

,, Sed cum ſecum ipſe rationes iniret Jo-
,, annes & recogitaret animarum curam
,, eſſe homini pondus omnium longe graviſ-
,, ſimum, & periculoſæ plenum aleæ, ex-
,, pavit, qua erat humilitate, metuitque,
,, ne Parochus multa ſui muneris prætermit-
,, teret, de quibus judici, & vindici Deo
,, rationem eſſet redditurus: hinc ab ani-
,, marum cura ſe demum removit.

,, Vacuus magno hoc onere academiam re-
,, petiit, unaque omnium voce dignus habi-
,, tus eſt, qui theologicæ cathedræ præfice-
,, retur. Academiæ vero reſtitutus priorem
,, vitæ rationem, conſuetudinemque renova-
,, vit, & rerum divinarum contemplationi,
,, corporiſque afflictationibus liberius vaca-
,, vit. Magnum in ea palæſtra, quam denuo
,, ingreſſus fuerat ſuæ virtutis ſpecimen ex-
,, hibuit, & præclariſſimum egit de ſeipſo
,, triumphum.

,, Etenim, cum jam ab eo tempore, quo
,, doctoralem lauream acceperat, eam ſibi
,, legem præſtituiſſet, ut ne unquam carnes
,, ederet, tandem edendarum carnium cupi-
,, ditatem in ſe vehementiſſimam expertus
,, eſt. Quid porro Vir ſanctiſſimus? Jubet
,, carnem aſſari: ſed carnem ſemiuſtam, uren-
,, temque e prunis abripit, vultuique & ter-
,, go admovet, inquiens: *Satura te caro car-
,, ne, quam procaciter adeo appetiiſti*: tanta
,, animi firmitate obſtitit Dei miles ſubrepen-
,, ti, titillantique cupiditati; & quod eſſe po-
,, terat oblectamento in corporis piaculum
,, vertit, ut domitis ſenſuum illecebris ad
,, cæleſtes voluptates viam ſibi tutiſſimam
,, communiret.

,, Abſit vero, ut qui adeo erat in ſei-
,, pſum immitis minus eſſet in alios comis,
,, & humanus: non mater tanto amore pue-
,, rulos ſuos complectitur, quanto cæteros
,, homines, potiſſimum vero pauperes com-
,, plectebatur Joannes. Pauperibus conſi-
,, lio, opera, quovis demum humanitatis
,, officio præſto erat, ſibique in deliciis
,, eſſe videbatur, cum pauperum inopiam
,, ſublevaſſet. Quapropter totum id lucri,
,, quod ex academiæ cathedra ſibi quotannis
,, obveniebat, in pauperes derivabat: quot
,, enim poterat pro ſtipendii ratione, tot
,, contegendis pauperibus, veſtes coemebat.
,, Neque hic conſtitit Joannes, ſed eo pro-
,, greſſus eſt, cum forte nudum inopem ob-
,, vium haberet, ut ſibi veſtem detraheret
,, ad contegendam nuditatem hominis, in
,, quo Chriſtum deliteſcere putabat. Illud
,, præterea familiare Joanni, ut inter pran-
,, dendum e menſa confeſtim aſſurgeret, ſi
,, queribundum egenum audiiſſet ſtipem ro-
,, gitantem, eique de menſa cibos afferret.
,, Quæ tanti in pauperes amoris argumenta
,, nunquam ab Joanne intermiſſa Cracovi-
,, enſes ſocios adduxerunt, ut illum Patris
,, pauperum nomine paſſim appellarent.

,, Hac quidem ratione amoris, benevo-
,, lentiæque plena homines ſibi devinxit Jo-
,, annes. An vero putamus eum, qui tot
,, officia præſtitit hominibus, cum Deo ſeſe
,, remiſſius geſſiſſe, eaſque partes, quæ Dei
,, cultum, & religionem præcipue continent
,, minus explevisse. In his explendis parti-
,, bus non mediocrem, non communem,
,, ſed ſummam, ſed eximiam operam poſuit
,, Joannes; excelluitque iis virtutibus, quas

,, theo-

Digitized by Google

„ theologicas dicimus, & tanto ſublimio„ res, excelſioreſque habemus, quanto eſt „ creaturis excelſior, & ſublimior Deus.

„ Fide primum excelluit JOANNES, qui „ Orthodoxæ Religionis dogmata, quæ qui„ dem ex fide promanant, invicto animi „ robore profeſſus eſt, docuit, & ita para„ tus fuit tueri, & propugnare, ut marty„ rii æſtuans deſiderio, dum in Palæſtina „ verſaretur, apoſtolica firmitate Evange„ lium prædicaret, nihil veritus Turcarum „ immanitatem, nihil cruciatuum vim, & „ perferendæ necis periculum.

„ Excelluit ſpe, quæ fidem comitatur. „ Etenim divinis oraculis innixus, hæren„ que animo in iis, quæ Deus[1] *promiſit di„ ligentibus ſe*, incendebatur ad aſpera, & „ dura quæque pro Religione ſubeunda, ne„ que vitam ſibi, ſed vitæ finem exoptabat. „ Cum enim lethali morbo conflictaretur, „ nequaquam corporis valetudinem ſibi a „ Deo reſtitui deprecabatur, ſed in illa „ Regii Pſaltis verba nonnunquam erumpe„ bat: *Hei*[2] *mihi Domine, quia incolatus „ meus prolongatus eſt*: nonnunquam in „ illud Apoſtoli: *Deſiderium*[3] *habeo diſſol„ vi, & eſſe cum Chriſto*.

„ Excelluit demum caritate, quæ prin„ cipatum habet inter theologicas virtu„ tes, & ea eſt, ſine qua langueſcunt, & con„ cidunt fides, & ſpes. Nunquam enim „ de Deo loquebatur, quin videretur di„ vini amoris æſtu totus flagrare. Nunquam „ poſt ſcholaſticas exercitationes in tem„ plum ſe recipiebat, provolvebatque ante „ aram Auguſtiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti „ fuſis precibus, lacrymis, ſuſpiriis, & cor„ pore ad multas horas quaſi in terram de„ fixo, quin videretur ex imis viſceribus „ Deum anhelare. Cum vero noctes inſo„ mnes ducebat ante Crucifixi Imaginem, „ piaque meditatione recolebat Chriſti do„ lores, vi divini amoris totus colliqueſce„ bat, & extra ſenſus rapiebatur. His ac„ cedit JOANNEM, vel ad peccati nomen „ totis artubus contremuiſſe, & mœrore vix „ obrutum non fuiſſe, cum ſecum ipſe re„ putaret divinam majeſtatem contemni, „ & vel minimum lædi ab hominibus.

„ Cujus maximi in Deum amoris maxi„ mum illud prœmium conſecutus eſt, ut „ adhuc mortalis, quamdam cum Deo ipſo, „ Cælitibuſque ſocietatem haberet. Hinc di„ vino afflatu futura cognovit: hinc Beato„ rum, hinc Virginis Deiparæ, hinc ipſiuſ„ met Servatoris aſpectu, & præſentia re„ creatus eſt; atque in divinæ virtutis par„ tem quodammodo adſcitus tot edidit pro„ digia, quæ infinitus pene ſim, ſi velim „ omnia recenſere.

„ Tam præclarum vitæ curſum tenuit Jo„ ANNES, quoad ingreſſus eſt annum ætatis „ ſuæ LXVI. Tum vero laboribus, diuturniſ„ que corporis conflictationibus pene jam „ fractus, ſupremum ſibi vitæ diem inſtare „ cognovit. Igitur quæ ſuſtentandæ vitæ, „ quæ commoditati deſervire poterant, „ omnia pauperibus diſtribuit: mox vero „ conſcientiæ maculis pænitentiæ Sacra„ mento quam accuratiſſime expurgatis, „ ſumptoque Euchariſtico Pane in lectulo de„ cubuit, eaque alacritate, qua fidelis ſervus „ proximum Domini adventum expectat, „ mortem expectavit. Morbo autem, in „ quem inciderat ingraveſcente, Sacro Via„ tico communiri voluit in pervigilio Na„ tivitatis Domini; indeque, cum adſtan„ tes academiæ collegas ad mutuam ca„ ritatem, ad pietatem, ad religionem „ amantiſſime cohortatus fuiſſet, defixis re„ pente in Cælum oculis immaculatam ani„ mam efflavit, quæ quidem ad beatas im„ mortalitatis ſedes evolavit.

„ Delatum eſt JOANNIS cadaver ad Ec„ cleſiam S. Annæ nuncupatam. Impoſſibi„ le vero dictu eſt quantus civium, quan„ tus vel exterarum gentium concurſus „ fuerit ad illam Eccleſiam, quod quiſque „ incredibili ſtudio arderet inviſendi, co„ lendique demortui JOANNIS exuvias, quas „ tamquam pretioſiſſima ſanctitatis monu„ menta

1 *Jac. Epiſt. cap. 1.* 2 *Pſal. CXIX. v. 5.* 3 *Ad Philipp. cap. 1. v. 23.*

„ menta, & pignora exiſtimabat. Ad illas
„ deſerebantur ægroti diuturnis morbis di-
„ ſtenti, ad illas vehementiſſimis ſebribus
„ vexati, ad illas paralytici, & energumeni.
„ Porro JOANNIS CANTII nomine invocato
„ etiam ii, de quorum vita conclamatum
„ erat, integram valetudinem ſunt conſecu-
„ ti: JOANNIS CANTII ope plures indomita
„ phreneſi laborantes ad mentis ſanitatem
„ ſunt reſtituti; & quod omnium maximum
„ eſt, mortui ſexdecim ad vitam rediere.

„ Jam vero cum tot, tantaque JOANNIS
„ CANTII ſanctitatis teſtimonia ſuppetant,
„ BEATISSIME PATER, quid te impediat quo-
„ minus celeberrimum Dei Famulum San-
„ ctorum faſtis adſcribas, eique tamquam
„ beatiſſimo Cælorum incolæ Sanctorum ho-
„ nores, cultumque decernas?

„ Hoc a te Principum, hoc populorum
„ vota, ſupplicationeſque poſtulant, hoc
„ laudatiſſimi mores, hoc eximiæ virtutes,
„ quas nemo, niſi ſanctitatem appetens,
„ exerceat, hoc ſumma demum JOANNIS
„ miracula a te petunt, & jure quodam
„ ſuo depoſcunt.

„ Age, age BEATISSIME PATER: fac ha-
„ beant Chriſtifideles novum in Cælis ducem,
„ & Patronum. Non potes magis neceſſa-
„ rio tempore tantum hoc patrocinium toti
„ Eccleſiæ, Sarmatiæque primum compa-
„ rare. Bellicis motibus fervet Sarmatia, in-
„ teſtinum bellum habet Catholicis maxime
„ formidandum. Potentiſſimi Reges a Ro-
„ mana Sede, Romaniſque Sacris divulſi
„ copias inſtruunt, quibus auxilio ſint Ca-
„ tholicorum hoſtibus, & quod jure neque-
„ unt, vi, armiſque contendant.

„ Habebunt tamen firmiſſimum adverſus
„ hoſtes præſidium Catholici Sarmatæ, ſi
„ JOANNEM CANTIUM inter Sanctos adſcri-
„ ptum ſuum poſſint deligere, & habere
„ Patronum. Hic mentibus conſilium, hic
„ brachio robur afferet, hic religioſiſſimo
„ fortiſſimoque gentis Regi gladium, pe-
„ rinde ac Summus Sacerdos Onias Judæ
„ Macchabeo [1] porriget, quo quidem gladio
„ *adverſarios populi Dei Iſrael* dejiciat,
„ hic diſſidentium animorum ardores com-
„ peſcet, hic optatiſſimam perturbatis, bel-
„ loque æſtuantibus Provinciis pacem indu-
„ cet. Dicebam.

Abſoluta a R. P. D. Alexandro Litta ora-
tione, Advocatus Hieronymus Tozzi Ro-
manus, cæremoniarum Magiſtro *dicat alter*
elata voce clamante, in medium prodiit,
& de BEATO JOSEPHO CALASANCTIO enuclea-
to ſermone verba in hunc modum inſtituit.

„ LÆtandum mihi ſummopere eſt, BEA-
„ TISSIME PATER, quod eam provin-
„ ciam aſſequar, qua enarrem heroicas vir-
„ tutes, & miracula, quibus præfulſit B.
„ JOSEPHUS CALASANCTIUS a Matre Dei Fun-
„ dator Ordinis Clericorum Regularium
„ Scholarum piarum, lætandum quod in-
„ venta ſit margarita pretioſa ad ornamen-
„ tum Eccleſiæ ſanctæ Dei, lætandum de-
„ nique cum cæleſti Jeruſalem, quæ ſur-
„ ſum eſt, & quæ eſt mater noſtra libera ea
„ libertate, qua Chriſtus nos liberavit, &
„ progenuit nos per repromiſſionem æter-
„ næ Beatitudinis.

„ Ortus eſt BEATUS JOSEPHUS Petraltæ Sa-
„ lis, quod eſt Regni Aragoniæ oppidum con-
„ ſpicuum, anno MDLVI. tertio Idus Se-
„ ptembris ex Calaſanctiorum nobiliſſima fa-
„ milia, matre Maria Gaſtonia æque nobi-
„ liſſimi generis, & a prima uſque ætate non
„ obſcura præbuit futuræ ſanctitatis indicia
„ precationibus aſſiduis non intermiſſis ad
„ Deum, Beatiſſimam Virginem Mariam,
„ & Sanctos, auditoque a piis parentibus
„ infenſiſſimum humani generis hoſtem aſ-
„ ſidua moliri prælia, ne poſſideamus æter-
„ nas beatas ſedes, a quibus ipſe merito
„ dejectus fuit, eo ferventius confirmabatur
„ in exercitatione virtutum.

„ Dum attigit adoleſcentiam lumen illud
„ pietatis exarſit in flammam, in ignem Spi-
„ ritus Sancti gratia accenſum, ignem immiſ-
„ ſum in animam ejus, quem voluit Omnipo-
„ tens Deus, ut ad utilitatem proximorum ac-
„ cenderetur, en itaque ipſe puerorum co-
„ rona circumſeptus hos inſtruit in myſte-
„ riis

[1] *Macchab. lib. 2. cap. 15.*

„ rus Fidei, hortatur ad pietatem, admo„ net, ut a culpis ſeſe abſtineant, illi vel „ in pietate confirmantur, vel pietatem, „ bonoſque mores ampleċtuntur, & ipſe „ Sanċtus ab omnibus prædicatur.

„ Ad ſcientiarum theſaurum acquiren„ dum properans, mirum eſt quam exaċte „ conjunxiſſet litterarum ſtudia cum ſanċti„ tate vitæ: proloquantur urbes Illerden„ ſis, Valentina, Complutenſis, & referent „ quod in litterarum ſtudiis erat aſſiduus, „ & in candore morum, & ſanċtitate vitæ „ cæteris præibat exemplo, ſatis etenim erat „ edoċtus, quod initium ſapientiæ eſt timor „ Domini, quodque in malevolam animam „ non intrabit ſapientia, tantum vero profe„ cit in virtutibus æque ac in litterarum ſtu„ diis, ut in Illerdenſi univerſitate plenis „ ſuffragiis Præfeċtura ſtudiorum donatus eſ„ ſet, quo in munere adeo naviter ſe geſſit, ut „ adhuc in perenni memoria ſit adoleſcen„ tium profeċtus in religione, & in litteris.

„ Cum adeo perfeċte ambularet in lege Do„ mini, mirum eſſe non debet, ſi in eo certa„ mine, in quo crebræ ſunt deprælitiones, „ raræ viċtoriæ in flore juventutis ſuæ nobi„ liſſimam palmam retuliſſet, dum caſtitatis „ ſuæ ſtudioſiſſimus cultor in urbe Valentina „ ignita tela inimici repulit, atque confre„ git, veluti alter Joſeph in Ægypto: poſtea „ Epiſcopus Jacenſis ipſum ad ſacros ordi„ nes promovit, & ad ſe advocavit, ut ei in „ Paſtoralis officii munere opem præberet: „ quod & egerunt Antiſtites Lobetanus, Il„ lerdenſis, & Urgellenſis, ubique autem „ eccleſiaſticam diſciplinam reſtituit, ubique „ qua auċtoritate, qua conſilio gliſcentes „ abuſus extirpavit, veluti Angelus pacis „ diſſidia compoſuit: in Diœceſi Urgellenſi „ ſacram viſitationem explevit per difficiles „ vias, per aſperrimos, & nivibus alte obte„ ċtos montes: Barchinonenſem civitatem „ profeċtus teterrima odia compeſcit; gra„ tulatur urbs tota, ipſe ut plauſus declinet „ Urgellenſem urbem redit, metuenſque „ ne adipiſceretur honores, quos Catholi„ cus Rex ei conferre meditabatur, iter ag„ greditur ad hanc Sanċtam Sacerdotalem „ Urbem novam Jeruſalem, ad quam per„ venit anno MDXCII.

„ Referat Urbs ſanċta quæ vidit, quæ „ admirata eſt, vidit ipſum noċte dieque me„ ditantem legem Domini, vidit ipſum aſ„ ſiduum ad viſitandas ſacras ædes, vidit „ ipſum denique jugiter permanentem in „ ardentiſſima caritate erga Deum, & pro„ ximum: ob ejus inſignem pietatem atque „ doċtrinam ab ampliſſimis Cardinalibus Mar„ co Antonio, & Aſcanio Columnenſibus eli„ gitur in Auditorem anxie requiſitus; va„ riis Sodalitiis in alma Urbe ad proximo„ rum bonum inſtitutis adſcribitur; lue in „ Urbe ſæviente inexplicabili caritate ſeſe „ comitem addit S. Camillo de Lellis, ſum„ mis denique laboribus, ſtudiis, atque vigi„ liis ad erudiendos pueros inſtituit Scholas „ pias, exindeque auċtoritate Apoſtolica ap„ probatus eſt Religioſus Ordo Clericorum „ Regularium Scholarum piarum.

„ Venit B. JOSEPHUS in altitudinem ma„ ris, & tempeſtas excitata eſt ad ejus „ ſanċtum abolendum Inſtitutum, laboravit „ clamans, defecerunt oculi ejus, ſuſtinuit „ opprobria, operuit confuſio faciem ſuam, „ poſuit veſtimentum ſuum cilicium, & fa„ ċtus eſt infenſiſſimis adverſariis ſuis in pa„ rabolam, orabat ipſe Dominum, ut in „ multitudine miſericordiæ ſuæ exaudiret „ eum, & conſtantiſſime pertulit calamita„ tes graviſſimas, atque acerbiſſimas, nun„ quam contradiċtores auċtoritate ſuprema „ coercendos curavit, eos dilexit, pro eis „ ferventiſſimas preces ad Deum obtulit; „ verum Omnipotens Deus eum ipſo fuit „ in tribulatione, & amaritudinem ſuſtulit „ cæleſti recreatione, interea namque San„ ċtiſſima Maria Virgo in ſacello adoleſcen„ tulis orantibus ſeſe videndam præbuit eum „ puero Jeſu, qui benedixit eis, Angelis ro„ ris ſpeciem ſupra eos fundentibus, donis „ cæleſtibus magis magiſque auċtus in ecſta„ ſes raptus eſt, dono prophetiæ illuſtratus „ futura prænunciavit, & ita lenitæ ſunt gra„ viſſimæ ejus tribulationes, & ſpem ipſe „ ſuam totam poſuit in Deo, quod diſper„ ſurus eſſet univerſa labia doloſa, & lin-

„ guam

,, guam magniloquam, & erepturus eſſet
,, ordinem ſuum de omni tribulatione.

,, Profecto mihi deficerent dies, ſi omnia
,, ejus laudabilia geſta uſque ad finem ſuæ pe-
,, regrinationis perſequerer, vixit enim diu,
,, & de virtute in virtutem ita progreſſus
,, ſuit, ut facile ei fuerit perfectionis gra-
,, dum attingere, nec luxerunt eum viæ
,, Syon, per quas ſemper inceſſit, ut ad
,, montem ſanctum, æternamque Beatitudi-
,, nem perveniret.

,, Appropinquante autem eo tempore ab
,, ipſo optatiſſimo, quo coronandus eſſet co-
,, rona gloriæ, incidit in morbum a medicis
,, levem, ab ipſo extremum pronunciatum,
,, ſed infirmitatis cruciatus lenivit Beatiſſima
,, Virgo Maria, quæ de Cælo in ſuum cubile
,, deſcendit cum ejus filiis, inter quos præ-
,, ſulgebat ſanctiſſimus juvenis Glicerius Lan-
,, drianus, iterum ad ipſum acceſſit ſub ea
,, effigie, quæ Romæ ad Montes colitur in
,, æde ſacra ejuſdem Virginis, geſtans pue-
,, rum Jeſu in ſinu, & bene auſpicata eſt pro
,, ſui Ordinis incolumitate, pollicitaque eſt
,, ſuam protectionem, ut qui adeo confli-
,, ctatus erat, proſpero deinde eventu in ſuo
,, ſplendore, ſuaque priſtina inſtitutione
,, eſſet redintegrandus, quod cæleſte donum
,, ſuis filiis participavit, ut ſufferrent mo-
,, mentaneam tribulationem, & ſpem ſuam
,, ponerent in Deo. O glorioſa infirmitas,
,, quo enim tempore ipſe infirmus degebat
,, in terra, recreatus quodammodo habita-
,, bat in Cælis: inter autem haſce cæleſtes
,, delicias dum verſaretur, morbo ingrave-
,, ſcente, ſumma cum devotione ſuſceptis
,, Sanctiſſimis Eccleſiæ Sacramentis, hora
,, quam indicaverat ter repetito dulciſſimo
,, nomine Jeſu placide atque tranquille ob-
,, dormivit in Domino die XXIV. Auguſti
,, anni MDCXLVIII. dum annorum ageret
,, ætatis ſuæ nonageſimum ſecundum.

,, Non vero triſtitia, ſed lætitia occupa-
,, vit animos ſociorum de Patre, ac Patro-
,, no in Cælis acquiſito: extemplo tota Urbs
,, commota eſt, miraculis ſere innumeris cla-
,, ruit, inter quæ ſatis eſt mihi recenſere,
,, quod Margarita Tantari Florentina decen-
,, ni, enormique aneuriſmate ad extremum
,, vitæ redacta implorata Beati ope conti-
,, nuo convaluit, quod Chriſtina Ceccheri-
,, ni pariter Florentina Monialis ex iis, quas
,, Capuccinas vocamus, cruciata morbis in-
,, ſanabilibus, immobilis, atque conclamata
,, interceſſione Beati in momento temporis
,, perfectiſſimam ſalutem adepta eſt; quod
,, Soror Maria Conſtantia Caminati Januen-
,, ſis Monialis in Monaſterio Ordinis S. Cla-
,, ræ extra civitatem Tudertinam laborans
,, phtiſi in tertio gradu cum graviſſimis ſym-
,, ptomatibus, & prægrandi ſcirrho deſpera-
,, ta omnino a medicis ſalute, exactis novem-
,, dialibus precibus ad Beatum, dum obitus
,, imminebat placidiſſimo ſomno correpta ex-
,, templo de mane ſurrexit, optima recupe-
,, rata valetudine; quod puellà Vincentia
,, Buada Valentina, dum laboraret paralyſi in
,, cruribus cum atrophia abſque ulla ſpe re-
,, cuperandi motus vel ſenſus, expletis itidem
,, novemdialibus precibus ad B. Josephum
,, in momento, in inſtanti omnis morbus eva-
,, nuit: lætare itaque in filio tuo B. Josepho
,, Calasanctio virtutibus redimito, mira-
,, culis claro, conſurge, conſurge fortitudi-
,, ne tua Syon, induere veſtimentis gloriæ
,, tuæ Jeruſalem civitas Sancti, excutere de
,, pulvere, conſurge, ſede Jeruſalem.

,, Supereſt igitur id unum Sanctissima
,, Pater, ut ſingularem hanc compleas læti-
,, tiam, & B. Josephum Calasanctium ſol-
,, lemni ritu Sanctorum faſtis adſcribas, no-
,, vam hanc Sanctorum Confeſſorum agmini
,, gloriam, novum hoc Catholicæ Eccleſiæ
,, præſidium adjungas: pro hoc enixe ſuppli-
,, cat Catholicus Hiſpaniarum Rex Caro-
,, lus III., humillime deprecatur Religioſus
,, Ordo Clericorum Regularium Scholarum
,, piarum, acceduntque vota univerſæ Chri-
,, ſtianæ Reipublicæ.

Poſt Hieronymum Tozzi, monente pariter cæremoniarum Magiſtro, Advocatus alter Philippus Durani admirandum Beati Josephi a Cupertino vitæ genus ea, quæ ſequitur, oratione breviter, graphiceque deſcripſit.

„ Eccleſiam Dei, Beatissime Pater, Re-
„ gis æterni filiam nova ſemper decet
„ eſſe circumdatam varietate Sanctorum.
„ Hinc ad ejus decorem fulget B. Cantius
„ cum doctrina ſua, eniteſcit B. Calasan-
„ ctius cum opere Congregationis ſuæ, &
„ æque coruſcat B. Josephus cum ardoribus
„ caritatis ſuæ.

„ In oppido Cupertini Neritonenſis Diœ-
„ ceſis humilibus, piiſque parentibus geni-
„ tus, ſimillimam Beato Franciſco Aſſienſi
„ nativitatem in ſtabulo ſortitus eſt Joseph.

„ Prævenit eum Dominus in benedictio-
„ nibus dulcedinis, & adhuc puerum a le-
„ thali morbo prodigioſe liberatum adeo ſa-
„ pientem fecit apud illum, cujus eſt cum
„ ſimplicibus ſermocinatio, ut coæquales
„ inter adoleſcentes vocitaretur *Boccaper-*
„ *ta*, quod ſemiaperto ore, fixiſque ſurſum
„ oculis in ſacrorum Myſteriorum contem-
„ platione diutius ecſtaticus hæreret.

„ Perfectioris vitæ ſollicitus vocatum ſe
„ ſenſit ad Familiam Fratrum Conventua-
„ lium, cui patruus, & avunculus nomen
„ jam dederant.

„ Ab iis repulſus, non comiores exper-
„ tus eſt Capuccinos, qui eum poſt novem
„ menſes quaſi ſtupidum ineptumque a ty-
„ rocinio dimiſerunt. Vertens tamen ipſe
„ prava in directa, & aſpera in vias planas,
„ redux ad Conventuales cuſtodiam ſtabuli,
„ & mulæ ſibi in cœnobio Griptulæ com-
„ miſſam gratulatus eſt.

„ Verum qui minimum inter filios Jeſſe de
„ gregibus ſuſtulit ad thronum, hunc etiam
„ Servum ſuum, quem mundus habebat in
„ deriſum & in ſimilitudinem improperii,
„ elevavit, ut ſederet cum Principibus po-
„ puli ſui.

„ Ideoque ingenium rude, & litterarum,
„ ſcientiarumque penitus expers ſupplevit
„ magiſtra gentium Deipara, qua curante,
„ a gravi iterum morbo convaluit, qua do-
„ cente, dupplex examen coram Epiſcopis
„ Neritonenſi, & Caſtrenſi feliciter ſubiit,
„ qua tandem auſpice, ad ſacros ordines
„ Sacerdotium uſque promotus eſt.

„ Cœleſtibus hiſce munitus præſidiis B. Jo-
„ seph exultavit, ut gigas ad currendam
„ viam mandatorum, & conſiliorum.

„ Acerbiſſimum primo bellum corpori in-
„ dixit, ne ſentiret legem in membris ſuis
„ repugnantem legi mentis ſuæ, & mirari
„ potius, quam narrare quis poſſet inſue-
„ tum vitæ genus, quo ſequutus eſt Jeſum,
„ & hunc Crucifixum in labore, in pauper-
„ tate, in anguſtiis per infamiam, & bo-
„ nam famam.

„ Talis victus, ut a continuo non longe
„ eſſet jejunio; talis veſtitus, ut nil præ-
„ ter nuditatis pudorem averteret; talis ſom-
„ nus ut non quietis, ſed lectus doloris ejus
„ eſſe videretur.

„ Talia demum reliqua, ut cilicia, fla-
„ gra, catenulæ, laminæ ferreæ, aliique
„ cruciatus, quot ſeorſim plurium auſteri-
„ tati ſatisfecerunt, omnia in hunc unum
„ junctim inſævire conſueverint.

„ Voluntariis tamen externis ærumnis lon-
„ ge prævaluerunt internæ, quæ a Deo da-
„ tæ ſunt ei purgationes.

„ Potuit B. Joseph recte comparari cum
„ Thereſia a Jeſu, cum Angela a Fulgineo,
„ cum Maria Magdalena de Pazzis in hor-
„ ribili biennali ſpiritus ariditate, ac deje-
„ ctione, quæ eum in cœnobio Cupertinenſi
„ ad ultimos fere angores perduxit.

„ Potuit ipſe ſimilis dici Hilarioni, An-
„ tonio Abbati, & Philippo Nerio in tre-
„ mendis colluctationibus dæmonum, de
„ quibus ſæpe ſæpius ſortiter, glorioſeque
„ triumphavit.

„ Potuit denique æmulari Bernardinum
„ Senenſem, Ignatium Lojola, Josephum a
„ Matre Dei in teterrimis ferendis calum-
„ niis, purgandiſque ſuſpicionibus, quibus
„ modo Prælatorum Regularium nutu, mo-
„ do Sacræ Inquiſitionis juſſione e Cuperti-
„ no Neapolim, mox Romam, deinde Aſ-
„ ſiſſium, poſtea ad Capuccinos Petræ Ru-
„ bææ, Foroſempronii, & Montis Veteris,
„ ac denique Auximum varie traductus do-
„ lentiſſimam peregrinationem neſcio, an
„ exilium innocens quoad vixit, ſuſtinuit.
„ Hiſce Deus tentans fidelem Servum, tam-
„ quam aurum in fornace probavit, & quaſi

„ holo-

„ holocauſti hoſtiam accepit illum. Quo-
„ niam vero cum ipſo erat in tribulatione,
„ eripuit eum, & glorificavit eum, & oſteo-
„ dit illi ſalutare ſuum.

„ Porro ſi dematur biennium narratæ
„ jam ſpiritualis defectionis, reliquo vitæ
„ tempore Joseph adeo ſuperabundavit in
„ delicias ſimplicitatis ſuæ, ut non cogno-
„ ſcens litteraturam, introiverit io poten-
„ tias Domini, & in mirabilibus ejus exer-
„ ceretur.

„ Plures ſane fuerunt, quibus ecſtaſis, &
„ raptus, quibus prophetiæ, & ſcrutationis,
„ quibus miraculorum, & ſanationum dona
„ gratis ſunt data; ſed forte non eſt ioven-
„ tus ſimilis iſti, in quem tot diviſiones gra-
„ tiarum ab uno ſpiritu, tot diviſiones mi-
„ niſtrationum ab uno Domino, tot divi-
„ ſiones operationum ab uno Deo, qui om-
„ oia operatur in nobis, adeo effuſe redun-
„ daverint.

„ Paratum cor ejus ad aſcenſiones per
„ caritatem tantum habuit de Deo, aut
„ divinis cogitare, quantum a ſeoſibus ab-
„ ſtrahi, ecſtaticum fieri, & in raptus æque
„ frequentes, ac admirabiles quotidie ele-
„ vari, plebeis, ac Proceribus, Principibus,
„ ac Præſulibus, & Summo etiam ipſo Pon-
„ tifice in rem præſentem obſtupentibus de
„ homine, qui in carne extra carnem, in
„ mundo extra mundum eſſe videbatur.

„ Nil mirum hinc ſi aquam ſapientiæ hau-
„ riens immediatam a fontibus Salvatoris fu-
„ tura prænoverit, arcana pandiderit, in-
„ terna ſcrutatus fuerit, prout ei datum
„ erat non per ſcientiam, quæ inflat, ſed
„ per caritatem, quæ ædificat in divioita-
„ tis ſpeculum intueri.

„ Nec mirum pariter ſi precibus impulſu
„ adeo proximo jactis in eum, qui facit mi-
„ rabilia ſolus, obtiouerit ægros jamjam
„ morituros aſſurgere, famelicos ſaturari,
„ tempeſtates ac infortunia depelli, & muta
„ ipſa animantia in laudem Factoris ſui can-
„ tu, balatuque mirabiliter concurrere.

„ Sic viait Joseph, & ſic etiam in cœ-
„ nobio Auximano ſexagenarius obiit pretio-
„ ſa morte juſtorum, cui virtutes heroicæ
„ in non brevi ægritudine comitatum, Sacra-
„ menta Eccleſiæ fortitudinem, extremus
„ intenſiſſimus divini amoris actus coronam
„ immarceſcibilem exhibentur.

„ Felix ipſe, factus evangelicæ ſimplici-
„ tatis exemplum intravit ut parvulus in re-
„ gnum Cœlorum, ejuſque gloriam teſtatam
„ voluit Deus ſignis, ac prodigiis, certam-
„ que reddidit Pontificium Beatificationis di-
„ ploma, ſervatis ſervaodis, quatuordecim
„ ab hinc annis evulgatum.

„ Felix ipſe quidem, qui in Cœlis eſt. At
„ nos infelices io hac lacrymarum valle dif-
„ ficillimis hiſce temporibus novos antiquis
„ addere cupimus apud Patrem miſericor-
„ diarum advocatos.

„ Inter eos igitur, Beatissime Pater, ad-
„ numeretur quæſumus Joseph a Cuperti-
„ no, cujus meritis tria jam poſt Beatifica-
„ tionem miracula ſupremo Sanctitatis
„ Vestræ oraculo adſcripta ſunt.

„ Urgent in id vota Regum, & Princi-
„ pum: multi hoc poſtulant Eccleſiaſtici Præ-
„ ſules, & hoc idem humillime implorat Se-
„ raphicus Ordo Fratrum Conventualium,
„ ut clariſſimus Heros, quibus olim in mi-
„ niſterio, & in conſortio fuit, vertatur in
„ gloriam, proficiat in exemplum, ſtatua-
„ tur in Patronum.

Statim ac finem loquendi Advocati Conſiſtoriales fecerunt, cum omnes in genua ante Pontificem eſſent provoluti, R. P. D. Michael Angelus Giacomelli Archiepiſcopus Chalcedonenſis epiſtolarum ad Principes a Secretis, Vaticanæ Baſilicæ Canonicus, vir eccleſiaſtica & prophaoa eruditione celeberrimus, græcis, latiniſque litteris quammaxime excultus, qui ab initio Cooſiſtorii in plano ſolii ad ſiniſtram Pontificis cappa indutus ſteterat, Sanctissimi Patris nomine in hunc modum reſpondit.

„ QUÆ de illuſtri totius vitæ ſanctitate,
„ & miraculorum gloria Beatorum
„ Joannis Cantii, Josephi Calasan-
„ ctii, et Josephi a Cupertino ſatis diſer-
„ te, copioſeque modo ſunt explicata; pia

„ præterea & efficax de B. JOANNE CANTIO
„ in Sanctorum numerum referendo Poloniæ
„ Regis, ac Præſulum, omniumque Ortho-
„ doxæ illius Reipublicæ poſtulatio; tum ob
„ BEATIS JOSEPHO CALASANCTIO, ET JOSE-
„ PHO A CUPERTINO inter Sanctos itidem nu-
„ merandis humiles Religioſorum Ordinum,
„ quibus in hac mortali vita nomen dede-
„ runt, ſupplicationes; univerſæ denique
„ in hac re Catholicæ Eccleſiæ flagrantiſſi-
„ ma vota maximam SANCTISSIMO DOMINO
„ NOSTRO pepererunt jucunditatem. Et SUM-
„ MO quidem ſacrarum rerum ANTISTITI,
„ qui dux in via Domini univerſo Chriſtia-
„ no populo divinitus eſt conſtitutus, nihil
„ gratius accidere poteſt & optabilius, quam
„ in Catholica Eccleſia multiplicari ſancti-
„ tatis exempla, quo fideles tamquam in
„ Chriſtianæ vitæ ſpecimina reſpicientes,
„ flagrantiori ſtudio ad ea imitanda in-
„ cendantur. Propterea, quæ ſit exempli
„ vis agnoſcens Beatiſſimus Paulus, memi-
„ niſſe præcipit Sanctorum Virorum [1], quo-
„ rum, inquit, intuentes exitum converſa-
„ tionis, imitamini & fidem. Delectatus eſt
„ etiam idem SANCTISSIMUS DOMINUS NO-
„ STER, ſollicitari ſe tam ardentibus Catho-
„ licorum Regum, & populorum ſtudiis ad
„ decernendos tribus his BEATIS VIRIS San-
„ ctorum honores; quod eadem ſtudia non
„ aliunde animadverterit proficiſci, quam
„ ex pia fidelis populi devotione & deſide-
„ rio, ut BEATORUM gloria amplificetur in
„ terris, quorum in Cælo jam ſibi præſidium
„ & patrocinium adſciverit. Sed hujus rei
„ tanta eſt magnitudo, & deliberationis gra-
„ vitas, ut BEATISSIMUS PATER exiſtimet ad-
„ huc intentiorem habendam eſſe curam &
„ diligentiam, &, quod in ſemipublicis
„ Conſiſtoriis propediem faciet, amplius ſi-
„ bi eſſe conſultandum cum his VENERABI-
„ LIBUS FRATRIBUS ſuis S. R. E. CARDINA-
„ LIBUS, necnon cum Archiepiſcopis, &
„ Epiſcopis quid in tanta re fieri oporteat.
„ Interea omnes & ſingulos hortatur, ut ora-
„ tioni vacent, eleemoſynas faciant, jeju-
„ nia celebrent, & per alia pia opera, qui-
„ bus quiſque poteſt, jejunium ipſum [2] ſan-
„ ctificent; talibus enim hoſtiis promeretur
„ Deus; eumque exorent, ut de luce, quam
„ inhabitat [3] inacceſſibili, radium in eorum
„ mentes [4] demittat, qui ſunt miniſtri, &
„ diſpenſatores Myſteriorum Dei, & quod
„ ſemper fecit & faciet, Eccleſiæ [5] ſanctæ
„ ſuæ, quæ eſt columna & firmamentum ve-
„ ritatis, nunc maxime præſto ſit; quo im-
„ petrato omnipotentiſſimo auxilio, id ſo-
„ lum a SANCTITATE SUA decernatur, quod
„ ad Dei honorem & gloriam, ad incre-
„ mentum fidei, & ad Catholicæ Eccleſiæ
„ exaltationem pertineat. Hæc diſertiſsimis
„ orationibus dudum habitis, juſsit SAN-
„ CTISSIMUS PATER ſuo nomine me reſpon-
„ dere.

Eminentiſſimis Patribus, cæteriſque, qui aderant cum benedictionem ſigno Crucis eſſet impertitus, finem Conſiſtorio BEATISSIMUS DOMINUS NOSTER impoſuit, ac Subdiacono cum Cruce præeunte, & a duobus Diaconis adſiſtentibus, almæ Urbis Conſervatoribus, ac reliqua familiarum turba aſſociatus ad paramentorum aulam venit, ſacriſque depoſitis veſtibus, interiora cubicula repetiit.

Conſueta, quam hic ſubiicimus indicendi formula altero publico Conſiſtorio ad VII. Idus Maii dictus fuit dies.

INTIMATIO

Per curſores facienda, domi quoque dimiſſa copia.

„ SAbbato nona præſentis menſis Maii
„ hora decima quarta alterum habebi-
„ tur publicum Conſiſtorium in aula regia
„ Palatii Apoſtolici Quirinalis pro futura
„ Canonizatione BEATORUM Confeſſorum
„ HIERONYMI ÆMILIANI Fundatoris Cleri-
„ corum Regularium Congregationis Soma-
„ ſchæ, & SERAPHINI ab ASCULO Laici pro-
„ feſſi Ordinis Minorum S. Franciſci Capuc-
„ cinorum, nec non BEATÆ JOANNÆ FRAN-
„ CISCÆ FREMIOT DE CHANTAL Fundatricis
„ Ordinis Monialium a Viſitatione S. Ma-
„ riæ nuncupatarum juxta ritum in tran-
„ ſacto

1 *Hebr.* XIII. 7. 2 *Hebr.* 13. 16. 3 *I. Timoth.* 6. 16. 4 *I. Corinth.* 4. 1. 5 *II. Timoth.* 3. 15.

„ facto publico Conſiſtorio ſervatum.

„ In eod: ſupra enunciatorum Beatorum „ vivendi ratione, deque ipſorum virtutibus, „ ac miraculis per DD. Sacri Conſiſtorii Ad- „ vocatos ſermo fiet, & pro Canonizatione „ inſtabitur.

„ Super primo verba faciet D. Advocatus „ Julius Cæſar Fagnani.

„ Super ſecundo ſermocinabitur D. Ad- „ vocatus Joſeph Aſcevolini.

„ Super tertia vero orationem habebit „ R. P. D. Paulus Franciſcus Antamori Sa- „ cræ Conſiſtorialis aulæ Advocatus, non „ abſimili modo referendo, ac pro Canoni- „ zatione pariter inſtando.

„ Orationibus abſolutis, Sanctitatis „ Suæ nomine R. P. D. Michael Angelus „ Giacomelli Archiepiſcopus Chalcedonenſis „ Apoſtolicarum litterarum ad Principes „ Secretarius, ſtans e ſiniſtro ſolii latere, „ DD. Advocatis in genua provolutis, reſ- „ ponſum dabit.

„ Ideo intimentur omnes, & ſinguli Emi- „ nentiſſimi, & Reverendiſſimi Domini Car- „ dinales, ut præfata ſub hora ad Quirina- „ le Palatium accedant, Conſiſtorio mox in- „ terfuturi cappis violaceis induti.

„ Moneantur inſuper Decani, ſeu anti- „ quiores Epiſcoporum Aſſiſtentium, & non „ Aſſiſtentium, Protonotariorum, Audito- „ rum Rotæ, Clericorum Cameræ Apoſto- „ licæ, Votantium Signaturæ Juſtitiæ, Ab- „ breviatorum, & Advocatorum Conſiſto- „ rialium, quod collegas ſuos certiores red- „ dant, ut & ipſi cappis induti, publico „ Conſiſtorio interſint.

„ Intimentur quoque Gubernator Urbis „ Vice-Camerarius, Principes ſolii, Con- „ ſervatores Urbis, Magiſter Sacri Hoſpi- „ tii, necnon Sacrorum Rituum Congrega- „ tionis Secretarius, Fidei Promotor, cæ- „ terique ſoliti.

De Mandato SS. D. N. Papæ.

I. Archiepiſcopus Athenarum
Apoſt. Cærem. Præfectus.

Hoc pariter publicum Conſiſtorium, qui Romæ morabantur Eminentiſſimi Patres, nec adverſa affictabantur valetudine, præſentia condecorarunt ſua: maxima etiam in eo Prælatorum omnium fuit frequentia. Pontifex eodem, quem ſuperius deſcripſimus ordine, eodemque apparatu geſtatoria ſella in Conſiſtorium perductus ſolium conſcendit, & Dominos Cardinales ad oſculum manus ſub anteriori ora pluvialis exhibitæ excepit.

Tum de Beato Hieronymo Æmiliano, illiuſque laudibus præclariſſimis omnium primus Advocatus Julius Cæſar Fagnani luculentam in hæc verba orationem habuit.

„ Mira ſollicitudo, qua Hieronymum „ Æmiliani humana deſtitutum „ divina protexit opes, & illa viciſſim, „ qua protectus effudit amorem, vixit, ca- „ ritatem ſpirans poſt trium fere ſeculorum „ ſpatium, te, Beatissime Pater in par- „ tem vocant, ut quod tuæ poteſtatis eſt, im- „ pendas ad utriuſque coronam Sanctorum „ faſtis adſcribas prodigiis communi patriæ „ ſervatum civem, quid una contulerit ad „ alteram, quid ſu ad utramque conſecutum „ brevi narratione complectar ego, ne vi- „ deatur opera temere implorari tua: homi- „ nis autem ætatem ita diſpeſcam, ut cum „ per prima luſtra ſex quid affirment certi, „ Scriptores non habeant, annum trigeſimum, „ de quo conſtat divinis in eum miſerationi- „ bus tribuam, quod inde fluxit ad quinquage- „ ſimum ſextum, quo vivere deſiit retribuen- „ ti, ſi per hominem licet, Hieronymo detur.

„ Venetias unde Sanctorum faſtis ad- „ ſcribere aut in ſollemne huic Sanctæ Sedi „ patriam habuit anno, qui ſeculi xiv. nu- „ meratur octogeſimus primus in lucem edi- „ tus Æmiliani. Angelum Æmiliani, Dio- „ noram Mauroceni parentes habuiſſe, va- „ num non fuerit indicaſſe, ne ignoretur, „ quid ætate matura contempſerit, quæ „ poſſeſſa cæleſtibus commutaverit. Tyro- „ cinio bonarum artium, quod ingenui ju- „ venes ſubire ſolent fuiſſe excultum, non „ eſt, cur dubitetur, quod autem in eo non „ permanſerit, ſed anno decimo quinto re- „ ceſſerit avocatus belli motibus, & aſſecla „ martis conditioni temporum tribuendum.

„ For-

Digitized by Google

,, Fortaſſe tanti non erat humanis im-
,, penſius erudiri modis, tempus certe ad-
,, fuit, quo de ſe pronunciaret, miſit ignem
,, in oſſibus meis, & erudivit me. Cœpit
,, erudiri, cum primum ſtetit in acie Caro-
,, lo VIII. laceſſente Venetos in patriam,
,, ſiquidem rediit moribus valde comptior,
,, quam diſceſſerat ex eo quod ſit caſtra ſe-
,, cutus adoleſcens non eſt, quod honeſtati
,, morum creetur invidia. Habuit a mi-
,, litia non multo poſt unde diſceret, ver-
,, ſabiles humanarum rerum vices, quas te-
,, terrimas ipſe ſubivit, & extremas ex
,, acerrimo Caſtri Novi propugnatore factus
,, adverſo marte captivus; tunc in ultionem
,, diu propulſatæ vis immanitate pluſquam
,, barbarica habitus manibus, ac pedibus
,, vinctus in imo turris detruſus de ſe pro-
,, nuntiabat, quod olim Regius Vates, ego,
,, & mors uno gradu diſtamus, niſi quod ſibi
,, conſuluit ſimiliter ad Dominum, Domini-
,, que Matrem, cum tribularetur, clama-
,, vit, & exauditus eſt, illi namque Dei-
,, para, cujus ad Tarviſinam ædem nudis pe-
,, dibus ſe perrecturum voto ſpopondit, ec-
,, ce refulget auxiliatrix, claves porrigit,
,, quibus compedes, & vincula ſolvat, eva-
,, dat cuſtodiam: evadit, at aliquantiſper
,, progreſſus offendit in hoſtium manipu-
,, lum, quem declinare non poſſet, Dei Geni-
,, tricem in novo diſcrimine rurſus invocat,
,, invocata rurſus adeſt, factaque viæ dux
,, hoſtium conſpectui ſubtrahit, & Tarvi-
,, ſium manu ducit incolumem, captivita-
,, tis, & libertatis inſtrumenta tolo Tarviſi-
,, næ ædis affixa perennarunt apud poſteros
,, utriuſque beneficii memoriam.

,, Fugam iterato prodigio feliciter expedi-
,, tam, dum recolo, ſubit animum recorda-
,, tio veteris illius populi, quem Deus olim
,, prodigiis eduxit de terra Ægypti, reduxit in
,, terram Iſrael; ambo quidem voto, quod
,, emiſerant, ut ſe liberarent iter arripuere,
,, prodigiis utrique patuit; at ille poſtea
,, protervus, verſatilis, erranſque corde,
,, Hieronymus non ſolum conſtans, & fide-
,, lis in propoſitis, ſed ſemper anhelans,
,, ut operaretur, quo retribueret magis,
,, cui pateſaciendæ rei, ne mora fiat, ad-
,, monet hæc inſignis prodigioſæ liberatio-
,, nis epocha.

,, Inter agmina virtutum, quarum repu-
,, lit a ſe nullam merito, cujus eſſet aſſi-
,, duus cultor inſedit cordi caritas: hæc enim
,, cum Deum reſpiciat, & proximum, æmu-
,, latur amplitudine ſua latitudinem divi-
,, narum miſerationum, quibus effuſis ad
,, protegendum ſe fieret apta retributio;
,, hominem, de quo loquor in Deum fla-
,, graſſe quammaxime coniicitur quidem e
,, multis, at in eo ſaltem relevatur orator,
,, quod objecto contineantur uno, & ſi
,, ſummo. Dicam igitur, quod arctiſſime
,, præcepta cuſtodierit, & conſilia, fidens
,, amori, ſpeique ſuæ, fortunæ bonis ab-
,, dicatis tanta abſtinentia vixit inops, oſtia-
,, tim ſibi, ſuoque gregi emendicato victu
,, ut Franciſco Sforzia Mediolanenſi duce
,, aurum offerente adduci non potuerit, ut
,, acciperet; dicam, quod adhibuerit opti-
,, mos conſcientiæ moderatores, ac ſpiri-
,, tualis doctrinæ magiſtros, quorum unus
,, Joannes Petrus Carafa, qui poſtea Pau-
,, lus IV., quod intulerit ultro ſibi malum
,, pœnæ non ſemel, ut a malo culpæ aver-
,, teret homines, per quos Deum videret
,, offendi; ſed tam varia ſunt numero, ge-
,, nere, locis inſtitutis officia, quibus ar-
,, dens in Deum caritas eſt complexa proxi-
,, mum, ut cum ex particularibus conſtent,
,, ad ſingula ſi dilabatur exitum non ſit habi-
,, tura, quam crepiſida coercet oratio. Cir-
,, cumſepta quidem finibus apparuit ab ini-
,, tio, cum primum ſe Venetiis effudit,
,, ad officia piiſſimi civis. in languentem
,, patriam retuliſſet fortaſſe quiſquam, niſi
,, exceſſiſſet modum, at ubi conſultum eſt
,, patriæ, poſtquam duobus ibi Noſocomiis
,, inſita orphanorum cura tam longe mana-
,, vit, lateque ſe protendit, ut ejus ampli-
,, tudo non unius frequentatiſſimæ Metropo-
,, lis, ſed Provinciarum ſit vaſtitate metien-
,, da. Florentiſſimis Venetæ Ditionis urbi-
,, bus ea tempeſtate tres Ærinnes bellum,
,, lues, annonæ caritas exitium intulerant,
,, has cum videret Hieronymus cujuslibet
,, in-

„ indigentes opis, ſuarum partium duxit, ut
„ protectus protegeret, ereptus calamitate
„ calamitatem depelleret, cumque omnibus
„ cuperet, & omnia non poſſet unus, his præ-
„ ſertim conſtituit opitulari, quos noſſet
„ miſeros magis, & innocentiores, orpha-
„ norum calamitas cor pupugit vehemen-
„ tius, illorum ſaluti ſe devovit, hæc quam
„ non ſolum ipſe ſuſciperet ex inſtituto, ſed
„ ubique, quibus poſſet, ingereret, hæſit cor-
„ di cura. Felix urbs, inſula, pagus, quam
„ non fabuloſus hic Prometeus ingreditur;
„ quidquid ætatis immaturæ diſperſerat,
„ cunctiata malorum colluvies colligit, &
„ tutatur unus, pro ſingulis, qui diſparue-
„ rant unus conſtituitur in civitatibus orba-
„ tis familiis parens. Ab adjacentibus inſu-
„ lis Burrano, & Manurbia, digreſſus ad
„ oras mediterraneas orphanis Brixiæ recol-
„ lectis e triviis domum conſtituit, in ci-
„ vitate Bergomenſi pueris duas, puellis
„ unam, nec non ſepta mulieribus, ubi ab-
„ ſcondant ſe, quod fuiſſe pœniteat im-
„ pudicas, in Gallia Ciſalpina Novomachi
„ pueris duas, in pago Somaſchæ, quæ po-
„ ſtea ſedes Congregationi fuit, unam; pro-
„ perat inde Mediolanum, ut fiat adjutor
„ his, a quibus parentes avulſerat horren-
„ da lues, & certæ ſedis extorres errare non
„ ſinit; advolat inde Papiam, facitque
„ ſimilia, nec nova dum creat obliviſcitur,
„ aut habet pro derelicto priora, veluti pa-
„ renti nova, quæ ſuboritur proles addit
„ gaudium, nec minuit, quod ſit ſollicitus
„ de prioribus. Sollicitudo jam major evaſe-
„ rat, quam ut ſingulis ab uno præſertim, qui
„ corpore præſens non eſſet, poſſet impendi;
„ orta proinde neceſſitas eſt ſanciendi regu-
„ las, quibus operis firmitati conſuleretur,
„ ratio conſtaret educationi puerorum pa-
„ randis, impendendiſque ſubſidiis: accitis
„ quos in pleriſque locis conſtituerat ſui vi-
„ carios viris, Somaſchæ deliberatum eſt,
„ ut in civitatibus inſtituerentur honeſti vi-
„ ri, qui ſatagerent, ne deeſſent orphanis
„ unde viverent; cura vero ſpiritualis, &
„ corporalis illorum ſalutis ineſſet ipſi Con-
„ gregationi, quæ ſibi nomen aſſumeret in-
„ ſervientis pauperibus. Hæſiit Somaſchæ
„ Hieronymus? Hæret aqua mihi; ſe ca-
„ vcis inſinuat, abdit ſe montibus ignis,
„ quem late vagantem, non ut deſtruat, &
„ abſumat, ſed ut colligat, & congreget
„ per Galliam Ciſalpinam ſum comitatus, &
„ Inſubriam. Quis penetravit ignes, quibus
„ intra viſcera furentibus ardent Etna, Veſ-
„ ſuvium? In vertice montis, qui Somaſchæ
„ imminet poſuit ſibi nidum, proximis in
„ cryptis habitant piiſſimi viri, quos ſecum
„ ducit; at erumpunt, & ſe produnt exte-
„ rius ex ignitis montibus Vulcani, quod
„ in caritate neceſſe magis eſt, ut fiat, quæ
„ latere nequit, qua reſpicit proximum,
„ nequit obliviſci Hieronymus orphano-
„ rum, quos ut pater diligit, transferi ex
„ his nonnullos ad humilem caſam, quam
„ paraverat in exigua proxima valle, ut ne
„ loco quidem disjunctos habeat, his & inſub-
„ jecta Somaſcha degentibus, ut miniſtret,
„ erumpit e vertice montis, & tranſmittitur
„ ignis. Invexi de ignitis montibus allego-
„ riam, quoniam non ſuccurrit aptior, qua
„ caritatis, nunc ſe recolligentis in Deum,
„ nunc expandentis in proximum vices ex-
„ primerem, dum conſiſtit Somaſchæ. Cæte-
„ rum quod vulcanis accidit, ut loco conti-
„ neantur uno, nec ſe prodant alibi non qua-
„ drat in caritatem. Illos namque certis
„ terris natura fixit, quas ſulphure ditavit,
„ & nitris, quibus aluntur, ubique ſibi pa-
„ bulum parat caritas, exardeſcit ubique.
„ Mirum propterea non fuerit, ſi is, qui
„ videbatur Somaſchæ ſibi præſtituiſſe finem,
„ rurſus redeat ad initia Venetias, ut inchoa-
„ ta perficiat, luſtret, ac foveat, quas Ve-
„ ronæ, Bergomi, Brixiæ ſuſcitarat flam-
„ mas, donec Somaſchæ ſe reſtituat, obi-
„ tum, quem ſibi vaticinatus eſt imminere,
„ qualibet in corpus aſperitate præoccupa-
„ turus. Intimiores, quos quærit avolatura
„ caritas receſſus, præbet horrida ſpecus
„ ab exigua valle non longe diſſita, quæ
„ adhuc hodie dicitur Eremus. Ita fortaſ-
„ ſe cum fragore ignes e Cælo dilapſi per
„ gyros aſſumpto, quem vi ventorum con-
„ ceperant, impetu, deliteſcunt, ut diſſol-
„ van-

„ vantur, niſi quod illi terruere primum, hic
„ beneſaciendo pertranſiit. Soliloquia, qui-
„ bus anima liqueſit incolentis eremum, Deus
„ ſcit, in quem diriguntur, non habet,
„ quod agat niſi, ut ſe devoret ignis, cujus
„ in imo terræ tota colligitur vis, quoniam
„ ſepultum mihi ſcrutari non datur, exe-
„ quar, quod exterius, agente HIERONY-
„ MO ſupereſt. Brixiæ congregatis Orpha-
„ notrophiorum Rectoribus, ut omnium fir-
„ mitati conſulatur, & ſaluti quaſi ſuprema
„ diſponens, adeſt eremi incola, reverſo
„ non eremitica cavea, ſed quam ſibi pa-
„ raverat domus in valle Somaſchæ ſit do-
„ micilium, non enim ceſſans ubiturus eſt,
„ ſed qualis advenerat operans miſericordi-
„ ter, nec in unius dumtaxat genus ætatis,
„ ſed indiſcriminatim omnes, ne quid de-
„ ſit amplitudini caritatis conſumata ſit in
„ exitu. Exarſerat in valle, quam divi Mar-
„ tini vocant, inſtar peſtis ſerpens maligna
„ febris, ipſe dum pauperum ruſticorum
„ domus inviſit adjutor, effert humeris, &
„ condit humo cadavera, inficitur tabe,
„ deceditque annum agens ætatis quinqua-
„ geſimum ſextum. Ita caritas porrexit ipſa
„ ſibi claves, ut exiret ab ergaſtulo corpo-
„ ris, quemadmodum Deipara captivo por-
„ rexerat, ut exiret de cuſtodia turris,
„ quam proſpere fuga procederet, hilaritas
„ vultus, a quo ſpiritus avolaret, expreſ-
„ ſit. Contemplaturi, quem amiſerant uni-
„ verſi, qua late protenditur divi Martini
„ vallis accolæ decem confluxere diebus ad
„ exuvias mortalitatis; exinde, quod con-
„ tineres illas tibi celebritas nominis, &
„ fama, Somaſcha; obſcurum oppidum eſſe
„ non ſinunt, ad HIERONYMI tumulum, fer-
„ vet ubi cultus, & devotio populorum,
„ patrata, quæ ſunt apud te prodigia. Per-
„ venit ardor qoidem poſtremis, at prodi-
„ giis coruſcavit in te primum, ubique po-
„ ſtea. Noviſſima recenſebo, quæ futura
„ ſint appendix iis, quibus Venetus, Tar-
„ viſinus, Brixienſis, Bergomenſis, Papi-
„ enſis, Mediolanenſis abundant Proceſſus.
„ Quod ſeculi, quo vivimus anno trigeſi-
„ mo ſeptimo, Venetiis Hieronyma Dori-
„ chelli repente convaluerit ab inveteratis,
„ quibus affixa diu lecto jacebat morbis,
„ quod anno trigeſimo octavo Puer ſepten-
„ nis a comitiali probatum ſibi decreto aſ-
„ ſeruit Benedictus XIV., BEATUMQUE pro-
„ nuntiavit HIERONYMUM, cujus ope hæc
„ facta ſunt implorata. Bina poſt hæc acta
„ ſimiliter impulerunt te, quod anno, qui
„ fluxit proximus huic pronuntiares eſſe lo-
„ cum, quod in Sanctorum numerum rela-
„ tio fiat, quam cum ab obitu ſtatim ca-
„ ritas eminens, populorum cultus urgerent,
„ & Cælum per prodigia, percipi nequit, cur
„ tamdiu mora facta ſit oraculis tuorum
„ Prædeceſſorum, niſi quia CLEMENTI TER-
„ TIODECIMO concivis ÆMILIANI divino
„ conſilio Sanctorum faſtis reſervabatur in-
„ ferendus.

„ Ulterior ne mora fiat, ſed quampri-
„ mum vox exeratur tua Dynaſtæ ſuppli-
„ cant, & urbes, præſertim quibus hæſit
„ orphanorum cura, Patriarcha Venetus, &
„ Sereniſſima Reſpublica, quæ ſpectatiſſi-
„ mum Senatorem bellicis a conflictibus re-
„ ducem magis eſt admirata demiſſum con-
„ tempta toga, diſperſis in pauperes opi-
„ bus orphanorum miniſtrum, quam Dicta-
„ tores, & Conſules olim ſuos. Cincinna-
„ tos, Serranos poſt emeritas lauros anguſta
„ domo receptos, aut inſudantes aratro
„ Romana ſuſpexerit, ſupplicat enixis, quam-
„ maxime poteſt precibus, quæ in Chriſtia-
„ na Republica plurimum ſe commendat ob
„ eam, quam juventutis educationi ſollerter
„ impendit operam Somaſchorum Familia.

Poſt Advocatum Fagnani ſtatim aſſurgens Joſephus Aſcevolini Romanus de BEATO SERAPHINO AB ASCULO, ſeu A MONTE GRANARIO diſerte, ac facunde ſic inſtituit ſermonem.

„ BEnedictus Dominus [1] Deus Iſrael a ſe-
„ culo, & uſque in ſeculum, qui di-
„ ves [2] in miſericordia propter nimiam ca-
„ ritatem, qua dilexit nos, nova ſemper in-
„ ſtau-

1 *Pſal. 40. v. 14.*

2 *Epheſ. 11. v. 4.*

Digitized by Google

„ ſtaurat exempla virtutum, quarum a [1] ſolis ortu uſque ad occaſum coruſcante fulgore, & maximum Eccleſiæ ſuæ decus, & firmiſſimum nobis præſidium comparatur. Teſtis, Pater Beatissima, Joannes Cantius, teſtis Calasanctius, teſtis Æmilianus, teſtis Josephus a Cupertino, quibus quam [2] magna fecerit, qui potens eſt, quantiſque adhuc in ipſis ſignis, ac virtutibus operetur, ita probe intellexiſti, ut de iis inter Cælites ſollemni ritu quamprimum cooptandis, omnibus ſpirituali jucunditate lætantibus, in Domino conſtitueris. Teſtis denique & is quidem ampliſſimus; Picenæ Provinciæ Ordinis Capuccinorum, atque Catholicæ Eccleſiæ ornamentum præſtantiſſimum, Seraphinus ab Asculo; quem dicere [3] idem eſt ferme, ac laudibus virtutem efferre; quemque tantis [4] gratiæ ſuę divitiis magnificavit Omnipotens, ut digniſſimus profecto ſit, qui in ſublimi cum illis Eccleſiæ vertice reponatur, ut [5] cunctis eluceat, qui in hac totius orbis terrarum verſantur domo, & qui ex illo lumen acceperint, Cæleſtem Patrem glorificent, atque collaudent. Illud enim de ipſo non minus vere, quam magnifice poteſt equidem prædicari [6]: perfectum abſolutumque virtutum chorum poſſediſſe; ac quibus reliqui ſingulis antecelluerunt, ea cuncta ſolum ipſum fuiſſe mirabiliter aſſequutum. In omnium jamdiu ore ſanctiſſime ab eo geſta verſantur, & publicis ſunt adeo celebrata ſermonibus, quam ut heu oporteat recenſere, & coram te præſertim, Pater Beatissime, qui non modo cuncta pulchre cognoſcis, animoque complecteris; ſed ejus, ut de reliquis taceam, effutiſſimam in pauperes caritatem ita in te exprimis, ut illum potiſſimum tibi imitandum propoſuiſſe videaris; nec caſu atque fortuito, ſed ſingulari æterni Numinis erga te beneficio, ſollemnem ipſius conſecrationem tibi reſervatam mecum omnes exiſtiment [7]. Verum cum hujuſmodi commemoratio virtutum in ſancta fidelium congregatione prolata, plena ſit ædificationis; & merita quoque in hoc ejus, qui laudatur, accreſcant, quod plures ſua laude proficiant; quæ Dominus in Seraphino poſuit [8] prodigia ſuper terram, qua potero breviſſima oratione complectar. Quamquam enim ea ſunt profecto, quæ vim omnem dicendi ſuperant, animabitur [9] tamen ipſius meritis ſermo, quamvis tepentis ingenii, & quod jacet verbis, ita elevabitur rebus, ut ad præclariſſimi viri cauſam ex communi fidelium voto quam citiſſime abſolvendam te vehementius excitaturum eſſe confidam.

„ Uti omnium ferme Sanctorum primordia vitæ, ſic Sfraphini magnis ſunt illuſtrata virtutibus: vix enim a Hieronymo, ac Theodora præſertim (ex quibus non genere quidem, ſed moribus, pietateque conſpicuis, natus eſt anno 1540. in oppido Montis Granarii Firmanæ Diœceſis) prima Catholicæ Religionis documenta percepit; adeo in Deum puer exarſit, ut non jam ſolum de eo bene ſperare, ſed etiam confidere poſſent ſui ad ſummum ſanctitatis faſtigium perventurum. Quaſi præcucuriſſet ætatem ratio [10], nihil unquam puerile geſſit in opere: ſolus fugiebat conſortia omnium; pergebat ad templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum ſuum; Divinis myſteriis intereſſe, atque inſervire; Sacris Canticis, variiſque precibus operam dare; in abdita ad orandum loca ſecedere, in oratione ingemiſcere; ad Dominum clamare, & juſtitiam diebus, ac noctibus meditari; officia erant, quibus unice delectabatur. Hæc [11], & his ſimilia ſecundum legem Dei Seraphinus obſervans, non ſecus ac [12] puer Samuel proficiebat, atque creſcebat, & placebat tam Domino, quam ho-

1 *S. Leo Serm. 85. in Nat. S. Laur.*
2 *Luc. 1. v. 49.*
3 *S. Gregor. Naz. Orat. in laud. M. Athan.*
4 *Epheſ. 2. v. 7.*
5 *S. Gregor. Nyſſ. in Encom. S. Ephr. Syri.*
6 *Idem ibidem*
7 *S. Hilar. Arel. in vita S. Honorati in Præfat.*
8 *Pſal. 45. v. 9.*
9 *S. Hilar. Ibid.*
10 *Tobiæ I. v. 4. 5. 6.*
11 *Tob. I. v. 8.*
12 *Reg. I. 2. v. 26.*

„ minibus; quum pater ſumma rei familiaris inopia laborans ipſius operam villico cuidam locavit, ut ſibi ad victum neceſſaria armentorum cuſtodia compararet.

„ Quo in officio dici vix poteſt, quam [1] immobilis in Dei timore permanſerit, & ad perfectam cumulatamque virtutem aſſequendam toto pectore incubuerit [2]. Siquidem eum, qui inter juſtos primus recenſetur, Abel imitatus, non ex ovium gregibus, neque ex adipe ſacrificia Domino obtulit, verum abſque ſanguine rationabile obſequium, laudis hoſtia, & vitæ puritate ſacrificavit.

„ Paſcentibus enim per diem armentis [3] ſemper in oratione cum lacrymis perſiſtebat; mox nocte incumbente, & grege in ſtabulum coacto [4] longas iterum orationes orabat. Simplici fere pane contentus, atque, ubi ſitis urgebat, aqua, ab bis quoque ſtatis diebus penitus abſtinebat [5]: nunquam cum ludentibus ſe miſcebat: nunquam cum his, qui in levitate ambulant, participem ſe præbebat. Quid plura? Angelicam potius, quam humanam vitam agere videbatur, atque eo jam brevi pervenerat, ut ſibi acceptiſſimum dives in retribuendo Dominus prodigio coram hominibus declararet,

„ Etenim die quadam, cum pro ſingulari ſua in Deiparam pietate ſacram & religione, ac Pontificum indulgentiis celeberrimam Ædem Lauretanam cum ſociis peteret, & in ipſo itinere ad Potentiam flumen perveniſſet; ita hoc [6] alvei ſui ripas, quaſi Jordanis in tempore meſſis, expleverat, ut trajici nequaquam poſſet. Doluit ad hæc SERAPHINUS, & aliquantiſper oculis in Cælum defixis [7], qui viam fecit in mari, ſuppliciter adoravit: tum Numine afflatus flumen præceps ingreſſus, mirabile viſu! [8] Ambulavit ſuper aquas; & [9] ſuſtentante fide, quem unda merſiſſet, ſicco pede tranſivit.

„ Hoc tanto, tamque inſigni prodigio commoti vehementer itineris ſocii, & qui aderant reliqui [10] ſtupebant omnes, & mirabantur adinvicem; ipſe vero [11] cum omni humilitate, & lacrymis laudabat Dominum Deum ſuum.

„ Interea Hieronymo ejus patre vita functo, SERAPHINUS, qui adeo in ſolida pietate ſecurus, & ſine ulla offenſione profecerat, a Silentio fratre natu majore, domum revocatus (ut eo in cæmentaria, quam exercebat, arte adjutore uteretur) in ſummum periculum, diſcrimenque virtutis adducitur.

„ Verum qui adhuc magnus, multo deinceps major. Quo enim frater, aſpero ingenio vir, & efferata natura, in ipſum arti minus idoneum, durius animadvertebat; eo id fortius, mira vultus hilaritate, & animi patientia perferebat, atque eo conſtantius in jejuniis, & orationibus perſeverabat, quo ab iis ipſum abducere ille aſperius nitebatur: jam tum lætabile ſibi ducens [12] pro nomine Jeſu contumeliam pati. [13] Utque ignis flatu premitur, ut creſcat; & unde quaſi extingui cernitur, inde roboratur; ſic ipſe a fratre tentatus, non modo nullum pietatis detrimentum fecit, ſed ejuſdem laude quotidie crevit; & quo acrior probatio fuit, eo magis idoneus evaſit ad nova Omnipotentis Dei charismata capienda: in quibus illud equidem eximium duxerim, quod cum forte chriſtianis præſtantem puellam moribus Dionyſii Chartuſiani de Noviſſimis librum perlegentem audiviſſet; tantum ei timorem extremi Judicii ſeveritas injecit, ut ad eam evitandam de rigidiſſimo Capuccinorum Inſtituto amplectendo (puella eadem non ſine cæleſti aliquo inſtinctu monente) cogitaverit.

„ Quominus cogitata perficeret; dæmon omni conatu ſe oppoſuit; verum in propoſito perſeverans, non ante a lacrymis,

„ &

1 *Tob. 2. v. 14.*
2 *Nyſs. in vita S. Ephr. Syri.*
3 *Tob. 3. v. 11.*
4 *Matth. 23. v. 14.*
5 *Tob. 3. v. 17.*
6 *Joſ. 3. v. 15. Eccleſ. 24. 36.*
7 *Habacuc. 3. v. 15.*
8 *Matth. 24. v. 29.*
9 *Serm. 192. in Cath. S. Petri in Append. Auguſt.*
10 *Actor. 2. v. 19.*
11 *Actor. 2. v. 19.*
12 *Actor. 5. v. 41.*
13 *S. Gregor. M. Mor. 26. cap. 10.*

„ & repetitis precibus deſtitit, quam in illum Ordinem, velut in areem tutiſſimam ſe recepit: quod Æſii tandem ſexdecim annos natus, inter Laicos adſcriptus, ingenti alacritate, pioque gaudio eſt eooſequutus.

„ Caneellis, ut ita dieam, ſublatis, quibus domi Seraphini religio veluti coercebatur, mirum profecto, quamlate vagari cœperit! Ita namque provectiores quosque ſtatim virtute ſuperavit, ut [1] probatio ejus multo pretioſior auro, quod per ignem probatur, inveniretur; ac omnes admiratione Patres permoti faterentur, ſe hominem adeptos, qui veterano cuique & exemplo, & incitamento eſſe poſſet.

„ Atque utinam quæ ſumma in tyrocinio præbuit exempla virtutum poſſem heu diſtincte ſingula recenſere! Sed modus mihi in dicendo quærendus, ne nullis prope ſpatiis, ac terminis circumſcripta in immenſum excreſcat oratio; nec flores, eum fructus ſuppetant uberrimi, vidcar collegiſſe.

„ Magna illa quidem, Beatissime Pater, atque præclara; ſed eum iis minime eomparanda, quorum ſplendore Seraphinus, votis ſollemniter de more nuncupatis, noviſque veluti vinculis Chriſto vehementius obſtrictus [2], quaſi vas auri ſolidum, ornatum omni lapide pretioſo in domo Domini enituit.

„ Quamquam quid primum, aut quid maximum ex ipſius laudibus commemorem? Aut quid rerum copia, ac magnitudine pene obrutus prætermittam?

„ Dicamne obedientiam, qua tanta præter cæteros excelluit, ut ſummum, quoad vixit, illi jus fuerit nihil arbitrio ſuo agere; per omnia ad nutum ſuperiorum, poteſtatemque pendere? Dieamne miram prorſus alacritatem, qua ſenio quoque confectus, viribus fractis, ac valetudine vehementer affecta, rigidiſſimam Ordinis diſciplinam ſevere adeo cuſtodivit, ut ſeveriorum etiam oculos in ſe converteret? Paupertatem ne prædicabo, quam ita ad extremum uſque conſtantiſſime coluit, ut ipſum veluti abſolutiſſimum evangelicæ paupertatis exemplum omnes ſuſpicerent? Angelicumne referam caſtitatis eandorem, quo in hominum etiam frequentia [3], ſicut lilium inter ſpinas, ita noſter effloruit, ut fama ſit (Seraphini ipſius, multorumque doctrina, & integritate præſtantium virorum, qui ejus conſcientiam perſpectam, & exploratam habuerunt teſtimonio firmata) nullam unquam carnis tyrannidem ſenſiſſe, nullam mente cogitationem impuram verſaſſe?

„ Dies me deficeret, nec exitum inveniret oratio, ſi per totam Seraphini hiſtoriam, perque omnia virtutum genera vellem pervagari; & diſtincte ac ſuo quæque lumine, vultu, habitu demonſtrare, diſtinguere, explieare.

„ Quamobrem [4] cum omnium in caritate contineatur ſumma virtutum, & [5] qui manet in caritate, ita in Deo maneat, ut unus, auctore [6] Bernardo, cum eo ſpiritus fieri, & deificari quodammodo videatur; ſi poſtquam [7] perfectam in ipſo caritatem Deum ordinaviſſe demonſtrabo, eximiæ ipſiuſmet ſanctitati me arbitrabor cumulate ſatisfeciſſe; videbor id mihi jure profecto viodicare.

„ Tam vehementer porro divina hac earitate, tam mirabiliter Seraphinus exarſit; ut quod de Honorato Lugdunenſis Eucherius, non ego de ipſo dubitem affirmare: Seraphini ſcilicet [8] pingendam vultu, ſi caritas ipſa exprimenda eſſet in vultum.

„ Divinis enim tantum amandis a pueritia aſſuetus [9], quibuſdam veluti gradibus, duce gratia, proficiens, non ſolum eatenus Dominum diligebat, ut præ illo reliqua omnia nihili haberet, quæ caritatis praeipua eſt pars, ſed inerat in amore vis, atque voluptas mira prorſus, ut

 „ quid-

1 *I. Petr. 1. ver. 7.*
2 *Eccl. 50. v. 10.*
3 *Cant. 2. v. 2.*
4 *S. Leo Serm. 10. de Quadr. cap. 4.*
5 *I. Joann. 4. v. 16.*
6 *De diligendo Deo cap. 10.*
7 *Cant. 2. v. 4.*
8 *S. Hilar. Arel. ubi ſupra cap. 6.*
9 *S. Bernard. loc. cit. cap. 15.*

„ quidquid ageret, perpetua ferme oratione Deo jungi, atque inhærere contenderet: quidquid adſpiceret, quidquid animo volveret, in Dei cogitationem, amoremque jucundiſſime traheretur: & quantislibet preſſus curis, ac moleſtiis fatigatus, in unius Dei recordatione, & quaſi amplexu per ſummam delectationem acquieſceret.

„ Propterea non illud profecto mirum, ſi in apertos quandoque ignes fervens in pectore caritatis ardor excitaretur, fractiſque, ut ita dicam, repagulis, ita foras erumperet, ut cæleſti SERAPHINUS lumine toto corpore coruſcaret, & ſuſpenſus aere mirabiliter in ecſtaſim ſuaviſſimam raperetur: quod ipſi divina potiſſimum meditanti, vel Sacrum Euchariſtiæ Myſterium obeunti, aut Miſſæ ſacrificio inſervienti, ſæpius certe obtigiſſe compertum eſt.

„ Acerbiſſimam præterea Chriſti mortem non ſine uberrimis lacrymis, intente ſecum quotidie meditans, & in ſemetipſum, quaſi tanti ſceleris auctorem, exardeſcebat, & generoſo compatiendi ſtudio flagrabat. Vidiſſes itaque nunc Chriſti pedibus advolutum noctes integras ſuſpirantem, lacrymantemque: nunc tabulis, vel nuda humo cubantem, corpus inedia, vigiliiſque enectum perbrevi trium horarum ſomno ludificantem potius, quam recreantem. Vidiſſes cilicio aſperrimo indutum, ac flagellis armatum, ſeſe nocte intempeſta acerrime cædentem, conterentemque; & omnia ſemper, quæ ullam poſſent afflictæ carni delectationem, aut levamen afferre, conſtantiſſime refugientem. Vidiſſes acerbiſſima, & contumelioſa quæque pro nomine Jeſu incredibili plane patientia non tollerantem modo, ſed anxie adeo perquirentem, ut plus ex ſui contemptu, ac ludibrio hauriret voluptatis, quam alii ex vulgi plauſu, fauſtaque acclamatione percipiunt. Vidiſſes denique inter ſuſpiria, ac lacrymas a ſupremo Ordinis Præfecto infideles adeundi copiam enixe rogantem, ut ibi martyrii palmam, cujus avidiſſimus erat, acquireret.

„ Ex quo eximium illud efficitur, quod præ omnibus in Honorato celebrandum duxit Hilarius [1]: ei ad martyrium quidem tortores, non animum defuiſſe.

„ Fuit hæc, BEATISSIME PATER, SERAPHINI excelſa, atque incredibilis in Deum caritas. Quid vero de illa dicam, qua homines ita dilexit, fovit, omnique officiorum genere recreavit, ut ſolo proximorum bono natus propemodum videretur?

„ Omnibus [2] cum Apoſtolo omnia factus in id ſolum perquam ſtudioſe, ac diligenter incumbit, ut æternæ omnium ſaluti conſulat; quibuſcumque omnium egeſtatibus, qua poteſt ope, proſpiciat; omniumque ſimul ſpiritus, ac corpora tueatur [3]. Impiger, feſtinus, infatigabilis, prout cujuſque naturam, ac mores perſpicit, hunc ſecreto, illum palam, hunc ſeverus, illum blandus aggreditur [4]: inſtat opportune, importune; arguit, obſecrat; erranteſque animos ad rectum ſalutis iter omni ratione conatur adducere. Rudes ad religionem informat; pietate in Deum præſtantes confirmat, laxiores inflammat, atque omnium mores ad chriſtianam modeſtiam componit.

„ Memorat adhuc Aſculum, quæ pro ſumma ſua in proximos caritate ſtrenue ibi præſtitit SERAPHINUS, ut ab alearum ludo (quem non ſine crimine eſſe intellexerat) eidem indulgentes averteret: ut ſceleratorum hominum, qui urbem, ac templum princeps ingreſſi ferrum, flammamque minitabantur, impetum retunderet, omneſque a propoſito deterrens, ad bonam frugem adduceret: ut diuturnis odiis inter ſe diſſidentes civium familias, depoſitis ſimultatibus, ad priſtinam concordiam revocaret: ut improbo prædonum duci, qui gravi accepto vulnere, in ſummo non minus corporis, quam animi periculo verſabatur, chriſtianam opem afferret.

„ Quid referam in carcere detentos, ægrotanteſque? Quos frequenter adibat, „ huma-

1 *Loc. cit. cap.* 8. 2 *I. Corinth.* 9. *v.* 22. 3 *S. Hilar. loc. cit. cap.* 3. 4 *II. ad Timoth.* 4. *v.* 2.

„ humaniſſime complectebatur, ſedulo mi-
„ niſterio recreabat, rudes inſtituebat, moe-
„ rentes conſolabatur, & verbis plane divi-
„ nis, atque cæleſtibus erigebat.

„ Ipſius denique in pauperes miſericor-
„ dia, quam per Deum immortalem effuſa!
„ Quam vere, confidenterque eum Jobo po-
„ terat SERAPHINUS apud Dominum profi-
„ teri [1]: Si negavi quod volebant paupe-
„ ribus, & oculos viduæ expectare feci: ſi
„ comedi bucellam meam ſolus, & non co-
„ medit pupillus ex ea: ſi deſpexi pereun-
„ tem, eo quod non habuerit indumentum,
„ & abſque operimento pauperem: quia ab
„ infantia mea crevit mecum miſeratio, &
„ de utero matris meæ egreſſa eſt mecum!

„ An itaque mirabimur tot, tantiſque SE-
„ RAPHINI virtutibus plurima ad amplitudi-
„ nem, & gloriam divinitus adjuncta ſigna,
„ atque prodigia? Mirabimur auguſtiſſimam
„ Virginem Mariam ſeſe ipſi ſpectandam in-
„ credibili benignitate præbuiſſe! Mirabimur
„ intima cordium arcana penetraſſe; futura
„ prævidiſſe; innumeros ferme vario morbo-
„ rum genere in extremum vitæ diſcrimen ad-
„ ductos, ſolo Crucis ſigno priſtinæ florentique
„ ſanitati reſtituiſſe? Mirabimur magnam a-
„ deo [2] languentium coecorum, claudorum,
„ aridorum multitudinem, quo ab infirmitati-
„ bus ſanarentur, ad ipſum quotidie confluxiſ-
„ ſe; ut valde commotis, moleſta populi fre-
„ quentia, Montis Granarii Patribus, in Aſ-
„ culanum coenobium amandare oportuerit?

„ Miremur potius ipſum, tametſi eſſet
„ jam Cælo par, nullis tamen recte factis
„ contentum, bona ſibi deeſſe omnia deplo-
„ raviſſe; ſeſe peccatorum maximum con-
„ ſtanter exiſtimaſſe; ac [3] ſemper in ſum-
„ mitate virtutum poſitum, ſemper quo cre-
„ ſcere poſſet anxie concupiviſſe.

„ O divinam, atque incredibilem hominis
„ ſanctitatem! O te, SERAPHINE, ſingula-
„ rem, ac beatiſſimum! Qui [4] in multa pa-
„ tientia, in vigiliis, in jejuniis, in caſti-
„ tate, obedientia, ſuavitate, in caritate
„ non ficta tantam coram Domino gratiam
„ inveniſti! [5] Euge Serve bone, & fidelis
„ intra in gaudium Domini tui.

„ Jamque, PATER BEATISSIME, ſexagena-
„ rio major, diuturno pectoris morbo, quem
„ omnes ſtudioſe celaverat, invaleſcente,
„ poſtremum vitæ diem urgere ſodalibus præ-
„ nuncians; vix ab iis, nihil admodum pe-
„ riculi ſuſpicantibus, orando impetravit,
„ ut viatico Chriſti Corpore reficeretur:
„ dein ob ſubitum vitalis ſpiritus defectum,
„ ſacro repente inunctus Oleo; ac Jeſum, cum
„ quo eſſe, quoad vixit, ardentiſſime con-
„ cupierat, intermortuis vocibus identidem
„ appellans, VI. Idus Octobris anno MDCIV. [6]
„ curſum Aſculi conſumavit, & ad repoſi-
„ tam in domo Dei immarceſcibilem coro-
„ nam placidiſſime evolavit.

„ Pretioſa ejus morte a pueris, divinitus
„ afflatis, mirabiliter evulgata, tota eſt ſum-
„ mopere commota civitas; ingens confe-
„ ſtim hominum concurſus, viſendi cauſa,
„ ad Capuccinorum templum eſt factus; ac
„ vix quidem flexile adhuc poſt biduum cor-
„ pus, & cæleſti flagrans odore [7], rapien-
„ tium manus effugit.

„ Deinde porro, cum [8] prodigia, & ſi-
„ gna faceret Deus per illum; ita [9] magnifi-
„ cabat eum populus, & concurrebat mul-
„ titudo civitatum, afferentes ægros, qui
„ ſanabantur, ut brevi (indulgente etiam
„ Paulo V. Pontifice Maximo) is SERAPHI-
„ NO publice cultus adhiberetur, quem Cle-
„ mens poſtea XI. ampliſſimo decreto appro-
„ bandum, Benedictus vero XIII. inſigniter
„ augendum exiſtimarunt.

„ Denique, cum de SERAPHINI virtutibus
„ in gradu heroico conſtare Clemens XII.
„ pronunciaſſet; ad ipſius ſanctitatem ma-
„ gis, magiſque confirmandam, ea non ita
„ pridem aceeſſere miracula, quæ diligen-
„ tiſſime expenſa, ſollemni tua approbatio-
„ ne digniſſima cenſuiſti.

„ Quid igitur reliquum, PATER BEATIS-
„ SIME, niſi, ut maxima, qua polles aucto-
„ rita-

1 *Job. 31. ver. 16. ſequ.*
2 *Joan. 5. v. 3.*
3 *S. Hilar. loc. cit. cap. 6.*
4 *II. Corinth. 6. v. 5.*
5 *Matth. 25. v. 21.*
6 *II. ad Timoth. 4. v. 7. 8.*
7 *Nazianz. Orat. in lau. M. Baſilii.*
8 *Actor. 2. v. 22.*
9 *Actor. 5. 13. 16.*

„ ritate, ſuprema tandem heic SERAPHINO
„ proemia rependas; & cui [1] manna abſcon-
„ ditum dedit in triumphanti Eccleſia mi-
„ ſericors Deus, novum eidem nomen con-
„ feras in militanti?

„ Hoc Aſculani cives, Montis Granarii
„ incolæ, Piceni omnes certatim expoſcunt:
„ hoc tuis pedibus advolutus Capuccinorum
„ Ordo univerſus, [2] cujus tanta laus.eſt in
„ Evangelio, vehementer etiam atque
„ etiam efflagitat: hoc tota, qua late pa-
„ tet, Catholica Eccleſia, effuſis fidelium
„ votis, expoſtulat.

„ Exaudi itaque preces populorum tuo-
„ rum ad te clamantium, PATER BEATIS-
„ SIME; nihilque tandem per te SERAPHINO
„ deſit ad gloriam, cui nihil certe deſuit
„ ad virtutem.

Ut ad finem dicendi pervenit Advocatus Aſcevolini, ſtatim R. P. D. Paulus Franciſcus Antamori & ipſe Conſiſtorialis aulæ Advocatus de BEATÆ JOANNÆ FRANCISCÆ FREMIOT DE CHANTAL laudibus dicturus ita ad BEATISSIMUM PATREM, ac DOMINUM NOSTRUM graviter, eleganterque orationem direxit.

„ SI clariſſimorum hominum, quos ha-
„ ctenus, BEATISSIMA PATER, diffe-
„ rentes audiviſti,doctrinam,ſapientiamque
„ conſidero, non poſſum quin pertimeſcam,
„ quod neque ingenio, nec facultate cum
„ his conferri me poſſe intelligam. Verum
„ ubi cauſæ, quam apud te ſum dicturus,
„ vim, naturamque animadverto, repente
„ ita erigor, atque confirmor, ut mihi ora-
„ tionis exitum felicem, fortunatumque
„ pollicear. Etenim copioſe illi quidem, &
„ ornate beatiſſimorum virorum res geſtas,
„ atque virtutes tibi ob oculos ponere ſtu-
„ duerunt, ut publicos iiſdem honores, qui
„ Sanctis impertiri ſolent,a te Supremo Reli-
„ gionis Antiſtite,impetrarent. Video quam-
„ ampla, & a ſapientia tua, & a Cauſſæ boni-
„ tate ab bene ſperandum argumenta iis obo-
„ riantur. Verum cur ego quoque in eamdem
„ ſpem non adducar, cum pro beatiſſima
„ fœmina JOANNA FRANCISCA FREMIOT DE
„ CHANTAL ſupplex a te gloriam hanc am-
„ pliſſimam deprecor? Quanta enim illius
„ extitit in omni vitæ ratione pietas, & ſan-
„ ctimonia; cujus ab innocentia, a carita-
„ te, a fortitudine, a modeſtia in proſperis,
„ a conſtantia in adverſis, ſemper laudati
„ ſunt mores, vita eſt publice commenda-
„ ta? Itaque ſi mihi dicenti aures patien-
„ tiſſimas adhibueris, perficiam profecto;
„ ut, quam parem cæteris virtutum omnium
„ commendatione recognoveris, eamdem
„ ad Chriſtianæ Reipublicæ decus, atque
„ præſidium, pari quoque gloria cobone-
„ ſtandam decernas.

„ Et quoniam illorum hominum, quo-
„ rum animus ad pietatem conformatus ex-
„ celluit, ea plerumque fuerunt primordia
„ ætatis, ut futuram ipſorum laudem, præ-
„ ſtantiamque portenderet; ita & mihi, &
„ Cauſſæ deeſſe me arbitrarer, ſi de ſan-
„ ctiſſima JOANNÆ FRANCISCÆ pueritia ſi-
„ lerem, quam virtutum præclariſſimarum
„ maturitas celeriter eſt conſecuta. Paren-
„ tes habuit nobiliſſimos Benignum Fremiot,
„ & Margaritam Berbeſiam, patriam vero
„ Divionem urbem Burgundiæ principem.
„ Ut primum domeſticæ diſciplinæ rudimen-
„ tis imbui cœpit, incredibile dictu eſt,
„ quam cito ſuccreſcentium virtutum ger-
„ mina erumperent, atque ad perfectam
„ magnitudinem properarent. Nihil in ea
„ leve, nil remiſſum, nil nugatorium; ſed
„ omnia ad religionem, ſapientiamque ita
„ compoſita, ut nihil, niſi recte, ac mo-
„ derate cupere, atque agere videretur;
„ quanta in teneriore adhuc ætate, conſilii
„ firmitas, & cogitandi, judicandique ſo-
„ lertia! Quam ingens, quo in Deum ra-
„ piebatur impetus, cui totam ſe dedere,
„ & omnia ſua conſecrare inſtituerat! Quam
„ ardens Chriſtianæ Religionis ſtudium, quo
„ mirifice æſtuabat, ut mori pro ea cupe-
„ ret, & Martyribus invideret!

„ Atque bujus quidem rei argumento ſa-
„ ne graviſſimo, prodeat incredibilis illa
„ men-

1 *Apocal.* 2. v. 7. 2 *II. Corinth.* 8. v. 18.

„ mentis excelſitas, qua in perditum hominem, & Calviniana perverſitate corruptum nondum quinquennis invecta, hujus arrogantiam vi rationum inſperata confodit, pertinaciam graviſſima ſuppliciorum comminatione dejecit. Prodeat ſingularis illa animi conſtantia, qua paucos poſt annos amiſſa matre, & in ſororis domum, ubi aleretur traducta, non modo vaferrimæ, nequiſſimæque mulieri, quæ mores ejus caſtiſſimos depravare nitebatur, Joanna fortiter reſtitit, ſed etiam fuſis ad Deiparam precibus, quam ſibi matris loco delegerat, perfecit, ut quamprimum a fluctibus inſidiarum emerſa, parenti optimo redderetur. Prodeat invicta illa firmitas, qua ſplendidiſſimas, & a nobilitate, a divitiis, ab affinitatibus commendatas egregii adoleſcentis nuptias repudiavit, perhorruit; quod eumdem occulte quidem, ſed labe Calviniana infectum una divinitus recognoverat: adeo erat pietatis, & religionis tenax, ut omnia potius ſuppliciorum genera devoraſſet, quam a ſanctiſſimis chriſtianæ doctrinæ inſtitutis vel minimum declinaret.

„ His alebatur contentionibus Joannæ Franciscæ virtus, quæ in ampliorem quotidie lucem ſeſe feliciter explicabat. Etenim, licet a prœliis ſuperior ſemper diſceſſiſſet, tamen magnitudine periculorum exterrita, cœpit ardentius ad cœleſtia ſeſe erigere, & altius, quæ maxima mortales putant, deſpicere. Domi incluſa precibus, & lectioni vacabat, foris innocentiæ, gravitatis, modeſtiæ ſeſe exemplar præbebat. Parenti obſequens, deliciarum inimica, contemptrix ſui, nihil faciebat reliqui, quo & illecebris voluptatum obſiſteret, & incompoſitos animi motus a ſtirpe evelleret. Cumque & comitate in omnes, & in domeſticos facilitate, & beneficentia in pauperes, frugi, continens, pia, aliorum in ſe oculos, admirationemque convertiſſet, mirum non eſt, ſi quamplurimi totius Galliæ primores, eamdem habere in matrimonio contenderent. Conſtituerat illa quidem virginitatis ſtudioſiſſima offerre ſe hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem. Sed ne patri adverſaretur, quem verebatur ut Deum, amabat ut fratrem, diligebat ut ſocium, tandem ex ejus voluntate Chriſtophoro Rabutinio de Chantal nupſit, qui cæteris competitoribus, ſin minus nobilitate, atque opulentia, virtute certe ac moribus antecellebat.

„ Hic vero, Beatissima Pater, patientia non abutar tua, ut diligentius perſequar qualem in novo hoc vitæ genere mulier fortis ſe exhibuerit, quæ ubi lumbos ſuos fortitudine roboraſſet, & os ſapientiæ aperuiſſet, illud eſt aſſecuta, ut vir ejus ſurgeret, & laudaret eam, ſurgerent filii, & beatiſſimam prædicarent. Auctor eſt Apoſtolus, quæcumque caſta, prudens, ſobria, domus curam habeat, virum amet, filios diligat; eamdem optimæ matrisfamilias gratiſſima commendatione honeſtari. Jam vero quam hujus cumulatiſſimæ laudis partem Joannæ Franciscæ denegavero, cujus prudentia, ſobrietas, caſtitas omnium linguis eſt celebrata, non privatis, ſed publicis inuſta notis veritatis. Si de domeſtica procuratione quæſiveris; reſpondebo, ea ſolertia, diligentiaque omnia adminiſtraſſe, ut nihil appareret, niſi moderate, niſi quiete, niſi ex fœminæ graviſſimæ, & ſanctiſſimæ diſciplina. Si de filiorum caritate; dicam, eos a prima ætate ita inſtituendos ſuſcepiſſe, ut qua voce, qua exemplis eorum mores, actioneſque ad omnem virtutem effingeret. Si de amore, quo virum diligebat colebatque; affirmabo, Joannam obſequio, toleratione, prudentia illud obtinuiſſe, ut jucundiſſimam inter eos conſiliorum, voluntatumque conſenſionem, nulla unquam aut ſuſpicio perturbaret, aut ſimultas imminueret, aut denique offenſio diſſociaret.

„ Atque hinc facile erit intelligere quam acerbe conflictari debuerit, cum virum, accepto inter venandum vulnere, ex inopinato morientem vidit. Gravis quidem calamitas, quæ illi pectus effoderet. Sed

„ longe

„ longe admirabilior animi magnitudo, qua „ doloris ipſius acerbitatem lenivit. Etenim „ ad divinam conformata voluntatem, non „ modo communes naturæ ſenſus ita compreſſit, ut interfectorem ipſum omni benevolentia complecteretur; ſed ad aram „ Deiparæ humi proſtrata, & in preces effuſa perpetuæ caſtitatis voto ſe ultro adſtringit, & ſponſum neminem, præter „ Chriſtum Jeſum, ſe deinceps habituram „ declarat. Quis autem oratione ſatis explicaverit ardentiſſima illa ſtudia, quibus „ deinde placere Deo contendit, quem ſibi „ unice diligendum propoſuerat. Non dicam, ornamenta omnia, quibus aliquando uti debuit, ut placeret viro, aut augendo ſacrarum ædium ſplendori, aut „ levandis inopum anguſtiis addixiſſe. Neque commemorabo quemadmodum corpus ciliciis, & jejuniis affligeret, vulgari habitu incederet, tenuiſſimo victitaret „ cibo, & ſomno uteretur breviſſimo, dies „ vero, noctesque ita traduceret, ut vel „ divina contemplaretur, vel inſerviret „ ægrotis, vel ærumnoſos colloquio familiariſſimo recrearet. Illud tamen non omittam, quod cœpit conſilium plane „ novum, & inauditum. Ut enim cum Paulo exclamare poſſet, & commonere, ne „ quiſquam ſibi moleſtus eſſet, quod ut in „ corde, ſic in corpore ſtigmata Chriſti Jeſu portaret; animo, & magno, & erecto candens ferrum arripuit, & nudum „ pectus Jeſu nomine obſignavit. Oh! Rem „ ſane miram, quæ cum propoſiti conſtantiam, tum abſolutæ vim caritatis declarat. Itaque hinc enixæ illæ preces, quibus a Deo virum ſpiritu, & lenitate plenum efflagitabat, quo in perſequenda, „ quam arripuerat perfectionis via magiſtro „ uteretur, & comite. Hinc ſumma alacritas, qua voti compos facta, quum a „ Sanctiſſimo Antiſtite Franciſco Saleſio accepiſſet, ſe a Deo electam, ut collatis „ una cum eo conſiliis, novum ſacrarum „ virginum Ordinem inſtitueret, propagaret; repente abjectis omnibus, quæ haberet cariora, Annecium recta contendit, „ ut vineam Domini Sabaoth plantaret, „ coleret, cuſtodiret. Sed quam prompte, „ quam celeriter, quam expedite! Currentem nihil movent, nihil retardant univerſæ cognationis tumultus, obfirmata „ dulciſſimi parentis voluntas eximia pietate, filii ſqualor, & ſolitudo. Quid? „ Quod filium ipſum, qui flens ad januæ veſtibulum jacebat, ut ſi egredientem lacrymis non flecteret, ſaltem objecto corpore remoraretur; mater & piiſſima, & „ amantiſſima filium ipſum pedibus conculcare non dubitat, ut quo cæleſti rapiebatur voce eo citiſſime perveniret. Oh „ factum novitate primum, magnitudine „ egregium, genere ipſo ſingulare! Itaque, „ ſi divinis etiam præconiis laudata eſt Abrahæ virtus, quod de terra, & cognatione ſua ſit egreſſus, ut Deo vocanti obſecundaret; quid de Joanna prædicandum cenſebimus? Detur ergo, detur corona aurea ſuper caput ejus, ſed expreſſa ſigno ſanctitatis, gloria honoris, opus „ fortitudinis. Quæ enim melior ſanctitas, quam chriſtianæ doctrinæ non præceptis modo, ſed & conſiliis religioſiſſime obtemperare? Quæ major gloria, „ quam vel ipſos Cœlites, virtutis ſuæ præcones habere locupletiſſimos? Quæ ſplendidior fortitudo, quam a tergo, a fronte, „ a lateribus omnes in ſe irruentes repellere, ne a ſuſcepta ſententia moveri poſſit.

„ Age vero Joannam Annecium non convolantem, ſed jam tenentem oratio proſequatur. Non ſinunt anguſtiæ temporis, „ ea me perſequi diligentius conſumatæ ornamenta virtutis, quibus deinceps eſt „ aucta, & quodammodo exaggerata, poſtquam arduum ſane votum quotannis inſtaurandum emiſiſſet, ſe dum viveret facturam, quidquid maxime Deo gratum, „ atque honorificum intelligeret. Satis ſit „ Franciſcum unum Saleſium, quem habuit „ conſiliorum omnium ſuorum comitem atque participem, hujus rei teſtem adhibere maximum, & graviſſimum. Is vero, cujus & ſcripta, & geſta ſunt, ampla omnia, ſæpe confirmavit; Joannam

„ eo

,, eo ſanctitatis proceſſiſſe, ut ſi chariſma-
,, tum, quibus a Deo fuit locupletata, ra-
,, tio habeatur, vix cuiquam liceat altius
,, aſſurgere. Breviſſime potius contemple-
,, mur, quam ſplendide in novo Ordine
,, Viſitationis Sanctæ Mariæ fundando, am-
,, plificandoque de Chriſtiana Republica
,, promeruerit.

,, Vix enim cuiquam credibile eſt quot
,, anguſtias devorarit, exantlarit labores,
,, dimicationes ſubjerit, ut vinea hæc Do-
,, mini electa palmites ſuos extenderet, &
,, uberrimos fructus pareret, fructus hono-
,, ris & honeſtatis. Cæterum nulla fuit tam
,, atrox invidorum perverſitas, nullus ob-
,, ſtrepentium adverſariorum livor, nulla
,, longitudo itinerum, aut aſperitas viarum,
,, nulla denique peſtilentiæ graſſantis lues,
,, quam manſuetudine non leniverit, pa-
,, tientia non vicerit, conſtantia non fre-
,, gerit. Humanis pene deſtituta præſidiis,
,, brevi potuit Ordinem undique oppugna-
,, tum ſanctiſſimis legibus communire, at-
,, que ita florentem cernere, ut pios in-
,, tuentium oculos vel ipſa ſpecie ſua de-
,, lectaret. Dicam rem factu difficilli-
,, mam, ſed tamen veriſſimam. Quatuor
,, ſupra octoginta Cœnobia excitavit, in-
,, ſtruxit; eaque licet in magna regionum
,, nationumque varietate, pene omnia præ-
,, ſens inviſit; ſed ita tamen, ut filias ſibi
,, cariſſimas, vel inſtitueret rudes, vel re-
,, crearet trepidas, vel firmas redderet ala-
,, criores: quare una, eademque eſset
,, omnium vivendi norma, una mens, unus
,, ſenſus, una in juvandis aliis ſtudii con-
,, ſpiratio. At quibus temporibus? Luctuo-
,, ſiſſimis ſane, & acerbiſſimis. Non modo
,, enim per nuncios ſæpe intellexit funeſtum
,, ſuorum omnium interitum; ſed vulnus
,, etiam illud crudeliſſimum ſubire debuit,
,, ut magiſtrum, auctorem, parentem ſuum
,, Franciſcum Saleſium morte ſibi ereptum
,, extinctumque defleret? Oh dolorem ma-
,, gnum vix ulla conſolatione leniendum!
,, Jam vero in tot calamitatum tenebris,
,, cæciſque nubibus, quo tandem animo eam
,, fure putatis, hoc a ſe ſtudiorum, labo-
,, rumque ſuorum, quodam quaſi ſocio, &
,, comite diſtracto? Incredibili quodam ro-
,, bore circumſepta eo altius erigitur, quo ve-
,, hementius oppugnatur. Harum omnium
,, acerbitatum vim in ſe unam ſemper ſu-
,, ſcepit; neque induſtriam remiſit, quo-
,, minus ad extremum uſque vitæ ſpiritum,
,, quæ Dei, quæ Ordinis erant, curaret; ef-
,, ficeretque ut virgines Chriſti ſponſæ pro-
,, cellis, & turbinibus diu jactatæ, in tran-
,, quilla tandem ſtatione conquieſcerent.
,, Itaque tuam illam caritatem, patientiam,
,, ſanctimoniam, liberalitatem in pauperes,
,, in providendo conſilium, in conficiendo
,, celeritatem, & poſteritas alet, & ipſa
,, æternitas ſemper intuebitur. Ego vero
,, nihil in te magis ſuſpiciam, quam ipſam
,, te, ſanctiſſima fœmina; in tot ſcilicet
,, perturbationum fluctibus, pacatum ſem-
,, per animum, vultum ſemper hilarem,
,, ſerenum, tranquillum, placidum; perin-
,, de quaſi illius jam eſſes ſecuritatis parti-
,, ceps, quam ſolis in Cœlo Beatorum
,, mentibus novimus reſervatam.

,, Cum vero his præclariſſimis, quas ha-
,, ctenus delibavi Joannæ dotibus, cæ-
,, leſtium quoque chariſmatum ſplendor ac-
,, cederet; quod & reconditiora Religionis
,, arcana feliciter explicaret; & divinitus
,, ſecreta pervaderet, longinqua intueretur,
,, futura præcognoſceret; non raro etiam
,, mira quædam, & prodigioſa operaretur;
,, ita in tantam venerat famæ claritatem,
,, ut apud præclariſſimos omnes, qui tunc
,, in Gallia, Aquitania, Lotharingia, Sa-
,, baudia, Italia florebant viros, non pro-
,, baretur modo, ſed etiam celebraretur.
,, Eſt enim hoc egregiæ virtutis proprium,
,, ut quorum claritate ſua perſtringit ocu-
,, los, eoſdem ſuæ amplitudinis laudatores
,, habeat diſertiſſimos. Sed jam nonum ſu-
,, pra ſexageſimum ætatis annum attigerat,
,, cum Lutetia rediens Molinii in morbum
,, incidit, quo ita cœpit conflictari, ut bre-
,, vi ſe morituram præſentiret. Itaque ab-
,, ſentibus ſororibus per litteras, præſenti-
,, bus voce ad concordiam, pietatemque
,, cohortatis, inter earumdem preces, & la-

„ crymas Idibus Decembris anni milleſimi „ ſexcenteſimi quadrageſimi primi in amplexus cæleſtis Sponſi hilaris convolavit, „ ut quæ curſum feliciter conſummaverat, „ repoſitam ſibi juſtitiæ coronam aſſequeretur.

„ Aliorum ſit recenſere quæ mortem conſecuta ſunt præclara adeo atque mirifica, „ ut omnes JOANNAM FRANCISCAM dignam „ judicarent, quæ Sanctorum faſtis ſollemni „ ritu adſcriberetur. Id tamen non prætéribo, quod apud te plurimum valere „ debet; eidem a Benedicto Decimo quarto Beatorum cultum publico decreto fuiſſe attributum; atque ita nobis aditum „ patuiſſe, ut a te ſupremos Sanctorum „ honores illi impetraremus. Neque te diutius ancipitem atque ſuſpenſum hærere „ ſinunt, nova, quibus illam Deus illuſtravit ſigna, a graviſſimis viris te auctore „ excuſſa, atque probata. Atque illud in „ primis, quo Soror Maria Droz in cœnobio Pontis Aurelii Biſuntinæ Diœceſis ad ultimum phtiſis gradum deducta, „ cum JOANNÆ FRANCISCÆ patrocinium „ imploraſſet, repente, unoque momento „ temporis, ita omni morbo, morbique moleſtiis eſt liberata, ut ſe priſtinis integriſque viribus ſenſerit reſtitutam. Neque „ minus ſingulare eſt alterum, quo paupercula quædam virgo Lugdunenſis nomine „ Florida, illico ſoluta brachii contractione, quod atrophiam induerat, a JOANNÆ FRANCISCÆ tumulo, ad quem, ægra „ & ſupplex acceſſerat, reddita ſanitati diſceſſit.

„ Itaque, BEATISSIME PATER quoniam in „ terris ea auctoritate potes, & polles, ut „ ſummum Cauſſarum hujuſmodi judicium „ tibi unice reſervetur; illud a te ſupplices efflagitamus, ut per te JOANNÆ „ FRANCISCÆ FREMIOT DE CHANTAL præclaræ, atque egregiæ virtutes ſupremæ „ hac laudis acceſſione honeſtentur. Orant, „ atque obſecrant lectiſſimæ Virgines, tibique probatiſſimæ, quæ illam parentis, „ & magiſtræ loco habent, colunt, venerantur. Huc accedunt Chriſtianæ Reipublicæ univerſæ preces, & vota, quæ ſicuti „ JOANNAM FRANCISCAM, dum in terris „ verſaretur, ſui ſtudioſiſſimam ſenſit, ita „ eamdem Cælo redditam apud nos quoque „ juſtis honoribus cumulatam, enixe, vehementiſſimeque deſiderat.

Hiſce orationibus abſolutis, Michael Angelus Giacomelli Archiepiſcopus Chalcedonenſis epiſtolarum ad Principes a Secretis SANCTITATIS SUÆ nomine ſequens reſponſum ſupplicantibus dedit.

„ CAtholicæ Eccleſiæ permagni intereſſe intelligit SANCTISSIMUS DOMINUS „ NOSTER in Sanctorum numerum adſcribi „ BEATOS HIERONYMUM ÆMILIANUM, SERAPHINUM AB ASCULO, ET JOANNAM FRANCISCAM FREMIOT DE CHANTAL, de quorum „ virtutibus, & miraculis libentiſſimo animo audivit, quæ modo ſatis ornate dilucide & accurate narrabantur. Et nihil „ quidem ad Eccleſiæ gloriam & amplitudinem poteſt eſſe magnificentius, quam „ omnibus palam fieri, ita eam abundanter „ Beatis hiſce filiis ſuis [1] miniſtraſſe introitum in æternum Regnum Domini Noſtri „ & Salvatoris Jeſu Chriſti, ut æternam requiem ingreſſi, clarificati etiam miraculorum gloria, digni Sanctorum cultu & „ honoribus habeantur. Magni etiam refert, ut adeo illuſtrium BEATORUM, ſimul „ cum veneratione propagata quoque virtutum, & miraculorum notitia, Catholicis populis major uſque detur exiſtimandi copia, quantam Dei benignitati debeant gratiam, qui eos in Sanctæ Matris „ ſinu natos altoſque voluerit, unde in veræ pietatis, quam ipſa colit, certiſſimum „ argumentum prodeunt, ſubinde heroicarum virtutum exempla, & quæ eaſdem „ virtutes comprobent ſigna & miracula. „ Eccleſiæ igitur decus, & fidelium utilitas vehementer SANCTISSIMI PATRIS commovent ani-

1 *II. Petri* 1. 11.

,, animum: illum etiam non parum impel-
,, lunt Catholicorum Regum, & populorum
,, piæ religioſæque ſupplicationes & vota.
,, Sed rem graviſſimam, & quæ magnam
,, deliberationem habet, cenſet adhuc di-
,, ligentius examinandam; & hos Venera-
,, biles Fratres suos S. R. E. Cardinales,
,, nec non Archiepiſcopos, & Epiſcopos
,, ad id examen ſtatuit adhibere; quod in
,, ſemipublicis Conſiſtoriis propediem fa-
,, ciet. Interea Sanctitas Sua vehemen-
,, ter cupit ferventioribus ab omnibus fide-
,, libus Deo preces offerri, ut Divina Sapien-
,, tia, quæ [1] habitat in conſilio, adjutrice
,, & comite, illud in tanta re conſilium ca-
,, piat, quo latius amplificetur Dei honor &
,, gloria, fideli populo uberior inde fiat ſpiri-
,, tualium bonorum acceſſio, & incrementa
,, in dies, benedicente Domino, accipiat
,, Catholicæ Eccleſiæ dignitas & amplitudo.

Cum hæc Archiepiſcopus Chalcedonenſis dixiſſet, Beatissimus Dominus Noster ſigno Crucis finem Conſiſtorio fecit, ac ſolito comitatu ad aulam paramentorum proceſſit.

Semipublica, quæ vocant, habenda inde erant Conſiſtoria antequam Canonizationis ſollemnia explerentur. Ad Epiſcopos, qui Romæ morabantur providus ac attentus vir Carolus Alexius Piſani Fidei Promotor ex præſcripto Pontificis Beatorum vitas compendiaria narratione conſcriptas miſerat, ut antequam ſuffragium laturi ad Conſiſtorium venirent de eorumdem Beatorum geſtis optime eſſent inſtructi.

Quid in iiſdem ſemipublicis Conſiſtoriis foret agendum, per hanc, quam impræſentiarum exhibemus ſchedulam jam fuerat declaratum.

M E T H O D U S

Servanda in ſemipublicis Conſiſtoriis ante proxima indicendæ Canonizationis ſollemnia, ex ritu habendis, & peculiariter intimandis.

,, IN ſemipublicis hiſce Conſiſtoriis de
,, ſex Beatis in Sanctorum album coo-
,, ptandis diſſeretur; nempe de Beatis Jo-
,, anne Cantio Presbytero ſeculari, Joſa-
,, pho Calasanctio Fundatore Ordinis Cle-
,, ricorum Regularium Pauperum Matris Dei
,, Scholarum Piarum, Josepho a Cuperti-
,, no Sacerdote profeſſo Ordinis Minorum
,, Conventualium S. Franciſci, Hieronymo
,, Æmiliano Fundatore Clericorum Regu-
,, larium Congregationis Somaſchæ, Sera-
,, phino ab Asculo Laico profeſſo Ordinis
,, Minorum S. Franciſci Capuccinorum, &
,, tandem Joanna Francisca Fremiot de
,, Chantal Fundatrice Ordinis monialium
,, a Viſitatione S. Mariæ.

,, Opportune autem tam Eminentiſſimi,
,, & Reverendiſſimi DD. Cardinales, quam
,, Reverendiſſimi Patriarchæ, Archiepiſco-
,, pi, & Epiſcopi ſuffragium laturi, quoad
,, ipſorum beatorum numerum, de quibus
,, in unoquoque ex dictis Conſiſtoriis agen-
,, dum erit, particularibus ſchedulis per cur-
,, ſores tranſmittendis, certiores fient.

,, Eminentiſſimi Domini Cardinales cap-
,, pis violaceis induti erunt.

,, Reverendiſſimi Patriarchæ, Archiepi-
,, ſcopi, & Epiſcopi omnes in Urbe præſen-
,, tes, nec non DD. Protonotarii, duo an-
,, tiquiores Rotæ Auditores, & Cameræ Apo-
,, ſtolicæ Procurator Fiſcalis eas reſpective
,, deferent cappas, quibus in Pontificio ſa-
,, cello uti ſolent.

,, Sanctissimus Dominus Noster Cle-
,, mens Papa XIII. brevi allocutione initium
,, dabit actioni, Fratrum ſuffragia exquirens.

,, Eminentiſſimi Cardinales, ac Reveren-
,, diſſimi Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epi-
,, ſcopi, ſuo proprio ſervato ordine, paucis
,, ſuum ſenſum aperient.

,, DD. Cardinales, dum ſententiam pro-
,, dere incipient, ſingillatim nudato capite
,, aſſurgent, eamque capite tecto proſequen-
,, tur ſedentes.

,, Superius recenſiti Præſules, ferentibus
,, ſuffragia Eminentiſſimis Patribus, ſede-
,, bunt capite operto, ſtabunt vero cum
,, Summus Pontifex verba faciet.

,, Surgent autem ipſorum ſinguli, ſtatimac
,, primus Patriarcha ſententiam dicturus aſ-

[1] Prov. 8. 12.

„ ſurget, ſicque jugiter permanebunt, do-„ nec ultimus Epiſcoporum loqui deſierit.

„ Auditis cunctorum placitis, iterum „ Papa ſermocinabitur.

„ Mox Procurator Fiſcalis Cameræ con-„ ſueta formula tam in præſenti, quam in „ ſubſequentibus ſemipublicis Conſiſtoriis „ ſervanda, immutatis tantum nominibus „ Beatorum, adſtantes DD. Protonotarios ro-„ gabit, ut de ſententiis, conſilio, & una-„ nimi conſenſu Reverendiſſimorum DD. S. „ R. E. Cardinalium, nec non Patriarcha-„ rum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, „ deque Summi Pontificis oratione, ac de-„ liberatione præhabitis ſuper ſollemni Ca-„ nonizatione dictorum Beatorum Inſtru-„ mentum conficiant.

„ Tunc eorumdem Decanus ſui Collegii „ nomine reſpondebit: *Conficiemus*; ac idem „ Protonotariorum Decanus ad Pontificis „ familiares converſus, qui ſtant circa ſo-„ lium Pontificium, eoſdem in teſtes appel-„ lans, dicet: *Vobis teſtibus*: ſicque Con-„ ſiſtorium abſolvetur.

„ Meminerint omnes Eminentiſſimi Car-„ dinales, aliique Reverendiſſimi Suffraga-„ tores, quod propriam quiſque ſententiam „ ſcriptam, atque ſubſcriptam tradere de-„ bet in unoquoque ex futuris ſemipublicis „ Conſiſtoriis eadem in aula Conſiſtoriali „ habendis, R. P. D. Secretario Congregatio-„ nis Sacrorum Rituum, vel ejus loco uni „ ex Apoſtolicarum cæremoniarum Magi-„ ſtris.

„ Abſentes vero ab hujuſmodi ſemipubli-„ cis Conſiſtoriis, & in Urbe præſentes tam „ Eminentiſſimi Cardinales, quam Reve-„ rendiſſimi Epiſcopi, ſuffragium unuſquiſ-„ que ſuum tranſmittet enunciato Sacrorum „ Rituum Congregationis Secretario.

Verum cum anni tempeſtas ob ferveſcentem aerem valde eſſet moleſta, & Canonizationis celebritas in longum nimium fuiſſet dilata, ſi juxta receptam normam, & conſuetudinem in quolibet ſemipublico Conſiſtorio de uno tantum Beato fuiſſet tractandum, prudenti juſtoque conſilio hac in parte a recepta methodo Sanctiſſimus Dominus Noster recedere duxit opportunum, conſtituens, ut non de uno tantum, ſed de duobus Beatis in quolibet ſemipublico Conſiſtorio ratio eſſet habenda.

Kalendis Junii primo ſemipublico Conſiſtorio, in quo de Beatis Joanne Cantio, et Joſepho Calasanctio Eminentiſſimi Patres, ac Reverendiſſimi Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi, etiam illi, qui ex Orientalibus partibus Romam venerant, & profeſſione Fidei emiſſa, Romanæ Eccleſiæ communione fruebantur, ſententias ferrent, dies fuerat conſtitutus; idque omnibus, qui intereſſe debebant per hujuſmodi formulam fuit denunciatum.

„ Feria 2. die prima Junii in Quirina-„ lis Palatii aula, quæ loco ducalis eſt, „ Conſiſtorium ſemipublicum habebitur ſub „ hora decima tertia. In eo, ſervata me-„ thodo juxta Schedulam jam diſtributam, „ Sanctiſſimus Dominus Noster Clemens „ Papa XIII. tam Eminentiſſimorum Cardi-„ nalium, quam Reverendiſſimorum Pa-„ triarcharum, Archiepiſcoporum, & Epi-„ ſcoporum ſuffragia excipiet pro futura Ca-„ nonizatione Beatorum Joannis Cantii „ Presbyteri ſecularis, & Joſephi Cala-„ sanctii Ordinis Clericorum Regularium „ Pauperum Matris Dei Scholarum Pia-„ rum.

„ Intimentur idcirco omnes, & ſinguli „ Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi DD. „ Cardinales, nec non Reverendiſſimi DD. „ Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi „ in Urbe præſentes, ac DD. Protonotarii „ Apoſtolici, duo antiquiores Rotæ Audito-„ res, Sacrorum Rituum Congregationis Se-„ cretarius, Promotor Fidei, & Procura-„ tor Fiſcalis Cameræ Apoſtolicæ, ut omnes „ cappis induti, enunciato ſemipublico Con-„ ſiſtorio indicta ſuperius hora interſint.

De Mandato SS. D. N. Papæ.

I. Archiepiſcopus Athenarum
Apoſt. Cærem. Præfectus.

Aula

Aula illa, quam omnium primam aſcendentes per ſcalam regiam offendunt, in qua Papæ paraphrænarii commorantur, ea pro ducali in Palatio Apoſtolico Quirinali habetur. In hac ſacri Palatii coſmetæ, quos vulgo flrerios vocant, ſub prænobili umbella ſedem Pontificiam attalica veſte auro contexta indutam, poſtico parieti, quem damaſceno ſerico tæniis aureis diſtincto veſtierant, aptaverant: ſcamna Dominorum Cardinalium hinc inde ita diſpoſuerant, ut tetrogamum efformantes e regione Pontificiæ ſedis vacuum aditum ingredientibus relinqueret: poſt Cardinalium ſedes ad dexteram pro Aſſiſtentibus, ad ſiniſtram vero pro non Aſſiſtentibus Epiſcopis in lineam rectam ſedilia accomodaverant: adverſus Pontificium ſolium, qui locus in ſemipublicis Conſiſtoriis Protonotariis Apoſtolicis, & Rotæ Auditoribus eſt aſſignatus, ſubſellia altera e nudo ligno ſine fulcro dorſuali ſtatuerant.

Cum ad hanc Conſiſtorialem aulam Eminentiſſimi acceſſiſſent Patres, Pontifex in paramentorum aula a duobus Diaconis Cardinalibus amictu, alba, cingulo, ſtola violacea, pluviali rubri coloris ullo phrygio opere exornato eum formalio ex unionibus indutus, ac mitra ex textili auro, quam auriphrygiatam appellant, redimitus, præeunte cum Cruce cappa eooperto Rotæ Auditore, pedes incedens in Conſiſtorium venit: veſtimentorum infimas oras, ne deambulanti faſtidii eſſent, duo Protonotarii e terra aliquantulum ad pedes elevabant, poſteriores autem fimbrias duo adſiſteotes cubicularii ſuſtinebant.

Ut Beatissimus Pater in ſua ſella eoſedit, excluſis cæteris, qui in Conſiſtorio aderant, de rebus Conſiſtorialibus eum Eminentiſſimis Patribus agere incipiens, primum omnium declaravit Epiſcopum Sebenici, urbs Dalmatiæ in ora maris Adriatici poſita, Nicolaum Diphnicum ejuſdem Eccleſiæ Archidiaconum: hinc dixit Epiſcopum Nicopolitanum in Bulgariæ Provincia Sebaſtianum Canepa Januenſem: tum ad Eccleſiam Oreellitanam Regni Valentiæ ex titulari Trincomienſi Cathedra tranſtulit Joſephum Tormo, qui Suffraganeus Archiepiſcopi Valentini erat: ac tandem Epiſcopum Aſturigæ Auguſtæ in Regno Legionis conſtituit Emmanuel Merinum Canonicum Magiſtralem Calaguritanæ Eccleſiæ. Cum loqui deſiiſſet Sanctissimus Pater, Eminentiſſimus Joannes Franciſcus Albani Epiſcopus Sabinenſis Poloniæ Regni Patronus propoſuit in Epiſcopum Uranopolitanum Galatiæ Provinciæ Chriſtophorum Szembek Diœceſis Poſnanienſis, ac Cantorem Cathedralis Gneſnenſis, qui Epiſcopi Culmenſis coadjutor erat conſtitutus. Poſt Cardinalem Albani Eminentiſſimus Carolus Rezzonicus Beatissimi Domini Nostri fratris filius, quia Cardinalis Orſini longe erat ab Urbe, nominavit Archiepiſcopum Ebrodunenſem Petrum Ludovicum de Leyſſin Belicæ Diœceſis, qui Vicarium Generalem egerat Epiſcopi Trecenſis: propoſuit in Epiſcopum Auguſtodunenſem Ivonem Alexandrum de Marbeuf Diœceſis Rhedonenſis, qui vicariam operam Archiepiſcopo Rhotomagenſi dederat: hinc in Epiſcopum Dolenſem Britanniæ Minoris Urbanum Renatum de Herce Cenomanenſis Diœceſis, qui vicariam perſonam Epiſcopi Nannetenſis ſuſtinebat; & Laurentium Andream de Grimaldi Vincienſis Diœceſis tunc Vicarium Generalem Archiepiſcopi Remenſis in Epiſcopum Cenomanenſem pariter propoſuit.

Negociis iſtis ad finem perductis, Clementiſſimus Dominus Noster Patriarchis, Archiepiſcopis, aliiſque omnibus, quibus in ſemipublicis Conſiſtoriis locus eſt aſſignatus, ingrediendi fecit poteſtatem, qui cum ſcamna ipſis conſtituta occupaſſent, illico Maximus Ecclesiæ Pater, ac Pastor Eminentiſſimorum Cardinalium, ac Reverendiſſimorum Epiſcoporum ſententiam de Beatis Joanne Cantio, et Josepho Calasanctio canonizandis majeſtate ſumma, ac venuſtate ſermonis in hæc verba exquiſivit.

Venerabiles Fratres: Deliberantibus nobis de tribuendo cultu Beatis Joanni Cantio, & Joſepho Calasanctio, verſatur ante oculos ſumma rei gravitas, & magni-

gnitudo, ad quam denique expediendam, diligens quantumvis & accurata, nulla unquam cenſeri debet ſupervacua conſideratio. Itaque ad circumſpectiſſimum judicium, ne quidquam a nobis deſuiſſe videatur, ab hoc ſacro Conſeſſu, qui veterum Conciliorum nobis exhibet ſpeciem, Prædeceſſorum noſtrorum more conſilium petimus. Et de BEATO quidem JOANNE CANTIO audiſtis jam in publico Conſiſtorio quæ illius fuerit totius vitæ innocentia, & morum integritas, quam demiſſa ſui æſtimatio, qui Catholicæ ſidei zelus, quam heroicæ, quæ inter virtutes primum obtinent locum, quam denique mirabilibus ſignis illius ſanctitatem Deus comprobaverit. Quæ omnia etiam ex compendio vitæ, quod ex probatiſſimis actis accurate compoſitum ſingulis veſtrum tradi juſſimus, intelligere potuiſtis. Hujus ſimile compendium, & ea etiam, quæ in eodem publico Conſiſtorio de BEATO JOSEPHO CALASANCTIO narrabantur, abunde vobis præbuere notitiam de ſummo ejus erga Deum amore, & in proximum caritate, quam Regulari etiam inſtituto cœtu, Eccleſiæ ſatis utili, atque frugifero, declaravit, de invicta patientia in calamitatibus, & innumeris angoribus ſuſtinendis, quos nonniſi ſpe nixus futurorum prœmiorum tollerare potuiſſet, de inſignibus denique virtutibus, quas illi divina indidit gratia, & de miraculorum gloria, qua in Eccleſia ſua Deus eſſe voluit illuſtrem. Quamobrem unumquemque veſtrum de Sanctorum cultu, & honoribus utrique BEATO decernendis, ſuam cujuſque rogamus ſententiam.

Cum finem dicendi PONTIFEX feciſſet, Eminentiſſimi Cardinales juxta proprii ordinis dignitatem, una cum Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopiſque omnibus, qui in ampliſſimo aſſidebant conſeſſu de BEATO JOANNE CANTIO ſententiam in hunc modum tulere.

FEDERICUS MARCELLUS Epiſcopus Portuenſis, & S. Rufinæ Cardinalis Lantes.

BEATISSIME PATER. JOANNES CANTIUS Presbyter ſecularis e cathedra juventutem, e ſuggeſtu populum ſemper edocuit, inſtituitque in ſcientia Sanctorum, præbens ſe exemplum in ſinceritate, ac ſimplicitate verbis, factiſque manifeſtata, in humilitate, qua nunquam in honoribus ſuperbiit, in libertate Apoſtolica, qua in prævaricatores legis animadvertit, & in aliis virtutibus, quas Deus Optimus Maximus miraculis teſtatas eſſet voluit. Dignus propterea eſt, ut diademate honoris, qui Sanctis tribuitur, a Romana Sede matre ſua coronetur.

JOANNES FRANCISCUS Epiſcopus Sabinenſis Cardinalis Albani.

QUI Apoſtolicæ Sedis auctoritate, actorum in judicio de cultu publico aſſerendo B. JOANNI CANTIO Relator ſui, miratus ſum in eo ſæpius puræ ſplendorem vitæ, ſcientiam, humilitatem, pœnitentiam, omnia tandem charismata perfectionis, quibus Chriſto bonus odor effectus eſt, popu-

populis ſectator bonorum operum. Dignum igitur maxime puto, quem Sanctorum gloria circumdatum, Pater Beatissime, fidelibus exemplum ad ſancte vivendum, Doctoribus ducem ad ſentiendum recte, Clero ad eccleſiaſticas virtutes fortiter ingrediendas incitamentum proponas. Hæc mea ſunt vota, Sanctissime Pater, hæc Auguſtæ Polonorum Reipublicæ, quæ ſicuti B. Joannem Cantium veneratur ſuæ Thaumaturgum nationis, ita in omnibus, ſi quæ ſæviant, religionis procellis adjutorem providum experietur.

HENRICUS Epiſcopus Tuſculanus Cardinalis Dux Eboracenſis S. R. E. Vicecancellarius.

Si juxta divinum illud oraculum ii, qui ad juſtitiam erudiunt multos, fulgebunt quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates; quanta perfrui in Cœlo gloria B. Joannem Cantium arbitrabimur, qui operam omnem ſuam in plurimis ad juſtitiam erudiendis collocavit? Teſtes ſint Cracovienſes cives, & academici, qui illum, quoad vixit, non modo ſancta operantem, verum etiam vel ex cathedra docentem, vel e ſuggeſtu concionantem ſemper audierunt. Quanto autem eum animarum emolumento ille id præſtiterit, quis ſatis perſequi dicendo poſſit? Unum hic referre ſufficiat, quod, licet ætate illa longe, lateque hæreſes graſſarentur, ac vitia, in urbe tamen, in qua Cantius moram traxit, & in ea Academia, in qua alios erudiebat, chriſtiana pietas, & pura ab omni erroris ſuſpicione doctrina potiſſimum floruere. Merito itaque aurea redimitus corona, jamdudum quaſi ſtella fulget in Cœlo, lucemque ſuam per patrata divinitus ſigna terris portendens, a te exigit, Beatissime Pater, ut illum ſollemni ritu Sanctorum faſtis adſcribas, eumdemque fidelibus imitandum, & invocandum proponas.

FABRITIUS Epiſcopus Albanenſis Cardinalis Serbellonus.

Æquiſſimum eſt, Beatissime Pater, ut juxta laudabilem Eccleſiæ ritum iis Sanctitas Vestra decernere dignetur Sanctorum honorem, qui omni virtutum heroicarum genere claruerunt in terra. Eximium hunc chriſtianæ ſapientiæ gradum adeptum fuiſſe Beatum Joannem Cantium probatiſſimum eſt ex actis Sacræ Congregationis Rituum, cumque Deus Optimus Maximus ſanctitatem Servi ſui miraculorum quoque teſtimonio probatam voluerit, merito illum per Sanctitatem Vestram Sanctorum cœtui adſcribendum exiſtimo.

JOANNES FRANCISCUS Epiſcopus Præneſtinus Cardinalis Stoppanius.

Eximiæ Joannis Cantii virtutes ſatis Sanctitati Vestræ ſunt perſpectæ, quodque præ cæteris eo enituerit doctrina, ut Sanctorum ſcientiam aſſequutus, eamdem mira cum humilitate, & caritate conjunxerit; neque Cantii virtutibus, quæ reſpondeant ſigna deſunt, quibus Servi ſui Deus teſtatam, comprobatamque perhibuit ſanctitatem. Nihil proinde reliquum eſt ad decernendos Cantio in Eccleſia Dei ſupremos honores ad totius Sarmaticæ gentis, & ad Cleri ſecularis decorem, & incitamentum. Idque in hac tam difficili, ac ærumnoſa temporum viciſſitudine divino cenſeri debet reſervatum conſilio, ut, & afflictis Poloniæ rebus ſuo adſit præſidio, ubi jam pridem in Patronum adſcitus eſt Cantius, & in univerſitatibus, & qua late patent Academiis, depulſis veteratorum ſententiis, quæ nimium mentes, moreſque fidelium infecerunt, ſanior, puriorque ſuo exemplo, & patrocinio reviviſcat doctrina.

Jo-

JOSEPH MARIA Tituli S. Cæciliæ Presbyter Cardinalis Feroni.

INnocentiſſimum vitæ genus, BEATISSIME PATER, quod a prima pueritia JOANNES CANTIUS ſuſcepit, idem omnino uſque ad extremum tenuit; atque adeo in Cracovienſi academia aut ſcholaſticus, aut Doctor in illud maxime incubuit, ut tum exemplo, tum verbo pietatem, ac religionem in omnium animos propagaret. Clariſſimis virtutibus, humilitate præſertim, & caritate ita emicuit, ut merito univerſorum judicio Sacerdos optimus haberetur. Quæ omnia cum Apoſtolicæ Sedis judicio veriſſima probata ſint, illud & Poloniæ totius deſiderio, & Eccleſiæ Catholicæ votis concedendum eſſe plane cenſeo, ut a SANCTITATE VESTRA BEATUS JOANNES CANTIUS Sanctorum faſtis adnumeretur.

CAROLUS Tituli S. Clementis Presbyter Cardinalis Rezzonicus S. R. E. Camerarius.

SErpentibus circumquaque Acatholicorum erroribus fidem ſervavit integram, illibatamque B. JOANNES CANTIUS, & in adoleſcentium, quos in Cracovienſi academia inſtituebat, animos inſtillavit. Operibus fidei plenis fidem animavit, ejuſque operæ præcipue illud Romana debet Eccleſia, quod Cracovienſem academiam hæreſeos labes non deturpaverit, ideoque a SANCTITATE VESTRA ſummis celebrandum eſſe honoribus decerni æquiſſimum puto.

FERDINANDUS MARIA Tituli S. Sylveſtri in Capite Presbyter Cardinalis de Rubeis.

JOANNES CANTIUS ea præditus chriſtiana doctrina, ac ſapientia fuit, ut ad evangelicam vivendi normam ſtudium omne conferret.

Ad tam altum virtutum omnium proceſſit faſtigium, ut quanto ſe magis, ſui contemptu, demitteret, tanto latius in omnium oculos clariori luce incurreret.

Multiplicia, tantæ ſanctitatis argumento, acceſſerunt miracula; unde arbitror, SANCTISSIME PATER, ut ſupremus honor, quo in Sanctorum numerum referatur, non amplius illi differendus ſit.

JOSEPH MARIA Tituli S. Alexii Presbyter Cardinalis Caſtelli.

CUM virtutes tum theologales, tum cardinales, quibus BEATI JOANNIS CANTII electa anima informabatur, tantum excellentiæ gradum attigerint, ut fidelium mentes traxerint in illius admirationem, & Deus Optimus Maximus, ad nobis teſtificandam ejus uſque ad vitæ mortalis exitum perſeverantiam in bono, ea præter naturæ leges ediderit ſigna, quæ nonniſi a dextera ſua omnipotenti patrari poſſunt, BEATUM hunc VIRUM dignum exiſtimo, qui ad Dei gloriam amplificandam, cui omnia quæ perpetrantur in terra, & perfruuntur in Cœlo, unice ſunt referenda, in Sanctorum numerum referatur.

CAJETANUS Tituli S. Auguſtini Presbyter Cardinalis Elephantutius.

BEATISSIME PATER. Quotquot in B. JOANNE CANTIO fulgent virtutes, invicem quaſi æmulari videntur. Mira proinde inter mundi illecebras innocentia; inter ſtudia, & litteratorum hominum conventus, ac laudes morum ſimplicitas, religio, atque intima cordis humilitas; inter aſſiduas academiæ exercitationes, ac labores vitæ aſperitas, manſuetudo, & in verbi prædicatione alacritas, & perſeverantia; utque hac una cæteras omnes complectar, mira, atque invicta ſive in Deum, ſive in proximum caritas, qua dum totus divinarum rerum contemplationi vacabat, totus etiam erat, vel in erudiendis, & ſublevandis hominibus, vel in procuranda animarum ſalute. Quemadmodum itaque amavit eum Deus, multiſque ſignis ejus adhuc viventis illuſtravit virtutes; ita encomio magis, quam ſuffragio dignum cenſeo, ut ad exemplum illius coronæ

ronæ juſtitiæ, quam ei legitime certanti jam reddidit juſtus Judex, tandem ſupremo SANCTITATIS VESTRÆ judicio ea decernatur corona gloriæ, qua in militanti Eccleſia Servi Dei condecorantur.

PETRUS HIERONYMUS Tituli Sanctiſſimæ Trinitatis in monte Pincio Presbyter Cardinalis Guglielmi.

SIcut nemo eſt, BEATISSIME PATER, qui lucernam accendat, & ponat ſub modio, ſed ſuper candelabrum ponit, ut luceat omnibus, qui in domo ſunt [1]: ita nemo eſt, qui gloriam ſuam quærat coram hominibus, & exaltetur a Deo; ſed omnis qui ſe humiliat exaltabitur [2]. Horum autem utrumque adimpletum agnoſcimus in BEATO JOANNE CANTIO, qui & in medio Doctorum, & in medio Eccleſiæ aperuit os ſuum [3]; os utique repletum ſapientia, & intellectu; os, quod non mentiebatur veritatem, ſed erudiebat omnes, ac de tenebris trahebat ad lucem. Verumtamen eum in ſermone oris illius ſtuperent univerſi [4], & magnificarent eum in laude [5], abſcondit ſe ſuamque ſcientiam [6] peregre proficiſcens in regiones longinquas nunc Romam, nunc Jeruſalem: ut proinde BEATUM JOANNEM tum in die, cum in nocte placuiſſe Deo non dubitemus, & patrata per eum ſigna mirabiliter oſtendant. Fac ergo, BEATISSIME PATER, iterum de tenebris lumen ſplendeſcere, [7] & Sanctorum ſplendoribus circumda BEATUM JOANNEM; & exaltabunt omnes nomen ejus in idipſum [8].

NICOLAUS Tituli SS. Nerei, & Achillei Presbyter Cardinalis Antonellus.

QUÆ deſurſum eſt ſapientia, inquit Jacobus Apoſtolus, pudica eſt, pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordia, & fructibus bonis. Talis fuit, quam Servus Dei JOANNES CANTIUS divina gratia adeptus in Cracovienſis academiæ ſcholis, in privatis colloquiis, in publicis ſermonibus, non ſolum verbis, ſed innocentia vitæ, morumque ſanctitate, auditoribus ſuis ediſcendam exhibuit. Nam patiens, humilis, modeſtus, pacis amator, & omnis contentionis, & diſſidii inimicus, amore Dei flagrans, orationi, jejuniis, aliiſque bonis operibus intentus, & corpus ab omni impuritatis labe, & mentem ab omni erroris contagio illibatam, intemeratamque ſervavit. Sapientiſſime igitur a SANCTITATA VESTRA ei decernentur honores, quibus Catholica Eccleſia Sanctos Dei Servos in terris honorare ſolet, ut quibus grave, ac difficile erudiendæ juventutis munus demandatur, præclarum exemplar tamquam in eminenti, & ſplendido loco collocatum habeant, quod ſibi ſequendum, imitandumque proponant. Siquidem ejus præſidio adjuti, & exemplo excitati, in puritate doctrinæ, & ſanctitate vitæ cuſtodienda ſolliciti ſedulo curabunt adoleſcentium mentes ſanis Catholicæ Eccleſiæ doctrinis imbuere, eorumque animos evangelicis monitis, diviniſque præceptis, & bonorum operum documentis ad pietatem, & cœleſtem ſapientiam informare.

Frater LAURENTIUS Baſilicæ Sanctorum XII. Apoſtolorum Presbyter Cardinalis Ganganelli.

CUM Servus, & amicus Altiſſimi JOANNES CANTIUS onuſtus meritis, & virtutum omnium ſupellectili ditatus *migraſſet a ſeculo, cœpit continuo magnis, ac multis coruſcare miraculis, ut ſublimitas ſanctitatis ejus, quæ ipſa vivente in carne ad morum directionem per exempla perfectæ juſtitiæ innotuerat mundo, illo jam regnante cum Chriſto ad omnem fidei firmitatem per miracula divinæ potentiæ comprobaretur e Cœlo* [9]. Quinque ſibi caros habuit, dum viveret in terris (quos inter Simon de Lipnica Seraphici mei Inſtituti Profeſſor)

1 *Luca* 8. 16.
2 *Luca* 14. 11.
3 *Eccl.* 11. 8.
4 *Ex Luca* 4. 32.
5 *Pſal.* 68. 31.
6 *Prov.* 10. 14.
7 *II. Corinth.* 4. 6.
8 *Pſal.* 33. 4.
9 *S. Bonaventura in Legenda Majori Cap. XV.*

quibuſcum æterna beatitate congaudet in Cœlis. Quinque alios modo reperit ſodales, quibuſcum Sanctorum faſtis quotquot hic adſumus, cum Polonica præſertim gente, ſollemni pompa adſcribendum fore a SANCTITATE VESTRA præſtolamur.

MARCUS ANTONIUS Tituli S. Mariæ de Pace Presbyter Cardinalis Columna.

BEATISSIME PATER. Caritas, vita animæ, virtutumque omnium chriſtianarum & parens, & nutria; caritas, inquam, vera illa, atque germana, quæ ſecundum Apoſtolum non inflatur, commendare præcipue videtur egregiam ſanctitatem B. JOANNIS CANTII, qui ſumma in thelogicis diſciplinis peritia, vitæque ſanctimonia fructus vere magnos utrinque colligens ab admiratoribus paſſim ſuis, ita humilitatem tenuit, ut ſolertius nihil caverit, quam laudes, nedum teſtimonia quæcumque, ſed & occaſiones ipſas, atque pericula devitare. Nec facile dictu eſt, quam enixe coluerit virtutes humilitatis comites, atque cuſtodes, paupertatem, ſimplicitatem, neglectum ſui, manſuetudinem, abſtinentiam, patientiam. Qui ergo ſibi tam bene, chriſtianeque viluit, dignus profecto erit, ut inter Cælites adſcriptus, publice aliquando in Eccleſia clareſcat.

SIMON Tituli S. Joannis ad Portam Latinam Presbyter Cardinalis Buonaccorſi.

BEATISSIME PATER. In hac procella temporum, qua nunc potiſſimum in Polonia hæreticorum factionibus jactatur Petri navicula, recreandis bonorum animis, excitandiſque ad bonum certamen certandum illius Eccleſiæ Paſtoribus, divinitus arbitror adveniſſe, ut BEATI JOANNIS CANTII virtutes, & miracula veritatis numeros aſſequerentur, quibus ei merito SANCTITAS VESTRA Sanctorum cultum, honoreſque decerneret. His enim rite attributis, cum univerſæ Eccleſiæ, tum ei præcipue, quam olim vivens eacoluit, novum ſe quodammodo oſtendet e Cælo ſydus, quod intuentes, qui verbo, & exemplo fidelibus præire debent, nec ſpes deficiet, nec labor ſranget, nec ullius metus periculi debilitabit. Hujus ergo BEATI VIRI Canonizationem exiſtimo Sereniſſimi Poloniæ Regis, omniumque Ordinum Regni precibus deberi diutius non oportere.

JOANNES CAROLUS Tituli SS. Joannis, & Pauli Presbyter Cardinalis Boſchi Major Pœnitentiarius

BEATISSIME PATER. B. JOANNES CANTIUS, Sacerdotii, Academiarum, & Poloniæ nationis præcipuum decus, ita egregie divinarum legum placitis, divinique legum latoris veſtigiis inhærere ſtuduit, ut ab eo non ſolum miſeri opem impetrarint, diſcipuli doctrinam cum pietate hauſerint; ſed & ipſum Barbari de vera religione diſſerentem, & latrones, quod ei reliquum erat, ſibi comiter exhibentem, converſi pœnitenteſque ſuſpexerint. Idem cum litteris ſimplicitatem, cum honoribus aſperioris vitæ conſuetudinem, pia denique peregrinatione Sarmatiam cum Latio, & Palæſtina conjunxit, ac nunquam interitura hoſpitalitatis ſuæ exempla apud poſteros propagavit. VIRUM igitur, BEATISSIME PATER, quem imitatione noſtra digniſſimum heroicæ virtutes, publica vero veneratione colendum probata miracula teſtantur, Sanctorum faſtis adſcribendum cenſeo, ut Chriſtiano populo præſidium, & lumen in dies augeri videamus.

LUDOVICUS Tituli S. Anaſtaſiæ Presbyter Cardinalis Calinus.

BEATUS JOANNES CANTIUS tanta præſtantiſſimarum virtutum laude floruit, ut perpetuam heroicæ ſanctitatis ſamam jam a tercentis prope annis ſibi comparaverit. Summam enim doctrinam cum ſingulari morum innocentia conjungens ſtudioſorum juvenum non modo ingenia diſciplinis, ſed animos etiam chriſtianis virtutibus excolebat. Ad hæc difficillimis obitis peregrinatio-

tionibus Romam quater,& ſemel Palæſtinenſi præclara ubique religionis, humilitatis, & patientiæ edidit argumenta, nihilque habuit optatius, quam pro nomine Jeſu ludibria & contumelias pateretur. Perfectiſſimo autem in Deum amore æſtuans nihil cogitare, nihil loqui poſſe, niſi de Deo, deque rebus divinis videbatur. Ejus præterea incredibilem erga proximos caritatem Deus ipſe non ſemel miraculis comprobavit. Quæ cum ita ſint, Beatum Cantium digniſſimum cenſeo, qui a Sanctitate Vestra inter Cælites referatur.

ANTONIUS Tituli S. Mariæ in Via Presbyter Cardinalis Columna Branciforti.

Innocentiſſimæ vitæ eximia integritas, quam in Cracovienſi academia ſcholaſticus primum, Doctor deinde Beatus Joannes Cantius ſervavit; ſingulariſſimæ humilitatis amor, quo ſuccenſus, ut a civibus ſuis ad ſe delata venerationis, & reverentiæ officia declinaret, ſemel ad ſancta Palæſtinæ loca, quater Romam pedes profectus eſt; perpetuum in pauperes, egenoſque caritatis ſuaviſſimæ ſtudium, quod nobiliſſimæ illius academiæ Doctores imitati ſunt, & adhuc tuentur; cæteræque Joannis virtutes, quibus vineam Domini, vel in inſtruendis adoleſcentibus, vel revocandis peccatoribus a via perditionis ad ſemitam juſtitiæ emicuit, illud plane effecerunt, ut dum viveret, homo ſanctiſſimus & haberetur, & eſſet. Quæ omnia cum ab Apoſtolica Sede ad examen revocata ſint, non ſolum, ut juxta hujuſce Sanctæ Sedis ritum in album Sanctorum referatur, ſuadent, ſed publicos eidem honores a Sanctitate Vestra decernendos exigere omnino, & tuto videntur.

PETRUS Tituli S. Mariæ Transtiberim Presbyter Cardinalis Pamphilius.

Haud equidem vereor, Beatissime Pater, quin præclaræ, ſummæque virtutes B. Joannis Cantii, ſicut plenam a Deo mercedem in Cælis jamdiu ſunt aſſecutæ, ita promeritos in terris, ac toties miraculorum voce expetitos ſanctitatis honores ſint habituræ. Qui enim fecit, & docuit, quid eſt reliquum, niſi ut magnus, & excelſus in Eccleſia Dei prædicetur, & ſit [1]. Adſuit ſane, ſeque viſibilem exhibuit quondam Deipara cum Puero Jeſu ſertum candidum præbens Joanni in ſignum eximiæ, dum viveret, puritatis [2]. Adſit & inſignis illius juſtitiæ, ad quam labia Joannis erudiebant plurimos [3] glorioſa retributio. Etſi Apoſtolo monente, juſtum eſt, quos eruditores habuimus revereri [4], quid a Sanctitate Vestra dignius præſtolabor, quam ut ipſa decernente exultet nunc, & lætetur Eccleſia [5] in Joanne, & omnis populus, & lingua confiteatur nomini ſancto ejus [6].

PHILIPPUS MARIA Tituli S. Chryſogoni Presbyter Cardinalis Pirellius.

Beatissime Pater. Beatum Joannem Cantium inter Sanctos referri opportuniſſimum hoc tempore judico. Qui in medio circumſtantium populorum errore, integram, dum viveret, ſinceramque religionis doctrinam conſtantiſſime profeſſus eſt, & voce illam, & ſcriptis apud ſuos illuſtravit, vindicavitque, ſimul & innocentiſſimis moribus confirmavit; is publico modo Eccleſiæ obſecratione imploratus impendentium ſuæ genti pro religione periculorum, & calamitatum apud Deum immortalem acceptiſſimus deprecator exiſtet.

Dd 2 ALE-

1 *Ex ſent. Math. 5. v. 19.*
2 *Ex vita B. Joan.*
3 *Ex ſent. Dan. 12. 3., & Prov. 10. 21.*
4 *Ad Hebr. 12. 9.*
5 *Ex ſent. Joelis 2. 23.*
6 *Ex plur.*

ALEXANDER S. Mariæ in Via lata Diaconus Cardinalis Albanus.

BEATISSIME PATER. Si majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis, dubitandum non eſt, BEATISSIME PATER, JOANNEM CANTIUM divinæ dilectionis igne exæſtuaſſe. Id equidem, ut reliqua præteream, demonſtrat vehemens illud martyrii deſiderium, cui non ſemel ſeſe objecit, præſertim vero, quum Hieroſolymis degens Turcarum impietatem, ac falſæ religionis ſuperſtitionem palam coarguere, atque exprobrare non trepidavit. His ego æque motus, ac miraculis, quibus in diem magis ille clareſcit, cenſeo eum in Sanctorum numerum eſſe cooptandum.

NERIUS S. Euſtachii Diaconus Cardinalis Corſinius.

BEATISSIME PATER. Cum ex legitimis probationibus conſtet BEATUM JOANNEM CANTIUM innocentiſſimam vitam, ac bonis operibus plenam duxiſſe, ejuſque memoriam in benedictione ſemper fuiſſe, & inſignibus etiam claruiſſe miraculis, Sanctorum albo adſcribendum eſſe illum cenſeo, ut meritis cumuletur honoribus, & ſit chriſtianiſſimo Poloniæ Regno in difficillimis, quibus urgetur, rebus, fauſtum veluti ſignum ad bene ſperandum, eum ſibi viderit oblatum in ſanctiſſimo Cive ſuo opportunum ac præſentiſſimum apud Deum præſidium.

FLAVIUS S. Mariæ in Portico Diaconus Cardinalis Chiſius.

BEATISSIME PATER. Quæ de veteris legis Sacerdotibus (præſcripſit Deus) [1] *Omnis qui habuerit maculam de ſemine Aaron Sacerdotis, non accedet offerre hoſtias Domino, nec panes Deo ſuo .... nec accedet ad altare, quia maculam habet, & contaminare non debet Sanctuarium meum*: eadem potiori jure ſibi dicta eſſe intelligens BEATUS JOANNES CANTIUS, nihil antiquius habuit, quam, ut in lege Dei, die, ac nocte meditaretur; quod legebat, crederet: quod credebat, doceret; quod docebat, imitaretur; miſericordiam fortitudinem, cæteraſque in ſe virtutes oſtenderet; exemplo præberet, admonitione confirmaret, ac purum, & immaculatum miniſterii ſui donum cuſtodiret. Qua vitæ ſuæ ratione tantam apud Deum invenit gratiam, ut Spiritus Sancti donis mirandum in modum inſignitus, miraculorum præſertim gloria maxime præfulſerit. Digniſſimum itaque exiſtimo, BEATISSIME PATER, ut VIRUM tantum de Eccleſiaſtico ordine optime meritum, iis velis decorare honoribus, qui Sanctis Dei merito adhibentur.

ALOYSIUS S. Agathæ Gothorum Diaconus Cardinalis Torrigiani.

CUM B. JOANNEM CANTIUM intueor, BEATISSIME PATER, ſecularem Sacerdotem demiror, de quo cum Eccleſiaſtico proferre licet: *adeptus eſt gloriam in converſatione gentis* [2]. Etenim omnem vitam exegit in academia Cracovienſi, ubi in frequentiſſima cum diſcentium, tum doctorum virorum converſatione omnium virtutum gloriam eſt aſſecutus. Doctor, & Concionator eximius ex cathedra juventutem, ex ſuggeſtu populum jugiter docuit in ſcientia Sanctorum, Fidemque orthodoxam adverſus errores ſua ætate graſſantes ſtrenue vindicavit. Singulari doctrinæ conjunxit manſuetudinem, ſuique contemptum vere ſingularem. Semel in Palæſtinam, quater vero ad limina Apoſtolorum pedes peregrinatus eſt. Caritate in Deum, & pauperes, vitæ caſtimonia, carnis maceratione, jejuniis, cæteriſque virtutibus maxime excelluit. Miraculis demum in vita, & poſt mortem clarus, cultum immemorabilem promeruit, quo rite probato, noviſque additis miraculis, dignum equidem arbitror, ut

1 *Levit.* 21. 21.

2 *Eccl.* 50.

ut Beatus Vir, qui Clero præſertim ſeculari exemplo eſſe poteſt, univerſæ Eccleſiæ per ſollemnem Canonizationem colendus proponatur.

JOANNES CONSTANTIUS S. Cæſarei Diaconus Cardinalis Caracciolo de Santo Bono.

Quamplurima, Beatissime Pater, in integro vitæ curſu Beati Joannis Cantii chriſtianæ perfectionis extant documenta; nam in patientia benignus, in fide fortis, in abſtinentia ſingularis, in caritate fervidus, in contemplatione ſublimis, denique in ſui deſpectu, ac veritatis dilectione vere mirabilis, caſtitatem mentis, & corporis immaculatam ſervavit. Hiſce ſanctitatis fructibus aſſequutus eſt a DeoOptimo Maximo pretioſam Sanctorum mortem. Quibus omnibus accedit & teſtimonium miraculorum rite perpenſum,ac Sanctitatis Vestræ ſuffragio fulcitum. Merito igitur ad majus Eccleſiæ militantis decus; ac præſidium, Sanctorum catalogo eſſe adſcribendum cenſeo, hiſce præſertim calamitoſis Poloniæ temporibus, quo ſit concivibus ſuis exemplar, & Patronus.

NICOLAUS S. Georgii ad Velum aureum Diaconus Cardinalis Perrelli.

Joannem Cantium tot tantæque virtutes commendant, ut cum ſanctiſſimis quibuſque viris ſit comparandus. Presbyter ſecularis eum eſſet, ad normam religioſæ perfectionis vitam omnem exegit. Magnus opum terreoarum ſuique contemptor, nihil niſi cœleſtia cogitabat. Ad hæc quantum doctrina induſtriaque valebat (valebat autem in Cracovienſi univerſitate plurimum) id omne ad rectam juventutis inſtitutionem, ad levamen pauperum, ad animarum ſalutem conferebat. His virtutibus cum acceſſerint miracula numero plura, magnitudine inſignia, quibus Deus O. M. ſanctitatem famuli ſui teſtatam voluit, nihil eſt quamobrem Sanctorum honores tribuendi non videantur ei viro, qui præterea pro ſuo ſingulari in Apoſtolicam Sedem ſtudio, quater in hanc ſanctam Urbem ad veneranda limina Apoſtolorum peregrini in morem advenit.

ANDREAS S. Angeli in Foro piſcium Diaconus Cardinalis Corſinius.

Chriſtiana continentia, qua vixit Beatus Joannes Cantius, & prodigia, quæ, eo intercedente, patravit Omnipotens, qui laudari vult in Sanctis ſuis, & in firmamento virtutis ſuæ, [1] poſtulant, quod in Sanctorum albo Chriſtifidelium venerationi proponatur, ut inter hujus ſeculi calamitates, novus Polonæ genti, unde exiit, novus Clero ſeculari, cui nomen dedit, pateat adjutor.

ANDREAS SS. Viti, & Modeſti Diaconus Cardinalis Nigronus.

Æquum eſt, Beatissime Pater, Joannem Cantium, quem conformem filii Dei imagini ſuſpicimus, atque veneramur, Cælitum faſtis adnumerari. Doctrina clarus, morumque candore, ac vitæ innocentia a teneris annis excellens, maximo apud omnes in honore habebatur, quamobrem vehementer dolens, cupienſque in deſpectu eſſe, omnia deſugiens æſtimationis officia, egeni abjectique hominis ſpecie pedibus ſemper longe peregrinatus eſt, ſemel ad ſancta Palæſtinæ loca, pluries ad Apoſtolorum limina profectus. In patriam reverſus ad omne perfectioris vitæ ſtudium ſe convertit, ſuoſque ſacris litteris e cathedra excoluit, monitis e ſuggeſtu inſtruxit, virtutibus fovit, odore ſanctitatis implevit, ac demum pretioſa morte decoravit. Quæ omnia patratis ſignis, ac miraculis, teſtimonio Dei comprobata ſunt.

ÆNEAS

1 *Pſal. 150.*

ÆNEAS SYLVIUS S. Adriani Diaconus Cardinalis Piccolomineus.

DIvino certe conſilio factum exiſtimo, Beatissime Pater, ut Cracovienſis Presbyteri Joannis Cantii excellens, ac prope divina virtus noſtra hæc in tempora celebranda, ac tuo præſertim judicio ſollemni ritu honeſtanda, ac veluti conſecranda reſervaretur, ut ſcilicet ea potiſſime tempeſtate, qua partium ſtudiis in florentiſſimo Regno, magno in periculo religionis cauſſa verſatur, inclyta gens Polonorum novum in Cœlis per te deprecatorem haberet, qui lucem ſui patrocinii Reipublicæ periclitanti porrigeret, qui generoſis in animis ad religionis avitam gloriam tuendam, avitam exemplo proprio virtutem exſuſcitaret.

Eluxit in sancto viro præ cæteris illa virtus, quæ chriſtianorum omnium virtutum altrix & germen, a qua lex tota dependet; atque ita eluxit, ut pluries ad pauperes fame enectos, & frigore reficiendos ſibi alimenta de menſa, ſibi veſtes de via, ſibi calceamenta detraxerit, ut eum egentibus non paternas tantum ſubſtantias, ſed propria etiam ſtipendia communicaverit.

Tantus in illo fuit auri, atque argenti contemptus, atque ea ſimplicitas cordis, heroicis Chriſtianorum digna temporibus, ut latronibus, a quibus in itinere ſpoliatus pecunia fuerat, interrogantibus ſi reliquum quid haberet, cum ſe negaſſet habere, ſtatim ac recordatus aliquid ad viaticum ſupereſſe ſibi pecuniæ pannis aſſutæ, eis, qui diſceſſerant, humaniſſime revocatis, liberaliſſima excuſatione pecuniam volens obtulerit, quam celarat invitus.

Tam flagrans in illo pietas, ac religio, ut diſciplinas, & ſcientias omnes, in quibus maxime floruit a religione inchoaret, ad religionem referret, & maxima in doctrinarum colluvie catholicæ veritatis aſſertor ſemper invictus operam dederit juventuti verbo, & exemplo non minus ad religionem, atque virtutem, quam ad ſapientiam inſtituendæ, & licet innocens vitæ, ſceleriſque puriſſimus tanto in tremore, ac timore de ſua ſalute ſollicitus ſemper fuerit, ut nunquam ab oratione vacaverit, & quamvis abſtinentiſſimus cibi, atque ſomni per longas peregrinationes, per verbera, per labores corpus atterere, atque excruciare nunquam deſtiterit.

Quæ cum ita ſint, Beatissime Pater, id reſtat unum, ut rite peracta Cauſſa, B. Joanni Cantio, qui pluries ad urbem Romam, ad limina Apoſtolorum pietatis cauſſa ignotus, & peregrinus, & ſordidatus acceſſit magnis difficilibuſque itineribus contemptus hominum quærens, Sanctorum tandem honores, meritamque etiam in terris, atque ipſa in Urbe gloriæ mercedem ſollemni ritu decernas.

SAVERIUS S. Mariæ de Scala Diaconus Cardinalis Canale.

IN Jeruſalem, quæ ſurſum eſt, ubi que Deus, qui fecit homines divites in virtute, eoſdem Beatos facit in gloria, *quos namque præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imagini Filii ſui, hos vocavit, hos juſtificavit, hos & glorificavit* [1]. Aſt in Jeruſalem, quæ deorſum eſt, pro ea, qua fungeris Vicaria Jeſu Chriſti poteſtate, tibi commiſſum eſt, Beatissime Pater, juſtorum, qui regnant in Cœlis, capiti imponere coronam auream expreſſam ſigno ſanctitatis, gloria honoris, & opere fortitudinis. Itaque cum ex rite, & rigidiſſime de more huc uſque perpenſis actis, & geſtis Beati Joannis Cantii, ſat ſuperque conſtet, non ſolum ſervatam caſtiſſime ab eo legem Excelſi, ſed jugi, & nunquam per totum vitæ ſuæ curſum intermiſſa fidei, ſpei, & caritatis, ac reliquarum in gradu heroico exercitatione virtutum, ad culmen contendiſſe perpetuo evangelicæ perfectionis, atque conſummatum demum in ea, mortem obiiſſe juſtorum: decet utique, & quodammodo oportet, ut diadema ſpeciei de manibus Sanctitatis Vestræ ipſe recipiat, & exaltetur in Eccleſia plebis: præfer-

1 *Roman. cap. 8. v. 29. & ſeq.*

ſertim eum recentiora tria fulgentiſſima, ad ejus invocationem, atque procul dubio in ejus ſanctitatis teſtificationem a Deo patrata miracula hoc ipſum, quaſi voce emiſſa de Cœlo, poſtulare videantur. Id autem a Sanctitate Vestra per hæc potiſſimum tempora fieri, ſummopere exiſtimo expedire: nimirum ut mœrentiſſima nunc Polonia ad concivem, & popularem ſuum, ſi in Sanctorum catalogum merito referatur, alacrius, & confidentius ſupplex convertatur tota, eumdemque nanciſcatur, & ſentiat rerum ſuarum, ſuæ libertatis, ſuæque in primis avitæ Catholicæ Romanæ Religionis Patronum apud Deum, aſſertorem, & vindicem fortiſſimum.

BENEDICTUS SS. Coſmæ, & Damiani Diaconus Cardinalis Veterani.

SI recta docentem, & quæ docuit impigre operantem, magnum vocari in cœleſti Jeruſalem veritatis prædicat oraculum, quia lucere parum, ardere parum; lucere, & ardere perfectum: æquum eſt, Beatissime Pater, ut in militanti quoque Jeruſalem a te ſuperni conſilii interprete publicus, ac ſollemnis deferatur honor B. Joanni Cantio, cui auſpicatiſſime contigit habere ſcientiam Sanctorum, & illam labore ſuo complere. In aperta verſantur luce, quæ docuit ſtrenuus fidei vindex, & aſſertor, quæque geſſit ad Dei gloriam, ad ſui, & proximorum ſalutem, chariſmatum meliorum æmulator. Humana non minus, quam divina id ſuadent teſtimonia, ad rigidi judicii ſeveritatem rite expenſa. Itaque nihil eſt apud me, quod hæc feſtiva gaudia remoretur, nulla obverſatur formido, quando, ut inquit Bernardus, totum veritas occupavit.

DOMINICUS Jordanus Patriarcha Antiochenus Aſſiſtens.

DIgnum, juſtumque cenſeo, Beatissime Pater, pro ſuprema, qua polles, poteſtate, ac ardenti, quo flagras, zelo in Dei gloria amplificanda, piorumque virorum meritis honorandis, ut ſecularem Sacerdotem Beatum Joannem Cantium Sanctorum numero adſcribas. Non modo enim Chriſtiani Reges, ac Principes, præcipue vero Poloni Regni, ac magni Ducatus, Lituaniæ hodiernus Moderator, Proceres, cæterique univerſi Ordines, præſertim Eccleſiaſtici id a tua pietate, & clementia enixis votis exorant; verum etiam heroicæ virtutes, quæ adhuc poſt longum trium ſeculorum ſpatium in illarum gentium memoria vigentes exiſtunt, ac tot miracula ejus interceſſione, ac meritis ab omnipotenti Deo patrata, diligentique examine probata, jam illum cœleſti gloria gaudere nos dubitare minime ſinunt. Quinimmo hujuſmodi Sanctum Virum tantis fulgentem virtutibus in altaribus venerandum proponere pro fidelibus, & præcipue Eccleſiaſticis excitandis ad illius exempla ſectanda, ac collapſos mores reformandos quammaxime profuturum exiſtimo.

GEORGIUS de Laſcaris Patriarcha Jeroſolymitanus Aſſiſtens.

SEculo decimoquinto, quo falſis dogmatibus vel maxime impetebatur Eccleſia, Deus bonus ac miſericors in ſemper Orthodoxa ſtudiorum generalium Cracovienſi academia ſublimis ingenii, ac piiſſimi animi præclarum excitavit virum, veritatis, ac fidei propugnatorem, atque doctorem Beatum Joannem Cantium, qui doctrina catholica in cathedris, religionis zelo in ſuggeſtu, ferventiſſima in Deum, ac proximum caritate, humilitati ultra expreſſionem conjuncta, virtutibuſque cunctis in gradu heroico, prodigiis quoque perplurimis patriam, Sacerdotium, ſcholas, cives, ac totam illuſtravit Eccleſiam, dignus propterea, Beatissime Pater, ut in Regni Poloniæ de fide, Eccleſia, ac hujus Sanctæ Sedis optime meriti ſpirituale ſolatium, ac populorum fidelium Orbis ſingulare præſidium, eo honoris culmine ſanctiſſimis Viris per Canonizationis decretum tribui ſolito,

lio, a tuo, quod unice ſupereſt, infallibili oraculo condecoretur; quod ut Apoſtolica tua auctoritate benigniſſime præſtes, & ego cum Regno Orthodoxo, cui titulis infinitis devinctiſſimus ſum, ſupplex imploro.

FRANCISCUS Carafa Trajettus Archiepiſcopus Patracen. Aſſiſtens

BEATISSIME PATER. Quo rigidius in BEATI JOANNIS CANTII geſta animadvertimus, nihil non undique perfectum comperimus; ab ineunte ætate parentibus addictiſſimus, futuræ inculpabilis vitæ ſpecimen præbuit; deinde ſana doctrina imbutus, verbis, & exemplo totus proximo ſuo excolendo, erudiendoque ſe dedit. Caſtitatem immaculatus ſervavit, virtuteſque in gradu heroico adeo exercuit, ut merito, ſi SANCTITATI VESTRÆ placuerit, ſupremis Eccleſiæ honoribus decorari poſſe videatur.

JOANNES Lercarius Archiepiſcopus Hadrianopolitanus Aſſiſtens.

BEATISSIME PATER. Intonuit de Cœlo Dominus, & in ſonitu magno auditam fecit vocem ſuam: miracula, quæ ad interceſſionem B. JOANNIS CANTII patrata novimus, quaſi voces de Cœlo delapſæ conſummatam illius ſanctitatem, heroicaſque virtutes regnum decoris & diadema ſpeciei de manu Domini jam accepiſſe non obſcure denunciant: ſi ergo teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium Dei majus eſt: verbis propterea divinis conſonabit eloquium tuum, PATER SANCTISSIME, ſi, ut tuto confidimus, infallibili Vaticani Solii judicio B. JOANNIS ſortem inter Sanctos eſſe declarabis.

D. INNOCENTIUS Gorgoni Archiepiſcopus Emiſſenus, olim Epiſcopus Pinnen., & Hadrien. Aſſiſtens.

BEATUS JOANNES CANTIUS Conſulari, quo ortus fuit genere, eximiis ſuis virtutibus, quibus in Eccleſia Dei effulſit, lumen, ac ſplendorem addidit. Ipſe enim quam ab ipſa infantia iniit ſalutis viam, & nobiliſſimorum æque ac piiſſimorum parentum ſtudio, ac ſollicitudine perfectionis ſemitam eſt aggreſſus, tanto fervore toto tempore vitæ ſuæ eſt proſequutus, ut in omni virtutum genere, quæ verum Chriſti miniſtrum, & imitatorem exornant, omnino excelluerit. Præſertim vero in eo enituit Religionis Catholicæ in barbaris oris propagandæ, & in civium animis, difficillimis illis temporibus, conſervandæ ſtudium. Illa enim ætate univerſis per Britanniam, Ollandiam, & Germaniam ſcholis miſcebantur multi, qui ad ſequiora deflectentes, infectam hæreſi doctrinam, juvenum animis inſtillabant: at CANTIUS in ſua Cracovienſi univerſitate, ſumens pro galea judicium certum, ac rectum, & pro thorace juſtitiam, qua nequiſſimorum hoſtium tela retunderet, orthodoxam doctrinam ſartam tectamque ſervavit. Ejus itaque ſapientiam ſignis, & virtutibus perſpectam enarrent populi, laudes vero ejus te annuente, BEATISSIME PATER, univerſa celebret Eccleſia.

Fr. JOANNES BAPTISTA Colombini Archiepiſcopus Beneventanus Aſſiſtens.

TUum eſt, BEATISSIME PATER, qui noſti Sacramenta Dei, & judicas honorem animarum ſanctarum [1] BEATUM JOANNEM CANTIUM Sanctorum faſtis adſcribere. Ego ſane, qui eum ſpiritu intelligentiæ ſancto repletum fuiſſe agnoſco, quin aliter glorietur, quam in lege teſtamenti Dei ſui [2], exiſtimo, poſt tot denique mirabilia, quæ fecit Dominus in commendationem illius virtutum, & operum, ardentiſſime præſertim in Deum ipſum caritatis, ac utriuſque miſericordiæ in pauperes, & mendicos, afflictos, & mœrentes, vere dignum, ac juſtum eſſe, ut JOANNIS nomen honorabile habeatur in Eccleſia univerſa, &, SAN-

1 Sap. 2. 22.

2 Sap. 7. 13.

&, Sanctitate Tua jubente ejus virtutes, & opera in nationibus longe collaudentur.

SCIPIO Burgheſius Archiepiſcopus Theodoſiæ Aſſiſtens.

Inter heroicos Viros, Pater Beatissime, quorum memoria in benedictione eſt [1], & infallibili tuo judicio Sanctorum in album modo ſunt referendi, primum locum obtinet Beatus Joannes Cantius Eccleſiaſtici Ordinis præcipuum decus, ac ornamentum, cujus labores pro catholica fide contra laſcivientium hæreticorum conatus ſummo ſtudio ſuſceptos, ſingularem propemodum in Deum pietatem, filialem erga Apoſtolicam hanc Sedem obſervantiam, adverſus Apoſtolorum Principem, ad cujus Sacra Limina frequens acceſſit, venerationem eximiam cum cogitatione attentius perpenderim, cenſeo pro tua ſapientia factum iri ſi *corona aurea expreſſa ſigno ſanctitatis* [2] illum donaveris.

IGNATIUS Reali Archiepiſcopus Athenarum Aſſiſtens.

Beatissime Pater. Apoſtolicus Vir, ac vere fidelis miniſter Beatus Joannes Cantius ſic ardenti caritate in Deum efferbuit, & proximum, ut nulli parcens labori, nullum pertimeſcens vitæ periculum, nullumque calamitatis, miſeriæque genus fuerit, cui alacriter ipſe non occurrerit, ac invicto animo præſto fuerit. Sui ipſius infenſiſſimus hoſtis, corpus flagellis, ciliciis, jejuniis in ſervitutem redegit. Apoſtolicam Sedem tam vehementi afficiebatur amore, ut quater voluntario itinere ad Sacra Apoſtolorum viſenda Limina ſummo vitæ ſuæ diſcrimine, ac corporis defatigatione pedeſter acceſſerit; ſicut & ad ſacram Jeroſolymitanam peregrinationem, nullo alio motus deſiderio, quam ut eximiæ ſuæ ſatisfaceret pietati in Chriſtum Dominum pro nobis paſſum: cujus myſteria tenerrimo obſequii ſenſu toto ipſius vitæ curriculo peculiari veneratione proſequutus fuit; & ut propius ſacra illa loca inviſeret, in quibus immenſum beneficium Redemptionis noſtræ per acerbiſſimam Chriſti Domini paſſionem, & mortem completum fuit; ita ut vere Beatus Joannes Sacerdotum ſpeculum, Parochorum exemplar dici poſſit.

Tanta hæc ſunt, Beatissime Pater, ut nil prorſus dubitem, Beatum iſtum a Sanctitate Vestra ad majus Eccleſiæ decus, & ſecularis Cleri excitamentum, pariter & incrementum, Sanctorum albo eſſe adſcribendum.

FRANCISCUS SAVERIUS de Zelada Archiepiſcopus Petrenſis Aſſiſtens.

Duo potiſſimum ſunt, Beatissime Pater, quæ Eccleſiæ miniſtris, & myſteriorum Dei diſpenſatoribus accuratiſſime ſervanda proponit Apoſtolus [3]: primum, ut nemini dent ullam offenſionem, ne vituperetur illorum miniſterium: alterum, ut exhibeant ſemetipſos, *ſicut Dei miniſtros in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtiis, in caſtitate, in ſcientia, in ſuavitate, in Spiritu Sancto, in caritate non ficta, in verbo Dei* &c. Hanc vivendi rationem ſtudioſiſſime adeo in ſe expreſſit B. Joannes Cantius, ut perfectiſſimum eum fuiſſe Dei miniſtri exemplar minime dubitem aſſerere. Quare & Dei gloriæ, & Eccleſiaſtici ordinis ſplendori, & populorum utilitati maxime conſules, Beatissime Pater, ſi talem, ac tantum Virum æque virtute, ac miraculis clarum Sanctorum catalogo adſcripſeris.

BERNARDINUS Girand Archiepiſcopus Damaſcenus Aſſiſtens.

Heroicæ virtutes, quibus Beatum Joannem Cantium claruiſſe ex rite compilatis Proceſſibus plene conſtat, illaque præmaxime, qua profundam litterarum ſcientiam profunda cum humilitate, raro ex-

Ee

[1] *Eccleſiaſt.* 44. 9. [2] *Eccleſiaſt.* 45. 14. [3] *Corinth.* 6. 4. & *ſeq.*

xemplo conjunxit, eum ſententia mea dignum efficiunt, ut in Sanctorum albo a SANCTITATE VESTRA adſcribatur; eo magis quia Deus vere mirabilis in Sanctis ſuis pluribus miraculis, prævio rigidiſſimo examine approbatis, Servum ſuum undequaque illuſtravit.

FRANCISCUS MARIA Piccolomineus, Epiſcopus Pientinus Aſſiſtens.

UT BEATUS JOANNES CANTIUS Sanctorum cultu dignus declaretur ſuadent, BEATISSIME PATER, chriſtianæ virtutes, quibus præfulgens placuit Deo. Suadent præſertim tum illius zelus in juventute, ne hæreticorum erroribus inficeretur, inſtituenda in Sanctorum ſcientia, cum in academia Cracovienſi theologiam edoceret; tum mira ſollicitudo in paſcendis ſuis ovibus, cum munere Parochi fungeretur, & exempla irreprehenſibilis vitæ, quibus proximum ad ambulandum in lege Domini pertrahebat. Omnipotens autem Deus, qui eſt mirabilis in Sanctis ſuis, ſanctitatem JOANNIS aperte etiam comprobavit ſtupendis miraculis, quæ eo intercedente patravit. Quamobrem exiſtimo a SANCTITATE VESTRA, divina, qua pollet auctoritate, ſollemni ritu inter Sanctos eum eſſe referendum.

PHILIPPUS Mornati Epiſcopus Sutrinus, & Nepeſinus Aſſiſtens.

BEATISSIME PATER. Quum de BEATO JOANNE CANTIO Sacerdote ſeculari Cracovienſis Eccleſiæ, ejuſdemque academiæ doctore mihi omnium Antiſtitum minimo ferendum modo ſit ſuffragium, cujus heroicæ virtutes, atque miracula tot graviſſimorum Patrum diligentia, ac rigoroſo examine ſatis probata ſunt, facile mihi perſuaſum eſt, Deo perhonorificum, univerſæque Eccleſiæ utiliſſimum fore, ſi quam citius ſollemni de more celebritate Sanctorum faſtis adnumeretur, eumque Sacerdotibus cunctis, qui in privatis ſeculi domibus otioſam, atque periculis expoſitam vitam degunt, ſplendidiſſimum doctrinæ lumen, necnon pietatis, patientiæ, caritatis, cæterarumque Eccleſiaſticarum virtutum, quod invocent, imitentur, & colant, exemplar proponatur.

Fr. JOACHIM MARIA Pontalti Epiſcopus Aſcalonites Aſſiſtens.

BEATISSIME PATER. BEATUS JOANNES CANTIUS Poloniæ Regni ſplendor, Catholicæ Eccleſiæ decus ob oculos Chriſtifidelium heroicas ejus virtutes, ac ſtupenda miracula admirantium proponitur tamquam Sacerdos juſtus, atque pius, qui factus eſt in tempore iracundiæ inter Deum, & homines reconciliatio, qui inventus eſt fidelis, & prudens, quique in confutandis hæreticis, atque ſchiſmaticis talenta, quæ acceperat, Domino ſuo duplicata reportavit, quam ob cauſſam inter Beatos ab hac Sancta Apoſtolica Sede jamdudum fuit recenſitus: hoc tamen ipſum in cauſſa eſt, quod & Polonorum academia, cujus fuit inſtitutor, & Eccleſia Catholica, cujus fuit, & eſt ſingulare ornamentum, ut & inter Sanctos ab hac infallibili Sede recenſeatur, efflagitent: horum precibus, & votis meum etiam humillimum in genua provolutus ſubmitto ſuffragium.

Fr. NICOLAUS ANGELUS MARIA Landini Epiſcopus Porphyrienſis Aſſiſtens.

BEATISSIME PATER. JOANNEM CANTIUM magni Poloniæ Regni noviſſimum decus: quippe Sacerdotio, doctrina, peregrinationibus, heroicis animi virtutibus, ac miraculis florentem omnes ſuſpiciunt. Dignum propterea eum puto, ut inter Sanctos adnumeretur; ejuſque nomine Catholicæ Eccleſiæ faſtos augere jucundiſſimum erit; atque hac præſertim tempeſtate Regno illi, & univerſo chriſtiano orbi utiliſſimum fore, Deo miſerante, confido.

NI-

NICOLAUS Gagliardi Epiſcopus Alatri Aſſiſtens.

BEATUS JOANNES CANTIUS uſque ab incunabulis ad ſervitutem Dei acceſſit, ſtetit in juſtitia, & timore, depreſſit cor ſuum, inclinavit aurem ſuam, & ſuſcepit verba intellectus, conjunxit ſe Deo, ut creſceret in noviſſimo vita ſua. In membris enim ſuis mortificationem Crucis Chriſti corde jucundiſſimo geſtiens, per admirabiles aſcenſiones obtinuit elevari ad intimam divinam unionem, itaut in vita, & morte pretioſiſſima adinſtar ſideris fulgidiſſimi coruſcans ejus mirificus ſplendor jam toti S. Eccleſiæ præfulgeat. Quare ſicut non abs re exiſtimaverim BEATUM hunc VIRUM id martyrii genus, quod proprium Confeſſorum eſt, plene conſumaſſe, ita ſpes omnium effulget, ut SANCTITAS TUA, eo quo polles ſuperno lumine ad ſacras aras admoveas ad fidelium incitamentum, & ad S. Romanæ Eccleſiæ præſidium.

CLEMENS MARIA Bardini Epiſcopus Aquipendii Aſſiſtens.

EXimia BEATI JOANNIS CANTII humilitas, præclara erga Deum, proximumque dilectio, nec non reliquæ heroicæ illius virtutes miraculis a Deo comprobatæ exigunt, ut SANCTITAS VESTRA divinæ voluntatis expoſitor infallibilis, illi dignetur ſtatuere in terris Sanctorum honores; æquum igitur arbitror, BEATISSIME PATER, ut eum, quem ſertis gloriæ ornavit Deus in Cœlis, SANCTITAS VESTRA corona honoris decoret in terris.

STEPHANUS EVODIUS Aſſemannus Archiepiſcopus Apameæ.

DEcet quammaxime Dei miniſtrum, BEATISSIME PATER, ſeipſum pro populo ſanctificare, ut *ſit & ipſe populus ſanctificatus in veritate* [1], ex Chriſti verbis & exemplo id optime edoctus B. JOANNES CANTIUS eam vivendi rationem, ſanctitate & innocentia inſignem ſtudioſiſſime ingreſſus eſt, conſtanterque tenuit, qua & acceptiſſimam Deo hoſtiam ſeſe offerret, & opere potens, ac ſermone Dei domum ædificaret, populorum moribus ad pietatem informatis, atque juſtitiam. Tam perfectam itaque miniſtri Dei imaginem, & exemplar, quod miraculorum gloria illuſtrius reddidit Deus, æquum eſt, BEATISSIME PATER, ut Sanctorum honoribus digniſſimum judicio tuo graviſſimo decernas.

ՅԱԿՈԲՈՍ Մեսրոպ Վիկաշեան Արքեպիսկոպոս
Արք. Եպիսկոպոս Լամբրոնի և Տարսոնի
Կիլիկեցւոց Կոստանդնուպօլսեան.

Ազգաւ Հայ:

[illegible]

Երանեալ Յոհաննէս Կանցիոսն յորժամ [illegible]

Ee 2

[1] Joan. 17. 19.

ւերս աղաչաւանէք յամ կոչմանէ յամենա-
ցունց և յամ աշխարհէ. սաղէս ամենայնա-
հրաշալի և հրաշէք կեանս հիանալիս և
զմէլելիս և անհարկարկելիս:

Սերովբէ մէջ յարքելէ պատմաւորս Սեբաստիո
Լ չեմմոստիոս, և այլք Սերոպք, և եկեղե-
ցականք, և Ոմիրակլոյ Նախարարք, և
Դպրատանք, և համաստեղայնք խումբ ամե-
զրեն 'ի Պրաւգոմիլեցոյ յարքելցին ղան մեծարելս
արժանիս, աւսալ 'ւդ պաղատանքն Լ.ա. ևս ընդհա
ձունք եղեալ առաւել օրհնաղանիս ևրեւ Հայոց
Սերովբէ պաղատանք զեան կարգեալ 'ի Սրբա
որոց և առաւել զեհ ամաքրուկթիւնս խոնարհու-
թեանն աղաչեմ յերկուց կողմանց առ Սրբա-
զեւղական սուրբ Սլեման.

Ejuſdem verſio latina.

JACOBUS Meſrob Chlaja Araboli Archiepiſcopus Lampronenſis & Tarſis, natione Armenus.

BEATISSIME PATER. BEATUM JOANNEM CANTIUM, quod miram morum ſuavitatem, atque innocentiam a teneris annis ad exitum uſque vitæ ſervaverit, eaſque in aliis, præſertim Cracovienſis academiæ diſcipulis, cui magiſter omnium plauſu, & admiratione præfuit clariſsimis exemplis, ſana rectaque doctrina, atque aſſidua verbi Dei prædicatione foverit; quod cuncta pietatis officia ſummo ſemper proſecutus fuerit animi fervore, quod in pauperes liberaliſsimus, in hoſtes beneficentiſſimus, & caritate exæſtuans in omnes mitiſſimus fuerit, in ſe autem ſeveriſſimus, carne, itineribus, inedia, paupertatè, flagellis, aliiſque afflictationum generibus in ſervitutem redegerit; quod in Deum, Deiparamque Virginem cæleſti ardore ſervuerit; quod denique cæterarum omnium virtutum exemplum ad prodigium uſque cunctis ſeſe exhibuerit, & vivens miraculorum gratia, & gloria poſt obitum fuerit clarus: univerſa Polonorum gens cultu ab immemorabili ſemper eſt venerata: propterea cui Poloniæ Rex, & Magnates, Clerus, Senatus, & academia, plebs denique Cracovienſis cuncta ſupremos ſanctitatis, & laudis honores auſpicantur, exorant ipſi, & provolutus ego in genua, nomine quoque Eccleſiæ Armenorum, cui non meis utique meritis præſum, ab hac Sancta, & Apoſtolica Sede eoſdem expoſco humillime, & deprecor.

JOSEPH SIMONIUS Aſſemanus Archiepiſcopus Tyri.

BEATISSIME PATER. Quod de Iſraelitis Jordanem fluvium prætergreſſis cecinit Regius Propheta[1]: *Et tu Jordanis quare converſus es retrorſum?* Id a BEATO JOANNE CANTIO geſtum cernimus, quum, invocato ipſius nomine, merces in flumen prolapſæ, & præterfluentium aquarum impetu procul raptæ, ad locum demerſionis, adverſo flumine ſunt regreſſæ. Hoc igitur, & alia poſt obitum miracula, quæ Deus ob illius interceſſionem patravit, quum a Sacra Rituum Congregatione in examen adducta, & probata ſint, graviſſimoque SANCTITATIS VESTRÆ judicio confirmata, dignum plane eſſe cenſeo, ut publici ſollemneſque honores a SANCTITATE VESTRA ei decernantur; adjunctis præſertim ad id exequendum Orientalium precibus, qui BEATUM VIRUM ad ſancta Paleſtinæ loca aſperum iter pedibus conficientem aſpexerunt.

Fr. EMMANUEL Ballyet Epiſcopus Babiloniæ.

BEATISSIMA PATER. Scientiam inflare proloquium eſt mundanum nempe & profanum: at divina hominem deprimit, efficitque humiliorem. Quis in Cracovienſi academia JOANNE CANTIO doctior, quis humilior; ex ejus lyceo tot doctores exeunt quot diſcipuli, ex ejus concionibus tot compuncti ad pœnitentiam quot auditores, ex ejus colloquiis pauci, qui divinam legem docti non ad virtutem comparandam exardeſcant. Is tamen tantus doctor omnis mundanæ gloriæ contemptor, omnis humanæ cupiditatis victor, arido victu, veſte obſoleta, vili omni ſuppellectili, domeſticas opes,

opes

1 Pſal. 113.

opes labore comparatas totas in egentium neceſſitates effundit. Quin immo longas peregrinationes, nunc Romam, nunc Jeroſolymam pedibus ſuſcipit, huc martyrii deſiderio æſtuans, illuc ſupra petram ædificium virtutum omnium confirmaturus. Candido a Virgine Maria ſerto donatus, atque victor mundi coronatus, digniſſimus eſt qui in hodierno Sanctorum triumpho per Sanctitatem Vestram Sanctus maxime celebretur.

JOANNES de Vita Epiſcopus Reatinus.

INnumeris beneficiis, quæ hactenus abs clementia tua, ac providentia prodierunt, Beatissime Pater, illud tandem accedit difficillimis hiſce Chriſtianæ Reipublicæ temporibus maximopere opportunum, ac ſalutare, quod multiplicatis apud Deum interceſſoribus novum Eccleſiæ militanti præſidium comparatum velis. Eorum autem, quos in Sanctorum album referas, agmen jure merito ducit Joannes Cantius domo Polonus, dignitate Sacerdos. In ipſo ſiquidem præclarius cum primis expreſſam Divini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti agnoſcere licebit imaginem, ejus ſcilicet, qui, quum hominibus manifeſtare ſe cœpit, cœpit ſimul facere, & docere. Fecit profecto Joannes, qui quemadmodum ætate, ita apud Deum, & homines ſapientia, & gratia proficiens, mortificationem Jeſu ſemper in corpore ſuo circumtulit, ut & vita Jeſu in ipſo manifeſtaretur; manifeſtata autem eo ſplendidius fuit, quo humilior ipſe non modo abſconditam hominibus, ſed ab omnibus quoque contemptam tranſigere enitcretur. Sed & docuit Joannes, atque eo felici ſucceſſu docuit, ut catholica religio per Brittanicas, Hollandicas, Germanicaſque ſcholas circumquaque tunc temporis a pſeudodoctoribus labefactata, in una academia Cracovienſi, exindeque in univerſo Poloniæ Regno unius Cantii doctrina, magiſterio, concionibus ſtetiſſe probaretur. Stetit, inquam, ſtatque adhuc, eodem ſane Joanne auctore, & patrono, derivata, veluti in eamdem academiam cum eadem Joannis magiſtrali purpurea veſte, cæleſtis ſapientiæ aqua ſalutari; quam quidem aquam externis hæreticorum militaribus, quos nunc inſurgentes audimus, conatibus, ipſomet e Cælis opitulante Joanne, nullo inficiendam veneno, nullo aut luto, aut fœce corrumpendam pertimeſcemus. Perge itaque, Pater Beatissime, ſimilem, ac conſortem in gloria Sanctorum ſacere Cantium, ut cum ipſis cæleſtium honorum incrementis, ejus erga Polonos ſuos in præſenti rerum diſcrimine augeatur protectio: quique magnus propterea quod fecit, & docuit jam vocatur in Cælis, eadem ornatus laude agnoſcatur, & colatur in terris.

JOANNES BAPTISTA Filipponi Tenderini Epiſcopus Anagninus.

CUM perfectionis chriſtianæ ſumma tribus maxime capitibus contineatur, pietate in Deum, odio ſui, miſericordia, & caritate erga proximos: admirabilis prorſus Beati Joannis Cantii vita probata eſt ſapientiſſimo Patrum teſtimonio, cum Deum ſemper amaverit & enixe coluerit, ſuſceptis etiam in Sanctorum ejus venerationem longis difficilibuſque peregrinationibus, cum tanta fuerit abſtinentia, ut ſibi quoque denegaret, quod ad ſuſtentandam vitam concedere poſſe videbatur, cum denique nunquam egentibus, afflictiſque defuerit, ſed iis veluti ſe ſuperimpenderit. Hæ vero virtutes, aliæque omnes, quum præclaris a Deo miraculis confirmatæ fuerint, ut a Vestra Beatitudine in numerum Sanctorum Beatus Joannes Cantius referatur, æquum, atque juſtum, Catholicæ vero Eccleſiæ glorioſum eſſe arbitror.

PHILIPPUS Bruni Epiſcopus Lyddenſis, & Suffraganeus Sabinenſis.

IN B. Joanne Cantio dextera Domini fecit virtutem, ſignaculum ſe ponens ſuper cor ejus ad caritatem, ſignaculum ſuper brachium ejus ad heroicarum virtu-

tum

tum exercitium in ædificationem Sanctorum, & in opus miniſterii. Vox quoque Domini loquuta eſt in digito potentiæ ſuæ comprobans in eo ſanctificationem ſpiritus, quo docendo claruit, benefaciendo, & ſanando omnes. Reſtat unicum, BEATISSIME PATER, ut infallibili judicio tuo Servum hunc bonum, & fidelem Sanctorum faſtis adſcribas, & omnium votis humilibus expetitus decernas illi coram filiis militantis Jeruſalem coronam, quam reſervavit illi Dominus in die ſollemnitatis, atque lætitiæ.

Ut de BEATO JOANNE CANTIO poſtremus Epiſcoporum ſententiam dixit, BEATISSIMUS PATER, ac DOMINUS NOSTER per hæc verba & de BEATO JOSEPHO CALASANCTIO eorumdem Eminentiſſimorum Patrum, & Reverendiſſimorum Epiſcopdrum ſenſus eſt ſciſcitatus,

VEſtra de BEATO JOANNE CANTIO ſuffragia perlibenter audivimus: veſtras itidem ſententias de BEATO JOSEPHO CALASANCTIO cupimus audire.

Tunc eodem ordine Cardinales omnes, ac Epiſcopi ſuffragia præbuerunt ſua.

FRIDERICUS MARCELLUS Epiſcopus Portuenſis, & S. Rufinæ Cardinalis Lantes.

CUM in BEATO JOSEPHO CALASANCTIO requieverit ſpiritus conſilii, ſpiritus pietatis, ſpiritus fortitudinis ita invictæ, ut BenedictusXIV. eum jure optimo nuncupandum eſſe dixerit alterum ſuæ ætatis Jobum ob innumeras, acerbiſſimaſque calamitates patientiſſimo animo toleratas in erigendis, ſuſtinendiſque Scbolis piis, exiſtimo, BEATISSIME PATER, ſuper caput ejus coronam auream luculentiſſimis ſignis ſanctitatis expreſſam eſſe collocandam. Quapropter BEATUS JOSEPHUS CALASANCTIUS Scholarum piarum fundator, qui opere, & ſermone fecit, & docuit non ſolum in Regno Cælorum, verum etiam in terris magnus vocabitur.

JOANNES FRANCISCUS Epiſcopus Sabinenſis Cardinalis Albani.

BEATUM JOSEPHUM CALASANCTIUM, quem fel. recor. Prædeceſſor tuus, BEATISSIME PATER, ætatis noſtræ Jobum pronunciavit, quem virtutum omnium ſplendore, quem prophetiæ, quem miraculorum donis inſignem Urbs hæc diutius complexa eſt frangentem parvulis evangelicum panem, exquirentem ſapientiam Sanctorum, non deſpicentem pauperem, & pupillum, inſtituentem pium Ordinem, ac de Chriſtianorum Republica bene merentem, ut filios ſuos relinqueret hæredes in caritatis æternæ miniſterium; omnis ratio poſtulat, efflagitant omnium vota, ut in Sanctorum albo recenſere non dedigneris. Decet enim maxime, ut quibus meritis a Jeſu Chriſto juſto Judice in Cælis tribuitur corona juſtitiæ, iis quoque ab ejus Vicario in terris corona gloriæ impertiatur.

HENRICUS Epiſcopus Tuſculanus Cardinalis Dux Eboracenſis S. R. E. Vicecancellarius.

QUÆ virtus ſanctiſſimo Job magna laudum præconia in ſacris Litteris comparavit, rara videlicet in adverſis rebus tolerandis patientia; ea JOSEPHUM CALASANCTIUM dignum reddidit, cui a te, BEATISSIME PATER, ſupremi in Eccleſia honores decernantur. Is enim ab ipſa pueritia inter primæ illius ætatis incommoda ſummam præſtulit tolerantiam cum æquabili vultus hilaritate conjunctam. Hæc autem, eo creſcente, adolevit, maturuit, ad ſummum denique provecta gradum eſt. Quamobrem non modo graviſſimos morbos, quibus in extrema præſertim ſenecta afflictatus fuit, & labores incredibiles, quos in fundando Scholarum piarum Ordine perpeſſus eſt, patientiſſime toleravit; verum etiam indigniſſimas calumnias, quibus eum do-

domi, foriſque invidi hoſtes divexarunt, ſummam ignominiam, qua ex domeſtici proditoris aſtu apud ſanctiſſimos Judices accuſatum, ad ſquallorem carceris tota ſpectante Roma perduxerunt, infandam demum injuriam, qua tamquam ſenem delirum, & infantiſſimum in ſuo, quem inſtituerat, Ordine omni rerum procuratione, omnique auctoritate ſpoliarunt, ita patienter tulit, ut de ſuæ conſtantiæ gradu ne leviter quidem commotus, hoſtes ipſos omni beneficiorum genere cumularit. Cum igitur Josephus Sanctum Job tam prope fuerit imitatus; æquum eſt, ut ei quoque reddantur duplicia; idemque ſumma jam a Deo in Cœlis beatitate donatus, ſummis quoque honoribus in Eccleſia decoretur.

FABRITIUS Epiſcopus Albanenſis Cardinalis Serbellonus.

INter Sanctos Viros, qui nova militantem Eccleſiam prole amplificarunt, merito, Beatissime Pater, locum obtinet Beatus Joseph Calasanctius, Ordinem quippe religioſorum hominum inſtituit, in quo perenne illius & in Deum, & in proximum caritatis teſtimonium eluceret. Supereſt igitur, ut heroicam tanti Viri ſanctitatem, per ſigna quoque, & prodigia ab omnipotenti Deo comprobatam, ampliori cultu excolendam univerſa enunciet Eccleſia.

JOANNES FRANCISCUS Epiſcopus Prænestinus Cardinalis Stoppanius.

IN pœnitentia Petrum de Alcantara, & Josephum Calasanctium in patientia, duos protulerunt Hiſpaniæ admirabiles Viros, & eumdem ſupremæ gloriæ gradum, quem juſtus, & retributor Dominus pœnitenti contulit, haud dubitandum non contuliſſe patienti. Tutiſſime igitur, quantum humana mens patitur, in Cauſſa Calasanctii cæteris ſuffulta virtutibus, & illuſtrata miraculis per Sanctitatem Vestram procedi poſſe videtur, ad hoc ut inter Sanctos fors illius ſit. Idem Calasanctii expoſcunt merita, & Scholarum piarum Ordo, quem Calasanctius inſtituit, demiſiſſime rogat, & exinde ad imbuendam, inſtruendamque juventutem, Calasanctii hærentes veſtigiis, ipſius aſſeclæ eo impenſius incumbant, parvuliſque ſapientiam præſtabunt.

JOSEPH MARIA Tituli S. Cæciliæ Presbyter Cardinalis Feroni.

SUaviſſimus in Virginem Beatiſſimam amor, quem Beatus Joseph a Calasanctio puer oſtendit, ſingularis mundi, rerumque caducarum contemptus, demiſſionis, & pœnitentiæ ſtudium perpetuum illud effecerunt, ut non invito patre unicus nobiliſſimæ familiæ hæres Sacerdotio tandem initiaretur. Hinc Romam veniens, ut ſecurius lateret, novæque religioſæ Familiæ fundamentis jactis, mirum eſt quot labores, atque ærumnas ab acerbiſſimis adverſariis patientiſſime toleraverit. Nonagenario itaque major, dierum, ac meritorum pleniſſimus in Domini ſui gaudium fidelis, & prudens ſervus intravit. Quare ſollemni ritu a Beatitudine Vestra inter Sanctos recenſeri tuto poſſe affirmo eum hominem, qui, dum viveret, Sanctorum, quos Catholica veneratur Eccleſia, virorum præclariſſima exempla imitando eſt æmulatus.

CAROLUS Tituli S. Clementis Presbyter Cardinalis Rezzonicus S. R. E. Camerarius.

PUritas fidei, ſpei conſtantia, caritatis æſtus, probata velut aurum in fornace patientia, & ille potiſſimum amor divinæ gloriæ, cujus cauſſa totum ſe ad erudiendam ſpiritu intelligentiæ, ac pietatis juventutem devovit, Beatum Josephum Calasanctium cariſſimum in terris fuiſſe Deo, æternaque in Cœlis hæreditate locupletatum fuiſſe demonſtrant. Tuæ igitur Sanctitatis eſt, quod in Cœlis ſancitum jam eſſe

eſſe virtutes, merita, ſigna ſuadent, infallibili, quæ tibi a Deo conceſſa eſt, auctoritate decernere, ut in Joſepho Calasanctio virtutum omnium exemplar, cui ſeſe conforment, calamitatum præſidium, quod deprecentur, fideles conſtitutum eſſe intelligant.

FERDINANDUS MARIA Tituli S. Sylveſtri in Capite Presbyter Cardinalis de Rubeis.

Mirifica flagrantem caritate Joſephi Calasanctii animum, ad ea præſertim obeunda pietatis officia convertit Deus, ut parvulorum, qui non invenirent, qui frangerent eis panem, educator, ac parens eſſet; eorumque ad religionem, honeſtatem, litteras inſtitutionis auctor, ac propagator.

Ex laboribus, ex famæ, vitæque periculis major in dies augebatur in eo virtutis, in perferendo vis, in agendo conſtantia.

Immarceſcibilem tandem coronam conſequutus a Domino iis inclaruit, Deo patrante, miraculis, ut ipſi, Beatissime Pater, deberi jam cenſeam maximam illam, quæ in terris tua auctoritate confertur, Sanctorum cultus dignitatem.

JOSEPH MARIA Tituli S. Alexii Presbyter Cardinalis Caſtelli.

Ille inter electos eſt recenſendus, qui totam legem implevit. Plenitudo vero legis eſt caritas non fucata, non infirma, non ex terrenæ cupiditatis admixtione imperfecta, ſed ea, quam nobis divinitus delineavit Apoſtolus, quæ patiens eſt, quæ non ambitioſa, quæ non inflatur, quæ omnia ſuſtinet, quæ non quærit, quæ ſua ſunt. Joſephus Calasanctius uſque a prima ætate humanarum rerum ambitione contempta, non inflatum, ſed humilem, ſed in perferendis multiplicibus, atque infandis injuriis, quibus uſque ad extremam ſenectutem fuit conflictatus, patientem ſe exhibuit ad miraculum uſque, labores, ærumnas, calamitates innumeras animo invicto ſuſtinuit, totus fuit in longiſſimo ſuæ vitæ curſu, non ut divitias cumularet, non ut ſibi honores, & commoda compararet, ſed ut proximum juvaret ſuum, recreando ægrotos, pauperes ſublevando, morientibus ſupremam ferendo opem, & quod non ſatis laudibus extolli poteſt, omnium ordinum pueros in pietate, & litteris excolendo, inſtituto etiam in hoc egregium opus præclariſſimo ſodalitio.

Cum Vir Dei hæc omnia præſtiterit, quis neget in ejuſdem ſanctiſſimam animam fuiſſe a Spiritu Sancto diffuſam, ac jugiter inhabitaſſe veram illam, ac perfectiſſimam caritatem, qua tota lex adimpletur.

Igitur fidelem hunc Servum receptum fuiſſe a Domino in æterna Tabernacula, plane non ambigo, ac proinde illum dignum exiſtimo, ut in Sanctorum albo recenſeatur.

CAJETANUS Tituli S. Auguſtini Presbyter Cardinalis Elephantutius.

Beatissime Pater. Conſpicua equidem ſunt exordia ſanctitatis, quæ in B. Joſepho Calasanctio a Matre Dei celebriores Hiſpaniarum urbes, inſignium Eccleſiarum Epiſcopi, ipſique Magiſtratus, & Reges admirati ſunt, ſive in reformandis adoleſcentum moribus, ſive in revocanda eccleſiaſtica diſciplina, ſive in conciliandis populis invicem diſſentientibus. At illuſtriora acceſſerunt ejuſdem ſanctitatis incrementa, quorum in urbe Roma teſtes fuerunt Eccleſiæ, fora, xenodochia, ſodalitates, & pauperum puerorum ſcholæ ab eo inſtitutæ; quo factum eſt, ut Vir Dei omnibus deinde ſuperatis gradibus virtutum, eiſque in ignominiis, tribulationibus, & carceribus, tamquam auro in fornace probatis, ſeſe præbuerit eximium innocentiæ, pœnitentiæ, tolerantiæ, & caritatis miraculum. Quam itaque lucernam ſub modio

modio latentem, imo oppreſſam, omnique honore ſpoliatam Eccleſia jamdiu vidit, & flevit, tempus eſt, Beatissime Pater, ut ſupremo Sanctitatis Vestræ decreto ſuper candelabrum poſitam conſpiciat, ejuſque fulgoribus irradiata lætetur.

PETRUS HIERONYMUS Tituli Sanctiſſimæ Trinitatis in Monte Pincio Presbyter Cardinalis Guglielmi.

SEd ſi humiles exaltari oportet, & eos, qui ad juſtitiam erudiunt multos, fulgere quaſi ſtellas in perpetuas æternitates [1], quam gloriam dabimus his, Beatissime Pater, qui non ſeipſos tantum præbuere hujuſmodi, ſed alios poſt ſe ſibi ſimiles reliquerunt, ut non ſolum ipſorum memoria, ſed & opera vigeant, quaſi non eſſent mortui [2]? Quibus plane abundantiorem honorem cum debeamus, jam habes, Beatissime Pater, quid ſentiam de Beato Josepho Calasanctio, cujus tanta in Chriſtianam Rempublicam cum ſemine ipſius permanent bona [3]. Non refert proinde, ut vel leviter attingam quæ fecit, quæ docuit, quæ pertulit Josephus calumnias, tribulationes, anguſtias, ſeditiones a dextris, & a ſiniſtris, & quæ multa ſunt alia ſuæ virtutis, & longa imitatis argumenta: ſat eſt hæreditatem ſanctam filios ejus intueri, & quomodo univerſis populis veraces miniſtros exhibeant ſemetipſos in laboribus, in vigiliis, in ſcientia, in ſuavitate, in caritate non ficta [4]. Iſtud enim eſt teſtamentum Patris, hæc eſt Josephi vita. Quare Parentem optimum in generatione gentis ſuæ gloriam adeptum [5], tu magis glorifica, Beatissime Pater, Sanctorum honoribus: ut quemadmodum ſapientes filii lætificant Patrem [6]; ita Patrem ſe haberi ſanctum lætentur filii [7], & omnis Eccleſia cum eis [8].

NICOLAUS Tituli SS. Nerei, & Achillei Presbyter Cardinalis Antonellus.

CÆleſtis Paterfamilias prohibentibus, pueros ſibi offerri, dicens: *ſinite parvulos venire ad me*: quanto amore, ac cura innoxiam hanc ætatem complecteretur, aperte demonſtravit: Divini Magiſtri exemplum ſecutus eſt Servus Dei Joseph Calasanctius, qui ex intimis caritatis, qua ardebat, viſceribus commiſeratus pueros præſertim pauperculos, quibus non erat, qui panem frangeret, eos in chriſtiana pietate, & timore Domini, in honeſtis ſtudiis, & primis litterarum rudimentis erudiendos ſuſcepit: omneſque ſuas cogitationes, labores, & facultates inter graviſſimas adverſitates, duraſque ærumnas per longum vitæ ſpatium ad mortem uſque in hanc piiſſimam curam impendit. Saluberrimum autem hujuſmodi Inſtitutum, quo duo pernicioſiſſima mala ab hominibus propelluntur, ignorantia ſcilicet, & otium, ut perpetuo in communem ChriſtianæReipublicæ utilitatem permaneret, præclarum religioſorum hominum Ordinem Scholarum piarum Apoſtolicæ Sedis auctoritate in hac alma Urbe inſtituit; ſuæque caritatis, & curæ in docendis pueris, præcipue pauperibus, pietatem, & litteras, fecit hæredem. Quare B. Calasanctius ob eximias virtutes, & vitam pie ſanctęque peractam Deo carus, & apud homines pietate illuſtris, de Romana, & univerſali Eccleſia optime meritus, æquum eſt, ut in Sanctorum numerum, quorum memoria ſollemnibus, ſacriſque celebratur honoribus, quamprimum a Sanctitate Vestra referatur.

Frater LAURENTIUS Baſilicæ Sanctorum XII. Apoſtolorum Presbyter Cardinalis Ganganelli.

HIſpaniæ tellus tot Sanctorum plantis venuſta, & novis ſanctitatis floribus uſque

Ff

1 Daniel 12. 3.
2 Eccl. 30. 4.
3 Eccl. 44. 11.
4 II. Corinth. 6. 6.
5 Eccl. 44. 7.
6 Prov. 10. 1.
7 Ex Sap. 11. 26.
8 Ex plur.

uſque modo fœcunda, JOSEPHUM CALASANCTIUM in Romano agro excolendum, perficiendumque miſit. Non aliam ſibi ineundam in Urbe viam JOSEPHUS intellexit, ac ſenſit, quam quæ Redemptor noſter paſſioni deditus, ac proximus, verbo, ac exemplo calcandam docuerat. Hinc JOSEPHUS *factus eſt tamquam vas perditum, & audivit vituperationem multorum*. Verum mutæ *factæ ſunt labia doloſa*, etenim Dominus JOSEPHO *mirificavit miſericordiam ſuam in civitate munita* [1]. Placitam itaque fuiſſe Deo ejuſdem animam diuturna, atque amariſſima tentatio probavit; probavit inſuper Divinum Numen ſibi acceptam fuiſſe, dum illam tot chariſmatibus, ſupernisque donis ditavit, exornavitque; probavit denique, dum miraculorum gloria, & honore decoravit. Supereſt ergo, BEATISSIME PATER, ut inter Sanctos JOSEPHUM CALASANCTIUM recenſeas, ut a Polonia ad Hiſpaniam, tamquam a ſolis ortu uſque ad occaſum laudabile nomen Domini glorificetur.

MARCUS ANTONIUS Tituli S. Mariæ de Pace Presbyter Cardinalis Columna.

BEATISSIME PATER. Caritas, quæ certe *non quærit, quæ ſua ſunt*, uſque adeo micat in geſtis, totiuſque vitæ ratione BEATI JOSEPHI CALASANCTII, ut fieri non poſſit, quin ea continuo rapiantur, ac ſuccendantur qui vel tantiſper animadverterint, quanta idem Dei Servus fere toto longiſſimæ vitæ ſpatio tulerit adverſa ob ſuam in proximos caritatem, caritatem, inquam, in proximos, quibus adeo non quæſivit quæ ſua eſſent, ut ſua viciſſim omnia, ſeque ipſum in illos impendens, vere cum Apoſtolo dicere poſſet: *Et ego ſuperimpendar pro animabus veſtris*. Haud igitur ſinendum, ut tantæ caritatis exemplum ſub modio deliteſcat, ſed mea quidem ſententia ponatur oportet ſuper candelabrum ad prælucendum omnibus, qui in Eccleſia, nempe in domo ſunt caritatis.

SIMON Tituli S. Joannis ad Portam Latinam Presbyter Cardinalis Buonaccorſi.

BEATISSIME PATER. Caritatis chriſtianæ officium unum eſt illud Eccleſiæ, & Reipublicæ ex omnibus fructuoſiſſimum, quod in pueris excolendis, præſertim ex infima plebe, & a ſuis plerumque deſertis, impenditur. In hujus ergo officii munere cum BEATI JOSEPHI CALASANCTII virtus potiſſime enituerit, eodem in album Sanctorum relato novam adiiciet SANCTITAS VESTRA præſtantiſſimo iſtius caritatis exemplo lucem, quam ſi propoſitam intueantur, quos Dei famulus habuit inſtituti ſui ſectatores, & alumnos, tanto uberiores in Chriſti vinea ex illorum opera, & laboribus fructus ſperare liceat, quanto ad virtutum ſimilitudinem aſſequendam ſtimulos filiis vehementiores Parentis ſanctitas adhibuerit.

JOANNES CAROLUS Tituli SS. Joannis, & Pauli Presbyter Cardinalis Boſchi Major Pœnitentiarius

BEATUS JOSEPHUS CALASANCTIUS, BEATISSIME PATER, omni ætate, omni chriſtianarum virtutum genere excelluit; nam Hiſpanias relinquens, ubi puer æqualium ſuorum mores, theologus religionis nitorem, Sacerdos publicam tranquillitatem reſtituerat, Romam profectus eſt. Hic puerorum ingenia, aut rerum copia molliri, aut inopia negligi intelligens, Ordinem Scholarum piarum meditatus eſt, a quo ad pietatem, & litteras ſedulo formarentur. Acerrimis quidem, & alienorum, & domeſticorum calumniis impetitus inceptum opus ad interitum vergere brevi perſpexit. Sed cæleſti monitu recreatus, & innocentiæ fiducia fultus, ita invidiam obtrivit, ut ſenio ante confectus, quam curis debilitatus mortem oppeteret, heroicarum virtutum merito juſtis ab orbe laudibus, inſignibus a Cælo prodigiis nobilitatam. Supereſt jam, BEATISSIME PATER, ut illum inter Cælites ſuprema qua

[1] Pſal. 30.

qua polles auctoritate recenſeas, Eccleſiæ univerſæ, & inſtituto, & patrocinio ſuo magis magiſque profuturum.

LUDOVICUS Tituli S. Anaſtaſiæ Presbyter Cardinalis Calinus.

BEATUS JOSEPHUS CALASANCTIUS tanta erga Deum, proximumque caritate exarſit, ut cum videret æternam animarum ſalutem maxime in optima ætatis ineuntis directione eſſe conſtitutam, non modo vivens ipſe collectos vulgo adoleſcentes timorem Domini, primaque litterarum elementa patientiſſime docuerit, ſed inſtituto ad hoc ipſum Religioſorum Ordine Chriſtianæ puerorum educationi etiam in poſterum providerit. In diuturno autem laborioſæ vitæ curſu inſidiis, calumniiſque teterrime impetitus angores, ignominias, carceres nedum æquo, & hilari animo ad miraculum uſque toleravit. Quibus equidem, aliiſque hujuſmodi virtutibus cum VIR DEI præſtantiſſime chriſtianæ perfectionis exempla reliquerit, dignus omnino eſt, ut ab æquiſſimo SANCTITATIS VESTRÆ judicio in Sanctorum numerum referatur.

ANTONIUS Tituli S. Mariæ in Via Presbyter Cardinalis Columna Branciforti.

CAritas, quæ plenitudo legis eſt, BEATISSIME PATER, BEATUM JOSEPHUM a Matre Dei perfectæ, abſolutæque virtutis Sacerdotem effecit, quippequi poſthabitis mundi illecebris, Deum ſuper omnia, pauperes in Deo, inimicos, atque adverſarios infenſos propter Deum unice diligens, & ſuæ, & proximorum ſaluti, nullis unquam laboribus parcens, ita ad mortem uſque vacavit, ut toto diuturnæ vitæ ſuæ tempore Deo placationis, & laudis ſuaviſſimam hoſtiam immolaverit, & omnes aut verbo, aut exemplo ad meliorem frugem deduxerit. Hunc igitur fidelem Domini famulum, religioſæque familiæ Parentem optimum Sanctorum faſtis adſcribendum eſſe cenſeo, ut integerrimi Sacerdotis laudibus, & Regularium Clericorum Scholarum piarum inſtitutoris ſanctiſſimi, exiſtimationi atque gloriæ, BEATITUDINIS VESTRÆ judicio graviſſimo, & maximo acceſſionem ampliſſimam factam eſſe, quotquot erunt fideles intelligant.

PETRUS Tituli S. Mariæ Transtiberim Presbyter Cardinalis Pamphilius.

DE tribuendis autem BEATO JOSEPHO CALASANCTIO Sanctorum honoribus: cujus vitam quanto laboribus, & ærumnis contextam, adeo ditatam virtutibus, ac beneficiis refertam in univerſos, Deoque in primis caram, nupera quoque miracula comprobarunt, non modo anceps eſſe nequeo, BEATISSIME PATER, ſed etiam ſum ſummopere ſollicitus: quippe qui præter communes cunctis ſuffragantibus cauſſas privatis quoque rationibus, atque incitamentis adducor promovendæ, urgendæque ipſius gloriæ: obverſantur enim mihi, ac probe ante oculos habeo quotidie patruorum meorum imagines, qui JOSEPHI doctrinam, religionem pietatem demirati, ita eo ſunt uſi, ut non ſolum apud ſe diu manere voluerint, ſed nec unquam paſſi eſſent divelli, ſi licuiſſet. Video adhuc ſtantia cubicula, quæ JOSEPHO incolenda tradidere, quæque non multo ante incoluerat S. Carolus Borromæus, fere ac ſi noviſſent eam domus partem JOSEPHO optime congruere, & pari cum Carolo Sanctorum ſorte donandum. Nihil igitur mihi optatius, nihil mihi, meiſque omnibus felicius contingeret, BEATISSIME PATER, quam ſi ea demum JOSEPHO ſanctitatis decora, quæ diu majores mei præſenſere, infallibili judicio tuo conſtituas, atque decernas.

PHILIPPUS MARIA Tituli S. Chryſogoni Presbyter Cardinalis Pirellius.

BEATISSIME PATER. Religioſarum familiarum auctores Eccleſia, ubi rite potuit, libentiſſime ſupremo Cælitum honore

auxit ; eoſque præſertim , qui ſui inſtituti rationem ad publicam , ſive ex pietate , ſive ex litteris , utilitatem amplificandam accomodarunt : ità debitum , ut meritis præmium rependeretur ; tutiſſimum alumnis proponeretur exemplar in quod reſpicerent , animuſque iis , & alacritas ad eadem perſequenda officia adiiceretur , non minus quam nova quædam apud cæteros exiſtimatio , unde ex eorum miniſterio major eſſet in populum utilitas profectura.

Si hæc alias in quempiam in unum modo convenire videntur omnia BEATUM JOSEPHUM CALASANCTIUM ; ſive ab eo conſtitutam ſocietatem conſpiciamus , ſive illius a prima pueritia ad extremam uſque decrepitam ætatem ſanctiſſime vivendi modum , ac per tot labores , ærumnaſque exercitam virtutem, quam manifeſto judicio Deus Optimus maximus ſignis clariſſimis comprobavit.

ALEXANDER S. Mariæ in Via lata Diaconus Cardinalis Albanus.

HAbes , BEATISSIME PATER , in BEATO JOSEPHO CALASANCTIO alterius Joſephi Patriarchæ imaginem abſolutiſſimam . Uterque enim in ſimplicitate cordis , & innocentia coram Deo ambulantes , ſicut aurum in fornace probati ſunt per eadem pericula mulieris incitamentis tentati de iniquitate , & ſcelere accuſati ; domi tandem, foriſque male habiti , & excepti . Quemadmodum itaque univerſa Ægypti tellus illum gloria , & honore coronatum conſpexit , ita expedire judico , BEATISSIME PATER , ut hunc novis etiam coruſcantem miraculis Sanctorum laurea redimitum univerſa Dei Eccleſia veneretur.

NERIUS Sancti Euſtachii Diaconus Cardinalis Corſinius.

BEATUS JOSEPH CALASANCTIUS omni genere chriſtianæ virtutis excellens , velut alter Job a Deo probatus eſt & inventus eſt juſtus. Cum igitur miraculorum etiam gratia glorioſus ſit factus ; & Eccleſiam nova religioſæ familiæ prole fœcundaverit , æquum ac bonum eſſe arbitror, BEATISSIME PATER , ut ejus nomen in Sanctorum catalogo referatur.

FLAVIUS Sanctæ Mariæ in Porticu Diaconus Cardinalis Chiſius.

DEcet quammaxime, BEATISSIME PATER, ut pio , ſollemnique ritu recolenda decernatur eorum memoria , qui in terris cum degerant , Domino fide , & caritate adhærentes , unus eum eo ſpiritus ſunt effecti [1] ; ſpirituali hoc glutine BEATUM JOSEPHUM CALASANCTIUM toto vitæ ſuæ tempore , arctiſſime Domino adhæſiſſe ex eo maxime intelligimus , quod ſureotium inimicorum inſidiis licet undequaque exagitatus , ac moleſtiis ſupra modum afflictus , neque tribulatione , neque anguſtiis , neque famè , neque nuditate , neque periculis , neque perſecutionibus a caritate Chriſti potuit ullo modo ſeparari . Quin immo quum vera caritas nunquam excidat [2] Religioſorum hominum cœtu inſtituto , quem magnus patruus meus Alexander VII. Chriſtianæ Reipublicæ magnopere utilem futurum intelligens , ferme jacentem erexit ; in id totus incubuit BEATUS JOSEPHUS , ut perenne apud nos eſſet ſuæ in Deum immenſæ , & in proximum caritatis teſtimonium . Optime meritum itaque virum de Chriſtiana Republica , heroicis cumulatum virtutibus , egregiiſque fulgentem ſignis, ut fidelium venerationi ſollemni decreto, BEATISSIME PATER, proponas , æquum eſſe exiſtimo.

ALOYSIUS S. Agathæ Gothorum Diaconus Cardinalis Torrigiani.

BEATUS JOSEPHUS CALASANCTIUS a Matre Dei nuncupatus , BEATISSIME PATER , inter Aragonios ortus , ab ineunte ætate , omni virtutum genere commendatur . Romæ fundamenta jecit novi perutilis Ordinis Clericorum Regularium Scholarum piarum, quo in opere SANCTI VIRI tum caritas , tum etiam

1 *I. Corinth. 6. 17.*

2 *I. Corinth. 13. 8.*

etiam patientia eminenter effulget. Nam cum miſeriores pueros in triviis neglectos, atque omni diſciplina deſtitutos adoleſcere conſpexerit, caritatis æſtu compulſus ad eos inſtruendos ſe totum convertit. Sociis autem in partem laboris adſcitis, & Congregatione ad hanc piiſſimam exercitationem coacta, domi, foriſque innumeras calamitates patientiſſime devoravit. Prodigiis, cæleſtibus viſionibus, ac prophetiæ dono, dum vixit, pluribuſque miraculis poſt mortem a Deo illuſtratus, Beatorum faſtis ex decreto ſan: mem: Benedicti XIV. adſcriptus fuit. Poſtea vero cum Sancti Viri fama, novis in dies miraculis percrebuerit, reliquum propterea eſt, Beatissime Pater, ut qui fuit eximiæ caritatis, & patientiæ exemplar, novumque Ordinem poſteris reliquit ad plurimas Provincias propagatum, ſupremis honoribus in Eccleſia decoretur.

JOANNES CONSTANTIUS S. Cæſarei Diaconus Cardinalis Caracciolo de Santa Bono.

Si Beati Josephi Calasanctii pueritiam intueor, religionem erga Deum ætate ſuperiorem invenio: ſi adoleſcentiam, ob eximiam prudentiam, ac vitæ ſanctimoniam, Joſepho Patriarchæ comparandum cenſeo; ſi reliquum denique ejus vitæ curſum, perpetuam, conſtantemque virtutum, quæ in Dei cultu, proximorum utilitate, corporiſque afflictatione verſantur, palæſtram deprehendo: Quorum omnium, ut diuturnior recordatione, & uberior conſtaret effectus, Eccleſiam nova ſobole ditavit. Signa de Cælo, quæ ejus vitam, mortemque pretioſam in conſpectu Dei oſtenderent, non defuere. Remanet igitur, ut a Sanctitate Vestra triumphantium militum corona donetur etiam in militanti Eccleſia, in qua ſemper pugnavit fortiter, atque auxiliante Deo mundum, carnem, & dæmones devicit.

NICOLAUS S. Georgii ad Velum aureum Diaconus Cardinalis Perrelli.

Josephus Calasanctius ita de Chriſtiana Republica meritus eſt, ut ex iis unus videri poſſit, quos diverſis temporibus Dei providentia ad publicam utilitatem in Eccleſiam immiſit. Nam cum præterito ſeculo multæ ubique paterent ſcholæ gratuitæ, in quibus juventus politioribus litteris, ac bonis moribus informabatur, parvulos vero ex infima plebe pueros primis litterarum rudimentis imbueret nemo, hanc in ſe curam ipſe caritatis plenam recepit, hanc ſuæ diſciplinæ alumnis impoſuit, inſtituto in id Ordine Pauperum Matris Dei, a quo nemini, quantumvis inopi abjectoque, deeſſe poſſet apta educatio. Cunctis præterea floruit virtutibus, quæ cadere in hominem religioſiſſimum poſſunt. Sed miranda in primis ejus patientia, quam moleſtiæ tales ac tantæ domi, foriſque exercuerunt, ut eum Benedictus XIV. alterum ætatis ſuæ Jobum appellare non dubitaverit. Talis ergo cum fuerit Calasanctius, & inſuper ſanctitatem ejus eximiam multa ſubinde miracula comprobarint, æquum plane eſt virum talem Sanctorum honoribus inſigniri.

ANDREAS S. Angeli in Foro piſcium Diaconus Cardinalis Corſinius.

Plures genuit Hiſpania terra homines *divites in virtute* [1], qui fundamenta jecerunt Regularium Ordinum, quorum *circumamicta varietatibus* [2] Eccleſia eſt, veluti *caſtrorum acies ordinata* [3], & inter hos Beatum Josephum Calasanctium, pro cujus ſanctitudine Altiſſimus miraculorum voce fidem interpoſuit; libenter itaque ſubſcribo, Pontifex Maxime, dum illum inter Sanctos referre intendis.

AN-

1 *Eccl. cap.* 44. 2 *Pſal.* 44. 3 *Cantic.* 6.

ANDREAS SS. Viti, & Modeſti Diaconus Cardinalis Nigronus.

NEminem fuiſſe arbitror, BEATISSIME PATER, qui JOSEPHI CALASANCTII adhuc pueri modeſtiam, moreſque ſuſpiciens in ſortem Domini vocatum eum eſſe non intelligeret; fremente humani generis hoſte, qui ut eum de gradu dejiceret, ad omnia confugit arma, cernens ſe vinci a puero, ejuſque exemplo, ac operibus tenebrarum regnum in poſterum labefactari poſſe. Omnia relinquens, eum ſequutus, qui diligentibus dat coronam immarceſcibilem, aſperrimam ſibi conſtituit vivendi rationem. Quod eſt honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui eſt ejus ſpiritus ſuper eum cum requieſceret, totus ſemper fuit in procuranda animarum ſalute, & mirum, quam cunctis ordinibus ſtudio, ac doctrina profuerit, quot labores, calamitates, adverſa in inſtituendo præcipue Scholarum piarum Ordine ſuſtinuerit; ita permittente Deo, ut patientiæ, ac humilitatis præberet exemplar. Nil propterea eſt, BEATISSIME PATER, ut videtur, quare in Cælitum numero non ſit reponendus.

ÆNEAS SYLVIUS S. Adriani Diaconus Cardinalis Piccolomineus.

NOvum, BEATISSIME PATER, religioſæ militiæ genus, nova ſoboles, novum in vinea Domini germen, atque propago virtutum, quas Servus Dei CALASANCTIUS ad ornamentum Eccleſiæ, ad proximorum utilitatem, ad religionis præſidium aſſiduos per labores, per tribulationes, & plagas magno ſumptu, magno periculo, & invicta animi magnitudine, atque patientia, & caritatis inextinguibili vi inſtituit, irrigavit, plantavit, poſtulare quidem videtur abs te, ut ſollemni & publico ritu Sanctorum tandem honores pro tua ſapientia decernas Venerabili, & SANCTO VIRO de Religione, & Republica optime merito, qui nihil antiquius habuit in toto innocentiſſimæ vitæ curriculo, quam proximorum utilitati inſervire, quam parvulis panem frangere, & pauperum puerorum curam ſuſcipere, quos ille cum efformaret ad litterarum & religionis prima elementa doctiſſimus plane vir, tum magnum ſapientiæ fructum ſe capere exiſtimavit, qui Hiſpaniam, qui urbem Romam moribus, exemplis, miraculis illuſtravit, qui pro ſalute animarum, pro cauſſa Dei & agere, & pati fortiter aſſuetus vitam undequaque ſanctiſſimam ſanctiori morte concluſit.

Quapropter id unum reſtat, ut cultum B. VIRO communi jam voluntate delatum Apoſtolica auctoritate decernas, & tuo judicio confirmes.

SAVERIUS S. Mariæ de Scala Diaconus Cardinalis Canale.

QUandoquidem Eccleſiaſticus veterem Hebræorum edocebat Eccleſiam, ut illorum præſertim virorum ſollemnem celebraret memoriam, qui, cum vitam vixiſſent ipſi omni pietate pleniſſimam; magna etiam bona in poſteris ſuis reliquiſſent populo Dei: *Viri miſericordiæ, quorum pietates non defuerunt, cum ſemine eorum permanent bona... Semen eorum, & gloria eorum non derelinquetur... Sapientiam ipſorum narrent populi, & laudes eorum nunciet Eccleſia* [1]: nil dubito, quin in nova noſtra formoſiſſima Eccleſia Chriſti eo debeat ſollemniori ritu, qui decet Viros glorioſos in Sanctorum canonem relatos, celebrari memoria viri beatiſſimi JOSEPHI CALASANCTII; non ſolum etenim ipſe, qui ab ineunte pueritia ad exitum uſque longævæ ſatis vitæ ſuæ partim in Hiſpania, in qua natus, partim traductæ in hac urbe Roma, quo vocatus a Deo, nunquam a via deflexit juſtorum, ſed procedens de virtute in virtutem, per aſcenſiones, quas diſpoſuerat in corde ſuo, faſtigium attigit ſanctitatis. Non ſolum ipſe, qui æmulatus chariſmata meliora, plenus meritis, clarus miraculis, fide ſervata, juſtitiæ curſu feliciter conſummato, attritus laboribus, conſumptus ærumnis, jejuniis, & jugi corporis maceratione mortem, præſente, & opem feren-

1 *Eccleſiaſtic. cap. 44. v. 10. & ſeq.*

ferente Deipara, obivit pretioſam in oſculo imaginis Jeſu Chriſti crucifixi: verum præterea etiam ipſe, qui, depoſito corpore virgineo odore fragrante, ſpiritu ingreſſus in Cælum, multa militanti noſtræ Eccleſiæ bona reliquit in inclyto Clericorum Regularium Scholarum piarum Ordine a ſe incredibili pene labore, fruſtra obnitente diabolo inſtituto, ex quo dicere non eſt neceſſe, quantum Chriſtiana Reſpublica emolumenti acceperit, & accipiat in dies. Quare æquum utique cenſeo, ut Josephus Calasanctius, qui & ſuarum fulgore virtutum, & præclari ſui Ordinis inſtitutione militantem adeo illuſtravit Eccleſiam, firmiſſimo Sanctitatis Vestræ oraculo, id ipſamet tota militante poſcente Eccleſia, de Beatorum catalogo glorioſius ad album evehatur Sanctorum.

BENEDICTUS SS. Coſmæ, & Damiani Diaconus Cardinalis Veterani.

Etſi præclare geſta a Beato Josepho Calasanctio ſatis aperte declarent, illum jam epulari in conſpectu Dei, & delectari in lætitia, utpotequi heroicam fidem habuerit per dilectionem jugiter operantem, & ad rudium, & egenorum ſubſidium oleum miſericordiæ in vaſe fiduciæ poſuerit, reliquaſque virtutes fœdere quodam colligatas in ſe uno expreſſerit; ſingularis tamen præ aliis in eo eluxit patientia, qua adverſa quæque ſuſtinuit, cujus condimento palato cordis reddidit dulcia, quæ videbantur amara, & qua vir ſtrenuus reluctantis animi motus, tamquam in camo & fræno conſtrinxit. Si itaque divinum admonet eloquium, quod vir patiens melior ſit forti, & qui dominatur animo ſuo expugnatore urbium; hæc potiſſima apud me eſt ratio, ob quam debita eidem præcipui honoris acceſſio in militanti Eccleſia videatur.

DOMINICUS Jordanus Patriarcha Antiochenus Aſſiſtens.

Beatissime Pater. Cum Beatus Josephus Calasanctius a Matre Dei nuncupatus per longævum totius vitæ ſuæ curriculum tot dederit heroicarum virtutum exempla, ac maxima in univerſam Eccleſiam ſibi merita conquiſierit, præcipue vero novi Ordinis Scholarum piarum inſtituto maxima pauperum, proximique utilitate; ac tam in vita, quam poſt mortem illius interceſſione quamplurima vere ſtupenda a Deo patrata ſint miracula: eæque virtutes, ac miracula acri rigidoque judicio conſuetis ritibus ſint diſcuſſa, ac probata, jure, meritoque huic ſanctiſſimo Viro cæleſtes ſollemneſque honores decerni poſſe cenſeo, ut ſicuti a Deo, eum jam fuiſſe coronatum in Cœlis, tot argumenta pro certo convincunt, ſic eumdem a Sanctitate Vestra Vicaria Chriſti poteſtate poſſe etiam coronari in terris, adhortantur.

GEORGIUS de Laſcaris Patriarcha Jeroſolymitanus Aſſiſtens.

Si præter omnes chriſtianas virtutes in gradu heroico ab incunnabulis ferme a Beato Josepho Calasanctio Congregationis Clericorum Regularium Matris Dei Scholarum piarum Fundatore ad ſera uſque ſui fata conſtantiſſime exercitas, ſi præter inſignia, quæ in vita, & poſt mortem patravit miracula, unam hujus præclariſſimi viri conſidero in adverſis animi firmitatem, ac patientiam invictiſſimam, eum puto tolerantiæ miraculum juſtiſſime nuncupandum, in Eccleſiæ faſtis nemini forte ſecundum; & ideo uti rarum, ac eximium patientiæ chriſtianæ exemplar, ac fidelium tribulatorum ſingulare præſidium ſpecialiſſimo Beatitudinis Tuæ decreto canonizandum.

FRAN-

Digitized by Google

FRANCISCUS Carafa Trajectus Archiepiſcopus Patrarum Aſſiſtens.

BEATISSIME PATER. BEATUS JOSEPH CALASANCTIUS, qui vitæ candorem adeo ſervavit, ut poſt obitum quoque illum cuſtodire velle ſingulari adſtantium admiratione viſus fuerit, qui inutilem ſibi vitam recenſuit, niſi cujuſque ætatis homines in vias rectas deduceret; qui ærumnas, opprobria, & vincula ſuſtinuit, ſemper in caritate fervidus, in contemplatione ſublimis, in patientia ſingularis, qui pluribus miraculis clarus ſe præbuit, exigit, ut aliorum incitamento in Sanctorum albo recenſeatur.

JOANNES Lercarius Archiepiſcopus Hadrianopolitanus Aſſiſtens.

BEATISSIME PATER. Arduam mandatorum Domini viam, quam BEATUS JOSEPH CALASANCTIUS ab ipſa pene infantia hilariter arripuit, fortiter ſemper tenuit, & ad ultimam uſque ſenectutem feliciter conſummavit: primum in ſeculo poſitus immaculatum ſe cuſtodivit ab hoc ſeculo: meliora deinde charismata æmulatus totum ſe Domini ſui gloriæ, & proximorum ſaluti mancipavit. Sed quoniam ejus caritas, velut in igne probanda erat, adeo maximas inimicus homo ſuſcitavit adverſus eum tempeſtates, ut nullum fuerit calumniarum genus, quo contumelioſe, ac impudenter non impeteretur. Ipſe vero non ſecundum carnem ambulans, ſed ſecundum ſpiritum omnia patienter, omnia fortiter, hilariter omnia ſuſtinuit, nunquam ſeparatus a caritate Dei. Rationem demum poſuit Dominus cum Servo ſuo, qui multiplicata offerens ſibi tradita talenta in gaudium Domini ſui lætus intravit: ſupereſt igitur, ut inter Sanctos adſcriptus eam conſequatur in terris gloriæ coronam, quam Deus juſtus judex illi reddidit in Cælis.

D. INNOCENTIUS Gorgoni Archiepiſcopus Emiſſenus, olim Epiſcopus Pinnen., & Hadrien. Aſſiſtens.

QUÆ BEATUM JOSEPHUM CALASANCTIUM Scholarum piarum Inſtitutorem ſanctiſſimum præ cæteris diſtinguunt, ea in caritate, quæ major omnium virtutum eſt, fundantur. Caritas ex Apoſtolo patiens eſt, benigna eſt, omnia ſuffert, omnia ſuſtinet. Quantum eo caritatis dono VIR DEI effulſerit, ea omnia, quæ pro ſalute proximorum, juventutis præſertim, multifariam ſuſcepit, benigneque exercuit, & ludibria, pericula, quæ ad mortis uſque diſcrimen magna animi conſtantia pertulit, abunde prædicant; adeout jure optimo fel. record. Benedictus XIV. eum, nedum eum Jobo comparandum, ſed alterum ætatis ſuæ Jobum patientiſſimum nuncupandum eſſe dixerit. Par itaque & æquum eſt, BEATISSIME PATER, ut Sancti laudem, quam ex ore infantium in terris dedit illi Dominus, oraculum SANCTITATIS TUÆ penitus perficiat.

Fr. JOANNES BAPTISTA Colombini Archiepiſcopus Beneventanus Aſſiſtens.

BEATI JOSEPHI CALASANCTII memoriam in benedictione eſſe, ac per te, BEATISSIME PATER, ſimilem fieri in gloria Sanctorum non ſolum cenſeo, & flagito, ſed magis expoſtulant quæ in vita ſua fecit mirifica virtutum opera, & quæ poſt ejus mortem ſtupenda ſigna operatus eſt Deus in oſtentionem ſanctitatis Servi ſui. Neque enim, dum ea conſidero, que geſſit JOSEPHUS, ſive ut prohiberet gentem a peccatis, ſive ut proximos adduceret ad pietatem, ac ſcientiam, ſive ut linguas malignantium humiliter, ac manſuete perferret uſque ad ſenectam, & ſenium quidquam aliud ſentio, aut video niſi gloriam virtutis magnæ. Narrant porro qui ab eo nati ſunt filii, & quanta cum animi fortitudine ipſorum domos erexerit, & quanta conſtantia, jam prope collabentes ſuſtinuerit, ac fecerit ſtare. Narrant quomodo JOSEPHI oſſa pro-

prophetaverint [1] nec tam in ſuæ ſanctitatis argumentum, & decus, quam in ipſorum præſidium, & munimen. Quare ſi viros glorioſos & divites virtute laudare oportet [2] dic quæſo, BEATISSIME PATER, omni Eccleſiæ *laudate eum quoniam Sanctus eſt*.

SCIPIO Burgheſius Archiepiſcopus Theodoſiæ Aſſiſtens.

SIngulari Dei providentia factum vidimus, ut BEATUS JOSEPH a Matre Dei natale Hiſpaniarum ſolum relinquens ad hanc ipſam Urbem appulerit, nedum, ut in ea pueros legem vitæ, & diſciplinam doceret [3], verum etiam, ut fidei, ſpei, caritatis, ceterarumque virtutum omnium ſpectaculum effectus, ut inquiebat Apoſtolus [4] mundo, angelis, & hominibus, veluti lucerna ſupra candelabrum poſita ſanctitatis ſplendores longius lateque diffunderet; & in ea novam religioſiſſimam familiam ad Eccleſiæ, & Reipublicæ commodum inſtitueret; hinc, PATER BEATISSIME, tuæ religionis, ac pietatis erit ſollemni ritu eumdem Sanctos inter adnumerare.

IGNATIUS Reali Archiepiſcopus Athenarum Aſſiſtens.

ARdentiſſima in Deum, & proximum caritas in corde BEATI JOSEPHI CALASANCTII a Matre Dei diffuſa, omnia, quæ mundi ſunt, ſpernere, & conculcare, nihilque aliud, niſi, quæ Dei ſunt, quærere edocuit, ac proximorum ſaluti proſpicere. Factus enim omnibus omnia; & in anguſtiis, & in tribulationibus adjutor illis; & conſolator ſe præbuit: potiſſimum, dum lues hac in ipſa Urbe luctuoſiſſime graſſabatur, is cæleſti caritate adeo erat incenſus, ut, omni deſpecta ſui incolumitate, huc, illucque diſcurrens impavidus indigentiis eorum conſuluerit: neve diſſimilis fuit ejus ratio in pauperibus edocendis adoleſcentibus, qui, quum maximo animarum, & Reipublicæ detrimento ſe inertiæ, deſidiæque dediſſent, eorum animæ, corporiſque ſaluti conſulens, Congregationis Scholarum piarum Inſtituto providit.

Admirabilis quidem, & invicta ejus patientia fuit, qua calamitates ac adverſa omnia, & præcipue flagitioſiſſimas eas in ſe calumnias, quæ, ut in dirum hoſtem ſibi acerrime inſigebantur, alacri animo, ac forti pertulit. Idcirco jure, meritoque dici poteſt, ut ipſius fides per ignem probata, laude, & gloria plena inventa ſit; & per ipſam a Chriſto Domino ad æternam in Cælis aſſequendam retributionem BEATUS JOSEPH fuerit evocatus.

Tanta autem, & talia, & ita heroica hæc ſunt, BEATISSIME PATER, ut BEATO JOSEPHO CALASANCTIO nil ſit ambigendum, quod a SANCTITATE VESTRA ſummi in terris honores decernantur.

FRANCISCUS SAVERIUS de Zelada Archiepiſcopus Petrenſis Aſſiſtens.

QUI fecerit, & docuerit, dicente Domino [5] *hic magnus vocabitur in Regno Cælorum*. Utrumque ſingulari quadam ratione pleniſſime complevit B. JOSEPHUS CALASANCTIUS. Fecit enim, & docuit non jugi modo chriſtianarum virtutum exercitatione; & frequentiſſimis veræ perfectionis exemplis; verum etiam puerorum animis, præſertim egentium, pietate & litteris inſtituendis ſeque, ſuoſque alumnos ſollemni voto addicendo. Supereſt itaque, BEATISSIME PATER, ut quem magnum in Cælis eſſe ex dominica ſententia, & ex pluribus miraculis confidimus, eumdem tua quoque auctoritate, ac judicio in Sanctorum numerum relatum eſſe magnopere lætemur.

BERNARDINUS Giraud Archiepiſcopus Damaſcenus Aſſiſtens.

SPlenduit BEATUS JOSEPH CALASANCTIUS, dum vixit, eximia puritate, quam ab adoleſcentia ad ſupremam uſque ſenectu-

1 *Eccleſiaſtic. 49. 8.*
2 *Eccleſiaſtic. 44. 16.*
3 *Eccleſiaſtic. 45. 6.*
4 *I. ad Corinth. 4. 9.*
5 *Math. 5. v.19.*

tem diligentiſſime cuſtodivit; caritate erga proximum ſingulari, quam toto vitæ ſuæ tempore mirabiliter exercuit; invicta in adverſis ferendis patientia; omnibus denique ſplenduit chriſtianis virtutibus; multis inſuper claruit miraculis, quibus Deus Servi ſui gloriam manifeſtare dignatus eſt; & hæc quidem omnia adeo probata ſunt, ut nulla ſupereſſe poſſit dubitatio. Iure igitur cenſeo per SANCTITATEM VESTRAM inter Sanctos recenſendum eſſe.

FRANCISCUS MARIA Piccolomineus Epiſcopus Pientinus Aſſiſtens.

Annuendum eſſe ex animo cenſeo Chriſtianæ Reipublicæ votis, quæ humiliter, ac enixe petit, BEATISSIME PATER, infallibilis Sanctæ Sedis Apoſtolicæ decreto redimiri in terris BEATUM JOSEPHUM CALASANCTIUM ea juſtitiæ corona, quam a Domino in Cælis jam recepit. Virtutes enim omnes, & præcipue theologicæ, quibus ſe in gradu heroico præditum CALASANCTIUS exhibuit, eum ſanctimonia excelluiſſe comprobant. Sanctitatis autem famam ei pepererunt non tantum immenſi labores, quos pro erigenda Scholarum piarum Congregatione imbuendis pietate, ac litteris cujuſcumque ordinis juvenibus addicta ſuſcepit; verum etiam adverſa graviſſimæ injuriæ, & calumniæ, quas adeo patienter toleravit, ut judicio ſa: me: Benedicti PP. XIV. veluti alter ſuæ ætatis patientiſſimus Jobus dici mereatur. Demum divina providentia factum eſt, ut pluribus etiam, inſignibuſque in Eccleſia jam clareſcat miraculis.

PHILIPPUS Mornati Epiſcopus Sutrinus, & Nepeſinus Aſſiſtens.

BEATISSIME PATER. Quod diuturna ſatis, ac matura diſcuſſione virtutum, atque ſignorum, quibus Dominus illuſtrare voluit in terris BEATUM JOSEPHUM CALASANCTIUM, omnibus Romanæ Eccleſiæ Patribus, qui in præſentibus Comitiis ſuffragium tulerunt, plenius innotuit, ut inter recentiorum Ordinum Fundatores ad chriſtianæ perfectionis viam oſtendendam, atque aſſequendam rite queat recenſeri, nullum mihi ambigendi locum relinquit, quin communibus ſuffragiis meum qualecumque votum adiiciam, ſimulque in ſpem erigar, ut cum illum in ſolio gloriæ ſuæ Sancta Mater Eccleſia diademate honoris expreſſo ſigno ſanctitatis, & opere fortitudinis coronabit, ſtudioſæ juventuti in evangelicæ doctrinæ rudimentis, in irreprehenſibili morum educatione, atque in humanis, diviniſque litteris alacrius proficiendi, perenne incitamentum meritis ejuſdem Sancti Fundatoris in fortitudine ſua, dum viveret, mirifice gradientis, in dies magis, magiſque ſit augendum.

Fr. JOACHIM MARIA Pontalti Epiſcopus Aſcalonites Aſſiſtens.

BEATISSIME PATER. Non eſt, cur diutius hæreat religio noſtra in colendo peculiari ſanctitatis titulo B. JOSEPHO CALASANCTIO; vota etenim hujuſce almæ Urbis, preces Regum, ac Principum, juſta deſideria Religioſæ familiæ Patrum Scholarum piarum hoc unum intendunt, ut in hoc fideliſſimo, ac prudentiſſimo Dei miniſtro Deus ipſe peculiariter honorificetur. Hæret quidem mens mea in enucleandis ejuſdem virtutibus, & prodigiis, quibus D. O. M. & vitæ ſanctitatem, & gloriæ adeptionem teſtatam voluit; zelus quippe fidei evangelizandæ adeo fervens, & efficax fuit, ut tamquam Apoſtolus haberetur: ſpes autem non in defectibilibus mundi rebus, ſed in ſola Dei providentia fuit ſemper repoſita: caritas vero, quæ nunquam excidit, & quæ in æternum coronatus in Cælis refulget, fuit tam excellens, ut Seraphinis ipſis comparandus ab omnibus judicaretur; quia tamen ſolius hujuſce Sanctæ Sedis eſt BEATI JOSEPHI CALASANCTII ſanctitatem orbi Catholico declarare, nomine Romæ totius, nomine Patrum Scholarum piarum, nomine fidelium omnium ejuſdem ſanctitatem admirantium, ut inter Sanctos collocetur, humillime & ipſe efflagito.

Fr.

Fr. NICOLAUS ANGELUS MARIA Landini Epiſcopus Porphyrienſis Aſſiſtens.

BEatissime Pater. Præter omnes chriſtianas virtutes ſummo loco, dum vixit, a B. Josepho Calasanctio habitas, præter miraculorum ante, & poſt obitum ſplendorem, quibus toto Chriſtiano orbi illuxit, patientiæ tamen, & heroicæ animi conſtantiæ admirandum, & pene ſingulare præbuit exemplum. Non enim una tantum calamitas eum aggreſſa eſt, ſed multæ imo pene innumeræ, ac tanti ponderis, ut ipſum omnino opprimere debuiſſent. Has autem Vir Dei pacato ſemper pertulit animo, imo & ipſis tam grato perſecutoribus, ut peculiaris miraculi ſpeciem præſeferat. Quid ultra igitur expectandum, ut Sanctitas Tua tanto Viro ſummos decernat honores, qui ſumma præbuit ſanctitatis argumenta? Hoc univerſis Jeſu Chriſti cultoribus gratum fore arbitror; hanc novam lucem Ordini Scholarum piarum, cujus Vir ille fundamenta poſuit, accedere poſſe gratiſſimum.

NICOLAUS Gagliardi Epiſcopus Alatri Aſſiſtens.

COnſentaneum æquitati eſt, Beatissime Pater, ut qui pro gloria Dei, proximorumque utilitate in agro militantis Eccleſiæ laboravit, mercedem recipiat. Quanta enim vero, & qualia cumulaverit merita Beatus Joseph Calasanctius probant heroicarum monumenta virtutum, quibus ejus vitæ ſanctitatem multis etiam ab obitu ſignis teſtatam Deus ipſe voluit, variaque Pontificum oracula ſæpius declararunt. Illud autem mirabile in primis eſt, prorſuſque divinum, quod cum hic filius accreſcens militantem Eccleſiam nova ſobole fœcundaret, tot contra Calasanctium ejuſque Ordinem obortæ ſunt tempeſtates, ut niſi major fuiſſet illius virtus, quam ut ulla hominum vi, vel inferorum invidia deiici, aut mutari poſſet, facile viciſſent cujuslibet hominis conſtantiam.

Bene autem de fide ſenſiſſe conſtat ea ſpiritu ſapientiæ, & intellectus, qui ſuper hujuſmodi hominem requievit, adeo enim per omnem vitæ curſum ad divina raptus eſt, ut rerum omnium caducarum oblitus ſolum Deum agnoſceret, ſoli Deo viveret, ſoli Deo vacaret. In votis igitur omnium eſt, Beatissime Pater, ut per ſacrum, & publicum cultum jam decretum fiat in præſentis ſeculi calamitatibus omnium adjutor fortis, qui prodigium factus eſt multis.

CLEMENS MARIA Bardini Epiſcopus Aquipendii Aſſiſtens.

DIuturni pro Dei honore labores invicta in doloribus, & adverſis, dum vitam ageret, patientia Beatus Joseph a Calasanctio, ſanctum, ac perutile Inſtitutum, cui jecerat fundamenta, necnon virtutes, quibus ſpectaculum factus eſt mundo, Angelis, & hominibus: mundo, quem deſpexit; Angelis, quorum caſtitatem, adhuc inanimis, & anxium miniſterium in animarum ſalute procuranda totis animi viribus eſt imitatus; hominibus, quos docuit, & adhuc docet per alumnos ſuos, Cælo per miracula plaudente, arbitror Beatissime Pater, ut Angelorum civis, & ſocius Eccleſiæ judicio declaretur.

STEPHANUS Evodius Aſſemannus Archiepiſcopus Apameæ.

QUod raro evenire ſolet, Beatissime Pater, id mihi contigiſſe gratulor, & vehementer gaudeo. Judex quippe auctoritate Apoſtolica conſtitutus, præcipuam contuli operam ad acta conficienda, per quæ in Beatorum numerum relatus eſt B. Josephus Calasanctius: eodem inſignitus munere actis præſui, per quæ fore confido, ut illius nomen ſollemni ritu ſacris dypticis quamprimum adſcribatur. Id ſane expoſtulat ſpectatiſſima ejus virtus, & quæ apud Deum plurimum valet miraculorum gratia. Hæc ſunt etiam univerſi Catholici orbis vota, & chriſtianæ præſertim juventutis, cui

prædio validiſſimo, & dum viveret ſemper adfuit, & nunc, ut Parens optimus, ac Patronus ſtudioſiſſimus e Cælis patrocinatur.

ՅԱԿՈԲՈՍ Մեսրոպ Քէհեայ Առաբէլեան
Արքեպիսկոպոս Լամբրոնի և Տարսոնի
Կիլիկեցւոց Սահմանաց ազգաւ
Հայ.

Երանելի Հայր.

[illegible]

Ejuſdem verſio latina.

JACOBUS Meſrob Chiaja Araboli Archiepiſcopus Lampronenſis & Tarſis natione Armenus.

BEATISSIME PATER. B. JOSEPHO CALASANCTIO Ordinis Clericorum Regularium Scholarum piarum Fundatori, quem innocentem, & caſtum in maximo quoque diſcrimine quævis vitæ ſuæ ætas ſuſcepit, Sacerdotem ſanctitate, & doctrina præditum in profligandis hæreſibus potentem, in peccatoribus relargiendis aſſiduum, in ſeditionibus ſedandis integerrimum, prudentiſſimum habuerunt Eccleſiæ Lobetana, Illerdenſis, Urgellitana, Barcinonenſis; in pauperum ſublevandis ærumnis facilem, in ægrotantium ſervitio ſidiſſimum S. Camillo comitem, in adverſis perferendis fortem, & patientiſſimo Jobo perſimilem, in puerorum neceſſitatibus amovendis, documentis opem, caritate providiſſimum, omnibus omnia factum Roma primum mirata eſt, inde vero inſtituta ob id Clericorum familia orbis univerſus; ut debitos ſanctitatis honores ei miraculorum quoque gloria claro tribuat hæc Sacroſancta, & Apoſtolica Sedes precantur, & optant Hiſpani omnes, ejus filii Scholarum piarum Clerici, & Chriſtiana demum univerſa Reſpublica. Quibus precibus, votiſque & meas adiiciens ipſum pronus ante Apoſtolicæ Sedis thronum ego quoque iterum, iterumque expoſco.

JOSEPH SIMONIUS Aſſemannus Archiepiſcopus Tyri.

BEATISSIME PATER. Virtutes ſumme præſtantes, & miracula a Deo per interceſſio-

ceſſionem Beati Joſephi Calasanctii patrata, & maturo Congregationis Sacrorum Rituum judicio comprobata, ſatis ſuperque demonſtrant, hæſitandum minime eſſe, quin a Sanctitate Vestra nomen ejus inter Sanctos publico conſuetoque ritu ſit adſcribendum: idque eo præſertim, quod Josephus inſtituendo propagandoque in varias orbis terræ partes Scholarum piarum cœtu, de Catholica Eccleſia præclare eſt meritus, dignus proinde, cui in eadem Eccleſia ſupremi honores Apoſtolica auctoritate rependantur.

Fr. EMMANUEL Ballyet Epiſcopus Babyloniæ.

Beatissime Pater. Magnum eſſe in Regno Cælorum qui fecerit, & docuerit a Chriſto Domino didicimus. Magnus ergo prædicari debet Joseph Calasanctius, qui utrumque præſtitit quam perfectiſſime. Nam a prima ætate per totos nonaginta annos veterem hominem ita dejecit, ac profligavit, ut novus homo, qui ſecundum Deum creatus eſt, innocentia, caſtitate, pœnitentia, humilitate, patientia demum incommodorum omnium admirabili, atque invicta præditus ſit, atque celebratus. Docuit in Hiſpania Diœceſes Vicarius Generalis, docuit in Italia, docuit Romæ per quinquaginta annos, docuit in tota fere Europa vel per ſe, vel per ſuos ſpiritum intelligentiæ, ac pietatis juventutem, docuit ubique populum timorem, & caritatem, qua cùm perpetuo exæſtuaviſſet ſanctiſſimus Inſtitutor Scholarum piarum, tandem in cruce obiit, nempe in ea, in qua illum diabolicis machinis dejectus ac diſſolutus Ordo, & ut verbo uno dicam, fractum opus quinquaginta annorum affixerunt; magnum ergo hunc eſſe in Regno Cælorum minime dubito, cenſeoque per Beatitudinem Vestram Sanctorum cœtui eſſe ſociandum.

JOANNES de Vita Epiſcopus Reatinus.

Beatum Joannem Cantium in Sanctorum album referendum, non tam ſibi præeuntem, quam ſocium comitemque excipit Beatus Josephus Calasanctius Ordinis Clericorum Regularium Scholarum piarum Inſtitutor. Ita fiet, Pater Beatissime, ut majore Chriſtianæ Eccleſiæ non tam ornamento, quam bono duos illos Cherubim aſpiciamus in domo Dei extendentes alas, & tegentes propitiatorium, ſeque mutuo, & illud reſpicientes, alterumque alterius alam contingentem. Nam ſicut Cantii ſapientia, & magiſterio, cæteriſque virtutibus factum eſt, ut Catholica fides per univerſam Poloniam ſtaret, atque etiamnum efflореſcat; ita Calasanctius divinæ ſapientiæ partes tum fideliſſime, tum fortiſſime exequutus clamitavit ipſe primus per univerſas Catholici orbis plateas, atque per alumnos ſuos clamitat adhuc: *Si quis eſt parvulus veniat ad me, comedat panem meum, & vivat, & ambulet per vias prudentiæ.* Adverſa inſuper plurima, ut tantum fœtum in lucem ederet, aſperrima quæque, ut eductum ſervaret diutiſſime ad mortem, & ad miraculum uſque patientiæ perpeſſus, poſteaquam inter Cælites coronam, opus virtutis, & fortitudinis a Deo juſto judice accepit, æquum eſt, ut eamdem expreſſam ſigno ſanctitatis inter homines geſtet.

JOANNES BAPTISTA Filipponi Tenderini Epiſcopus Anagninus.

Exemplum perfectæ, conſumatæque virtutis omnino fuiſſe cenſeo Beatum Josephum Calasanctium in præcipuarum, & maxime difficilium exercitatione virtutum. Nam præter innocentiſſimam vitam, & ab animæ ſordibus puram, patientia, quæ opus perfectum habet fuit adeo eximia, & ſingularis, ut Jobi veluti effigies in illo non adumbrata, ſed prorſus expreſſa fuerit. Neque minus Jobi, quam Joſephi Hebræi in impudica muliere a ſe repellenda perfectus imitator extitit. Suæ pietatis erga Deum adhuc puerulus evidentia, deindeque ſemper majora argumenta dedit. Aliis vero, dum viveret, omni ratione profuiſſe non contentus curavit etiam, ut multi ad ſui exemplum in poſterum prodeſſent. Fuit quoque Vir iſte Beatus ante,

te, & poſt mortem miraculorum gloria celebris: quapropter nihil modo aliud reliquum eſſe arbitror, BEATISSIME PATER, niſi ut tua ſuprema auctoritate id honoris ei decernatur, quod Sanctis Viris deferri conſuevit.

PHILIPPUS BRUNI Epiſcopus Lyddenſis, & Suffraganeus Sabinenſis.

BEnedictus Deus, & Pater Domini Noſtri Jeſu Chriſti, Deus miſericordiarum, & totius conſolationis, qui me his temporibus reſervavit, hiſque tuis, BEATISSIME PATER, auctum beneficiis, ut ante pedes tuos pervolutus pro BEATO JOSEPHO CALASANCTIO Sanctorum faſtis adſcribendo preces offerre poſſim & vota. Nihil enim dulcius eſſe poteſt filio, quam expoſtulare parenti ſuo maximum in terris honorem, debitum quidem probatiſſimis virtutibus, ac in tanto conſeſſu ab ore omnium illi aſſertum, atque expetitum. Quod dum humili, atque obſequentiſſimo animo factum a me volo, futurum etiam puto, ut qui B. JOSEPH Romæ potiſſimum ſategit, ut inſtruendo ſpiritu pietatis, & intelligentiæ juvenum animos, certam vocationem ſuam, atque electionem faceret, quique patriis relictis Hiſpaniis Urbem hanc exemplo, caritate, laboribus eſt proſequutus, idem præſidio ſuo non deſinat de omnibus ejuſdem Ordinibus apud Deum aſſidue, feliciterque promereri.

Latis omnibus & per Cardinales, & per Epiſcopos de BEATO JOSEPHO CALASANCTIO ſuffragiis, BEATISSIMUS PATER reaſſumens ſermonem, ſummam, qua ex omnium Patrum, Præſulumque conſenſu affectus fuerat, lætitiam oſtendit.

GRatiſſima nobis accidit ſumma omnium veſtrum conſenſio, qua eo impellitur, quo jam inclinabatur animus noſter de utroque BEATO JOANNE CANTIO, & JOSEPHO CALASANCTIO in Sanctorum numerum referendis, ſed ferventior adhuc omnium noſtrum intendenda eſt ad Deum oratio, qui nos divina ſua luce colluſtret, cum de hac re graviſſima, & maxima ſententiam noſtram proferemus.

Statim ac SUMMUS PONTIFEX finem ſermoni impoſuit, ſtantibus adhuc Epiſcopis, ſedentibuſque Cardinalibus, Auguſtinus Sabbatucci Procurator Generalis Cameræ Apoſtolicæ Protonotarios Apoſtolicos, ut de actis in hoc ſemipublico Conſiſtorio Inſtrumenta conficerent, hiſce rogavit verbis.

„ Ego Auguſtinus Sabbatucci SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI, & Cameræ Apoſtolicæ Procurator Generalis rogo vos omnes Protonotarios, & Notarios Apoſtolicos hic præſentes, ut de ſententiis, conſilio, & unanimi conſenſu Reverendiſſimorum DD. S. R. E. Cardinalium, nec non Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, deque SUMMI PONTIFICIS oratione, ac deliberatione præhabitis ſuper ſollemni Canonizatione BEATORUM JOANNIS CANTII, & JOSEPHI CALASANCTII unum, vel plura, publicum, ſeu publica conficiatis Inſtrumentum, vel Inſtrumenta ad perpetuam rei memoriam.

Tunc R. P. D. Joannes Andreas Archetti Protonotariorum Apoſtolicorum de numero participantium prior ſuorum collegarum nomine reſpondit: *conficiemus*, atque Pontificios cubicularios, cæteroſque, qui circa BEATISSIMI PATRIS ſolium adſtabant in teſtes appellans, ſubjunxit: *vobis teſtibus*, & domum reverſus integram actionem ſuis tabulis conſignavit.

Sequuntur ſuffragia Eminentiſſimorum Patrum, & Reverendiſſimorum Epiſcoporum, qui, etſi Conſiſtorio non interfuerunt, tamen eadem ad R. P. D. Macedonium Sacrorum Rituum Congregationis Secretarium tranſmiſerunt.

Et primo de BEATO JOANNE CANTIO.

CA-

CAROLUS ALBERTUS Epiſcopus Oſtienſis, & Veliternus Sacri Collegii Decanus Cardinalis Guidobonus Cavalchini.

BEATISSIME PATER. JOANNIS CANTII ſingulares virtutes divinitus illuſtratæ ſequentibus ſignis, jam uſque ab ejus obitu non ſolum conſtanti hominum, perpetuaque fama celebratæ, ſed legitima, atque diuturna perveſtigatione probatæ hoc demum poſcere, & expectare videntur, ut ſit nomen ejus in numero Sanctorum. Etenim tanta fuit ejus pietas, ac religio in Deum, ut quotidie perduraret in templo, perſeveraretque in orationibus, & communicatione fractionis panis; Scripturas ſcrutaretur, ut ex iis fontibus Salvatoris hauriens, ſe, mortaleſque cæteros ſapientiæ ſalutaris aqua potaret. Quumque proſpexiſſet nunquam erraturum ſe, neque in errorem quemquam miſſurum, ei ſi adhæſiſſet, cui fuit impoſitum a Chriſto onus ovium paſcendarum, Sedi Petri obſequens, atque obediens in omnibus ſe præbuit probe noſcens ipſam eſſe petram, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ. Neque in fide tantum, ac verbo exemplum fidelibus fuit, ſed in converſatione etiam, in caritate, in caſtitate. Qua ſane caritate Pater pauperum fuit, adeo ut egeni, vagique, in quibus Chriſtum contemplabatur, inducti ſint in domum ejus, ac ſedeant etiam nunc alanturque in medio Doctorum. Has itaque ad virtutes, veluti formas cæteris datas ad imitandum, ſperare fas eſt, quod, ſi JOANNES nova Sanctorum ſtolæ gloria induatur, Eccleſia univerſa reſonet laudationem Dei, Orthodoxi quique majorem in modum æmulentur chariſmata meliora, & præclariſſimum Poloniæ Regnum tanti Patroni magis, magiſque munitum præſidio ex unanimi populorum conſenſione, in vera Chriſti caritate quieſcat.

PETRUS PAULUS Tituli S. Stephani in Monte Cælio Preſbyter Cardinalis de Comitibus.

ETſi Sanctorum, qui in Eccleſia triumphante cum Chriſto regnant, BEATISSIME PATER, ingens peneque infinitus ſit numerus, S. Joanne ſua in Apocalypſi dicente: *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat*, nonnulli tamen ſunt, quos ſpeciali providentia elegit Deus, ut in Eccleſia militante altaris honore donentur, Sanctorumque albo ſcribantur.

Inter hos recenſendum eſſe jure cenſeo JOANNEM CANTIUM Presbyterum ſecularem virum Polonum ſanctitate, & doctrina celeberrimum.

Hic cæteras inter virtutes, quibus mirabiliter effulſit, humilitatem, quoad vixit, ardentiſſime dilexit, atque ſategit omnino, ut hæc virtus altiſſimas ejus in corde defigeret radices; nam in Cracovienſi academia Sacræ Theologiæ Doctor cum eſſet, atque ob doctrinæ præſtantiam, vitæque innocentiam, commendaretur ab omnibus, abjectiſſimum fovit ſemper ſui contemptum, & exoptavit quammaxime, & quæſivit, a laudibus honoribuſque abſtinuit, ingeniique ſui capacitatem non oſtentare modo, ſed omnino etiam celare diligenter ſtuduit, ne a chriſtianis inſtitutis nec leviter deficeret.

Tanti VIRI ſanctitatem, miraculis in ejus vita teſtatam, teſtatam quoque poſt mortem voluit Deus. Ex miraculis vero, quæ poſt JOANNIS obitum ejus meritis a Deo Optimo Maximo patrata fuerunt, rigoroſo præmiſſo in Sacrorum Rituum Congregationibus examine, quinque jam a te, BEATISSIME PATER, probata cum ſint, nil amplius hacce in Cauſa deſideratur, ſi ſolam ſollemnis Canonizationis ſententiam excipiamus. Hanc a te Chriſti Vicario univerſa expectat Eccleſia, ut novum habeant fideles humilitatis exemplum quod imitentur; hanc expectat præſertim inclyta gens Polona, difficilibus maxime hiſce temporibus, ut ſicut Catholicæ Fidei adverſus hoſtes propugnatorem habuit JOANNEM cum mortalem in terris ageret vitam, ita & nunc interceſſorem habeat apud Deum, cum quo regnat in Cælis, ut diſſidentium, hæreticorumque moleſtias a Polonia avertat.

PHI-

PHILIPPUS JOSIAS Caucci Patriarcha Conſtantinopolitanus Aſſiſtens.

EGregia humilitas cum ingenii præſtantia; evangelica ſimplicitas cum ſubtilitate ſcientiæ, delata honorum inſignia cum contemptu illorum, & ſuga; pura inter graſſantes hæreſes doctrina cum pari vitæ, & morum integritate; & reliquæ virtutes omnes in BEATO JOANNE CANTIO claris poſt obitum illuſtratæ miraculis ita eluxerunt, ut merito inter Sanctos ritu ſollemniore adſcribendus eſſe videatur. Exinde enim fiet, BEATISSIME PATER, ut omnes quidem fideles, ſed ii potiſſimum, qui ſacras litteras profitentur, exemplum capere poſſint; illi quidem, ut faciant, quæ docentur; hi autem, ut doceant ſimul, & faciant.

FRANCISCUS MATTHÆJUS Patriarcha Alexandrinus Aſſiſtens.

TAnta ſunt, quæ vivens dedit eximiæ ſanctitatis ſpecimina BEATUS JOANNES CANTIUS, ut jure merito univerſi lætentur Eccleſiæ Ordines, dum ejus Canonizationis negotium pertractatur. In ejus namque geſtis nil non elucet, quod præclarum non ſit, quod non vere admirandum: ſed inter cætera duo præclariſſima viſa ſunt mihi ſedulo cogitanti, & quod homo in ſeculo degens, quam ſibi propoſuit, vitæ ratione eos, qui Aſceteria incolunt, & ſeverioribus diſciplinæ legibus ſubiiciuntur, longe ſuperarit, & quod cum inſigni ingenii, doctrinæque præſtantia, qua in academia Cracovienſi Doctor renunciari, aliiſque promeruit honoribus decorari, miram conjunxerit humilitatem, quam D.O. M. æque, ac alias fidelis Servi virtutes, coruſcantibus inde ſignis dignatus eſt illuſtrare: magnum idcirco, BEATISSIME PATER, militanti Eccleſiæ decus acceſſurum exiſtimo, ſi ejus nomen in Sanctorum album referatur.

MICHAEL ANGELUS Giacomelli Archiepiſopus Chalcedonenſis Aſſiſtens.

BEATISSIME PATER. Quæcumque de BEATO JOANNE CANTIO ex certiſſimis documentis conferri juſſit in compendium SANCTITAS VESTRA, manifeſtiſſime oſtendunt, BEATUM VIRUM ſupernaturalibus virtutibus habuiſſe animum communitum, ut æmulari potuerit invictum robur, piamque magnanimitatem Regii Prophetæ, qui de ſe cecinit: *Perſequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non convertar donec deficiant*: nimirum inimici hominis ſunt animi perturbationes & ægritudines, nutriculæ & effectrices vitiorum, niſi ſerio coerceantur. Has BEATUS JOANNES ſtrenue adortus eſt, certa fiducia nunquam a Deo ſibi defuturum præſidium. Itaque ſtratæ ante illum jacuerunt malæ cupiditates, & ipſe victor, & in Deo triumphans, vitium, & peccatum ſubegit. Afflictatione corporis, & oratione aſsidua virginitatem incorruptam ſervavit: illum humilitas impulit, ut longiſsimas, magnorumque laborum plenas peregrinationes ſuſciperet, non modo religionis cauſſa, ſed etiam ut ſe ſubduceret officiis, & honorificis ſignificationibus, quæ in patria ſibi deferebantur. Aſsiduitas orationis, & vis lacrymarum, quibus opplebat os ſuum, dum Chriſti myſteria contemplaretur, ſummam, qua flagrabat, arguunt caritatem. Quamobrem BEATUM VIRUM conſtat ſanctum fuiſſe corpore, & ſpiritu. Ait enim B. Gregorius Magnus: *Sanctificatio corporis pudicitia eſt: Sanctificatio mentis caritas, & humilitas*: illum igitur dignum cenſeo, quem SANCTITAS VESTRA, tamquam exemplum ad imitandum Clero præſertim ſeculari in excelſo Sanctuarii conſtituat loco, eique infallibili oraculo ſuo Sanctorum cultum, & honores decernat.

PETRUS PAULUS Toſius Epiſcopus Ferentinus Aſſiſtens.

BEATUS JOANNES CANTIUS Presbyter ſecularis viam divinorum mandatorum ab ineunte ætate ad conſummationem uſque Sanctorum impigre, alacriterque cucurrit; cor enim illius tanto heroicæ caritatis ardore dilatavit clementiſſimus Dominus, ut omnium chriſtianarum virtutum ornamentis perfecte inſtructus, ſui præſertim contemptum unice quæſierit; ex quo Chriſtum

in ſe

in ſe æque, ac in fratribus lucrifecit, nihilque niſi de Deo cogitavit, de Deo loquutus eſt, cum Deo dumtaxat egit. Hinc Cæleſtis gloriæ cupidus, ut Deo, quem, dum vivebat, impenſe dilexit, arctius adhæreret, a vinculis hujus ſeculi diſſolvi, & eſſe in ævum cum Chriſto vehementer optabat. Quarum virtutum præſidio ſuffultus ad eam pervenit ſanctitatem, quam Deus corona juſtitiæ donaret in Cælis, & quam ſignis, & prodigiis, quibus Servum ſuum & vivum, & mortuum illuſtravit, terris illucere voluit. Irrefragabili propterea tuo judicio, BEATISSIME PATER, fideliſſimum hunc Dei Servum in Sanctorum album accenſeri ne quidquam obſtare putarem.

ܝܘܣܦ ܕܡܫܝܚܐ ܦܛܪܝܪܟܐ ܕܒܒܠ ܕܟܠܕܝܐ .

ܐܒܐ ܛܘܒܢܐ ܟܠܗ .

ܠܡܪܝ ܝܘܚܢܢ ܩܢܛܝܘܣ ܬܕܡܪ̈ܬܐ

ܥܒܝܕ . ܗܘܐ ܒܚܝܘܗܝ ܕܠܐ ܐܙܠ

ܒܡܠܟܐ ܕܪ̈ܫܝܥܐ ܘܠܐ ܩܡ ܒܐܘܪܚܐ

ܕܚܛܝ̈ܐ ܣܗܕܝܢ ܥܒ̈ܕܐ ܡܝܬܪ̈ܬܐ

ܕܡܫܬܘܕܥܝܢ ܠܐ ܣܓܝ . ܘܡܠܬܐ ܕܝܠܗ

ܕܩܕܝܫܘܬܐ ܡܢ ܒܬܘܠܘܬܗ ܠܘ ܐܝܟ

ܕܥܡܘܕܐ ܕܥܕܬܐ ܒܟܠܗ ܕܬܚܡܐ

ܕܐܦ ܐܝܟ ܠܐ ܕܡܫܬܒܚܝܢ ܐܢܫܐ . ܘܒܬܫܡܫܬܐ

ܘܒܨܘܡܐ ܘܒܨܠܘܬܐ ܘܡܫܝܚܐ ܠܫܡܫܘܬܗ

ܕܫܪܪܐ ܕܡܬܚܒܒ ܥܠܘܗܝ .

Ejuſdem verſio latina.

JOSEPH IV. Patriarcha Babylonenſis Chaldæorum.

BEATISSIME PATER. JOANNEM CANTIUM mirabilia feciſſe in vita ſua, quippe qui in conſilium impiorum non abiit, & in via peccatorum non ſtetit, teſtantur ſatis miracula, quibus mirificavit Dominus ſanctum ſuum. Quare Sanctorum albo per SANCTITATEM VESTRAM, quæ ſo B. Petri cathedra ſedet adſcribendum cenſeo, & in exemplum Chriſtifidelibus proponendum, qui ejus virtutes imitentur.

Ⲣⲁⲫⲁⲏⲗ Ⲧⲟⲕⲓ Ⲉⲡⲓⲥⲕⲟⲡⲟⲥ̀
Ⲁⲣⲥ̀ⲉⲛⲟⲉⲛⲥ̀ⲓⲥ̀ ⳹

Ⲛⲓⲁⲧⲕⲉⲙⲁϣⲓ Ⲫⲓⲱⲧ ⳹

Ⲛⲓⲁⲧⲧⲏϥ Ⲓⲱϩⲁⲛⲛⲏⲥ Ⲕⲁⲛⲧⲓ ⲡⲉϥⲙⲱⲓⲧ ⲉⲛ ϫⲱⲕ ⲉⲃⲟⲗ ⲁϥⲥⲉⲃⲧⲉ ⲙ̀ⲙⲟϥ ⲉ̀ⲙ ⲡⲉϥⲃⲁϩⲓ ⲛ̀ⲁⲧⲙⲉⲧⲁϭⲛⲓ ⳹ ⲉϥⲙⲟϣⲓ ⲉ̀ ⲡⲉϥⲕⲁϯ ⲉϥⲥⲟⲩⲧⲉⲛ ϧⲉⲛ ⲛⲓ ⲉⲕⲕⲗⲏⲥⲓⲁⲥⲧⲓⲕⲟⲥ ⲙ̀ⲙⲉⲗⲉⲧⲏ ⳹ ⲉ̀ⲧⲟⲩϥⲉⲙⲡϣⲁ ⲛ̀ⲟⲩϫⲗⲟⲙ ⲉⲑⲣⲟⲩⲥⲃⲱ ⲛ̀ ⲛⲓ ϧⲉⲗϣⲓⲣⲓ ⲛ̀ ⲛⲓ ⲙⲉⲧⲛⲟⲩϯ ⳹ ⲟⲩⲟϩ ⲛ̀ⲧⲁⲓⲟ ⲛ̀ⲧⲉⲫϯ ⲛⲉⲙ ⲟⲩⲱⲟⲩ ⲁϥⲁⲓⲁⲓ ⲛ̀ϫⲉ ⲡⲁⲧⲏϥⲫⲁⲓ ⲉ̀ ⲛⲓϣⲉⲛⲥ̀ⲉⲣⲃⲉⲛⲓ ⲉⲑⲣⲉϥϫⲓⲛⲕⲓⲙ ⳹ Ⲉⲃⲟⲗ ϧⲉⲛ ⲛⲓ ⲙⲓϣϯ ⲛ̀ ϫⲟⲙ ⲛ̀ⲧⲉⲡⲓⲭⲟϩ ⳹ Ⲉϫⲉⲛ ϯ ⲙⲉⲧϧⲉⲗϣⲓⲣⲓ ⲛ̀ⲕⲣⲁⲕⲟⲃⲓⲁ̀ : ⲛⲉⲙ ⲡⲉϥⲣⲉⲙⲙⲉ̀ⲃⲁⲕⲓ ⳹ Ⲟⲩⲟϩ ⲁⲣⲉϩ ⲉ̀ⲙ ⲛⲓ ⲛⲁϩϯ ⲉⲧⲥⲟⲩⲧⲱⲛ ϧⲉⲛ ⲡ̀ⲥⲏⲟⲩ ⲛ̀ϯ ⲙⲉⲧⲁⲧⲛⲁϩϯ ⲉⲧⲥ̀ⲟⲩⲧⲱⲛ ⲛⲁⲥϭⲏⲁⲓ : ⲙ̀ⲫⲣⲏϯⲟⲛ ⲛ̀ϫⲉ Ⲫϯ ⲁϥϯⲱ̀ⲟⲩ ⲙ̀ ⲡⲉϥⲃⲱⲕ ϩⲉⲛϩⲁⲛϫⲟⲙ ⲛⲉⲙϩⲁⲛ ⲙⲏⲓⲛⲓ : ⲛⲉⲙϩⲁⲛ ϣⲫⲏⲣⲓ : ⲡⲁⲓⲣⲏϯ ⲉⲑⲣⲓϩⲁⲛ ⲉ̀ⲡⲓϫⲓⲛⲕⲓⲙ ⲛ̀ ⲛⲓ ⲛⲁϩϯ ⲛ̀ⲧⲉ ϯ ⲙⲉⲧⲧⲉⲧⲉⲛⲉⲑⲟⲩⲁⲃ ⲉ̀ⲛⲓ ϫⲱⲙ ⲛ̀ⲧⲉ ⲛⲓ ⲉⲑⲟⲩⲁⲃ ϥⲉⲙⲡϣⲁ ⲉ̀ϯϫⲱ ⲙ̀ⲙⲟϥ ⳹

Ejuſdem verſio latina.

RAPHAEL Tuki Epiſcopus Arſenoenos.

BEATISSIME PATER. B. JOANNIS CANTII mores ad ſummam religionem compoſiti, traducta aſſiduis innocentiæ argumentis ætas, excultum eccleſiaſticis ſtudiis inge-

nium,

nium, Theologiæ lauream commeritum ad ſtudioſam juventutem in divinis litteris inſtituendam, & ad ſummum Dei gloriæ honorem promovendum, alacres eidem Beato ſtimulos addidere. Ex tantarum igitur virtutum æmulatione quantum commodi, & emolumenti in Cracovienſem juventutem, civeſque ſuos ſit profectum, facile compertum fuit, cum quamplurimæ ætate illa heterodoxæ doctrinæ per varias Hollandiæ, Britanniæ, atque Germaniæ partes graſſarentur, ac multorum corrumperent ingenium adoleſcentium, non modo Orthodoxam fidem in academia Cracovienſi B. Joannes ſartam tectamque ſervavit, verum ſanctiſſimis vitæ exemplis divinæ ſapientiæ triumphos, veræque religionis ſanctitatem commendavit. Sicut igitur Omnipotens Deus Servum ſuum mercede ampliſſima, incorruptibili corona, multiplici miraculorum genere decoravit, ita cenſeo ad fidelium populorum incitamentum ſollemni ritu in Sanctorum Confeſſorum album a Sanctitate Vestra eſſe referendum.

JOSEPH Aluſſi Epiſcopus Balneoregienſis.

Beatum Joannem Cantium eximium, inſuetumque perfectæ ſanctitatis exemplum, Beatissime Pater, Polonia dedit, quo Eccleſia vere appareat Regina circumdata varietate; Sanctis ſcilicet Viris cujuſcumque generis, conditionis, ac profeſſionis. Non enim in deſertis locis, aut in religioſis clauſtris, ſive procul ab hominum conſortio, & ſolis operibus addictus religionis, & pietatis vitam egit; ſed multos annos facultates, & diſciplinas publice in ſcholis profeſſus eſt. Nihilominus inſigni humilitate, patientia, caritate, cæteris virtutibus nulli, qui religioſam vitam injerit, concedit. Singularis illa, & inaudita ſinceritas, rerumque humanarum contemptus, & deſpicientia fuit, qua publicos graſſatores, qui pecuniam ipſi eripuerant, decedentes revocavit, ut nummos quoſdam, quos immemor poſtulantibus non aperuerat, traderet. Caritate autem, & miſericordia in pauperes uſus eſt tanta, ut propria obſonia, veſteſque erogaret. Humilitas laudatum ab hominibus hominem in exteras regiones peregrinandi cauſſa ſæpius extruſit. Non ergo mirum, ſi virtus tanta dæmonum inſultibus patuit, qui hirundinum ſpeciem ad eum diſturbandum ſumpſere; contra vero divina eumdem dona largiſſime ornaverunt, & poſt mortem miracula honeſtarunt. Illum ergo Sanctorum albo adſcribendum eſſe ad Beati Viri honorem, ad tam excellentis ſanctitatis omnibus in ſeculo exemplum, ad Poloniæ ſuæ tutelam omnino exiſtimo.

JULIUS MATTHÆUS Natali Epiſcopus Tiburtinus.

Tractus a Deo B. Joannes Cantius in funiculis Adam, in vinculis caritatis, & cæleſtium unguentorum illectus odore, heroicis Chriſti Domini inhærens exemplis, in juſtitia manens, ſicut ſol, cum angelica humilitate, & ſublimiſſima caritate poſt trahentem indeſinenter currens, nil niſi Deum mente, corde, & ore volvere, & cum Deo ſemper agere viſus eſt. Inde adeo Deo placuit, ut adhuc viventi promeritum ſertum virgineum Deipara oſtenderit; atque ita placuit omnibus, per omnia, ut vel a latronibus venerationem, & ab infidelibus peroptati loco martyrii ejus manſuetudo reverentiam extorſerit. Hæc eximiæ ſanctitatis monumenta ære perenniora pluribus Deus prodigiis obſignavit. Repleatur itaque gaudio os noſtrum, & lingua noſtra exultatione, quod Eccleſiæ Catholicæ, & præſertim ſecularibus Presbyteris, præceptoribus ſcientiarum, ac verbi Dei preconibus novum exemplar divinitus datum ſollemni Sanctitatis Vestræ judicio, tandem ubique terrarum ad imitandum proponatur, & dicant ethnici, dicant omnes inimici noſtri de nobis: *Magnificavit Dominus facere cum eis:* Vere enim magnifice fecit.

De-

Deinde de Beato Joſepho Calasanctio.

CAROLUS ALBERTUS Epiſcopus Oſtienſis, & Veliternus Sacri Collegii Decanus Cardinalis Guidobonus Cavalchinus.

Beatissime Pater. Quam multis, quamque præclaris virtutibus excelluerit B. Josephus Calasanctius, teſtata res eſt. Sed harum major fuit in ejus corde per Spiritum Sanctum diffuſa caritas Dei, & caritas fraternitatis. Itaque attulit ille quidem Deo ſemper gloriam, & honorem, adjecitque ſuper omnem laudem ejus, ac dedit perpetuam, ſedulamque operam non in Hiſpaniis ſolum, ſed Romæ etiam, ut chriſtiani reportarent finem fidei ſuæ, ſalutem animarum. Chriſtum imitatus curavit, ut parvuli ad ſe venire ſinerentur, quibus ſcholas aperuit ſumptu ſuo, quos docuit myſteria Religionis, quibuſque adjumenta paravit, ut in verbo, & doctrina deinceps inſtituantur. Fructum præterea multum attulit in patientia. Nam innocens atrocibus calumniis appetitus, & cum ſceleratis reputatus, adeoque etſi ſenex admodum, miſſus tamen in cuſtodiam carceris, avulſuſque a Congregatione fratrum ſuorum, quam pene extinctam videbat, non ſolum ægre non tulit, ſed pro calumniantibus, ſeque perſequentibus oravit, eoſque perpetua caritate dilexit. Quæ quidem merita Servi ſui conteſtatus eſt Deus ſignis, & portentis, & variis virtutibus. Id autem nunc unum deſideratur, ut ille in Sanctos relatus non modo chriſtianis omnibus præponatur, velut exemplum ad imitandum, ſed filiis quoque ſuis etiam atque etiam ſit incitamento, ut in ea vocatione, qua vocati ſunt, maneant, ejuſque veſtigia ſequentes induant ſibi humilitatem, & modeſtiam, & in patientia ſua poſſideant animas ſuas.

PETRUS PAULUS Tituli Sancti Stephani in Monte Cælio Presbyter Cardinalis de Comitibus.

Ite jam expleta ſunt omnia, Beatissime Pater, quæ ad ſollemnem Canonizationem præmitti jure ac merito debent, ut Beatus Joseph Calasanctius ſupremo Apoſtolico judicio tuo inter Sanctos tandem aliquando adnumeretur. De tanto Viro eximia ſanctitate exornato, qui ob heroicam, qua flagrabat in Deum, & proximum caritatem Clericorum Regularium Scholarum piarum Ordinem inſtituit, fundavitque dixiſſe, ſat eſt. A primo ſuę Congregationis initio ad mortem uſque, tot aſperas propter juſtitiam perſecutiones, & execrandas contumelias, tot graves, turpeſque calumnias domi, foriſque paſſus eſt, tolleravitque æquo animo ſemper, ut alter ſui temporis Job dici merito poſſit. Hæc vero cum indubia ſit ſanctitatis teſſera, Beatum Josephum Calasanctium Sanctorum numero eſſe adjungendum pro certo cenſeo.

PHILIPPUS JOSIAS Caucci Patriarcha Conſtantinopolitanus Aſſiſtens.

Inter eos, qui ad juſtitiam erudiunt multos, ac propterea tamquam ſtellæ fulgebunt in perpetuas æternitates præcipuum obtinere locum videtur Beatus Joseph Calasanctius. Quum enim & claro eſſet genere, & ſcientia præditus non vulgari, haud quaquam erubuit ad munus deſcendere oculis hominum deſpicabile, ut pueros nimirum tenerioris ætatis, atque infimæ fere ſortis primis litterarum, & chriſtianæ diſciplinæ elementis imbueret. In quo quidem munere caritas ſimul, atque humilitas mutuam ſibi operam dabant. Neque tamen id ſatis habens, Ordinem religioſum inſtituit, per quem utriuſque virtutis exercitatio in erudiendis adoleſcentibus perennaret. Quocirca, quum iſtæ, aliæque illius eximiæ virtutes editis poſt mortem miraculis confirmatæ ſint; illud unum reliquum eſt, Beatissime Pater, ut tuæ Sanctitatis auctoritas Beatum hunc Dei Servum Sanctorum faſtis adſcribat, & ſollemnes illi honores decernat.

FRANCISCUS MATTÆJUS Patriarcha Alexandrinus Aſſiſtens.

Beati Josephi a Calasanctio facinora, dum mihi ſpectanda propono ad evangelicæ perfectionis leges omnia miror exacta: Urbs, quæ tantum excepit Heroam, cum

vidit omni ſolutum ſeculi ſollicitudine divino Numini, cui ſeſe mancipaverat, ſoli inſervientem, inſigni animi demiſſione prima Chriſtianæ religionis, ac litterarum elementa pauperculos edocere pueros, mendicos alere, carceribus ſolari detentos, ac tandem publicis noſocomiis miro prorſus modo omnibus præſto eſſe ægrotis, ac ſupremo in agone poſitis a Deo ſubſidia precari: quid plura? Inſignem ejus adverſus proximos caritatem ſuſpexit, qua corde æſtuans nulli pepercit labori, & forti, alacrique animo adverſa ſuſtulit quæque, ut poſteritati proſpiceret, & utiliſſimi Inſtituti ſundamenta jaceret: merito igitur, PATER BEATISSIME, divino irradiante lumine, & Sacro hoc plaudente Senatu, tanto Heroi Canonizationis ſollemnia paranda cenſeo.

MICHAEL ANGELUS Giacomelli Archiepiſcopus Chalcedonenſis Aſſiſtens.

BEATISSIME PATER. Percurrenti breviarium vitæ BEATI JOSEPHI CALASANCTII pulcherrimum mihi occurrit ejus factum cum plane ad exemplum caſtiſſimi Patriarchæ Joſephi pudicitiæ ſuæ fuga conſuluit. In quo facto generoſiſſimi animi ſpecimen eſt, & æque ac illud memorati Patriarchæ omnium temporum, omniumque nationum linguis ornandum. Caſtitatem non minus eleganter, quam vere B. Cyprianus martyr appellat pronubam ſanctitatis. Nec propterea temere quis exiſtimaverit pro tali victoria BEATUM JOSEPHUM a Deo retuliſſe prœmium abſolutiſſimam ſanctitatem. Hanc victoriam, quam in juventute ſibi peperit fugiendo, ſtans in Domino immobilis juxta Apoſtoli monitum ſenex alia reportata victoria cumulavit, cum invicta patientia in ſuſtinendis innumeris omne genus calamitatibus B. Job tolerantiam viſus eſt propemodum adæquare. Summa vero firmitas patientiæ Indicium facit, ſummas itidem in BEATO VIRO fuiſſe ſupernaturales virtutes, quas cum illa conſociatas eſſe docet Apoſtolus: *caritas*, inquit, *patiens eſt*. Fidei quoque patientiam eſſe comitem illis verbis oſtendit: *pro patientia veſtra, & fide in omnibus perſequutionibus veſtris, & tribulationibus, quas ſuſtinetis*: ſpem autem cum patientia conjungit, cum ſcribit: *ſpe gaudentes, in tribulatione patientes*. Ad has BEATI JOSEPHI virtutes accedit Omnipotentis Dei teſtimonium, qui BEATI VIRI ſanctitatem gloria miraculorum eſſe voluit illuſtrem. Itaque in rem fore cenſeo Catholicæ Eccleſiæ illum a SANCTITATE VESTRA in Sanctorum numerum referri tamquam chriſtianarum virtutum ſpecimen, unde fideles non modo ſuæ quiſque vitæ ſumant exempla, ſed etiam præſidium ſibi parent, & patrocinium.

PETRUS PAULUS TOSIUS Epiſcopus Ferentinus Aſſiſtens.

BEATUS JOSEPH CALASANCTIUS Sacerdos, quem Dominus prævenit in benedictionibus dulcedinis, vix diſcretionis annos attingens, vitiis omnibus perpetuum indixit bellum, ingentem in hoſtes ſalutis concepit averſionem; eximiam in Deum pietatem, & religionem jugiter ſovit, coluitque ita, ut virtutes omnes in eo uſque ad ſenectam, & ſenium excreverint mirabiliter. Ardentiſſima caritate in Deum, & proximos flagrans; quæ Dei ſunt, ſtudioſiſſime implevit; in his, quæ proximi ſunt, nil unquam intentatum reliquit, quod eis prodeſſe in Domino poſſet: id vel maxime demonſtrat ſacrum, quod ipſe ſundavit Inſtitutum ad pueros, atque adoleſcentulos pietate, & litteris rite informandos, in quo, quoad vixit, totus ſemper fuit uſque ad graviſſimos labores invicto animi robore patientiſſime ſuſtinendos, acerbiſſimas devorandas calamitates, adverſa ferenda, & excitatas per dæmonem tempeſtates vincendas, ratus quod, qui pie volunt vivere in Chriſto Jeſu perſequutionem patientur. Quare mundo, & Angelis, & hominibus ſpectaculum factus, ac tot divinis chariſmatibus repletus, eam adeptus eſt heroicæ ſanctitatis gloriam, qua Urbi, & orbi merito admirationi eſſet, eamque & Deus Omnipotens ſignis, & prodigiis ſua mirabili virtute patratis comprobatam voluit. Nil itaque, BEATISSIME PATER, reliquum eſse cenſeo, niſi ut hujus tanti Viri nomen Sanctorum faſtis acceſeri jubeas, quo eum, tamquam veræ

ſan-

ſanctitatis exemplar intueamur, & pro, ac debito cultu, atque honore proſequamur.

ܝܘܣܦ ܕܒܝܬ ܦܛܪܝܪܟܘܬܐ ܕܒܒܠ

ܕܟܠܕܝܐ.

ܐܒܐ ܩܕܝܫܐ ܕܟܠ.

ܛܝܒܘܬܐ ܕܠܐ ܡܬܡܠܠܢܘܬܗ ܘܡܪܚܡܢܘܬܗ
ܕܐܠܗܐ ܒܡܠܟܐ ܬܡܝܗܐ ܕܡܕܒܪ
ܒܙܒܢܝܗܝܢ ܟܠܡܕܡ ܐܝܟ ܕܘܠܐ. ܡܕܡ ܕܒܗ
ܙܒܢܐ ܕܝܬܝܪ ܐܬܚܙܝ ܕܡܦܫܪ ܚܘܒܐ. ܐܩܝܡ
ܠܥܒܕܗ ܝܘܣܦ ܟܠܐܣܢܛܝܘܣ. ܗܘ
ܕܒܝܬ ܥܒܕܐ ܕܚܘܒܐ ܡܝܬܪܐ ܕܝܠܗ ܗܘ ܗܘܐ
ܥܒܕܐ ܕܥܕܝܪ ܕܢܬܠܡܕ ܘܢܬܪܒܘܢ ܕܝܠܗ
ܛܠܝܐ ܡܣܟܢܐ ܘܡܘܠܦܢܐ ܕܝܘܠܦܢܐ
ܡܫܝܚܐ. ܟܕ ܐܝܟ ܗܟܢܐ ܟܠܗ ܚܝܘܗܝ
ܥܒܕ ܒܩܕܝܫܘܬܐ ܬܡܝܗܬܐ ܘܫܠܡ ܚܝܘܗܝ
ܒܫܠܡܐ. ܘܒܬܕܡܘܪܬܐ ܣܓܝܐܬܐ ܐܬܝܕܥ
ܒܗܕܐ ܫܘܝܐ. ܕܢܬܡܢܐ ܠܗ ܥܡ
ܩܕܝܫܐ ܒܝܕ ܩܕܝܫܘܬܟ ܐܝܟ ܪܝܫܐ
ܕܥܕܬܐ ܩܬܘܠܝܩܝ ܐܝܟ ܕܥܒܕܐ ܡܢ
ܐܢܐ.

Ejuſdem verſio latina.

JOSEPH IV. Patriarcha Babylonenſis Chaldæorum.

BEATISSIME PATER. Ineffabilis Dei bonitas, & miſericordia miro conſilio ſuis quæque temporibus apte diſponens, quo potiſſimum tempore caritas refrigeſcere videbatur, ſuſcitavit Servum ſuum JOSEPHUM CALASANCTIUM, qui inter eximia carita tis ejuſdem opera illud præcipuum haberet, ut ſe, ſuoſque in rudium miſerorumque puerorum inſtitutione, atque inſtructione nulla mercede manciparet. Vitam itaque omnem admirabili ſanctitate traductam quum ſanctiſſimo pariter concluſerit exitu, ac plurimis ſit miraculis illuſtratus, dignus videtur, qui per SANCTITATEM VESTRAM, tamquam univerſalis Eccleſiæ caput in Sanctorum Canonem referatur: & ita ſentio.

Ραφαηλ Ⲧⲟⲩⲕⲓ Ⲉⲡⲓⲥⲟⲡⲟⲥ Ⲁⲣⲥⲉⲛⲟⲉⲛⲥⲓⲥ ⳹

Ⲛⲁⲓⲁⲧ ⲉⲙⲁϣⲱ Ⲫⲓⲱⲧ ⳹

Ⲡⲓ ⲣⲉϥϣⲉⲙϣⲓ ⲛ̀ϩⲟⲩⲓⲧ ⲡⲉ ⲛ̀ϫⲉ ⲡⲁⲓⲁⲧϥ Ⲓⲱⲥⲏⲫ Ⲕⲁⲗⲁⲥⲁⲛⲑⲓ ϩⲁϯ ⲣⲉϥϫⲫⲉ ⲙ̀ ⲡⲛⲟⲩⲧⲉ: ⲟⲩⲟϩ ⲡⲉϥⲛⲁⲓⲁⲧ ⲙ̀ ⲫⲣⲏϯ ⲙ̀ ⲡⲉϣⲁϩ ⲛ̀ ϫⲣⲱⲙ ⲉⲑⲙⲟϩ ⲉⲙⲁϣⲱ ⲉⲧⲉⲛⲁⲣⲉϩ, ⲉ̀ϯ ⲙⲉⲧⲁⲧⲁϭⲛ: ⲛⲉⲙ ⲡⲓⲥⲱⲟⲩⲛ ⲛ̀ⲧⲉ ⲡⲉϩⲃⲏⲟⲩⲓ ⲛ̀ϩⲁ ⲛ̀Ⲣⲱⲙⲓ: ⲛⲉⲙϩⲁⲛ ⲛⲟⲩϯ: ϩⲉⲛ ⲡⲓ ϩⲱⲥⲟⲥ ⲉⲃⲟⲗϩⲁ ⲡⲉϥϣⲟⲣⲡ ⲛ̀ ⲡⲉϥⲣⲟⲙⲡⲓ ϩⲉⲛ ⲡⲓ ϥⲓⲣⲁⲧⲟⲩϣ ⲛ̀ⲟⲩⲫⲏⲣⲓ ⲛ̀ϯ ⲙⲉⲧⲉⲣⲃⲱⲕ ⲙ̀ ⲡⲛⲟⲩⲧⲉ ⲛ̀ⲧⲉ ⲁⲓⲁⲓⲥ: ⲟⲩⲟϩ ⲡⲓϫⲓⲛϩⲓⲱⲓϣ ⲙ̀ⲙⲟⲥ ⲛ̀ⲟⲩ ⲡⲁⲣⲣⲏⲥⲓⲁ: ⲙ̀ⲙⲟⲛ ϫⲱⲛⲧ: ⲙ̀ⲙⲟⲛ ⲁⲥⲓⲱⲟⲩ ⲁⲕϯ ⲛ̀ϫⲉ ⲡⲉϥϩⲟⲩⲁϯ ⲛ̀ⲧⲉ ⲡⲓⲥⲙⲟⲧ ⲛ̀ⲉⲣϩⲱⲃ ⲙ̀ ⲡⲱⲛϩ: ϩⲉⲛⲉ̀ⲃⲟⲗ ⲁⲩⲥⲱⲟⲩ ⲧⲉⲛϥ ⳹ Ⲥⲁⲧⲟⲧϥⲅⲁⲣ ⲉⲧⲟⲩⲉⲣⲃⲱⲕ ⲙ̀ⲙⲟϥ ϩⲉⲛ ⲉⲕⲕⲗⲏⲥⲓⲁⲥⲧⲓⲕⲏ ⲙ̀ ⲙⲉⲧⲙⲉⲧⲟⲓ: ⲛⲉⲙ ⲡⲓ ⲧⲱⲧⲉⲣ ⲛ̀ ϯ ⲙⲉⲧⲟⲩⲏⲃ: ⲁⲩⲫⲱϣ ⲙ̀ⲙⲟϥ ⲟⲩⲟϩ ⲁⲩⲑⲁϣϥ: ⲟⲩⲟϩ ⲉ̀ ⲡⲥⲁ ⲛ̀ ⲡⲓ ϩⲓⲥⲓ: ⲁⲩⲑⲁϩⲉⲙ ⲙ̀ⲙⲟϥ ⲉ̀ⲃⲟⲗϩⲁ ⲛⲓⲙⲏⲛϣ ⲛ̀ Ⲉⲡⲓⲥⲕⲟⲡⲟⲥ. ⲛ̀ⲁⲧⲛⲁϩϯ ⲉⲡϫⲓⲛϫⲱ ⲡⲉ ⲙ̀ⲫⲣⲏϯ ⲛ̀ ⲡⲱⲓⲥ: ⲛⲉⲙ ϥⲓⲣⲱⲟⲩϣ ⲉ̀ ⲛⲓϩⲣⲁϩⲉϫ ⲛ̀ⲧⲉϯ ⲉⲕⲕⲗⲏⲥⲓⲁ ⲙ̀ ϩⲏⲛϥ: ⲛⲓ ⲣⲉϥⲧⲁϩⲟ ⲉⲡϫⲓⲛ ⲣⲉϥⲟⲩⲉⲓ ⲉ̀ⲃⲟⲗ ⲙ̀ ⲙⲱⲟⲩ ⲉⲡϫⲓⲛ ϯⲱⲛⲟⲩ ⲛ̀ ⲛⲓϭⲉⲛⲛⲉ: ⲛⲉⲙ ⲛⲓ ⲥⲉⲃⲧⲉ: ⲉⲡϫⲓⲛ ⲧⲁϫⲣⲱⲟⲩ ⲉ̀ ⲡⲉϥⲥⲃⲱⲟⲩⲓ ⲛ̀ ⲛⲓⲥⲁⲃⲉⲩ ⲉⲙⲁϣⲱ ⳹ Ⲉⲟⲩⲟⲛ ⲛⲓⲃⲉⲛ ⲉⲡϫⲓⲛ ⲉⲩⲉⲣⲡⲓⲣⲁⲍⲓⲛ ⲁϥⲉⲣϥⲓⲣⲱⲟⲩϣ: ϩⲉⲛ ⲛ̀ϩⲁⲉ̀ ⲉϯ

ⲉϯ Ⲃⲁⲕⲓ ⲣⲱⲙⲏ ⲁϥⲉ̀ⲓ ⲉ̀ϩⲣⲏⲓ ; ⲉ̀-
ⲡⲙⲁ ⲛ̀ⲧⲉ ⲛⲓ Ⲁⲡⲟⲥⲧⲟⲗⲟⲥ ⲉⲑⲟⲩ-
ⲁⲃ ⲁϥϫⲉⲙⲡⲟⲩϣⲓⲛⲓ: ⲛ̀ ⲛⲓⲙⲉ̀ϩⲁⲩ
ⲛ̀ ⲛⲓⲙⲁⲣⲧⲩⲣⲟⲥ· ⲉⲡϫⲓⲛϭⲱⲗⲕ
ⲛⲉⲙ ⲛⲓ ⲣⲱⲙⲓ ⲛ̀ⲁⲧⲉⲙⲓ ⲉⲡϫⲓⲛⲥⲁ-
ⲃⲉ ⲛ̀ ⲛⲓ ⲙⲩⲥⲧⲏⲣⲓⲟⲛ ⲉⲑⲟⲩⲁⲃ: ⲛ̀
ⲣⲉⲙⲛ̀ϫⲱⲓⲗⲓ ⲛⲉⲙ ⲛⲓ ϣⲉⲙⲙⲟ
ⲉⲡϫⲓⲛ ϣⲟⲡ ⲉ̀ⲣⲱⲟⲩ ⲛ̀ⲧⲁϥ: ⲛ̀ ⲛⲓ-
ⲉⲧϣⲱⲛⲓ ⲡⲓ ⲉⲩϣⲟⲡ ϧⲉⲛ ⲛⲓⲙⲁ ⲛ̀
ⲛⲓϣⲱⲛⲓ: ϩⲓ ⲓⲁⲃⲓ ⲡϫⲓⲛ ⲛⲟⲙϯ:
ⲟⲩⲟϩ ⲛ̀ ⲛⲓϩⲏⲕⲓ ϩⲙⲟⲩ ⲉⲡϫⲓⲛ
ϣⲟⲡⲟⲩⲉⲣⲟϥ ⲉⲛⲓⲙⲉⲛϣ ϩⲙⲟⲩ ⲛ̀ⲧⲉ
ⲣⲱⲙⲏ ⲉϥϩⲁⲓ ϩⲉⲛⲗⲟⲓⲙⲟⲥ ⲛ̀
ⲓⲁⲃⲓ ⲉⲡϫⲓⲛ ⲛⲟⲙϯ: ⲟⲩⲟϩ ⲉⲡϫⲓⲛ
ⲉⲣⲃⲟⲏⲑⲓⲛ ⲉ̀ⲣⲱⲟⲩ: ⲟⲩⲟϩ ⲫⲛⲁϣϯ
ⲡⲉ ⲙⲙⲟⲩ: ⲙ̀ⲙⲟⲛ ⲉⲡⲧⲏⲣϥ ⲉⲛ
ϫⲉⲙϥ ϧⲉⲛ ⲡⲓⲕⲟⲣϥ: ⲉ̀ ⲛ̀ϩⲁⲉ ⲙ̀-
ⲙⲟⲛ ⲫⲱϣⲁⲛ ⲙ̀ⲙⲁⲓ ⲙ̀ⲙⲟⲛ ⲛⲓ-
ϩⲩⲥⲓ ⲡⲁⲓⲁⲧϥ Ⲓⲱⲥⲏⲫ ⲁϥⲙⲟⲩⲛⲕ:
ⲉⲑⲣⲓⲧⲁϫⲣⲏⲟⲩⲧ ⲛ̀ ⲛⲓ ⲁⲗⲱⲟⲩⲓ:
ⲛⲉⲙ ⲛⲓ ϩⲉⲗϣⲓⲣⲓ: ⲛ̀ ϩⲟⲩⲟ̀ ⲛ̀ϫⲱⲃ
ⲙ̀ ⲙⲉⲛϣ ⲛ̀ⲁⲧⲥⲃⲱⲟⲩⲓ: ⲟⲩⲟϩ ϧⲉⲛ
ⲡϫⲓⲛ ⲕⲟⲣϥⲉⲩϣⲟⲡ ϩⲓ ⲡϫⲓⲛ ⲉⲣ-
ⲃⲱⲕ ⲙ̀ ⲡⲛⲟⲩⲧⲉ: ⲙ̀ ⲫⲣⲏϯ ⲙ̀
ⲫⲓⲱⲧ ⲛⲉⲙϯ ⲙⲉⲧϥⲓ ⲣⲱⲟⲩϣⲉϥ
ⲛⲁⲧⲏⲓϥⲙⲙⲟⲩ ⲛⲓϫⲱⲙ: ⲡⲓ ⲙⲉⲗⲁ:
ⲛⲓ ⲕⲁϣ: ⲡⲓ ⲭⲁⲣⲧⲏⲥ: ⲟⲩⲟϩ ⲡⲓ-
ϩⲣⲏⲟⲩⲓ: ⲉⲃⲉⲫⲁⲓ ⲡⲓⲅⲉⲛⲟⲥ ⲛ̀ⲣⲱ-
ⲙⲓ ⲛ̀ϫⲁϫⲓ ⲁϥϫⲱⲛⲧ: ⲁϥⲧⲱⲛ
ⲉϩⲣⲉⲛ ⲙ̀ⲙⲟϥ ⲛ̀ ⲛⲓⲙⲉⲛϣ: ⲛⲉⲙ ⲡⲓ
ⲡⲁϣϯ ⲉⲙⲁϣⲱ: ⲟⲩⲟϩ ⲛⲓϣⲉϣ:
ⲛⲓⲉⲗⲕϣⲁⲓ: ⲛⲉⲙ ⲡⲓ ϣⲧⲉⲕⲱⲟⲩ:
ⲛⲁⲓ ⲧⲏⲣⲟⲩ ⲁϥⲁⲗⲓⲟ̀ⲩⲓϩⲉⲛ ⲛ̀ϣⲫⲏⲣ
ⲛ̀ ϫⲁⲙ ⲉⲑⲣⲓϥⲉⲙⲡϣⲁ ⲛ̀ϯⲭⲗⲟⲙ
ⲛ̀ϫⲉ ⲡⲁⲓⲁⲧϥ Ⲓⲱⲥⲏⲫ: ⲉⲑⲃⲉ ⲡⲏ
ⲉⲧⲁⲩϣⲁⲛϭⲟϫⲓ ⲙ̀ⲙⲟϥ ⲡⲁϥϣ-
ⲗⲏⲗ ⁘ Ⲉ ⲛ̀ϩⲁⲉⲟⲛ ⲡⲓⲣⲉϥϯϩⲁⲡ
ⲙ̀ⲙⲏⲓ ⲉⲛ Ⲓⲉⲣⲟⲩⲥⲁⲗⲏⲙ ⲛ̀ⲧⲉ ϯⲫⲉ
ⲁϥϣⲟⲡϥ ⲉ̀ⲣⲟϥ: ϧⲉⲛ ⲡⲕⲁϩⲓ
ⲇⲉ ϧⲉⲛ ⲛⲓ ⲛⲓϣϯ ⲙ̀ⲙⲏⲛⲓ ⲛⲉⲙ
ⲛⲓϣⲫⲏⲣⲓ ⲁϥⲧⲁⲓⲛⲟⲩⲧ ⲙ̀ⲙⲟϥ ⁘
Ϥⲉⲙ ⲡϣⲁ ⲟⲛ ⲉⲑⲣⲟⲩϭⲓⲛⲧ ⲙ̀ⲙⲟϥ
ⲉⲃⲟⲗϩⲉⲛϯ ⲧⲉⲧⲉⲛⲉⲑⲟⲩⲁⲃ ϧⲉⲛ
ⲡⲓϫⲱⲙ ⲛ̀ⲧⲉ ⲛⲓ ⲟ̀ⲙⲟⲗⲟⲅⲏⲧⲏⲥ
ⲉⲑⲟⲩⲁⲃ ⁘

Ejuſdem verſio latina

RAPHAEL Tuki Epiſcopus Arſenoenos.

BEATISSIME PATER. Præcipuus BEATI JOSEPHI CALASANCTII in Deiparam cultus, ardentiſſimum innocentiæ ſervandæ ſtudium, humanarum, divinarumque rerum cognitio, in æqualibus a primis annis pietatis augendæ, & propagandæ mira ſollicitudo, non obſcura, non levia Ordinis ab eo inſtituendi præludia dederunt. Statim enim ac Eccleſiaſticæ militiæ mancipatus, ſacris Sacerdotalibus initiatus, & in partem laborum a pluribus Epiſcopis fuerat vocatus, incredibile dictu eſt, qua vigilantia, diligentia Eccleſiarum neceſſitates explorare, obſtantia removere, excitare reſides, fovere alacres, ſapientiſſimis monitis opus ſuum cunctis probare ſtuduerit. Urbem dein Romam CALASANCTIUM ingreſſum, Apoſtolorum limina, Martyrum ſepulcra frequentare, ruſticos homines ſacra myſteria edocere, peregrinos benigne excipere, in xenodochiis ægrotos ſolari, pauperes recreare, in populares quoque Romæ graſſante lue ægros ſublevare nunquam deſtitiſſe comperimus. Nulli tandem labori, nullis caritatis officiis B. JOSEPHUS defuit, ut pueros, & adoleſcentes, infimæ præſertim plebis incultos, otio deditos, litteris, ac pietate informaret, ac paterna, & incredibili animi ſui providentia libros, calamos, cartam, atramentum, nonnullis etiam victum ſubminiſtraret. Hinc humani generis hoſtis, quod ex illius Inſtituto damnum fecerat, indignisſime ferens, maximas turbas, ſæviſſimas tempeſtates in illum concitavit: nec ſine lacrymis legi poſſunt illatæ calumniæ, quibus ipſe appetitus fuit, & inſultantium ludibria, probra, & carceres, quæ admirabili tranquillitate tolleravit. Quamquam igitur ſatis ad coronam certaſſe videbatur B. JOSEPHUS, ne quid ſibi deeſſet caritate Chriſti pro perſecutoribus oravit, eorumque cauſſam, & jugibus lacrymis apud Deum, &

maxi-

maximis officiis apud homines egit. Quem igitur juſtus judex, & cæleſtis remunerator e tanto conflictu ad ſe properantem in beatam Jeruſalem excepit, par, æquumque eſt, quem multis, magniſque in terris miraculis illuſtravit, ut is a Sanctitate Vestra Sanctorum Confeſſorum faſtis adſcribatur.

JOSEPH Aluſſi Epiſcopus Balneoregienſis.

Nihil mihi quidem, Beatissime Pater, juſtius, nihil Eccleſiæ univerſæ, cui feliciſsime præſides, fieri poſſe utilius videtur, quam, ut Beatus Joseph Calasanctius Sanctorum faſtis accenſeatur. Nam quæ eximiæ cujuſdam ſanctitatis propria eſſe ſolent, aut eam quaſi ornamenta, & decora quaſi comitari, in eo reperiuntur omnia. Solet virorum hujuſmodi, præſertim ſi Eccleſiæ maximo futuri ſunt emolumento, maturiorem ætatem, maturitas actionum in ipſa pueritia a ludis, jocisque aliena prævertere: ſolet dæmon futuras clades præſagiens in eoſdem tempeſtive inſurgere, & pudicitiam maxime illecebris voluptatum tentare; vel ut eorum conſtantia remolleſcat, opum abundantiam, & parentum amorem adhibere: ſolet ipſorum ſanctiſſimorum hominum caritas, & animarum zelus nova, nec cogitata hactenus opera, ad ætatum omnium, & ſeculorum commodum moliri; eaque adverſus adverſantium inſultus patientiſſime, & conſtantiſſime tueri: denique inter hominum, dæmonumque quaſi reſtantes ventos, conſuevit divinarum gratiarum aura ad curſum feliciter conſummandum eoſdem provehere. Omnia hæc B. Josepho contigerunt. Nam & in eo gravitas, & maturitas a pueritia ipſa ſpectabilem ſe omnibus admirandumque præbuit, & intemeratam ejus virginitatem illuſtris fœmina aggreſſa eſt, quam fortiſſime repulit, & conſcius in hujuſmodi bellis nihil æque ad victoriam valere, quam fuga, ex urbe illa, ubi hoc evenerat, diſceſſit: gratiam vero, quam apud primarios Hiſpaniæ Epiſcopos, & Philippum ipſum II. Regem obtinebat, humilitati poſtpoſuit; præterea parentem ipſum Calaſanctiæ familiæ interitum repræſentantem, oſtentantemque avitas facultates minime auſcultavit, & factus Sacerdos totum ſe paupertati, animi deſpicientiæ, proximorum ſaluti dedit, atque devovit. Et multa quidem in Hiſpania ad vitia coercenda, & abuſus, qui irrepſerant extirpandos, ad pietatem, & religionem amplificandam magnis ſuis laboribus, periculiſque, & incommodis geſsit. Majora tamen in Italia, atque hic Romæ ad orbis univerſi commodum aggreſſus eſt; in quam Urbem ſimul ac venit expetitus a pluribus ſpectatæ dignitatis viris, ſollicite etiam quæſitus, nihil curavit magis, quam ut ignotus omnibus in caritatis, & chriſtianæ humilitatis exercitationibus aſſidue viveret. Itaque & S. Camillo de Lellis comitem ſe libens dedit; & cum nullis finibus contineri ejus caritas poſſet, inſtituendorum puerorum, qui inopia preſsi primam illam ætatem in compitis otioſi terunt, & vitiis imbuunt, curam ſuſcepit, eamque ita diligentem, ſolertemque ipſe retinuit, & alumnis diſciplina ſua commendavit, ut magnum Eccleſiæ commodum ab hoc adeo utili, ſanctoque opere acceſſerit, quod Scholarum piarum nomine merito honeſtatur. Incredibile vero eſt, quantis vir innocens appetitus ſit inſultibus, calumniis, vexationibus, ut neque illi in decrepita ætate conquieſcere aliquando licuerit, publice etiam carceri reorum traditus. Itaque eum jure ſa: me: Benedictus XIV. alterum Jobum appellandum eſſe dixit. Non defuerunt tamen ad B. Josephum confirmandum, commendandumque inter adverſantium hominum molimina chariſmata divina, eum & prophetiæ dono inclaruerit, & ei Beatisſima Virgo ſæpius ſe videndam, colendamque præbuerit, præſertim cum eam ſimul cum pueris ſuis deprecaretur. Mortui etiam ſanctitatem puerilis quadriennis vox teſtata eſt. Cum his adjungantur miracula poſt mortem ſecuta, & legitime probata, merito, Beatissime Pater, Apoſtolicæ Sedis judicium, quod Sanctorum illi honores aſserat, expetitur, atque expectatur.

JU-

JULIUS MATTHÆUS Natali Epiſcopus Tiburtinus.

SPretis mundi illecebris, fractiſque validioribus nequiſsimi hoſtis machinationibus, immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſeculo præclarum eſt. Proximorum cujuslibet generis, & præſertim egenorum levandis angoribus ſemper inſtare, & pro Dei gloria animam ponere paratum ſeſe ubique exhibere præclarius. Opus vero Scholarum piarum toti Chriſtianæ Reipublicæ utiliſſimum aggredi per ſeipſum, vel nonagenario majorem exequi, atque, ut perpetuo vigeret invictiſſima animi patientia, religioſum Ordinem inſtituere, furentibus fruſtra domi, foriſque tenebrarum poteſtatibus ſane præclariſſimum. Hæc omnia ſingulari plane Dei adjutorio, & Deiparæ fultus præſidio præſtitit B. JOSEPH CALASANCTIUS; & quam ſibi grata, acceptaque ſint, Deus ipſe ſignis conſpicuis declaravit. Cui itaque certamen forte dedit Dominus, ut vinceret, quis neget redditam fuiſſe coronam juſtitiæ, ac propterea Sanctorum numero a SANCTITATE VESTRA jure optimo adſcribendum?

ADerant jam Pentecoſtes dies, quibus, dum complerentur, Spiritus veritatis Paraclytus innumerabilia ſua dona, atque chariſmata in Apoſtolos effuderat, propterea BEATISSIMUS DOMINUS NOSTER ad divinam opem in maximis Eccleſiæ, & Reipublicæ difficultatibus appreeandam, utque cæleſte lumen pro futura Canonizatione explenda, efficacius expoſceret, totius Cleri regularis, & ſecularis ſupplicationem indixit, quæ VI. Idus Junii feria ſecunda Pentecoſtes ex Vaticana Baſilica ad templum S. Spiritus, quod in Saxia dicitur, quia Anglo-Saxonum Schola ſuperioribus ſeculis ibi erat conſtituta, tendere deberet: plenariis ex Eccleſiæ theſauris omnibus, qui ſupplicabundi incederent, Indulgentiis elargitis: quas Indulgentias benigniter etiam illis eſt impertitus, qui vel ſupplicationem comitarentur, vel ad Baſilicam Vaticanam, aut S. Spiritus ædem preces fuſuri ſemel tantum ad feſtum uſque Sanctiſſimæ Trinitatis accederent.

Eminentiſſimus Cardinalis Marcus Antonius Columna SANCTISSIMI PATRIS NOSTRI in Urbe Vicarius Clerum, populumque Urbis de Pontificis voluntate per ſequens edictum voluit admonitos.

MARCO ANTONIO del Titolo di S. Maria della Pace della S. R. C. Prete Card. Colonna della SANTITA' DI NOSTRO SIGNORE *Vicario Generale &c.*

„ BRamando ſemprepiù la SANTITA' DI „ NOSTRO SIGNORE di eſſere aſſiſtita in„ ceſſantemente dalle comuni orazioni de' „ fedeli nella Chieſa militante quì in ter„ ra, cercando inſieme di conciliarſi in „ tanti urgenti biſogni il patrocinio de' va„ lidi Interceſſori nella trionfante, e glo„ rioſi in Cielo; mentre medita di fare la „ ſolenne Canonizazione delli BEATI GIO„ VANNI CANZIO, GIUSEPPE CALASANZIO, „ GIUSEPPE DA COPERTINO, GIROLAMO EMI„ LIANI, SERAFINO D' ASCOLI, E GIOVANNA „ FRANCESCA FREMIOT DE CHANTAL, vuo„ le approfittarſi del tempo, in cui ſi ce„ lebra la memoria della Venuta dello Spi„ rito Santo ſopra ai Diſcepoli, conoſcen„ do quanto poſſa riuſcire opportuno in sì „ grave affare, ed in ogni altra preſente „ neceſſità d' implorarne in maniera ſpe„ ciale i celeſti doni, ed i benefici lumi con „ publiche preghiere, come ha ſempre „ coſtumato la Chieſa di praticare in ſimili „ occorrenze. Per la qual coſa la SANTITA' „ SUA ha determinato, dopo aver celebra„ ta la Meſſa baſſa nella Baſilica di S. Pietro „ in Vaticano, di portarſi con ſolenne Pro„ ceſſione dalla medeſima Baſilica alla Chie„ ſa di Santo Spirito in Saſſia la mattina „ della ſeconda Feſta di Pentecoſte; e pe„ rò concede Indulgenza plenaria, e re„ miſſione de' peccati a tutti i fedeli dell' „ uno, e dell' altro ſeſſo, che in tal gior„ no, o nell' antecedente confeſſati, e „ comunicati in qualſivoglia Chieſa, accom„ pagneranno divotamente la Proceſſione, „ oppure ſi trovaranno nel tempo di eſſa in

„ una

„ una delle due nominate Chieſe, ed ivi
„ pregheranno Sua Divina Maeſtà, affinchè
„ ſi degni riguardare con occhio di parti-
„ colar clemenza tutte le preſenti, e pur
„ troppo note neceſsità della Chieſa, ed in-
„ ſieme di allontanare da noi, ſpecial-
„ mente in vicinanza dell' imminente rac-
„ colta, quei flagelli di nuove ſciagure,
„ che pur troppo ſarebbero meritate dalle
„ noſtre colpe, ed in fine di dare a Sua Bea-
„ titudine quell' Apoſtolico ſpirito, che
„ le è neceſſario per la ſopraccennata Ca-
„ nonizazione. Vuole inoltre, che la ſteſ-
„ ſa plenaria Indulgenza ſi poſsa conſeguire
„ da quelli, che nella medeſima ſeconda
„ feſta di Pentecoſte, ovvero negli altri ſuſ-
„ ſeguenti giorni della ſettimana fino alla
„ Domenica *incluſive*, feſta della Ssma Tri-
„ nità, confeſsati, e comunicati viſite-
„ ranno ambedue le dette Chieſe, ed ivi
„ pregheranno ſecondo la pia intenzione di
„ Sua Beatitudine; concedendo alle Mo-
„ nache, Oblate, Educande, ed altre don-
„ ne ſecolari, che dimorano colle debite li-
„ cenze ne' Monaſterj, Conſervatorj, e luo-
„ ghi Pii di Roma, il poter partecipare di
„ queſto teſoro ſpirituale, ſe confeſsate, e
„ comunicate, come ſi è detto di ſopra,
„ faranno orazione nella loro Chieſa inte-
„ riore, Oratorio, o Cappella privata. Riſ-
„ petto ai carcerati, o impediti da infer-
„ mità corporali, per conſeguir l' Indulgen-
„ za, dovranno eſſi parimenti confeſsati, e
„ comunicati far orazione per l' oggetto
„ menzionato, ed unire le loro preghiere ai
„ publici voti. Si diſporrà dunque tanto
„ il Clero Secolare, che Regolare ad inter-
„ venire alla detta Proceſsione Pontificia
„ con quella modeſtia, pietà, e divozione,
„ con cui tanto interiormente, che eſterior-
„ mente deve accompagnarſi azione sì ſa-
„ cra, come anche ogn' altro del popolo
„ dovrà convenientemente diſporſi al con-
„ ſeguimento del celeſte teſoro, per meri-
„ tare dalla Divina Miſericordia le grazie
„ deſiderate. Dato dalla noſtra ſolita Abita-
„ zione queſto dì primo Giugno 1767.

M. A. Card. Vicario.

Gaſparo Arciprete Ori Segretario.

Cardinales, Epiſcopi, cæterique omnes, qui in ſupplicatione Pontificem comitari debebant per curſores hoc pacto fuere præmoniti.

INTIMATIO

Per curſores facienda, domi quoque dimiſſa copia.

„ Die 8. præſentis menſis Junii feria ſe-
„ cunda Paſchatis Penteceoſtis erit ſol-
„ lemnis ſupplicatio cum univerſo Clero a
„ Baſilica Vaticana ad Eccleſiam Sancti Spi-
„ ritus in Saxia ad divinum auxilium in præ-
„ ſentibus neceſſitatibus implorandum.

„ Sanctissimus Dominus Noster Cle-
„ mens Papa XIII. hora duodecima in cho-
„ ro Canonicorum enunciatæ Vaticanæ Ba-
„ ſilicæ Miſſam celebrabit, eaque abſoluta,
„ ſupplicabundo ritu ad ipſam Eccleſiam
„ S. Spiritus procedet.

„ Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi Do-
„ mini Cardinales ſupra rocchetta mantel-
„ lettis, & mozzettis coloris rubei induti ad
„ præſatum chorum prædicta hora accedent.

„ Ideo intimentur omnes & ſinguli Emi-
„ nentiſſimi, & Reverendiſſimi Domini Car-
„ dinales, Gubernator Urbis, Vice-Camera-
„ rius, Principes ſolii, & Conſervatores
„ Urbis.

„ Intimentur inſuper Collegiorum om-
„ nium Decani tam Prælatorum, quam Offi-
„ cialium, ut collegas ſuos admoneant, Præ-
„ lati uſum rocchetti habentes cum rocchet-
„ tis, & mantellettis; reliqui vero quotidia-
„ no Prælatitio habitu induti erunt.

De Mandato SS. D. N. Papæ.

I. Archiepiſcopus Athenarum
Apoſt. Cærem. Præfectus.

Ipſo Pentecoſtes die Joannes Franciſcus Cardinalis Albani Epiſcopus Sabinenſis in Paulino Quirinalis ſacello Miſſarum ſollemnia præſentibus Summo Ecclesiæ Principe Eminentiſſimis Patribus, ac Prælatorum cujuſcumque ordinis maxima multitudine celebravit.

Ne autem quid lætitiæ, & ſplendoris tam

ſollemni, ſacroque die deeſſet, Eminentiſſimus Urbanus Paracciani Archiepiſcopus Firmanus, qui ſacra Purpura a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO in ultima Cardinalium promotione fuerat donatus, & paucos ante dies, ut rubrum Cardinalitium galerum a PONTIFICE reciperet, & ut futuræ intereſſet Canonizationi Romam acceſſerat, publica pompa, ac apparatu Urbem ingredi, Pontificemque petere circa unde vigeſimam horam hujus diei conſtituit.

Quamobrem privato, obſeratoque curru in hortos Cameræ Apoſtolicæ, quos Julii Papæ appellant, extra Portam Flaminiam ſitos, jam conceſſerat, ubi nobiles familiares Cardinalium, Oratorum, Miniſtrorum Principum, ac Patriciorum majorum gentium adventum gratulantes comiter, benigneque excepit. Hiſce urbanitatis officiis abſolutis, currum Eminentiſſimi Rezzonici SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI fratris filii, auro ac cælatura prænobilem ſenis bardatis equis actum conſcendit, ac præeuntibus equis inſidentibus ejus famulis indutis illius familiari veſte, quos ſequebantur ephebi pueri hippoperis equis impoſitis, eubicularii, aliique nobiles aulici, Portam Flaminiam ingrediens per hippodromum ad S.Romualdum, hinc prope Columnenſium ædes, clivum S.Catharinæ Senenſis aſcendens, ad Quirinalem venit, tum a cæremoniarum Magiſtris ad Eminentiſſimum Rezzonicum primum introductus, ab eodem maxima amicitiæ, benevolentiæque ſignificatione receptus, ad PONTIFICEM fuit intromiſſus. Ut in SUMMI PONTIFICIS conſpectum venit, ſemel, iterum, ac tertio de genu illum eſt veneratus, & poſtquam illius manus, ac pedes fuit deoſculatus humillimas eidem gratias egit, quod ſingulari illius beneficentia inter Purpuratos Patres fuerat adſcriptus, cumque alios interpoſuiſſet ſermones, ſigno Crucis a PONTIFICE dimiſſus, ad Cardinales Rezzonicum, & Torrigiani Secretarium Status ſalutatum deſcendit, ac domeſtico ſtipatus comitatu ad proprias ædes inde ſe contulit.

PONTIFEX autem ut commode indictæ ſupplicationi poſſet adeſſe, e Quirinali ad Vaticanum domeſtico cultu venit.

Poſtridie ejus diei Clerus Urbis ſtatuta hora in Vaticanam convenerat Baſilicam, cum ad ipſam per ſecretiores gradus, qui in ſacellum Sanctiſſimæ Trinitatis ducunt, BEATISSIMUS DOMINUS NOSTER deſcendit; ac primum in eodem ſacello, auguſtiſſimum enim Euchariſtiæ Sacramentum continuo ibidem ſervatur, deindeque ad Sancti Petri Confeſſionem precibus effuſis, Canonicorum chorum ſtatim petiit, ut Sacrum operaretur. Chorum ingreſſus, Crucis ſignum in Eminentiſſimos Patres Reverendiſſimoſque Epiſcopos, ac reliquos Romanæ Curiæ Prælatos, qui ibidem aderant, & juxta proprii ordinis dignitatem Canonicorum, Beneficiatorum, Clericorumque ſedes, quas ſtalla vocant, occupaverant, produxit; hinc conſcenſis inferioribus altaris gradibus in faldiſtorio orationes, quæ Sacro præmitti ſolent, perlegit; ac ſacris aſſumptis veſtibus, rem divinam incepit. Ut ad Offertorium pervenit, ſchola cantorum ſacros hymnos & preces eſt modulata. Pergrandes faces pictas aureataſque ad conſummationem uſque Sacrorum Myſteriorum ceroferarii Pontificii ſuſtinuere. Cardinalibus in ordine prioribus cum argenteo inſtrumento pacem præbuit cæremoniarum Magiſter.

Interim cum in ſacello Beatæ Virginis, quod Gregorianum vocant, (illud enim Gregorius Papa XIII. extruxit, Deoque in honorem Virginis, & S. Gregorii Nazianzeni, cujus corpus ſub aram repoſuit, dicavit) argenteo throno divinum Euchariſtiæ Sacramentum inter quamplurimos ardentes cereos fidelium venerationi fuiſſet expoſitum, ſupplicatio univerſi Cleri, ad nutum cæremoniarum Magiſtrorum illam Eminentiſſimi Cardinalis Vicarii Curſoribus dirigentibus, a ſiniſtra ingredientium in templo Confeſſionem verſus cœpit tendere ad dexteram inde vergens, ut ſanctiſſimam Euchariſtiam veneraretur.

Sacro expleto, gratiiſque Deo redditis, PONTIFEX cum Eminentiſſimis Patribus, & maxima Epiſcoporum, Prælatorumque frequentia ad ſacellum Gregorianum proceſſit, ut de genu divinam Euchariſtiam adoraret. Tunc monentibus cæremoniarum Magiſtris, duo

duo ſcholæ Pontificiæ cantores hanc cecinere Antiphonam: *Sancta Maria, & omnes Sancti tui, quæſumus Domine nos ubique adjuvent, ut dum eorum merita recolimus, patrocinia ſentiamus, & pacem tuam noſtris concede temporibus, & ab Eccleſia tua cunctam repelle nequitiam*. Deinde Sanctorum litanias præcinere cœperunt, & cum ad ea verba, quibus Maria invocatur, perveniſſent, Pontifex in pedes ſtetit, ac ſupplicationem eſt proſequutus. Jam enim Clerus omnis ſecularis, & regularis præceſſerat, & per ampliſſimam porticum, regiumque periſtyllum, columnarum ſcilicet quadripartitum ordinem ac ſeriem, dextrorſum a fronte Baſilicæ in ſuburbium vetus venerat, ac juxta Pœnitentiariorum Baſilicæ ædem ad dexteram flectens, S. Spiritus templum petierat.

Quare poſt Lateranenſis Baſilicæ Capitulum Advocati Conſiſtoriales bini procedebant, tum veniebant Cappellani Papæ ſecreti, Cubicularii honoris, & ſecreti, cantores cappellæ Pontificiæ, Abbreviatores de Parco majori, Acolythi Apoſtolici Votantes Signaturæ Juſtitiæ, Clerici Cameræ, Magiſter Sacri Palatii a ſiniſtris junioris Auditorum Rotæ, reliqui Rotæ Auditores Subdiaconi Apoſtolici, Cappellani Papæ, almæ Urbis Conſervatores, & Prior capitum regionum; Laurentius Comeſtabilis Columna, Antonius Caſali almæ Urbis Gubernator: tum poſt Auditorem Rotæ cum Cruce, Elveticorum militum, ac ſervientium armorum manu ſtipatus Sanctissimus Dominus Noster incedebat; qui poſtquam preces, quæ in libello hac de cauſſa typographicis formis excuſo fuerant præſcriptæ, abſolverat, Roſarium Virginis, quem ſiniſtra manu tenebat quamdevotiſsime recitabat, dextera interim affluenti undique populo benedictionem ſigno Crucis impertiens. Beatissimum Dominum Nostrum initio a ſenioribus ſumpto ſequebantur Eminentiſsimi Patres, quos comitabantur Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Protonotarii Apoſtolici, & Referendarii utriuſque Signaturæ: quorum agmen equites levis armaturæ, ac cataphractorum una cum infinita, ac pene incredibili populi multitudine claudebant.

Ut Pontifex templum S. Spiritus fuit ingreſsus, ſtatim ſuper pulvinar in genua provolutus, Crucem eſt veneratus: indeque in pedes erectus, ſeipſum, circumſtanteſque omnes aqua luſtrali aſperſit: tum immiſo thure in tuhribulum, a Cardinali Feroni, ex præſentibus Cardinalibus Preſbyteris ſeniore, fuit thurificatus. Poſt hæc ad altare princeps, in quo cereorum maximo apparatu Euchariſtiæ divinum Sacramentum erat expoſitum, acceſſit, & ad faldiſtorium procubuit, Eminentiſſimis Patribus hinc inde ad latera ſuper diſpoſitis ſcamnis, & Epiſcopis, reliquiſque Prælatis in area Eccleſiæ in genua provolutis. Duo antiquiores Epiſcoporum Aſsiſtentium ad latera Pontificis, ut librum ſuſtinerent, candelamque porrigerent, venere. Interim litaniis a cantoribus ad finem perductis, Pontifex elata voce *Pater noſter* eccinit; cæteriſque tacite proſequutis, ſubjunxit, *& ne nos* &c., tunc cantores Pſalmum *Deus refugium noſtrum & virtus* &c. præcinuere, poſt quem cum ſtatutas preces, ac orationes elata voce Pontifex recitaſſet, dimiſſo in terram longo faldæ ſyrmate altare aſcendit, atque ea, qua pollet animi pietate & religione, venerando Euchariſtiæ Sacramento benedictionem ſollemniter populo dedit; ac cum de genu pauſillum oraſſet, illico aſſurgens, e templo exiit, currum aſcendit, & ad Vaticanum eſt reverſus.

Ad xvii. Kalendas Quintilis altero ſemipublico Conſiſtorio, ut de Beatis Joseph a Cupertino, & Hieronymo Æmiliano in Sanctorum albo referendis Eminentiſsimi Patres una cum Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis ſententiam ferrent, dies fuit dicta, qui omnes per Pontificios curſores ad hujuſmodi Conſiſtorium ſequenti formula fuere evocati.

INTIMATIO.

Per curſores facienda, etiam domi dimiſſa copia.

» Die 15. præſentis menſis Junii feria 2., Sanctissimus Dominus Noster Clemens Papa XIII. alterum habe-

 ,, bit

„ bit ſemipublicum Conſiſtorium hora 13. in
„ deſignata Palatii Apoſtolici Quirinalis aula
„ pro excipiendis ſuffragiis ab Eminentiſ-
„ ſimis DD. Cardinalibus, nec non Reve-
„ rendiſſimis Patriarchis, Archiepiſcopis, &
„ Epiſcopis in Cauſſis Beatorum Josephi a
„ Cupertino Sacerdotis profeſſi Ordinis Mi-
„ norum Conventualium S.Franciſci, & Hie-
„ ronymi Æmiliani Fundatoris Clericorum
„ Regularium Congregationis Somaſchæ,
„ eadem penitus ſervando, quæ jam pro con-
„ ſimili antecedenti ſemipublico Conſiſtorio
„ peracta fuere.

„ Certiores itaque reddantur omnes, &
„ ſinguli Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi
„ DD. Cardinales, nec non Reverendiſſi-
„ mi DD. Patriarchæ, Archiepiſcopi, &
„ Epiſcopi in Urbe præſentes, ac Domini
„ Protonotarii Apoſtolici, duo antiquiores
„ Rotæ Auditores, Sacrorum Rituum Con-
„ gregationis Secretarius, Promotor Fidei,
„ & Procurator Fiſcalis Cameræ Apoſtolicæ,
„ ut omnes cappis induti, Conſiſtorio in-
„ terſint.

De Mandato SS. D. N. Papæ.

I. Archiepiſcopus Athenarum
Apoſt. Cærem. Præfectus.

Eodem, quem ſuperius deſcripſimus ordine, ac apparatu Beatissimus Dominus Noster ſtatuta die in Conſiſtoriom prodiit; & antequam Epiſcopi, aliique in Conſiſtorium admitterentur, Cardinali Urbano Paracciani inhibuit, ne verbum proferret, vel ſententiam exponeret in quibuſcumque Eminentiſſimorum Patrum conventibus, niſi loquendi veniam ipſe Pontifex faceret: idque in cæremonialibus libris *claudere os* dicitur; formula autem, qua uſus eſt Pontifex, hæc eſt: *claudimus tibi os, ut neque in Conſiſtoriis, neque in Congregationibus, aliiſque functionibus Cardinalitiis ſententiam tuam dicere poſſis.*

Inde Eminentiſſimus Dominicus Orſini inſtetit, ut illos Galli Regni illuſtres viros, de quibus in ſuperiori Conſiſtorio verba fecerat Eminentiſſimus Rezzonicus, Pontifex Epiſcopos crearet; tum propoſuit in Epiſcopum Maclovienſem Antonium Joſephum Des Laurens Avenionenſis Diœceſis, qui in eadem civitate Maclovienſi Vicarium Generalem geſſerat.

Ultimus poſt hæc Diaconorum Cardinalium tintinnabuli ſonu cæremoniarum Magiſtros vocavit. Horum primus ad ſolium Pontificis acceſſit; duo antiquiores Diaconos Cardinales commoneſaciens, ut ad Pontificis latera ſtarent. Alter Eminentiſſimum Paracciani, qui inter Purpuratos Patres juxta ſuæ promotionis ordinem conſidebat, ad ſolium Pontificis perduxit, ut annulo, & Titulo ab eodem condecoraretur: qui enim ad Cardinalitium evehuntur honorem, licet Epiſcopi ſint, vel alia potiantur dignitate, quæ annuli ornamentum requirat, illo nequaquam in poſterum uti poſſunt, niſi eodem a Pontifice donentur. Ut genu ante Pontificis pedes eſt nixus Card. Paracciani, eidem Beatissimus Pater loquendi facultatem in Cardinalium conſeſſibus per hæc verba fecit: *Aperimus tibi os, ut in Conſiſtoriis, Congregationibus, aliiſque functionibus Cardinalitiis ſententiam tuam proferre valeas*; hinc annulum in ejus digitos inſeruit, eumdemque S. Calliſti Titulo ſequenti formula condecoravit. *Ad honorem Dei Omnipotentis, Beatæ Mariæ ſemper Virginis, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac S. Calliſti committimus tibi Eccleſiam S. Calliſti cum Clero & populo, & capellis ſuis ſecundum formam, qua committi conſuevit Cardinalibus, qui eamdem Eccleſiam in Titulum habuerunt.* Tum pedes, ac manus Pontificis adhuc in genua provolutus oſculatus eſt Eminentiſſimus Dominus, qui deinde in pedes erectus ad oris oſculum ab eodem clementiſſimo Domino humaniter, benigneque fuit admiſſus.

Cumque Conſiſtorialis aulæ Advocati inſtantius nomine Archiepiſcopi Ebrodunenſis, & Epiſcopi Auguſtodunenſis, qui ſingulari Apoſtolicæ Sedis privilegio Pallii uſu condecoratur, Pallium expoſtulaſſent, in aulam Conſiſtorialem Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, cæterique omnes, qui in ſemipu-
bli-

Digitized by Google

blicis Conſiſtoriis locum habent, fuere introducti; & Sanctissimus Pater orationem dirigens ad Eminentiſſimos Cardinales, ac Reverendiſſimos Epiſcopos ſic eleganter verba fecit.

Venerabiles Fratres. Egregium par Beatorum ſacro huic Conſeſſui hodie proponimus Josephum a Cupertino, & Hieronymum Æmilianum Congregationis Somaſchæ Fundatorem; de quorum Canonizatione rogamus quid nobis faciendum putetis. De utriuſque virtutibus, & miraculorum gloria ſatis cognoſcere potuiſtis e Breviariis, quo utriuſque Beati vitam, & res geſtas conferri juſſimus in compendium: & in publicis Conſiſtoriis proxime habitis narrationes audiſtis copioſe & dilucide explicatas de eorum firmiſſima fide, flagrantiſſima in Deum, & proximum caritate, & de ſumma futurorum prœmiorum ſpe, qua maxime freti carnem ſuam crucifixerunt [1] cum vitiis & concupiſcentiis. Et B. quidem Josephus in ſumma aſperitate vitæ, in altiſſima paupertate, in opprobriis, & tribulationibus [2] ſpectaculum factus, confuſione contempta, ſemper aſpiciens [3] in auctorem Fidei & conſummatorem Jeſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit Crucem; & fiduciam habens in introitu [4] Sanctorum in ſanguine Chriſti, cæleſtem Beatitudinem eſt conſequutus. Beatus vero Hieronymus illud ſemper habuit fixum in corde, quod in hoc cognovimus [5] caritatem Dei, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit; & nos idcirco debemus pro fratribus noſtris animas ponere. Quamobrem ferventiſſimum, quo flagrabat in Deum, repræſentavit amorem in ea caritate, quam proximis præſtitit, ut peſtifera lue correptis inſerviendo, eodem contracto morbo, victima ceciderit caritatis. Itaque de Sanctorum cultu, & honoribus utrique Beato tribuendis rogamus quida nobis cenſeatis oportere decerni.

Statim Domini Cardinales, & Epiſcopi conſueto ordine hæc de Beato Josepho a Cupertino dedere ſuffragia.

CAROLUS ALBERTUS Epiſcopus Oſtienſis, & Veliternus Sacri Collegii Decanus Cardinalis Guidobonus Cavalchinus.

Beatissime Pater. Ea fuit Josephi a Cupertino ratio, inſtitutioque vitæ, ut coram omnibus ornata eſſet in perfectionem, tam enim inflammarat cor ejus caritas, ita ſitivit ad Deum fontem vivum, ſic denique anima ejus poſt auctorem ſuum adhæſerat, ut non quæ ſuper terram ſunt, ſed quæ ſurſum uniee ſaperet. Itaque cum ipſe, jam non ipſe viveret; viveret autem in eo Chriſtus, elevabatur ſæpe ſpiritu, & corpore inter terram, & Cælum, & inclinabat aurem ſuam ad eloquia Dei, inhiabatque ore cordis ad ſuperna fluenta fontis vitæ, adeo ut ejus converſatio Cælis tota eſſe videretur. Caſtigabat corpus ſuum, & in ſervitutem redigebat jejunio, incredibilique auſte-

1 *Galat.* 5. 24.
2 *Hebr.* 10. 33.
3 *Ibid.* 12. 2.
4 *Ibid.* 10. 19.
5 *I. Joan.* 3. 16.

Digitized by Google

auſteritate vitæ, obedientiam jugiter meliorem habuit, quam victimas, ut etiam dum ecſtaſi impletus eſſet, uſuque ſenſuum corporis careret omnino, neque præceptis cujuſquam moveri videretur poſſe, ad nutum Præpoſiti ſui, veluti excitatus e ſommo id continuo, quod juſſus fuerat, exequebatur. Vitam prorſus abſconditam cum Chriſto ducere cupiebat, ſed mirabilis Deus in Sancto ſuo tot illum miraculis & viventem, & mortuum non deſiit illuſtrare; ac demum etiam coram te, Beatissime Pater, quaſi tuba exaltavit vocem ſuam, ut conſtituas eum in numero Sanctorum.

FRIDERICUS Epiſcopus Portuenſis & Sanctæ Rufinæ Cardinalis Lantes.

Beatissime Pater. Beatum Josephum a Cupertino ex Minoribus Conventualibus totum Deo adhæſiſſe, & quaſi unum cum Deo ſpiritum evaſiſſe oſtendunt ecſtaſes, raptus, volatus tam frequentes, tam varii, tam inſoliti, ſtupendique, ut omnibus tamquam prodigium factus fuerit. Oſtendunt obedientia numeris omnibus abſoluta, profundiſſima humilitas, perfectiſſima paupertas, heroica patientia. Oſtendunt portenta, quibus introivit in potentias Domini, quoniam non cognovit litteraturam. Itaque, Beatissime Pater, eum in ſorte Sanctorum ſollemni Canonizationis ritu conſtituendum eſſe arbitror.

JOANNES FRANCISCUS Epiſcopus Sabinenſis Cardinalis Albani.

Qui dilectionis chariſmata diſtribuit Deus, dividens ſingulis prout vult, in Beato Josepho a Cupertino ea congeſſiſſe omnia ſecundum ſapientiam ſuam in ſanctificationem ſpiritus viſus eſt, humanæ perceptionis terminos longe lateque prætergrediens. Illum enim pœnitentem in innocentia, hilarem in humiliatione, in mentis exceſſu obedientem, in tot vitæ ambagibus, fortuniſque contentum non miramur ſolum, ſed etiam, quod novum eſt, & ante hæc tempora inauditum, ita divino amore flagrantem, ut per raptus, ecſtaſes, atque volatus pondus hoc noſtræ mortalitatis ad Cælum, quo tendebat unice, elevaret frequentius, quam naturali membrorum pondere detentus terram incoleret. Hunc igitur ſodalem ſuum dum Seraphici Ordinis aſſeclæ meritiſſimi nobiſcum efflagitant, in Sanctorum Confeſſorum numero referri, fac, Beatissime Pater, infallibili judicio tuo, ut in revelatione gloriæ ejus gaudeant exultantes.

FABRITIUS Epiſcopus Albanenſis Cardinalis Serbellonus.

Vere mirabilis Deus in Sanctis ſuis. Non ſolum perdifficillimas virtutum omnium ſemitas duxit Beatum Josephum a Cupertino, verum ejus ſanctitatem innumeris & in vita, & in morte prodigiis comprobavit; ſapientiſſimo igitur Sac. Congregationis Rituum judicio, quæ tuto ad illius Canonizationem procedi poſſe cenſuit, libenti animo adhæreo.

JOANNES FRANCISCUS Epiſcopus Præneſtinus Cardinalis Stuppanius.

Myſticum, & ſecretiſſimum, & humanis plerumque mentibus impervium novit Beatus Joseph a Cupertino; novit, quia accepit; accepitque, quod deſideraverat, & deſideravit, ex quo ipſum inflammavit ignis ille Sancti Spiritus, quem Salvator noſter venit mittere in terram. Adeo unitiva, & concretiva amoris vi actus erat Dei Servus, ut per inſuetos raptus, & volatus ad caritatis centrum ſæpe ſæpius aſſerretur, & per admirabiles aſcenſiones, quas quodammodo exhibuit in corpore, mirabiliores, quas de virtute in virtutem proficiendo diſpoſuit, panderentur in corde. Satis ſuperque Sanctitas Vestra illius virtutes in gradu heroico ratas habuit, & ſignis, prodigiiſque de Cœlo comprobatas. Æquum proinde eſt, & præſtat, Beatissime Pater, ut B. Joseph a Cupertino ad laudem Omnipotentis Dei, & Eccleſiæ triumphantis, atque ad novum militantis præſidium, & ad Seraphici Ordinis ornamentum in Sanctorum albo referatur.

JO-

JOSEPH MARIA Tituli Sanctæ Cæciliæ Presbyter Cardinalis Feroni.

DEO maniſeſte volente, BEATISSIME PATER, ad Sancti Franciſci Ordinem primo, deinde ad Sacerdotium vocatus BEATUS JOSEPH A CUPERTINO ita, poſt graviſſimas cum malo dæmone colluctationes effuſo divini amoris incendio conflagravit, ut adhuc in terris degens, corpoream veluti labem omnem jam exuiſſet, Cælitum potius, quam mortalium hominum vitam vivere viſus eſt. Hinc quotidiani JOSEPHI raptus, perpetuæ quodammodo ecſtaſes, atque admirabilis vitæ totius ratio. Quem itaque, viventem adhuc, cæleſtis amor beatiſſimis illis mentibus exæquavit, omnino judico a SANCTITATE VESTRA inter Sanctos relatum, tamquam abſolutiſſimum virtutum omnium exemplar tuto poſſe proponi.

CAROLUS Tituli S. Clementis Presbyter Cardinalis Rezzonicus S. R. E. Camerarius.

VIrtutum omnium cumulus Dei Optimi Maximi largitatem ad cumulandum ſupernis donis B. JOSEPHUM A CUPERTINO excitavit. Ecſtaſes, in quibus divinus amor maxime emicat, via quemquam adeo frequenter paſſum eſſe novimus: Virum igitur amoris vi cum Deo conjunctum in terris, & ad beatiſſimum in Cœlis cum Deo conſortium vocatum, ſacris tandem honoribus decorandum eſſe putarem.

FERDINANDUS MARIA Tituli S. Sylveſtri in Capite Presbyter Cardinalis de Rubeis.

PRodigium illud caritatis, paupertatis, ac patientiæ, quod in JOSEPHI A CUPERTINO vita proſpicitur, nihilo admirandum minus, ac ſtupendum fuit, quam quæ creberrima edita ab ipſo ſunt ecſtaſum, raptuum, viſionum, prophetiæ, ac curationum miracula. Quid non in illo ſupra humanæ conditionis vices viſum eſt? Quid non cœleſtem, ac divinam quamdam vim, ac ſpeciem prætulit? Non illa fuit, niſi per inſenſatos exiſtimanda infamia, non ille ſine honore finis eatitit.

Computatus igitur cum ſit inter filios Dei, reſtat, ut tu, BEATISSIME PATER, jure, ac merito ſortem illius inter Sanctos eſſe declares.

JOSEPH MARIA Tituli Sancti Alexii Presbyter Cardinalis Caſtelli.

ILlos glorificat Deus, quos ipſe prædeſtinavit conformes fieri imagini Filii ſui. Rerum omnium humanarum contemptus, abnegatio ſui, in corporis afflictionibus, & cruciatibus humilis, & fortis patientia, obedientia erga Patrem uſque ad mortem, ſpiritus derelictiones quacumque morte acerbiores, amor Dei puriſſimus: hæc ſunt: quæ conſtituunt veram imaginem Filii Dei. JOSEPHUM A CUPERTINO pro humano modulo in ſeipſo exculpſiſſe lineamenta harum omnium Chriſti virtutum acta Cauſſæ nobis abunde teſtantur, & quod excellenter, atque admirandum in modum exculpſerit teſtem habemus ipſum Deum in ſublimiſſimis donis inauditarum ecſtaſum, raptuum, & volatuum ab eo gratis in JOSEPHUM immiſſis, quæ nonniſi in ſanctiſſimis animabus ſolet diffundere immenſa ſapientia, & bonitas Dei. Cum igitur BEATUM hunc VIRUM uti conformem imagini Filii ſui, dubio procul glorificatus fuerit Deus, idem plane meretur, ut etiam ab Eccleſia Sanctorum ſupremo cultu glorificetur.

CAJETANUS Tituli Sancti Auguſtini Presbyter Cardinalis Elephantutius.

BEATISSIME PATER. Ecſtaſes adeo frequentes, raptus, volatus, quos natura obſtupente tantis fortaſſe nondum aſſueta prodigiis vidit ætas noſtra felicior in B. JOSEPHO A CUPERTINO, præclara ſunt ſigna, quibus eximiam illius ſanctitatem Deus ipſe probavit. In tantis autem chariſmatum donis, quid miremur puritatis candorem, quem vir Dei ad obitum uſque integrum ſervavit? Quid obedientiam, cujus officia ſive in corpore, ſive extra corpus ſine mora explevit, quid jejunia, quid horri-

horrida cilicia, quid denique miremur paupertatem, patientiam, & humilitatem? Hæc omnia ſiquidem complectitur una in Deum caritas, eujus lumine litteraturæ neſcius illuſtratur, cujus ardore, adhuc vivens, natat in eo torrente voluptatis, quo electi Dei in Cœlis inebriantur. Hunc itaque Virum, cui magna fecit Deus, qui potens eſt, videat Eccleſia ſupremo SANCTITATIS VESTRÆ decreto in ſuis faſtis adſcriptum, indeque confundantur ſapientes ſeculi, humiles vero corde congaudeant, & fateantur mirabilem eſſe Deum in Sanctis ſuis.

PETRUS HIERONYMUS Tituli Sanctiſſimæ Trinitatis in Monte Pincio Presbyter Cardinalis Guglielmi.

SI aquam ſapientiæ ſalutaris dat Deus omnibus ſitientibus eam [1]; vinum autem & ſanguinem uvæ meraciſſimum, quo inebrientur, ſolis præbet cariſſimis animabus [2]; jam ſatis probaſſe videor, BEATISSIME PATER, ſupremos Eccleſiæ honores BEATO JOSEPHO A CUPERTINO eſſe tribuendos: quem tot, tantiſque evidentibus ſignis [3] conſtat a prima uſque ætate introductum fuiſſe a Rege ſummo in cellaria ſua, & ordinatiſſima caritate [4], ita a ſeipſo etiam abreptum, ut vivens jam non viveret ſibi [5], ſed viveret abſconditus cum Chriſto in Deo [6], & eum hominibus agens, ipſius tamen converſatio in Cœlis eſſet [7]. Age ergo, BEATISSIME PATER, ut, benedictiones tuas benedictionibus Cœli deſuper [8] conſociando, clarifices coram hominibus eum, quem tanta claritate a Deo donatum [9] accipimus.

NICOLAUS Tituli Sanctorum Nerei & Achillei Presbyter Cardinalis Antonellus.

QUis nos ſeparabit a caritate Chriſti? Amore Dei incenſus elamat Apoſtolus. Nulla certe res, non tribulatio, non anguſtia, non fames, non nuditas, non periculum, non perſecutio a Deo ſeparare potuit BEATUM JOSEPHUM A CUPERTINO, cujus quidem animus Deo in caritate conjunctus cœleſtium contemplatione, & divinarum rerum amore, quaſi duabus alis in altum elatus, adeo amoris impetu, ac vi ferebatur, ut terrena omnia quodammodo tranſgreſſus, mortale corpus, veluti levem quamdam ſarcinam ſecum in aerem raperet, traheretque, corporeumque habitaculum, quaſi naturalis ponderis expers, mirum in modum in ſublime attolleret. Itaque toto humanæ ſuæ peregrinationis tempore, mente, & animo in Cœlis habitans; in corpore autem mortificationem Jeſu Chriſti circumferens, cum eodem Apoſtolo dieere poterat: *Chriſto confixus ſum cruci. Vivo autem jam non ego: vivit vero in me Chriſtus*. Quare merito BEATISSIME PATER, a SANCTITATE VESTRA inter Sanctos Dei Servos, qui in Cœlis ſunt, Apoſtolica auctoritate Servus Dei adnumerabitur, qui donec in terris fuit, cœleſtem potius, quam terrenam, ac mortalem vitam duxit.

Fr. LAURENTIUS Baſilicæ SS. XII. Apoſtolorum Presbyter Cardinalis Ganganelli.

DE JOSEPHI A CUPERTINO, in tam ſolemni Eccleſiæ Procerum frequentia, præclaris virtutibus, eharifmatibus, ac ſignis verba facturus, paucis dicam quod ſentio. Equidem ſcio hujuſmodi hominem . . . quoniam frequenter, ac mirum prorſus in modum raptus eſt [10]: JOSEPHUS igitur, dum vivit, *relinquens terrena, in altum mentis extollitur, in ſublime rapitur, & Cœlo efficitur vicinior* [11]. Hinc porro intelligimus quali ferveret, quantoque æſtuaret in Deum amore; dignus propterea, ut cui adhærere ſoli Deo bonum erat in terris, ipſo Deo, corpore ſolutus, ſtatim perfrueretur

1 *Ex Eccl.15.3.& Iſaiæ 51.1.*
2 *Ex Deut.32.14.& Cant.5.1.*
3 *Ex Math. 2. cap.14.15.*
4 *Cantic.1. 4.*
5 *Galat. 2. 20.*
6 *Coloſſ. 3. 3.*
7 *Philipp.3. 20.*
8 *Gen.49. 26.*
9 *Ex Joanne 17.*
10 *Ad Corinth. cap.32.*
11 *S. Auguſt. ſerm.3. Apoſt. Petri, & Pauli,*

retur in Cœlis, ſicuti tot patrata per ipſum ſigna comprobarunt. Porro autem Religioni, quam profiteor, gratulandum, mihi vero gaudendum ſupereſt, quod Neritonenſem Cauſſam, cujus initia auſpicatus eſt Laurentius de Lauria, Laurentius alter ejuſdem Ordinis, ac Tituli feliciter abſolvi præſens conſpiceret. Nec abſque divino conſilio factum puto, ut Josephum a Cupertino inter Sanctos eo die recenſendum, Beatissime Pater, decreveris, quo Seraphicus Pater Franciſcus a Gregorio IX. Sanctorum canoni fuit adſcriptus. Hæc præterea dies illa eſt, qua te, Beatissime Pater, univerſæ Eccleſiæ Paſtorem inauguratum lætabundi ſuſpeximus, ut propterea de ea merito dici poſſit, ac debeat, hæc dies, quam fecit Dominus exultemus, & lætemur in ea [1]. Exultemus ergo, quia militantem regis Eccleſiam; lætemur, quia novis civibus ditas triumphantem.

MARCUS ANTONIUS Tituli S. Mariæ de Pace Presbyter Cardinalis Columna.

Beatissime Pater. Caritas, quæ omnia credit, omnium, meo quidem judicio, fuit origo chariſmatum, queis totam propemodum vitæ feriem Beati Josephi a Cupertino legimus inſignitam. *Fides* enim, ut ajebat S. Leo, *fortitudo caritatis, & caritas robur fidei*, utraque velut efficaciſſimus geminarum alarum volatus, quo puritas mentis attollitur, quo magis quotidie animum Beati Josephi a terrenis abſtrahebat, eo ſemper firmius in eo figebat, qui ſola eſt animi vera requies, atque ſincera. Cujus tantæ rei perſpicuum omnibus documentum daturus Deus, effecit, ut identidem & corpus Beati Viri ſequeretur animi impetus, ecſtaſes, atque volatus in requiem ſuam. Quem itaque viventem tanta effuſione gratiarum honoravit Deus, eo tutius mortuum Sanctorum laudibus decorari poſſe cenſeo.

SIMEON Tituli Sancti Joannis ad Portam Latinam Presbyter Cardinalis Buonaccorſi.

Beatissime Pater. Invifa Eccleſiæ malignantium Religioſorum Ordinum in vinea Domini ſanctitas, & utilitas nulla re declaratur uberius, quam alumnorum frequentia; quorum eximia virtus, Divino afflante Spiritu, hujus Sanctæ Sedis oraculo comprobata ad colendum fidelibus imitandumque proponitur. In his D. Franciſci Familia merito Sanctitati Vestræ Beatum Josephum a Cupertino Sanctorum honoribus augendum obtulit. Docuit enim humilitate, obedientia, paupertate, cæteriſque illius Inſtituti virtutibus, bonos fructus gignere nunquam deſiiſſe arborem bonam, quæ Viri ſanctiſſimi diſciplina, & exemplo ſata, nec vetuſtate temporis, nec humanæ inconſtantia fragilitatis exaruit.

JOANNES CAROLUS Tituli SS. Joannis, & Pauli Presbyter Cardinalis Boſchi Major Pœnitentiarius.

Beatissime Pater. Si raptos in ſublime Prophetas ſuſpexit antiquitas, eos cœleſti manu, aut ignis turbine ſublatos fuiſſe novimus: at Josephum a Cupertino ſola, quo fervebat, divini amoris vi ſeſe in aera provehentem, noſtra non ſemel tempora mirata ſunt. Ab hoc caritatis fonte, ceu flumen a capite, in illius animum promanarunt virtutes reliquæ, quibus ſe ad chriſtianæ perfectionis faſtigium extulit, quibuſque & Minorum Familiam, & Sacerdotum Ordinem, & totum denique orbem illuſtravit. Quod quum & humano, & divino judicio manifeſte comprobatum fuerit, te nunc, Beatissime Pater, pro virili parte hortor, obteſtorque, ut mirificum religionis cultorem in Cœlitum numerum jampridem receptum eſſe infallibili judicio tuo, Deo annuente, definias; ut Catholica Eccleſia primævæ ſemper ſimilis, & virtute, & miraculis, & auctoritate oſtendatur.

1 Pſal. 117.

LUDOVICUS Tituli Sanctæ Anaſtaſiæ Presbyter Cardinalis Calinus.

ADmirabiles aſcenſiones, quæ in corde BEATI JOSEPHI A CUPERTINO divinitus diſpoſitæ ſunt, adeo per univerſum orbem celebrantur, ut exaltatus a terra Filius Dei neminem alium aut ſæpius, aut mirabilius ad ſeipſum traxiſſe videatur. Vir enim innocentiſſimus incredibili erga Deum amore flagrabat, terreniſque omnibus abjectis, ſimplex, purus, immaculatus, licet mortali adhuc pondere premeretur, in Cœlum tamen rapido quodam impetu ferebatur. Cum itaque dubitari non poſſit, quin beatiſſimus ille ſpiritus vix dum exutus corpore ad Superos evolaverit, cumque ejus virtutes ita effulgeant, ut chriſtiano populo tuto proponi poſſint ad imitandum; jure ac merito, BEATISSIME PATER, ipſum in Sanctorum cœtum cooptandum putarem.

ANTONIUS Tituli Sanctæ Mariæ in Via Presbyter Cardinalis Columna Branciforti.

QUod utique de ſemetipſo ajebat Apoſtolus, cum ſcripſit, *vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Chriſtus*; non dubito, quin de BEATO JOSEPHO A CUPERTINO rectiſſime dictum intelligere poſſit is, qui acta ejus diligenter evolvat: adeo enim ſingulari raptuum, atque ecſtaſum dono cumulatum JOSEPHUM reperiet, ut fateri debeat illum nonniſi admirabili vitæ genere, hoc eſt divini amoris æſtu ſuccenſum, vitam in terris vixiſſe cum Chriſto. Hanc autem cœleſtium chariſmatum largitatem, cum theologicarum perpetuo ſtudio virtutum ſibi promeruerit JOSEPHUS, glorioſiſſimam vitæ illius ſanctitatem firmiſſimo BEATITUDINIS VESTRÆ judicio publicæ chriſtiani orbis venerationi proponendam conſtantiſſime cenſeo, atque BEATUM JOSEPHUM Catholicæ Eccleſiæ faſtis inter Sanctos adnumerandum.

PETRUS Tituli Sanctæ Mariæ Tranſtiberim Presbyter Cardinalis Pamphilius.

IGnem veni mittere in terram, & quid volo, niſi ut accendatur [1]? Dum audio clamantem veritatem, & B. JOSEPHI A CUPERTINO caritatem conſidero, BEATISSIME PATER, non ignem tantum, vel accenſionem, ſed flammas, & flammarum incendia mihi videor videre, ut jam in hoc ipſum excitatum [2] eum fuiſſe intelligam, ut eſſet in pabulum ignis & oblationem Domini [3]: Ita namque a primis uſque annis oſtendit illi Deus ignem ſuum maximum, & audire fecit verba ſua de medio ignis [4], ut ſtupens, & neſcius, & impos cunctis appareret: ita deinceps miſit ignem de excelſo in oſſibus ejus, & erudivit eum [5], ut jam in meditationibus exardeſceret mens [6], & corda inflammarentur, & renes: ita deinde incenſa omnia, & ſuffoſſa igne [7], ut jam non corruptibili gravante corpore [8], ſed prope ſpiritali, ac cæleſti circumdatus videretur: adeo nimirum creberrimis rapiebatur exceſſibus, & in ſublime tollebatur mente ſimul, & corpore; adeo ignitum, ac vehemens huc illuc effundebatur ipſius eloquium [9], & juſtos exæſtuans, & peccatores comburens; adeo cupiebat ab hac valle diſſolvi, & ignem abſconſum afferre ad altare Summi Dei [10]. Nullæ hinc tribulationum aquæ licet multæ, quæ valerent non dico flammas extinguere [11], ſed nec ardorem minuere, aut impetum retardare. Nullæ dæmonum vexationes, artes, inſidiæ; nulla denique creatura, quæ incendium cohiberet, quod Dominus ſuſcitaverat [12] uſque dum conſummaretur hoſtia, & aſcenderet JOSEPHI anima ad Deum Creatorem ſuum [13]. Quæ quidem cum ita eſſe, & abſolutis jamdiu quæſtionibus, & editis e Cælo ſignis teſtatum habea-

1 *Lucæ* 12. 49.
2 *Ex Apoſt. Rom.* 9. 17.
3 *Levit.* 3. 11.
4 *Deuteron.* 4. 36.
5 *Thren.* 1. 13.
6 *Pſal.* 38. 4.
7 *Pſal.* 79. 17.
8 *Sap.* 9. 15.
9 *Pſal.* 118.
10 *Ex II. Macab.* 2.
11 *Cantic.* 8. 7.
12 *Levit.* 10. 5.
13 *Ex Eccleſiaſtic.* 12. 7.

beamus, quid ſupereſt, BEATISSIME PATER, niſi ut præclariſſimum hoc, ſi quod aliud caritatis exemplum, quo ſatius ad Dei amorem incendantur fideles, ſummis demum Eccleſiæ honoribus dignum aſſeras, ampliſſimoque judicio tuo conſtituas.

URBANUS Tituli Sancti Calliſti Presbyter Cardinalis Paracciani.

BEATISSIME PATER. Eximius fuit in BEATO JOSEPHO A CUPERTINO quoad uſque vixit abjectæ paupertatis amor, manſuetudo, obedientia, atque animi demiſſio; & licet intima non ſemel deſtitutus fuerit jucunditate, qua eximii virtutum cultores deliniri maxime ſolent, ſingularem tamen in incepto firmitatem, conſtantiamque retinuit. Incredibilem morum innocentiam cum aſperrima vivendi ratione conjunxit; tamque incenſo, atque inaudito caritatis ardore Deum proſequutus eſt, ut præ illo reliqua omnia nihil ducens, in unius Dei recordatione divina quadam voluptate fuerit perfuſus; hinc identidem abſtractus a ſenſibus, nihil magis ei commune fuit, quam fractis naturæ legibus palam evolare per aera, & in ſublimi ad longum temporis ſpatium ſine ulla corporis motione perſiſtere. Poſtquam igitur jam eſt certiſſime conſequutus illam gloriæ coronam, quam Deus promiſit diligentibus ſe, rectiſſimum exiſtimo, ut qui omnes undequaque gentes odore ſuavitatis implevit, judicio Sedis Apoſtolicæ omnino inter Sanctos adſeribatur.

PHILIPPUS MARIA Tituli Sancti Chryſogoni Presbyter Cardinalis Pirellius.

BEATISSIME PATER. Vitam ſingulari cæleſtium munerum ſplendore illuſtrem in BEATO JOSEPHO A CUPERTINO qui præter modum miretur, is ſimul animadvertat neceſſe eſt viri innocentiſſimi erga ſe duriſſimam diſciplinam, intimum ſui contemptum, ſui caſtigationem perpetuam, jejunia, inediam, vigilatas in precibus noctes, omnium denique virtutum præclariſſimam conſenſionem, atque inde manantem in oſſibus æternæ caritatis ardorem, qui dum veterem hominem abſumebat, mortalitatis pene ipſum pondus exhauſerat.

Hinc in homine Cælo magis, quam terris conjuncto rerum futurarum præſenſiones, prædictioneſque. Hinc imperium in morbos. Hinc, ubi præſens cæleſtium ſpecies obverſabatur, erumpentis foras ſpiritus ſubita, & cum ipſo interdum elevato corpore excurſio.

Quis dubitet propterea nunc Sanctorum illum faſtis adſcribere, cujus viventis ſanctitatem morum ſuis oculis ipſi adſpexerunt deceſſores Pontifices, quam ubique admiratæ ſunt turbæ, quam, dum viveret, & poſtquam e vivis exceſſit, aſſidua Dei manifeſto numine patefacta prodigia illuſtraverunt?

ALEXANDER Sanctæ Mariæ in Via lata Diaconus Cardinalis Albanus.

EA eſt, BEATISSIME PATER, ſeries vitæ BEATI JOSEPHI A CUPERTINO, ut tamquam chriſtianæ perfectionis exemplar proponendum eum eſſe tuto exiſtimem. Habet ſane chriſtianus populus quod in eo imitetur, obedientiam numeris omnibus abſolutam, humilitatem profundiſſimam, ſummam morum integritatem, paupertatem arctiſſimam, heroicam patientiam, fidem firmiſſimam; caritatem denique in Deum, & in proximum ardentiſſimam. Rem itaque chriſtianæ Reipublicæ perutilem feceris, BEATISSIME PATER, ſi ſelectiſſimum hunc ſanctitate virum, ac miraculorum ſerie probatiſſimum inter Sanctos recolendum eſſe decreveris.

NERIUS Sancti Euſtachii Diaconus Cardinalis Corſinus.

BEATISSIME PATER. Deus, qui eſt mirabilis in Sanctis ſuis, BEATO JOSEPHO A CUPERTINO largitus eſt ſanctitatem peculiari quodam modo mirificentiſſimam, itaut ejus vita a prima pueritia ad mortem uſque perpetuum veluti miraculum fuiſſe videatur. Itaque cum plura etiam deinde acceſſerint ſigna, atque portenta, quæ illius in Cælo jam regnantis gloriam luculenter teſtatam nobis faciunt, Sanctorum faſtis BEATI JOSEPHI A CUPERTINO nomen tuto adjungi poſſe exiſtimo.

DOMINICUS Sanctæ Mariæ ad Martyres Diaconus Cardinalis Urſinus.

VIrtutibus omnibus claruit BEATUS JOSEPH A CUPERTINO Sacerdos profeſſus Ordinis Minorum Conventualium S. Franciſci, labori patiens, mandatis obtemperans, affligendo corpori intentus, regularis diſciplinæ tenax, cæleſtibus inhians, caſtimoniæ, paupertatiſque aſſertor eximius, ut totus Dei eſſet, atque unus cum Deo quaſi ſpiritus fieret: divinam ſane dilectionem probatam faciunt raptuum, ecſtaſum, volatuumque frequentia, ac varietas tanta, quantam fortaſſe in aliis quibuſcumque ſecula nulla viderunt: quum itaque Servi ſui ſanctitatem Altiſſimus tot prodigiis, & miraculorum fulgore confirmaverit, congruum omnino eſt, ut ſupremi eidem honores decernantur.

FLAVIUS Sanctæ Mariæ in Porticu Diaconus Cardinalis Chiſius.

BEATISSIME PATER. Beati JOSEPHI A CUPERTINO ſpectata adeo fuit virtus, quum viveret, inſignis vero adeo miraculorum, poſtquam in Cælum abiit, ut optimo jure proferre de eo poſſim; *Spectaculum factum eſſe mundo, & Angelis, & hominibus* [1]. Quæ eo libentius commemoro, BEATISSIME PATER, quod virtutis ejus, ac ſanctitatis perennis apud meos viget memoria. Is enim, ut cætera prætercam, Alexandro VII. Patruo meo magno, ſua apud Deum deprecatione, auctor fuit, ut ab acutiſſimo, deſperatoque ſtranguriæ morbo non ſine perſpicuo prodigio convaleſceret. Quamobrem & univerſi catholici orbis precibus, & meis potiſſimum, cui totius Seraphici Ordinis Minorum Conventualium, cujus ille fuit alumnus, patrocinium clementiſſime a te eſt delatum, oro, obſecroque, BEATISSIME PATER, ut illius nomine ſacris dypticis adſcripto, quem factum eſſe multis prodigium in terris novimus, omnibus fiat præſidium, & fortis adjutor in Cælis.

ALOYSIUS Sanctæ Agathæ Gothorum Diaconus Cardinalis Torrigiani.

BEATISSIME PATER. Prodit ex Ordine Minorum Conventualium heroicus Sacerdos BEATUS JOSEPHUS A CUPERTINO, qui, Seraphici Patris veſtigia ſequens per altiſſimam paupertatem, per omnimodam ſui abnegationem, per diuturnas Crucis meditationes, per longas inedias, ac duriores ſui corporis cruentationes, omnia demum chariſmatum dona cumulatiſſime aſſequutus eſt. Nam, præter propheticum ſpiritum, viſiones, curationes, & alia prodigia, merito celebrantur ejus ecſtaſes, raptus, volatus quibus Dei Servus ad aſpectum Crucis, ad imaginem Deiparæ, ad omnem rurſus divinarum rerum cogitationem adeo frequenter efferebatur, ut non amplius terrenus, ſed cæleſtis incola videretur. Iam vero cum inter Beatos rite fuerit deſcriptus, ac nova acceſſerint prodigia, quibus Deus Servi ſui recordationem fecit illuſtriorem, juſtiſſimum cenſeo, BEATISSIME PATER, ut egregius vir Sanctorum cultu ab Eccleſia celebretur.

JOANNES CONSTANTIUS Sancti Cæſarei Diaconus Cardinalis Caracciolo de Sancto Bono.

BEATISSIME PATER. Quod docuit Chriſtus Dominus noſter, qui via, veritas, & vita eſt, beatos eſſe miſericordes, & pauperes ſpiritu, ipſorumque eſſe regnum Cælorum; quodque monuit Paulus Apoſtolus dicens: converſationem *noſtram* in Cælis eſſe debere, BEATI JOSEPHI A CUPERTINO animo conſtanter adhæſit. Hinc ſublimis, quo in Deum flagravit amor, hinc infrequens, & vere mirabilis, qua homines coluit, benevolentia. Hujus amoris ab ipſo Jeſu, & Sanctiſſima ejus Matre Virgine, quam ut alter natus venerabatur, obtinuit prœmia, quæ ecſtaſes, in Cælum raptus, volatusque nobis abunde teſtantur. Quis vero eo fuit mitior, quis ſpiritalis, corporeæque fratrum ſuorum ſalutis, & hac de cauſſa paupertatis ſtudioſior,

1 *I. Corinth.* 4. 6.

ſior, cum vel ea etiam pauperibus largiretur, quorum uſum ſaltem, Seraphici Ordinis, cui nomen dederat, conſtitutiones ſingulis ſuis militibus, qui nihil poſſidere queunt, concedi decernunt. Æquiſsimum igitur arbitror, ut quem virum virtutes numeris omnibus abſolutæ, dum viveret, decorarunt, atque poſt obitum miracula rite probata illuſtrarunt, eum Sanctitas Vestra in Sanctorum album referre non dedignetur.

NICOLAUS Sancti Georgii ad Velum aureum Diaconus Cardinalis Perrelli

Beatus Josephus a Cupertino merito dubites, majori ne exarſerit caritate in Deum, an odio ſancto erga ſeipſum. Deum certe ſpirare unum, cogitare, loqui videbatur. Corpus vero ſuum ſevere adeo caſtigabat inedia, cilicio, flagris, alioque voluntario cruciatu; ut nihil odiſſe pejus videretur. Par tantæ ſeveritati humilitas, par manſuetudo, par moleſtiarum, quæ multæ, graveſque illatæ ei ſunt, tollerantia. Quo tamen magis ipſe ſe deprimebat; eo etiam magis illuſtrabatur a Deo cæleſtibus donis, atque miraculis, quibus effectum eſt, ut viventem colerent multi, mortuum quaſi unum de viris ſanctisſimis omnes deprædicent, & venerentur. Nihil itaque eſt reliquum, niſi, ut vir omnium opinione ſanctus, tuo demum, Beatissime Pater, oraculo Sanctorum albo adſcribatur.

ANDREAS Sancti Angeli in Foro piſcium Diaconus Cardinalis Corſinus

Admirabiles plane ad Deum aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit Beatus Josephus a Cupertino, qui divino afflante Spiritu ſupra terrenas omnes cupiditates elevatus ad eum tandem pervenit, quem toto corde, tota anima, tota mente dilexit. Ex hac caritatis radice quum omnium virtutum propagines emanaverint, quibus bonus factus Josaphus Sanctorum gloriam adeptus eſt, jure ac merito, Beatissime Pater, virum hunc vere ſeraphicum, ſuique Patris Franciſci imitatorem egregium, ſignis, prodigiiſque hac noſtra ætate celebrem, Sanctorum faſtis adſcribendum putarem.

ANDREAS SS. Viti, & Modeſti Diaconus Cardinalis Nigronus

Haud facile dictu eſt, Beatissime Pater, quam Beatus Josephus a Cupertino, qui a teneris annis totum ſe Chriſto dicaverat, patientia, humilitate, paupertate, oratione, obedientia, carnis maceratione, mentis, & corporis caſtitate, ac pauperum commiſeratione excelluerit, ut mirum, quam divino æſtuaverit ardore, & intra ſuos fines contineri non valens, tales paſſus fuerit ecſtaſes, volatus, raptuſque, quos fortaſſe in aliis nulla viderunt ſecula; cumque Deus ſignis, atque miraculis teſtatam fecerit ejus gloriam in Cælo, æquum eſt, Beatissme Pater, ut ſacros ei decernas honores.

ÆNEAS SYLVIUS S. Adriani Diaconus Cardinalis Piccolomineus

Prodit, Beatissime Pater, ex religioſa S. Franciſci familia, tamquam e ludo quodam, ſive palæſtra Sanctorum Ven. Servus Dei Josephus a Cupertino, cujus in tota vitæ ratione prope divina nova ſe ſpecies offert, & inaudita virtutis, exemplum ſimplicitatis, atque innocentiæ cum Angelis comparandæ, & ſeries, ut ita dicam, continuata miraculorum. Is enim prima ab ætate vix eleméntis imbutus chriſtianæ fidei, vi caritatis abreptus, mente, animoque totus defixus in Deum, In Deo ſe vivere, ſe moveri, ſe eſſe ſentiens, nihil antiquius habuit, quam probare ſe Deo, quam Crucifixum in oculis, Crucifixum in corde gerere, & per dolorum aſperitates, per corporis afflictiones aſsiduas, per contumelias & plagas illum perfecte imitari, quem in deliciis habebat, quem unice diligebat, pro quo terrena cuncta deſpicere, cuncta pati, pro quo ſe mori, pro quo diſſolvi cupiebat; quæ tanta vis caritatis, atque pietatis in illo fuit, ut quod Apoſtolo Paulo ſemel ad Cælos ut raperetur conceſſum fuit, id ſæpe ſæpius aut meditando, aut orando ei contigiſſe narretur, ut in conſpectum divinitatis admiſſus, cæleſtia gaudia præoccuparet, atque guſtaret in ter-

terris, atque ita quidem guſtaret, ut a cæleſtium contemplatione nulla divellere, aut revocare humana vis illum poſſet extra ſe raptum, niſi lex una obedientiæ.

Quæ quidem, BEATISSIME PATER, cum ita ſint, id reſtat unum abs te petendum, atque impetrandum, ut Cauſſa tandem peracta, BEATUM VIRUM, quem Calabri, quem Piceni, quem Roma ſublimem toties e terra adſpexerunt, & inuſitata tendentem ad Cælum via, illum decreto tuo Sanctorum faſtis adnumeres; jamque aſſuetum votis vocari ſollemni, & publico ritu invocandum Romanæ Eccleſiæ concedas.

SAVERIUS Sanctæ Mariæ de Scala Diaconus Cardinalis Canale

Divinæ caritatis magnitudine juſtos etiam in terris uſque adeo poſſe adhærere Deo, ut ipſi maneant in Deo, & Deus in eis; atque ut Dei, & juſtorum unus, & idem ſpiritus ſit; dixerat Paulus verbis illis: *qui autem adhæret Domino, unus ſpiritus eſt* [1]: dixerat, & Joannes aliis verbis hiſce: *Deus caritas eſt, qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo* [2]: nos autem noviſſime id factum, impletumque perfecte videmus in BEATO JOSEPHO A CUPERTINO; cujus viſiones, revelationes, volatus, raptus, ecſtaſes tales, ac tantæ, tam diuturnæ, & tam frequentes, quales, quantaſque vix novimus alteri cuipiam Sanctorum contigiſſe, non modo nobis arctiſſimam Dei cum JOSEPHO, JOSEPHI cum Deo unionem præſignant, ſed quamdam etiam mirificam pandunt JOSEPHI in Deum, Dei in JOSEPHUM transformationem. Quoniam vero ad admirabile hoc caritatis cum Deo commercium BEATUS JOSEPHUS certiſſime aſcendit; per Crucis mortificationem, quam portavit jugiter in corpore ſuo, per immanem carnis macerationem, quam in ſpiritus redegit ſervitutem, per altiſſimam rerum cæleſtium contemplationem, qua divina penetravit myſteria, atque inſuper factus virtutum omnium cultor, virginitate emicuit, cujus ſuaviſſimo odore corpus, veſtimenta, & quæ ejus manibus contrectabantur, fragrabant; obedientia excelluit, cujus voci ecſtaticus etiam, etſi tunc quidem clamores, concuſſiones, combuſtiones minime ſentiret, confeſtim parebat; humilitate claruit, cujus impenſiſſimo amore fieri omnium peripſema geſtiebat. Ac denique fortis in fide, confirmatus in ſpe, conſummatus in caritate, lætus judicem ſuſtinens, & de propinqua retributione hilareſcens, vitam, quam ſanctiſſime vixerat, jucundiſſima Sanctorum morte terminavit. Propterea firmiſſime ſentio a BEATITUDINE VESTRA Sanctorum faſtis BEATUM JOSEPHUM A CUPERTINO adſcribendum eſſe. Vere etenim cum non excidat, ſed caritas perficiatur in patria, qua fuit ipſe arctiſſime Deo conjunctus in via, eadem nunc vehementia caritatis in Dei imaginem transformatus, revelata facie de claritate in claritatem Domini gloriam ſpeculatur in Cælis.

BENEDICTUS SS. Coſmæ, & Damiani Diaconus Cardinalis Veterani.

Et thure, & aris donandum a tua Vicaria in terris poteſtate cenſeo, BEATISSIME PATER, JOSEPHUM A CUPERTINO, cujus ſanctitatem vitæ heroica virtus illuſtrat, & virtutem dona commendant. Gratia gratum Deo faciens integram vitæ inſtitutionem, aſſeclas habet ferventiſſimam erga Deum, & proximum caritatem, evangelicam ſimplicitatem, humilitatem, puritiem mentis, cuſtodiam ſenſuum, paupertatem, afflictationem corporis edomiti, & in ſervitutem redacti, & aſſiduam cum principe tenebrarum luctam, & triumphum. Hæc cum præceſſerint, mirari quis debet, ſi JOSEPHUS ſupra ſeipſum egrediens, quadam percitus ebrietate ſpiritus, &, ut inquit Bernardus, invidenda amoris inſania, tamquam corporis onere nihil premeretur, ſe inſtar pennarum in excelſa ſublevarit, &, ſi fas eſt dicere, volatu ſeſe cæleſtibus inſeruerit Poteſtatibus? Filia amoris eſt ecſtaſis; filia itidem amoris ſeſe

1 I. Corinth. cap. 6. ver. 17.

2 I. Joan. cap. 2. v. 16.

ſeſe erigentis animæ penna deargentata; qui miſit ignem in oſſibus ſuis, dedit & pennas ad volandum. Rudis ac illiteratus Josephus per caritatem ſe totum transfudit in Deum, quem amavit; nec tam ſtuduit Deum per ſcientiam invenire, quam illum per amorem poſſidere. Æquum eſt igitur, ut qui vivens multa per amorem vidit in ænigmate, illaque tenuit quaſi futurorum cautionem, nunc revelata facie fruens Deo, maximo, quo fieri poteſt, cultu in terris honoretur.

DOMINICUS Jordanus Patriarcha Antiochenus Aſſiſtens.

A Deo admirabilis, Beatissime Pater, fuit Josephi a Cupertino totius ſuæ vitæ ratio a primis infantiæ annis, uſque ad extremum ſenectutis diem, ut potius cæleſtem ſpiritum in terris delapſum, quam hominem corporeo pondere onuſtum credere liceat. Etenim, uti eximiæ virtutes, quæ in eo in gradu heroico coruſcarunt, puritas ſcilicet, patientia, paupertas, auſteritas, cæteræque, humanis paſſionibus ſumma poteſtate imperaſſe, ac illis pene immunem fuiſſe demonſtrant; ſic & frequentes ecſtaſes, raptus, volatus, quibus ſæpiſſime in aera levabatur, oculato teſte ipſo Summo Pontifice Urbano VIII., in Cælos illum reſtituere videbantur. Cum autem omnia hæc, aliaque poſt ipſius mortem miracula diligentiſſimo examine fuerint expenſa, ſollemnique approbatione a Sanctitate Vestra confirmata, nil aliud reſtat, quam eadem Sanctitas Vestra ſollemni quoque ſententia decernat, divina viſione Josephum in Cælis jam frui, cujus gaudium in terris antevertere viſus eſt.

GEORGIUS de Laſcaris Patriarcha Jeroſolymitanus Aſſiſtens.

CUM Deus Optimus Maximus ſpecialiſſima divinitatis, ac myſteriorum ſuorum communicatione, intimaque amoris divini manifeſtatione, atque unione a prima ejus infantia per continuos raptus, ac ecſtaſes in Beato Josepho a Cupertino ſuam magnopere bonitatem, ac gratiam præter, ac ſupra conſuetam methodum cunctis patefacere non ſit dedignatus, nedum id heroicarum virtutum B. Josephi evidens eſt argumentum, verum enim vero ſpeciale quoque ſignum, quod ſibi vel maxime complacuerit Deus de illa perfectiſſima hujus Dei Servi obedientia, ac humilitate, qua ex una parte privilegiis tam præcipuis diſtinctus nec minimum extollebatur, qua ex alia ab ipſiſſima, quæ in terris poſſibilis eſt, beatitate, etſi ſenſibus omnibus deſtitutus, ne præcipienti cuicumque obſiſteret, illico disjungebatur. Hanc peculiarem Dei complacentiam confirmant quoque prodigia in vita, & poſt mortem a Beato Josepho frequentisſime patrata, atque rite probata, eumdem propterea dignisſimum cenſeo, ut in Sanctorum albo a Vestra Beatitudine conſcribatur.

FRANCISCUS Carafa Trajectus Archiepiſcopus Patrarum Aſſiſtent.

BEatissime Pater. Frequentes ecſtaſes, cæteraque dona gratis data, pluraque identidem poſt obitum prodigioſe geſta edocent, quod Beatus Joseph a Cupertino totus Dei fuerit; idque unum in votis habuerit, ut unus cum Deo ſpiritus fieret; hæſitandum idcirco minime reputo, Beatissime Pater, quin vir probatæ ſanctitatis ſupremis Eccleſiæ honoribus decoretur.

JOANNES Lercarius Archiepiſcopus Hadrianopolitanus Aſſiſtens.

VIcariam Chriſti poteſtatem, dignitatemque miratus olim B. Joseph a Cupertino in Urbano VIII. Prædeceſſore tuo, Beatissime Pater, ecſtatico placidiſſimo motu in aera ſublatus fuit, ut immenſam Dei majeſtatem, cujus ſpeciem in Pontifice Maximo ſuſpexerat, propius contemplaretur ac laudaret. Cæleſtem B. Josephi gloriam divino afflatus Spiritu miraris tu, Pater Sanctissime, ac illi jure, meritoque eos præparas in terris honores, qui ſupernæ ac inviſibilis ejus felicitatis ſpeciem nobis exhibeant. Id profecto poſtulant heroicæ, quibus floruit, virtutes, id inſignia miracula, qui-

quibus Deus Servi ſui ſanctitatem declaravit, id tandem fideles populi, quos toto ſuæ vitæ tempore moribus inſtruxit, pietatis ardore fovit, odore ſanctitatis implevit.

D. INNOCENTIUS Gorgoni Archiepiſcopus Emiſſenus, olim Epiſcopus Pinnen. & Hadrien. Aſſiſtens.

SAnctitatem BEATI JOSEPHI A CUPERTINO eximiis virtutibus cum miraculorum acceſſione illuſtratam, & clare perſpectam, fervens in Deum amor, quo a puero exarſit, ſublimem efformat. Hic amor frequentes ecſtaſes, raptus, & admirabiles ad Deum adſcenſiones in eo ita diſpoſuit, ut hominem ſive in corpore, ſive extra corpus eſſe continuo vix dignoſceres. Habent in hoc uno Regulares ſui Ordinis quod in clauſtris imitentur, perfectam ſcilicet ſui abnegationem, terrenarum rerum contemptum, & ea ſolum, quæ ſurſum ſunt, ſapere, quæ non ſuper terram. Quem igitur veris gaudiis, quibus vivens, tamquam in ænigmate, nunc facie ad faciem perfrui, pie, ac religioſe credere licet, ſum voti, ut infallibili SANCTITATIS TUÆ oraculo, BEATISSIME PATER, firmius innoteſcat.

Fr. JOANNES BAPTISTA Colombini Archiepiſcopus Beneventanus Aſſiſtens.

BEATISSIME PATER. Ille, qui potens eſt omnia facere ſuperabundanter quam petimus, & intelligimus [1], oſtendit divitias bonitatis ſuæ in BEATO JOSEPHO A CUPERTINO humilis mei Ordinis Minorum Conventualium Sancti Franciſci Sacerdote, aſcenſiones tantas in corde ipſius ordinata caritate diſponens [2], ut non ſolum exultaret, ut gigas ad currendam viam [3], ſed quaſi aquila provocatus videretur ad volandum.

Neque tamen referam, BEATISSIME PATER, vel quos proinde ſuperna clariſſima luce perfuſus, & divinæ caritatis igne plane inflammatus arripuerit greſſus in ſemitis virtutum, ut nihil tam difficile, tam arduum, tam ſublime cognoverit, quod ille humilitate, vigiliis, & laboribus, oratione denique non ſuperaverit; vel quibus contemplationis alis aſcenderit ad montem Domini, & ad montem ſanctum ejus. Quamquam ea, quæ audivimus facta, tam multa ſint, atque tam mira, ut ſint etiam in BEATO JOSEPHO vere ſingularia, adeo ut, quod olim Sapiens de veſtimentis Aaron ſcripſit, hoc de JOSEPHI eharismatibus dicere audeam: *ſic pulchra ante ipſum non fuerunt talia uſque ad originem* [4]. Quemadmodum vero inter ornamenta Sacerdotalia occurrit corona aurea expreſſa ſigno ſanctitatis, & gloria honoris [5], hanc ipſam ſignificantiori tamen vocabulo peto humillime, PATER BEATISSIME, ut pro ſumma, qua polles auctoritate, imponas ſuper caput JOSEPHI, glorificari eum faciens ab univerſa Eccleſia in ſanctis Millibus Dei [6].

SCIPIO Burgheſius Archiepiſcopus Theodoſiæ Aſſiſtens.

QUI memoriam perdidit ſuperborum [7], & memoriam reliquit humilium ſenſu ita locupletavit virtutibus B. JOSEPHUM A CUPERTINO, ut quaſi ſtella matutina divinorum eharismatum radios adeo emitteret, ut ipſi principes viri ſplendore illius illecti, ad ipſum undique venirent, ejuſque ſalutaria monita exquirerent. Quare, PATER BEATISSIME, tantum virum Canonizationis honoribus dignum exiſtimo.

IGNATIUS Reali Archiepiſcopus Athenarum Aſſiſtens.

BEATISSIME PATER. Mirabilis Deus in Sanctis ſuis, & præcipue in operibus a BEATO JOSEPHO A CUPERTINO illuſtri Seraphici Ordinis alumno in univerſo ejuſdem vitæ curſu peractis. Vir Sancti Franciſci ſui Patriarchæ eximius, & fidelis imitator, cujus humilitatem, paupertatem, cæteraſque virtutes, dum viveret, ita eſt æmulatus, ut ipſum, uti vitæ ſuæ prototypum, & exemplar ſem-

1 *Ad Epheſ.* 3. 20.
2 *Pſal.* 83. 4.
3 *Pſal.* 18. 6.
4 *Eccl.* 45. 15.
5 *Ibid.*
6 *Juda v.* 14.
7 *Eccleſiaſtic.* 10. 21.

ſemper præ oculis haberet, ſibi mundum, ſeque mundo reddens crucifixum: cujus enim tollerantia in laboribus, aſſiduitas in jejuniis, modeſtia in compoſitis moribus, humilitas in bonorum contemptu, cunctis fuit admirabilis. Adhuc etiam Urbs ipſa eumdem Beatum Josephum olim hoſpitata glorioſa ejus geſta commemorat, inſtantaneam reddendo infirmis ſalutem, & afflictis ſolatium. Supereſt modo, Beatissime Pater, ut Beatum Josephum tam heroicis præditum virtutibus, & miraculis clarum, inſallibili tuo oraculo in Sanctorum albo adſcribas.

NICOLAUS SAVERIUS Sancta Maria Epiſcopus Cyrenenſis Aſſiſtens.

Beatissime Pater. B. Joseph a Cupertino Sacerdos profeſſus Ordinis Minorum S. Franciſci Conventualium in ſtabulo natus, ab ortu ſuo profundiſſimæ humilitatis, & arctiſſimæ paupertatis præclarum ſpecimen dedit; quas deinde virtutes in religione mire coluit; humilitatem ſcilicet, qua ſe ad omnia ineptum, & flagitium hominis denominabat; paupertatem, qua a ſuæ converſionis exordio conatus eſt nudus fieri cum nudo in Cruce; caſtitatem ad mortem uſque ſevera ſenſuum cuſtodia, aſſidua carnis maceratione, orationibus jugibus ſervavit illibatam. Obedientiam adeo perfectam profeſſus fuit, ut ſine ejus præſcripto ne minimum quid agere auderet, & quaſi cæcus obedientiæ vi lætus circumduceretur. Caritatem, quæ plenitudo legis eſt, ferventiſſimam ex ejus aſſiduis raptibus, mentis exceſſibus, volatuum frequentia, & varietate facillime quiſque poteſt agnoſcere; eeſtaſim enim facit divinus amor. Supernis donis locupletatus viſionum, ſcrutationis cordium, prophetiæ, curationum vivens, & poſt mortem inclaruit. Hunc igitur egregium Neapolitani Regni alumnum, ut ad Seraphici Ordinis decorem, & Eccleſiæ præſidium inter Sanctos Confeſſores adſcribere ſupremo, & inſallibili ſuo decreto dignetur, Sanctitatem Vestram ſupplex exoro.

FRANCISCUS MARIA Piccolomineus Epiſcopus Pientinus Aſſiſtens.

Beato Josepho a Cupertino Sacerdoti Ordinis Minorum Conventualium publicos honores, Pater Beatissime, quibus Sanctos proſequitur Eccleſia, deberi exiſtimo. Nam ejus virtutes fuiſſe vere heroicas ſan. mem. Clemens PP. XII. declaravit. Sicuti S. Franciſcus a tribus Angelis, qui ei prope Pientiam apparuerunt, intellexit, a Deo maxime probari rigoroſæ paupertatis legem, quam ſuo Ordini præſcripſerat; [1] ita & luculentiori prodigio Angelus B. Josepho maniſeſtavit, Deo acceptiſſimum eſſe, quod inter arctiſſimas pauperici anguſtias miſerrime viveret. Varios volatus, raptus, ac mirabiles ecſtaſes, qui in aera eum frequenter, & etiam dum ad oſculum pedum ſa. me. Papæ Urbani VIII. ſe provolveret, ſublevarunt; ecquis ambigat divini amoris in eo æſtuantis, ac ejus ſanctitatis eſſe certiſſima argumenta? Sed pluribus etiam miraculis illuſtrem illum fuiſſe tum ſa. me. PP. Benedicti XIV., tum Sanctitatis Vestræ, Pater Beatissime, decretis jam fuit comprobatum.

PHILIPPUS Mornati Epiſcopus Sutrinus, & Nepeſinus Aſſiſtens.

Beatissime Pater. Quamvis Beatus Josephus a Cupertino conſuetis Eccleſiæ ritibus, atque communibus ſapientiſſimorum Patrum ſuffragiis Sanctorum numero adſcribendus, vitam cum Chriſto in terris abſconditam orationi, & contemplationi deditam duxerit, quæ ſurſum ſunt tantummodo quærens, non quæ ſuper terram, merito eidem modo in Cælis regnanti publicos honores ſtatuendos eſſe exiſtimo; ut ſic is, qui vivens in corpore ſemper præ amoris magnitudine adhærere Deo, unuſque cum eo ſpiritus fieri viſus eſt, perpetuum etiam cum ipſo auctore fidei, & conſummatore Jeſu Chriſto habere conſortium inſallibiliter credatur ab omnibus, ejuſque perfectiſſimæ caritatis effectus in homines, qui eum devote invocabunt,

1 *S. Bonaventura in vita S. Franciſci Aſſiſienſis cap. 7.*

bunt, & colent, plenius, uberiuſque refundantur.

PETRUS PAULUS Toſius Epiſcopus Ferentinus Aſſiſtens.

MIrabilem Deum, & in BEATO JOSEPHO A CUPERTINO Sacerdote profeſſo Ordinis Minorum Conventualium Sancti Franciſci, plurimum confiteri dignum eſt; is enim Seraphici ſui Parentis ſanctiſſimi luminoſa prœmens veſtigia, demiſiſſima humilitate, cœca omnino, & prodigioſa, ultra quam dici poſſit, obedientia, arctiſsima etiam paupertate, quæ parens quædam eſt, generatioque virtutum, adjunctis aliis heroicis virtutibus, coram Deo toto peregrinationis ſuæ tempore mirifice ambulavit; atque a ſeculo penitus abſtractus, ſedens ſolitarius, & jugi pia meditatione adſpiciens in auctorem fidei, & conſummatorem Jeſum, qui, propoſito ſibi gaudio, ſuſtinuit Crucem, ſemper mortificationem Jeſu in corpore ſuo circumtulit, exindeque depoſita omnimode terrena vetuſtate, ſpiritu fervens, ac ſpe gaudens, levavit ſe ſuper ſe, illo æſtuans Spiritus Sancti igne, qui cor ejus medullitus inflammavit: atque hinc mirificas ad Deum aſcenſiones diſpoſuit in corde ſuo uſque dum abſorpta mortalitate, Deum ſuum, quem ſumme dilexit, videret in Syon. Heroicas præterea virtutes ejus terra communi plauſu veneratur, & colit, & Cœlum ipſum in illarum conteſtationem ſtupenda dedit ſigna, & prodigia. Quare, BEATISSIME PATER, ut communibus votis fiat ſatis, utque hujus præclari viri exemplo, & apud Deum interceſſione excitentur fideles ad mente in Cœleſtibus habitandum, æquiſſimum putarem, ut illum SANCTITAS VESTRA ſuo infallibili oraculo ex ritu ſollemni Sanctum decernat.

Fr. NICOLAUS Angelus Maria Landini Epiſcopus Porphyrienſis Aſſiſtens.

BEATISSIME PATER. JOSEPHO A CUPERTINO in ſimplicitate cordis quærenti Dominum, apparuit fideliter Dominus juxta promiſſionem ſuam. Hinc egregiæ virtutes illius; hinc crebra, & ſplendentia miracula; hinc denique mirabiles illæ, crebræque alienationes mentis, propriique corporis crebri volatus, quibus inferri poſſit potius in Cœlis eſſe, dum viveret, quam in terris converſationem ſuam. Quid plura, SANCTISSIME PATER, ut illi Sanctorum honorem deferas, cui fortaſſe parem in hoc præſertim poſtremo mirabilium genere nullum invenias?

NICOLAUS Gagliardi Epiſcopus Alatri Aſſiſtens.

BEATISSIME PATER. B. JOSEPH A CUPERTINO, alterum Franciſcanæ Familiæ lumen, adoleſcens cœleſti igne eruditus, tam impenſe Deum colere cœpit, ut videretur vitia prorſus neſciiſſe, quam emendaſſe. Adultior autem factus, & Religioſus jam effectus, hoc eodem igne eruditus, in hac nova ſemita exultavit, ut gigas ad currendam perfectionis viam; ut enim oſtenderet, quod viveret ipſe, jam non ipſe, ſed viveret in eo Chriſtus Jeſus: ſi quid arduum humilitatis, patientiæ, auſteritatis, flagrantiſſimæ caritatis argumentum eſt, in ſeipſo cumulatiſsime complevit.

Hancque Crucifixi imaginem jam in eo efformatam, ut in alios per imitationem tranſferret, & ſtudium, & opera impendit, æmulando S. Franciſci ſpiritum, ut Seraphicam regulam ſervaretur. Scio enim hominem in Chriſto in corpore, & extra corpus raptum perenniter ad Deum, & dubitari merito poſſe, utrum viveret ipſe, jam non ipſe, ſed viveret in eo Chriſtus Jeſus. Cum autem omnia alia fuerint expleta, quæ ad ejus Canonizationem ſunt neceſſaria, humillime cenſerem SANCTITATEM VESTRAM tuto ad illam pervenire poſſe.

CLEMENS MARIA Bardini Epiſcopus Aquipendii Aſſiſtens.

VIva chriſtianæ perfectionis imago, cunctis ubique exhibetur in JOSEPHO A CUPERTINO. Natus quippe in ſtabulo, dum futuræ ejus arctiſſimæ paupertatis illuſtria præbuit indicia, conſimilis fuit Seraphico Patriarchæ Franciſco Aſſiſiati, cujus

jus ardua deinde præmens veſtigia, adamuſſim ſequutus eſt apud Conventuales. Adultus autem factus, obedientiæ fuit cuſtos rigidiſſimus, pœnitentiæ ſectator egregius, humilitatis exemplar eximium, caritatis in proximum, præcipueque in Deum cultor ita ſingularis, ut unitiva, & concretiva, ceu inquit Angelicus, vi amoris Deo fuerit agglutinatus; totus imo Dei, totuſque Deo adhæſit, unaque Dei poſſeſſione fuit ditiſſimus, atque unus cum Deo quaſi ſpiritus factus eſt; hæc ſiquidem ab ipſis incunabulis vota ſua, huc labor, hæc meta, Dei ergo Vir, qui ecſtaſibus ſuaviſſimis, raptibus, volatibuſque, ſimulque viſionibus, ſapientia, cordium perſcrutatione, prophetia, curationibus, aliiſque hujus generis ſupernis donis Dei Optimi Maximi largitate abundavit; præcellens inſuper ipſius ſanctitas, cujus fama Italiæ univerſæ fines prætergreſſa eſt, atque per exteras Sabaudiæ, Galliæ, Hiſpaniæ, Germaniæ, Poloniæ, Lituaniæque regiones longe, lateque diffuſa; gloria tandem, quam toto terrarum orbi placuit Altiſſimo teſtatam facere ſignis, atque portentis, poſtulant, exiguntque, PATER BEATISSIME, ut cæteros inter Seraphici Patriarchæ filios, Cœlique incolas ſupremo SANCTITATIS VESTRÆ judicio & ipſe Sanctorum albo connumeretur, & veneretur.

STEPHANUS EVODIUS Aſſemanus Archiepiſcopus Apameæ.

Quum duo ſint, BEATISSIME PATER, quæ animam in Deum rapiunt, & ecſtaſim efficiunt, cognitio ſcilicet, & amor [1], quis oratione complecti poterit quanta fuerit divini luminis copia, quantus præſertim internæ caritatis ignis in BEATO JOSEPHO A CUPERTINO, cujus tam multiplices recenſentur ecſtaſes, ac volatus tam frequentes, ut ei datæ videantur pennæ ſicut columbæ, ut volaret, & requieſceret [2]? Nil proinde mirum, ſi tot eum Dominus cumulaverit inſignibus donis, & miraculis, iiſque præſertim, quorum actis conficiendis Apoſtolica munitum auctoritate me præfuiſſe, vehementer gratulor. Quæ quum ita ſint, congruum eſſe exiſtimo, BEATISSIME PATER, ut qui Sanctorum merita ſanctitate, & prodigiis adæquavit, debita etiam Sanctis prœmia in militante Eccleſia conſequatur.

ՅԱԿՈԲՈՍ Մեսրոպ Քէհեայեան Արապելեան Արք Եպիսկոպոս Լամբրոնի և Տարսոնի Կիլիկեցւոց Կաթողիկոսութեան. Ազգաւ Հայ:

Երանելի Հայր.

[illegible]

Ejuſdem verſio latina.

JACOBUS Meſrob Chiaja Araboli Archiepiſcopus Lampronenſis, & Tarſi natione Armenus.

BEATISSIME PATER. Quas ſanctæ caritatis ſocias virtutes recenſet Apoſtolus [3] omnes caritatem illam, qua in Deum æſtuabat

Ll 2

1 *S. Bernardus Serm. 49. in Cantic. n. 4.* 2 *Pſal. 54. v. 7.* 3 *I. Corinth.*

bat B Joseph a Cupertino ad miraculum uſque comitabantur. Nec mirum. Tanto namque divini amoris igne exardebat, ut quotidianis raptibus in Deum ferri continue videretur. Hunc igitur merito plebs Chriſtianorum cuncta inter Sanctos venerari deſiderat. Quibus omnium votis meas adiicio preces, ut hoc in terris fruatur honore, quem in terris pariter ſummo ſemper amore Deo conſpeximus conjunctiſſimum.

JOSEPH SIMONIUS Aſſemanus Archiepiſcopus Tyri.

Beatissime Pater. Filius accreſcens Joſeph [1], filius accreſcens. Binos Joſephos, Sanctissime Pater, nobis propoſuiſti, continuo virtutum heroicarum exercitio, & præclaris miraculis fulgentes: Josephum Calasanctium a Matre Dei, & Josephum a Cupertino. Et priorem quidem Josephum, poſt approbatas a Sacra Rituum Congregatione virtutes, atque miracula, Sanctorum honores conſequi poſſe infallibili judicio tuo jam decreviſti. Hunc etiam alterum Josephum ſupremis iiſdem Sanctorum honoribus digniſſimum eſſe, præter virtutes, & miracula, exigere videntur ipſæ ecſtaſes, raptus, & volatus, quibus præcellens ejus ſanctitas fuit ſplendidius confirmata.

JOANNES de Vita Epiſcopus Reatinus.

Raptum quidem ſe aliquando in tertium Cœlum, ſed ſive in corpore, ſive extra corpus neſcire ſe, ait Apoſtolus Paulus: qui etiam Apoſtolus nobis nonniſi in hoc ipſo noſtro corpore reſurrecturis, illud fore certum prænunciavit, quod in nubibus obviam Chriſto in aera rapiemur. Benedictus autem Deus magnificus in ſanctitate, & faciens mirabilia magna ſolus, benedictus inquam Deus, qui ſtupendum ſane, atque hactenus inauditum multiformis gratiæ ſuæ donum in Beato Josepho a Cupertino manifeſtavit: is enim novus homo eſt, qui in diebus carnis ſuæ, atque in loco peregrinationis ſuæ, quum iret de virtute in virtutem, atque in hac valle lacrymarum aſcenſiones in corde ſuo ad Cœlum diſponeret, ad Cœlum ſimul ſuo corpore aſcendere conſuevit. Quidni igitur, Beatissime Pater, viro, cui non mente tantum, & ſpiritu, ſed & corpore ſuo adhuc mortali in Cœlo aſſidua fuit converſatio, cœleſtes decernantur honores? Habeamus propoſitum nobis ſanctum, cujus mortalis vita glorioſorum corporum dote illuſtrata, ſpem noſtræ reſurrectionis corroboret; cujus Seraphicæ alæ loco paternorum ſtigmatum a Deo ſibi datæ, noſtram vel excitent frigeſcentem, vel calentem augeant caritatem, ut per ejus veſtigia gradientes, quem modo nos peregrinantes a Domino ſpiritu ſectati fuerimus, eumdem quum corruptibile hoc induerit incorruptionem ſequamur & corpore.

PHILIPPUS Bruni Epiſcopus Lyddenſis, & Suffraganeus Sabinenſis.

Beatissime Pater. Ut Beatum Josephum a Cupertino heroicis virtutibus, & gratia miraculorum illuſtrem inter Sanctos adnumeres, ne dum Religio poſtulat, veluti in reliquis omnibus hujuſcemodi cauſſis evenire ſolet, ſed & peculiaris quædam ratio potiſſimum efflagitare videtur. Siſtens enim ille coram Urbano VIII. Prædeceſſore tuo, in eoque majeſtatem veneratus, quæ in Jeſu Chriſti Vicario inſidet, & comprobans majus hoc in terris dignitatis Apoſtolicæ miniſterium, in ecſtaſim raptus eſt: quo ſigno auguſtiora myſteria Religionis, quo dulciſſimam fidelium matrem Mariam venerari conſuevit. Nunc igitur Beato Josepho rependens vicem, comproba tu quoque, Pater Beatissime, quod in te eſt myſterium interminatæ dignitatis, cujus opus maximum eſt, ut qua dux infallibilis, & magiſter veritatis decernas alicui ex hominibus honores Sanctorum deberi. Hoc culmen Apoſtolici faſtigii, in quo te Spiritus Sanctus poſuit regere Eccleſiam Dei, hoc B. Josephi virtus, hoc inclytus, & me-

1 *Geneſ.* 49. 22.

& meritiſſimus Ordo Seraphicus, hoc vota, hoc preces omnium noſtrum expoſtulant.

JOANNES BAPTISTA Filipponi Tenderini Epiſcopus Anagninus.

CUM Beatum Josephum a Cupertino, ac de eo quæ narrantur intueor, Beatissime Pater, revocatur mihi in mentem illud Sapientiæ: Gratia Dei, & miſericordia eſt in Sanctos ejus, & reſpectus in electos illius: video enim ab ipſa pueritia tam multis, atque inſignibus charismatum donis, præſertim altiſſima contemplatione, rudem hominem, nulloque naturæ munere commendabilem, ornatum, ut illum quaſi vas aliquod omni liquore vacuum elegiſſe Spiritus Sanctus videatur, quod ipſe totum muneribus ſuis repleret. Verum, ſi nullis erat bonis præſtans, quæ in pretio apud homines ſunt, virtutibus præſtantiſſimus fuit, quæ bona ſunt pretioſa in conſpectu Domini, patientia præſertim, qua & duritiem genitricis diu, & conſtantiſſime toleravit, & experimenta donorum cœleſtium, quæ prudentiſſime quidem Præſules ipſius ſui ſumenda cenſuerunt. Itaque patientia, etſi cæteræ pariter virtutes acceſſerunt, perfectum opus in Josepho habuiſſe videtur. Quem ergo Deus tantopere glorificavit, poſt mortem etiam pluribus miraculis rite probatis, qui tam inſignibus virtutibus ſe apud Deum præſtabilem fecit, cenſeo, Beatissime Pater, & a ſuprema iſta Apoſtolica Sede ſupremis Sanctorum honoribus commendandum eſſe, & glorificandum.

Poſtquam Epiſcoporum ultimus ſuam protulit ſententiam, iterum ſubdit Beatissimus Pater.

DE referendo in Sanctorum numerum Beato Josepho a Cupertino intelleximus quæ veſtra fuerint ſuffragia. Reliquum eſt, ut de Beato Hieronymo Æmiliano veſtras ſententias declaretis.

Domini autem Cardinales, ac Epiſcopi illico de Beato Hieronymo Æmiliano quid ſentirent hunc in modum expoſuere.

CAROLUS ALBERTUS Epiſcopus Oſtienſis, & Veliternus Sacri Collegii Decanus Cardinalis Guidobonus Cavalchinus.

BEatissime Pater. Sectator bonorum operum B. Hieronymus Æmilianus eo caritatis igne inflammatus, quem Chriſtus venit mittere in terram, pueris re, ac parentibus deſtitutis, egentibuſque cæteris adeo miſericors fuit, ut eorum commodis non facultates ſuas modo, ſed etiam ſeipſum devoviſſe videretur. Cum ruſticis, qui metendo tollerabant vitam, de ſpiritu tamen metendi vitam æternam imperiti erant, miſit & ipſe, quamquam parentum progenie illuſtris, falcem ſuam in ſegetes, eoſque docuit verbo, & exemplo, quemadmodum metendum foret, ut horrea Domini implerentur. Congregationem inſtituit, cui ponendo animam pro ægris egregium dilectionis ſuæ monumentum reliquit. Tantæ igitur virtutis illuſtrandæ cauſſa quum fecerit Deus prodigia, & ſigna magna in populo, dignum utique, & æquiſſimum cenſeo, ut ſollemni judicio Sanctitatis Tuæ laus ſit ei in Eccleſia Sanctorum.

FRIDERICUS MARCELLUS Epiſcopus Portuenſis, & S. Rufinæ Cardinalis Lantes.

DExtera Excelſi mutato in virum alium Hieronymo Æmiliano, ſtatim intellexit inter chriſtianas virtutes majorem eſſe caritatem, hinc, ſpretis honoribus, & divitiis, totus fuit in orphanis colligendis, alendis, cuſtodiendis, erudiendiſque in recta morum diſciplina, ſtatuta Somaſchæ Congregatione piorum hominum, quibus normam præſcripſit, ad quam vitam, actioneſque orphanorum exigerent; & confirmante Deo ſequentibus ſignis tantam Viri Dei dilectionem. Quamobrem mea ſententia eſt, Beatissime Pater, Hieronymum Æmilianum inter Sanctos eſſe adſcribendum, ut

ut ſanctitatem ejus enarret omnis Eccleſia Sanctorum.

JOANNES FRANCISCUS Epiſcopus Sabinenſis Cardinalis Albani.

REx ſeculorum Jeſus Chriſtus, cujus viæ ſunt in caritate, & miſeratione, quique ad Cælos aſcendens ne relinqueret nos orphanos, miſit Spiritum in nobis Paraclytum, ut advocatum haberemus apud Patrem: frigeſcente in decurſu ſeculorum caritate, in BEATUM HIERONYMUM ÆMILIANUM ſpiritum ſuæ caritatis infudit, ut orphanorum apud homines advocatus eſſet, ac parens, ne ii vitæ, educationiſque adjumento carerent. Implevit BEATUS HIERONYMUS juxta plenitudinem hanc gratiæ nobile miniſterium, iis undequaque juvandis tum ſua, tum probatiſſimorum filiorum inſtituta familia, ut orphanis non deeſſent in poſterum ſuſceptores, atque parentes. Virtutum omnium cohors facile ſequuta eſt plenitudinem hanc dilectionis, & de omni genere hominum, qua ſublevandis, qua retrahendis a vitiis ſancte eſt ſalubriterque prometitus. Quem igitur commendavit caritas, quem ſigna de Cœlo Sanctum probarunt, infallibili tuo, PATER BEATISSIME, decreto exornes; ut quem egentes, atque orphani in terris adjutorem experti ſunt, eumdem in Cœlis apud Deum deprecatorem efficaciſſimum nanciſcantur.

FABRITIUS Epiſcopus Albanenſis Cardinalis Serbellonus.

OMni virtutum genere claruit BEATUS HIERONYMUS ÆMILIANUS, piiſſimumque religioſorum hominum Ordinem inſtituit, eumque eximiam ejus ſanctitatem ſignis quoque & miraculis Deus Optimus Maximus teſtatam voluerit, dignum propterea eumdem cenſeo, ut in Sanctorum albo a SANCTITATE VESTRA cooptetur.

JOANNES FRANCISCUS Epiſcopus Præneſtinus Cardinalis Stuppanus.

VItæ primordia in Servis Dei cœleſti aliquo munere, ut plurimum illuſtrata, futuram ipſorum ſanctitatem felici auſpicio portendere videntur. Idque in BEATO HIERONYMO ÆMILIANO accidiſſe ſatis compertum eſt. E carceribus equidem & ab hoſtium manu præſentiſſimo B. Virginis ereptus auxilio, abdicata protinus ſeculari militia, cui pro patriæ defenſione nomen dederat, mox ad Eccleſiaſticam traductus, mirum, quantum in omni virtutum genere enituerit; ſed præcipue in Deum pietate, ac religione, & erga pauperes, & egenos caritate, eo luculentius expreſſa, quod pueros in litteralibus diſciplinis, & in Sanctorum ſcientia inſtituerit, orphanoſque hoſpitio exceptos foverit, & aluerit, atque homines peſtilentiali affectos lue ita aſſidue curaverit, ut poſita pro ipſis anima, eodem correptus morbo, Somaſchæ demum occubuerit. Quod tanti viri ſanctitas poſt diuturnum temporis ſpatium emergat, quodque lucerna tamdiu ſub modio deliteſcens ſuper candelabrum fulgeat, tibi, BEATISSIME PATER, ex peculiari Dei providentia eſt reſervatum. Habes proinde relato inter Sanctos ÆMILIANO, unde de Republica matre tua optime ſis meritus, cum imitandas, & æmulandas obiicies concivibus tuis egregias illius virtutes, quæ in viro patricii generis, & clarius elucentes, & fortius in Venetorum animis inſidentes, ad Reipublicæ incolumitatem quammaxime proderunt, & fortunam. Vota demum excipe, BEATISSIME PATER, alumnorum Somaſchæ Congregationis ab ÆMILIANO inſtitutæ, voceſque quotquot clamant puerorum in orphanotrophiis late per Venetam ditionem, totamque Inſubriam extructis, & ÆMILIANUM ampliori excolendum cultu univerſæ SANCTITAS VESTRA tandem aliquando enunciet Eccleſiæ.

JOSEPH MARIA Tituli Sanctæ Cæciliæ Presbyter Cardinalis Feroni.

HIERONYMUM ÆMILIANUM, PATER BEATISSIME, quem religioſæ Congregationis futurum parentem Deus jam conſtituerat, æquum plane fuit, ut ſingulari prodigio ſuiſmet ipſa manibus Virgo Deipara

Digitized by Google

para captivum e vinculis liberaret. Poſt lixæ, quot in via Domini pugnas, difficultates, ac pericula devoraverit, loci hujus non eſt percenſere. Egentium, atque orphanorum pater pluribus in civitatibus illorum aut inſtitutioni, aut commodo domos aperuit. Teterrima autem lue iterum graſſante, peſte laborantibus inſerviens, contracto morbo, inter ſuorum lacrymas victima caritatis piiſſime obiit. Hunc itaque in vinea Domini operarium fidelem, meo quidem judicio, Sanctitas Vestra tuto poterit ſollemnibus cæremoniis in Sanctorum album referre.

CAROLUS Tituli Sancti Clementis Presbyter Cardinalis Rezzonicus S.R.E. Camerarius.

SUaviſſima divinæ gratiæ fortitudo Beatum Hieronymum Æmilianum a ſecularibus pompis ad pœnitentiam, & pietatem, ad chriſtianas virtutes omnes, & ad eam potiſſimum caritatem convertit, cujus cauſſa pauperum pater fuit, & orphanorum adjutor. Cum ergo Deus eum terris eripuit, ad magnum in Cælis gaudium fuiſſe vocatum putandum eſt; ſuadent idipſum mirabilia a Deo per ipſum patrata. Hinc ſacros eidem honores Sanctitas Tua jure meritoque decernet, ut amiſſum in terris patrem pauperes, patronum orphani in cælis plena fide valeant invocare.

FERDINANDUS MARIA Tituli S. Sylveſtri in Capite Presbyter Cardinalis de Rubeis.

AMilitari vita ad chriſtianarum virtutum curſum traductus divina ope Hieronymus Æmilianus, is repente evaſit, ut caritatis ardore exardeſcens, oblivisceretur ſui, miſerorum eſſet, pauperum orphanorum pater. Eos alebat, inſtituebatque, ac per ſocios ad id exempli confluentes, illud egregium pietatis genus, & late perferebat, & propagabat in poſterum. Adfuit laboranti Deus, ac viri ſanctitatem tantis declaravit miraculis, ut nihil jam dubitandum ſibi ſit, meo judicio, Beatissime Pater, quin eumdem univerſæ Eccleſiæ Sanctorum ritu colendum, venerandumque proponas.

JOSEPH MARIA Tituli Sancti Alexii Presbyter Cardinalis Caſtelli.

IDeo multiplicium generum ſcelera terræ faciem inundant, & omnis caro corrumpit viam ſuam, quia pauci admodum ſunt, qui parvulos tempeſtive ad religionem, & pietatem erudiant, & divinarum cognitione rerum in eis erumpentium vitiorum præſocent ſemina, antequam germinent, & adoleſcant. Servus Dei Æmilianus a primo ſuæ converſionis ingreſſu uſque ad vitæ exitum totus incubuit, ut parvuli derelicti, præſertim orphani cæleſtium rerum pabulo adverſus innatæ concupiſcentiæ illecebras præmunirentur: utque id perpetuo præſtaretur, religioſam Familiam Eccleſiæ valde utilem coadunavit, quæ ſuum opus foveret, ac propagaret: opus ſane eximium, ac prope divinum, in quo caritas erga Deum, & proximos non tam in tollendis, quam in præcavendis peccatis maxime enituit. Cum vero in hujus germinæ caritatis mandato tota lex pendeat, Beatum hunc Virum vitam duxiſſe revera ſanctam, revera chriſtianam plane non dubito, atque inde dignum exiſtimo, ut in Sanctorum albo recenſeatur.

CAJETANUS Tituli Sancti Auguſtini Presbyter Cardinalis Elephantutius.

BEatissime Pater. Inter plurima, quæ de virtutibus Beati Hieronymi dicenda forent, id unum dixiſſe ſufficiat vitæ ejus rationem, ac tenorem, ubi primum ſe Deo devovit, perpetuum fuiſſe eximiæ caritatis, & veræ humilitatis exemplum. Vocatus a Deo, ut orphanis eſſet adjutor, incredibile dictu eſt, quæ, & quanta ſolus ipſe peregit, vel in excitandis, atque augendis orphanotrophiis, vel in alendis pauperibus, vel in ſublevandis ægrotis. Illud vero prodigii inſtar videtur, hominem nobilitate, opibus illuſtrem, muneribus conſpicuum, & caſtris aſſuetum, vitam inter humi-

humiles, atque egenos conſtanter tranſegiſſe, ut eorum manus ad laborem, mores ad pietatem informaret, tandemque, venditis omnibus, quæ poſſidebat, effectus & ipſe pauper, ſtipem pro iis emendicaſſe. Quos itaque honores olim præſignavit Divus Carolus Borromæus maximum Eccleſiæ ornamentum, dum ſacros B. HIERONYMI cineres inviſeret, nunc tempus eſt, ut SANCTITAS VESTRA divina, qua pollet, auctoritate decernat, ejuſque ſequenda proponat veſtigia, cujus glorificationi congaudet, & eleemoſynas enarrat omnis Eccleſia Sanctorum.

PETRUS HIERONYMUS Tituli Sanctiſſimæ Trinitatis in monte Pincio Presbyter Cardinalis Guglielmi.

QUÆ autem futura ſit merces BEATO HIERONYMO ÆMILIANO, qui, poſthabitis omnibus, acceſſit ad ſervitutem Dei, ſtetitque in juſtitia [1], tu probe noſti, BEATISSIME PATER, qui recondita habes in theſauris tuæ potentiæ ſerta exultationis [2], & honoris, quibus glorioſi milites coronentur. Novus namque miles, & nova utique gerens bella viſus eſt ÆMILIANUS, cum eductus mirabiliter e mediis hoſtibus arripuit confeſtim gladium timoris Domini, & confixit [3] concupiſcentias ſuas omnes uſque ad internecionem: cum egreſſus deinde in ſalutem populorum, confregit peccatores undique in circuitu, & omnis armatura vitiorum diſſipata eſt [4]: cum univerſorum factus adjutor, & pauperes, & debiles, & orphanos ſtationibus locavit optimis, atque ad omnem bonitatem, & diſciplinam, & ſcientiam muniti ſſimis. Fac igitur, BEATISSIME PATER, ut bellatori inclyto ſit honos & gloria; & corona BEATUM HIERONYMUM diademate ſanctitatis; quoniam juſtum eſt, ut incoinquinatorum certaminum virtus in perpetuum coronata triumphet [5].

NICOLAUS Tituli Sanctorum Nerei, & Achillei Presbyter Cardinalis Antonellus.

EX arcta teterrimi carceris cuſtodia præſenti B. Mariæ Virginis auxilio HIERONYMUS ÆMILIANUS eductus, ejuſdem B. Virginis beneficio, etiam e vinculis ſeculi liberatus eſt. Nam in patriam reverſus, divinæ gratiæ affulgente lumine, probe intellexit, quod nos docet, ac monet Jacobus Apoſtolus: *Religio munda, & immaculata apud Deum, & Patrem hæc eſt, viſitare pupillos, ac viduas in tribulatione eorum; & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſeculo* [6]. Abjectis igitur ſecularibus curis, & mundanis honoribus, & deliciis repudiatis, mentem orationibus, ſanctiſque meditationibus excolens: corpus vero jejuniis, aliiſque pœnis in ſervitutem redigens, totum ſe Dei voluntati exequendæ, & proximorum ſaluti procurandæ addixit. Præcipue vero miſeratus pueros, parentibus, & omni ope deſtitutos, & mulieres non ſolum marito, ſed pudicitia, & timore Domini viduas, orphanotrophiis, & mulierum pœnitentium domibus erectis, omnem operam, ac ſtudium eo contulit, ut & puerulos orphanos colligeret, aleret, & in chriſtiana pietate inſtrueret: mulieres autem perditas a turpi quæſtu ad pœnitentiam converſas in viam Domini reduceret. Ne igitur tam pie, atque utiliter cœpta, & tantus labor pro animarum ſalute ſtrenue ſuſceptus, & diu fortiter toleratus, cito perirent, Congregationem piorum hominum inſtituendam curavit, qui poſt ejus obitum hanc curam, & ſollicitudinem erga pauperes orphanos, & miſeras mulieres alacriter in ſe reciperent, & quæ adeo provide, ac ſancte ab eo, dirigente Domino, conſtituta fuerant, diligenter ſervarent, ac cuſtodirent. Quare cum B. ÆMILIANUS præclarum adeo mundæ & immaculatæ religionis ſpecimen, juxta Apoſtolicam doctrinam, in ſe ediderit, nihil aliud ſupereſt, BEATISSIME PATER, niſi ut

1 *Eccl.* 2. 1.
2 *Iſaia* 28. 5.
3 *Ex Pſal.* 118. 120.
4 *Cant.* 4. 4.
5 *Sap.* 4. 2.
6 *Cap.* 1. v. 27.

ut ſupremo Pontificio decreto inter Sanctos Dei Servos ab omnibus colendus declaretur: quo fideles omnes ejus egregias virtutes, & amorem præcipue erga Deum, & pauperes ferventius imitentur, & ejus Congregationis alumni illuſtria pietatis exempla, ſančteque ab eo pro Dei gloria, & animarum ſalute geſta ſtudioſius æmulentur.

Fr. LAURENTIUS Baſilicæ Sanctorum XII. Apoſtolorum Presbyter Cardinalis Ganganelli.

QUI *educit vinctos in fortitudine ſimiliter eos ... qui habitant in ſepulcris* 1 eduxit de carcere Hieronymum, ut qui pro patria pugnare jam noverat, pro Chriſto certare jam diſceret. Eduxit de puteo Joſephum, eumque de carcere liberavit, ut ad ſecundum Ægypti ſolium proveheret, & parentem illius gentis inſtitueret. Eduxit Hieronymum de profunda turri, eumque inſtitutorem regularis cœtus effecit, ac poſtremo virtutibus onuſtum, ac multis præclarum ſignis ad ſolium æternæ Gloriæ provexit. Gaudeat ergo Venetorum Reſpublica, quod ex ſuis civibus, hoc ſeculo Clementem habeat, qui invicta patientia univerſam regit Eccleſiam; habeat Gregorium Beatorum albo conſcriptum, Hieronymum tandem ſit jam jam habitura inter Sanctos. Hinc ſperet ſe vindicem experturam e Cælo Hieronymum, quem pro ſuis civibus pugnantem in terris ſe habuiſſe recordatur.

MARCUS ANTONIUS Tituli Sanctæ Mariæ de Pace Presbyter Cardinalis Columna.

BEatissime Pater. Caritas benigna eſt; nempe quum omnibus comis, blanda, ſuaviſque ſit, ſimul eſt & benefica. Id quod a Beato Hieronymo Æmiliano ſingulariter præſtitum ſuſpicient, enimvero quotquot ejus vitæ ſeriem (ex quo animum ad æterna convertit) continenter occupatum viderint in curandis omnium ubique tum animi, tum corporis ægritudinibus, egeſtatibus explendis, calamitatibuſque repellendis. Quam igitur aliis impendit miſericordiam, & ipſe conſecutus a Domino plane mereтur, ut publice jam proponatur ad imitandum.

SIMEON Tituli S. Joannis ad Portam Latinam Presbyter Cardinalis Buonaccorſi.

BEatissime Pater. Ut Beato Hieronymo Æmiliano Sanctorum cultum decernat, non tam de Eccleſia Dei optime merita illius hæres Inſtituti Familia, quam confluentes undique ad Petri ſolium pupilli mihi videntur & orphani infimis precibus a Sanctitate Vestra contendere. Beati enim Viri apud Deum ſuffragationis ope explorata, parentem ſibi amantiſſimum eſſe redditum, eidemque in Cælo regnanti nihilo ſe minori curæ, quam viventi fuerint in terris, futuros eſſe confident. Quorum ergo preces, & gemitus clementiſſime e Cælo exaudit Deus, iiſdem in optima cauſſa ſimili decet clementia, & bonitate Dei gerentem vices annuere.

JOANNES CAROLUS Tituli Sanctorum Joannis, & Pauli Presbyter Cardinalis Boſchi major Pœnitentiarius.

BEatissime Pater. Miramur ſane Hieronymum Æmilianum e carceris ſqualore, in quem illum pro patria pugnantem belli fortuna detruſerat, ipſa Cælorum Regina duce, evadentem: ſed multo magis miramur, quum eum ipſum a tenebricoſa vitiorum ambage ad ſanctimoniæ ſplendorem evocatum ope divina conſpicimus; quique paulo ante hoſtiles acies disjecerat, mox pueros alimentarios undique cogere, & paterno ſtudio ſovere; qui bellicis artibus imbutus fuerat ad terrorem, Clericorum Regularium Congregationi exemplar fieri ad pietatem: quæ Deo, quæ humanæ ſocietati, quæ ſibimetipſi debuit, præclara virtutum ſerie jungentem. His rite perpenſis, ac prodigiorum ſuffragio confirmatis, publicum illi Sanctorum cultum a Sanctitate Vestra decernendum cenſeo; ut novum Chri-

1 *Pſal.* 67.

ſtianis populis,ad caritatem in Deum, proximumque ſectandam, addatur incitamentum.

LUDOVICUS Tituli Sanctæ Anaſtaſiæ Presbyter Cardinalis Calinus.

EXimiæ virtutes, quas in Beato Hieronymo Æmiliano admirabilem in modum floruiſſe deprehendimus, ſingularis ſcilicet ſui abnegatio, caritas erga Deum, proximumque prope incredibilis, ac demum inaudita ſollicitudo de orphanorum, ægrotantium, & perditarum mulierum ſalute omnino poſtulant, ut ſupremo Sanctitatis Vestræ oraculo ſuper candelabrum poſitæ omnibus, qui in Eccleſia Dei ſunt, perpetuo eluceſcant. Æquum igitur erit, Beatissime Pater, ut hominem vere Apoſtolicum militantis Eccleſiæ præſidio, patriæ ornamento, & inſtitutæ ab eo Congregationis ſolatio Sanctorum faſtis rite adſcribendum decernas.

ANTONIUS Tituli Sanctæ Mariæ in Via Presbyter Cardinalis Columna Branciforti

ADmirando ſane prodigio, Pater Beatissime, Deiparæ Uirginis ipſius manu ab hoſtium vinculis B. Hieronymus Æmilianus liberatus, ſe totum, & contemplationis ſtudio, & caritatis operibus dedicavit; quare illud brevi factum eſt, ut Hieronymus pauperum adjutor, & orphanorum pater publice nominaretur. Hinc Somaſchæ Congregationis jecit initia; quo quidem in opere divinæ caritatis impulſu agere, & pati fortia pro Dei gloria, peccatorum converſione, animarumque ſalute perpetuus Hieronymi labor fuit. Quæ omnia cum Sacra Rituum Congregatio rigide diſcuſſa probaverit, & pretioſam in conſpectu Domini Æmiliani fuiſſe mortem agnoverit, tuto a Sanctitate Vestra ad ſollemnem ejuſdem Canonizationem procedi poſſe cenſeo.

PETRUS Tituli Sanctæ Mariæ Transtiberim Preſbyter Cardinalis Pamphilius

NEc aliter cenſeo, aut minora præſtolor, abs te, Beatissime Pater, pro B. Hieronymo Æmiliano: cujus quidem ſecularis vita quantum chriſtianæ videbatur expers perfectionis, adeo in ſeveriorem formam Dei beneficio commutata viſa eſt omnem ſanctitatis apicem attigiſſe. Tanta ſcilicet in eo fuit humilitas, ut viliora quæque, ac naturam fugientia non dedignatus officia, ſui prorſus oblitus appareret. Tanta in eo caritas, ut niſi omnes Chriſto lucriſaceret, & parvulos, & magnos, & auxilio deſtitutos, & in periculis poſitos, ſibi quodammodo deeſſe exiſtimaret. Loquuntur ſatis quid vellet Hieronymi ſpiritus, inſtitutæ ab eo virorum Congregationes, orphanorum domus, pœnitentium mulierum e lauſtra: & ſi quid Hieronymi zelo, laboribus, virtutibus comprobandis, celebrandiſque breviter eſt addendum, loquuntur prodigia e Cælo ſurſum; quæque deorſum operatus eſt Hieronymus in terris, acceptiſſimum Deo fuiſſe deprædicant: Quare Beatum Hieronymum Æmilianum per te demum, Beatissime Pater, Sanctum dici, & ſupplex, & totus precor.

URBANUS Tituli Sancti Calliſti Presbyter Cardinalis Paracciani

BEatissime Pater. Præclariſſimo ex improviſo abdicato magiſtratu, fluxarumque rerum blandimentis, & honoribus miſſo nuntio, B. Hieronymus Æmilianus ſicut electus Dei induit viſcera miſericordiæ, unaque impellente in proximos caritate, quæ certe ex incenſo in Deum amore proficiſcebatur, mirum, quot adverſa tulerit, quot alacer ſuſceperit itinera, atque incommoda in egentibus, ac præſertim orphanis hinc inde colligendis, eiſque non modo terreſtri cibo, ac veſtitu, ſed maxime ſpiritualibus auxiliis, & opportuna adhortatione reficiendis. Magno ipſe ſpiritu afflictiſſimæ patriæ, ac Italiæ pene univerſe videns ultima, conſolatus eſt lugentes in Syon; liberavit pauperem vociferantem, & pupillum, cui non erat adjutor. Quamobrem heroicarum virtutum ex veteri more, inſtitutoque jam peracto diſcrimine, B. Hieronymum Sanctorum faſtis judicio Sanctitatis Vestræ coo-

cooptandum arbitror, ut ſicut olim illius oſſa veneratus eſt vir ſanctiſſimus Carolus Borromæus, ita nunc ſollemni cultu Eccleſia univerſa eumdem proſequatur.

PHILIPPUS MARIA Tituli Sancti Chryſogoni Presbyter Cardinalis Pirellius.

EN, Pater Beatissime, civem tuum nobiliſſimum, & inter publico ritu nunc conſecrandos, religioſæ familiæ conditorem alterum Beatum Hieronymum Æmilianum, qui ubi primum ab ipſa adjutrice omnium Beata Virgine e ſqualiore carceris in libertatem eductus, ad meliora converſus eſt, nihil cogitavit unquam, nihil egit, perfecit nihil, niſi ut intelligeret ſuper egenum, & pauperem, & eſſet orphano adjutor.

Merentur ſane opera viri religioſiſſimi, ut is tandem Sanctorum nomen obtineat. Neque inopportunum profecto erit calamitoſiſſima tempeſtate, qua per totam ferme Italiam pauperum in via clamantium accrevit numerus, novum hoc parare e Cælo afflictis rebus præſidium; illiuſque ad colendum, & imitandum proponere exempla virtutis, quæ hominum ſocietati utiliſſima, ſi ad Deum, unde profecta eſt, convertatur, ſola totam legem implevit.

ALEXANDER Sanctæ Mariæ in Via lata Diaconus Cardinalis Albanus.

BEatissime Pater. Etſi plurima, eaque egregia ſint chriſtianæ perfectionis argumenta, quæ B. Hieronymi Æmiliani memoriam in benedictione ſemper futuram pollicentur, ſingulare tamen in eo fuit, ac maximum, quod infirmis infirmus, pauperibus pauper, ſervis ſervus, omnia omnibus factus eſt, ut orphanos præſertim, & pauperes lucrifaceret tum animæ, tum corporis neceſſitatibus. Tanta igitur caritas virtutum omnium radix, ac fundamentum, & quam miraculis ſplendidiorem effecit Deus, jure a te expoſtulat, Beatissime Pater, ut eum ſollemni ritu in Sanctorum numerum referas.

NERIUS Sancti Euſtachii Diaconus Cardinalis Corſinus.

MIrifice, Beatissime Pater, in Beato Hieronymo Æmiliano verum oſtenditur Prophetæ Regis oraculum: *Beatus qui intelligit ſuper egenum, & pauperem*. Qua de re cum rite dijudicatum ſit, cæteras quoque chriſtianas virtutes fuiſſe in illo plane heroicas, & ſanctitatis ejus famam pluribus etiam miraculis confirmatam, & auctam; quos Sanctis ſuis tribuit Eccleſia ſollemnes honores Beato Hieronymo Æmiliano jure optimo merito deberi videntur.

DOMINICUS Sanctæ Mariæ ad Martyres Diaconus Cardinalis Urſinus.

BEatissime Pater. Victus ab hoſtibus B. Hieronymus Æmilianus de ſeipſo mirabiliter triumphavit: poſtquam etenim arctiſſimis vinculis, quibus in ſqualido carcere Maximiliani Imperatoris juſſu detinebatur, Deiparæ Virginis præſentia, & ope liberatus eſt, eaque ſocia manuductus per medios hoſtes, Tarviſium pervenit, novus Eccleſiæ miles eo totus intendit, ut Divino Filio pœnitentia, chriſtianarum virtutum exercitio, & præcipue caritate placeret, poſthabitiſque honoribus, quos ei Veneti Patres decreverant, pauperum adjutor, & orphanorum pater evaſit, nullis parcens laboribus, ſumptibus, curis, & vigiliis, ut illos, pueroſque, & mulieres quoque perditas in ſanctam vivendi rationem revocaret: quamplura hoſpitalia, & orphanotrophia, necnon Congregationem de Somaſcha in id fundavit: miraculis vivens, & poſt mortem claruit: reliquum hinc unice eſt, ut infallibili tuo judicio in Sanctorum album cooptetur.

FLAVIUS Sanctæ Mariæ in Portico Diaconus Cardinalis Chiſius.

BEatissime Pater. Quod Jeſus Chriſtus paternum nobis affectum ſignificaturus, his verbis pollicitus eſt: *non relinquam vos orphanos: veniam ad vos* [1], etſi accuratiſ-

[1] *Joan.* 14. 18.

ſime per ſe ille compleat, continuo fidelium ſuorum, Eccleſiæque ſuæ patrocinio, regimine, donorumque ſpiritualium communicatione, compleviſſe tamen apto quodam modo mihi præterea videtur, per BEATUM HIERONYMUM ÆMILIANUM, qui orphanorum miniſterio, æternæque potiſſimum illorum ſaluti procurandæ ſe totum, ſuoſque alumnos ita dicavit, devovitque, ut jure, ac merito de eo pronunciatum videatur, *orphano tu eris adjutor* [1], cui tam eximiæ caritatis officio quum maximus etiam acceſſerit cæterarum chriſtianarum virtutum cumulus, BEATI HIERONYMI merita inſignibus comprobata miraculis eo dignitatis pervenerunt, atque amplitudinis, ut eum inter cæleſtis Jeruſalem cives ſollemni SANCTITATIS TUÆ ſententia adſcribendum eſſe cenſerem.

ALOYSIUS Sanctæ Agathæ Gothorum Diaconus Cardinalis Torrigiani.

DIvino conſilio factum eſſe arbitror, BEATISSIME PATER, ut concivis quoque tuus BEATUS HIERONYMUS ÆMILIANUS inter ſanctiores viros emineat, qui a te ſupremos expectant honores. Venetiis ortus ex gente patritia, ab hoſtibus captus, & in fœdiſſimum carcerem conjectus, cum ad nomen Deiparæ Virginis, ſolutis repente vinculis, atque aperto carcere, mortis periculum evaſerit, ſtatim induit novum hominem, & toga depoſita, & dignitatibus abdicatis, ſolum Chriſtum ſequi decrevit. Eximia flagrans caritate & in pauperes, & in proximum, plurimis ſociis in partem ſollicitudinis ſuo exemplo coactis, in oppido Somaſchæ religioſæ Familiæ fundamenta jecit, quæ Apoſtolicæ Sedis auctoritate confirmata, magnum deinceps incrementum ſortita eſt. Prohatis deinde Beati Fundatoris heroicis virtutibus, additiſque miraculis, quæ in gratiam Servi ſui operatus eſt Deus, reliquum eſt, BEATISSIME PATER, ut SANCTITAS TUA BEATUM HIERONYMUM ÆMILIANUM in albo Sanctorum adſcribi jubeat.

JOANNES CONSTANTIUS Sancti Cæſarei Diaconus Cardinalis Caracciolo de Santo Bono.

DIvino ſane conſilio contigiſſe videtur, BEATISSIME PATER, ut pro patria militiæ nomen daret BEATUS HIERONYMUS ÆMILIANUS; cum enim ſtrenue pugnaſſet, eique ſors adverſa cecidiſſet, ac ab hoſte in carcerem fuiſſet detruſus, tamquam alter Petrus, opitulante Deipara, ſolutis vinculis, recluſo carcere, cuſtodibuſque quaſi dormientibus aufugiens, pompis, armiſque ſeculi nuncium mittit, militiæque ſpiritali ſe totum præbet, & clypeo fidei, ſpei, caritatis, omniumque cæterarum virtutum enſe munitus, implacabile ſibi, inferiſque ſpiritibus bellum indicit; & ut ſecuriori, perpetuoque frueretur triumpho, ſibi ſocios adſcribit, quibus etiam nunc Eccleſia militans gratulatur; fundatiſque in regionibus plurimis, quæ filiis parentibus orbatis, & mulieribus pœnitentibus inſervirent, domiciliis, eximia eiſdem patientiæ, prudentiæ, caritatiſque exempla relinquens, inſidias principis tenebrarum diſperdit, ſperataſque prædas eripiens, dæmonis ſuperbiam, livoremque ſubjugat, atque proſternat. Poſtulat itaque militans Eccleſia a SANCTITATE VESTRA, ut tantus hic miles, quem ſupernis nunc frui honoribus miracula a te approbata declarant, in terris etiam Sanctorum ſerto coronetur.

NICOLAUS Sancti Georgii ad Velum Aureum Diaconus Cardinalis Perrelli.

HIERONYMI ÆMILIANI notiora ſunt merita, quam ut hic exponenda videantur. Miles olim ſtrenuus magis quam felix, adverſo belli caſu compulſus ad Deum, humanas opes, atque inſignia avita contempſit, ſeque deinceps totum dirigendis in viam ſalutis proximis, præcipue vero orphanis colligendis, nutriendis, & in Dei timore educandis addixit, ſodalibus in id ad

1 Pſal. 9. 34.

adſcitis, & pia Congregatione inſtituta. Prima illi tamen curarum fuit ad evangelicam perfectionem conniti, quod oratione aſſidua, ſolitudine, ſilentio, & mira corporis, animique afflictatione ad extremum uſque ſpiritum præſtitit, Deum unice ſibi propitiare, ac mereri ſtudens. Deo proinde carus, ab eoque miraculis ante, & poſt mortem illuſtratus, nihil jam expectat, niſi quem promeruit honorem Sanctorum, qui plane videtur homini ita merito conferendus.

ANDREAS Sancti Angeli in Foro piſcium Diaconus Cardinalis Corſinus.

SEcularis militiæ caſtra ingreſſus Hieronymus Æmilianus ſtatim ac ſuper ſe Domini miſerentis manum ſenſit, abjectis armis, uni Deo ſub Crucis vexillo ſe totum devovit. Severioris itaque pœnitentiæ operibus, officiiſque pietatis intentus, neglectam orphanorum curam in ſe ſuſcepit, eique propagandæ, Ordinem inſtituit, in quo flagrantiſſimæ illius caritatis exempla permanerent. Dignum propterea exiſtimo, Beatissime Pater, ut tanti viri nomen virtutum, ac miraculorum famâ illuſtre in Sanctorum catalogo deſcribi jubeas, ut in eo, veluti quamdam veræ caritatis imaginem intueamur, & imitemur.

ANDREAS Sanctorum Viti, & Modeſti Diaconus Cardinalis Nigronus.

BEatissime Pater. Beatus Æmilianus divino tractus amore, poteſtate, & honoribus rejectis, contemptiſque divitiis, & carnis illecebris abdicatis, totum ſe Deo dicavit: omni virtutum genere excelluit: fortis in fide: in patientia benignus: in caritate fervidus; & mirum, quam opera utriuſque miſericordiæ exercuerit, conſilia petentibus dando, afflictos, mœrentesque ſolando, mortuos huc illuc conquirendo, ſuiſque humeris ad ſepeliendum asportando, pauperes, puerosque derelictos hoſpitio excipiendo, quos alebat, curabat, cuſtodiebat, rudimenta fidei edocebat, factuſque orphanorum pater, eos in familias diſtribuens, domus, quibus reciperentur, improbo labore per loca erexit, & ut pietate proficerent, regulas ſummâ prudentia inſtituit; quem propterea, Beatissime Pater, urgentibus ſignis, atque miraculis, inter Cœlites reponendum fore arbitror.

ÆNEAS SYLVIUS Sancti Adriani Diaconus Cardinalis Piccolomineus.

POſtulat, Beatissime Pater, abs te Chriſtiana Reſpublica, poſtulat Clericorum inſignis Ordo, qui nobiliſſimo, atque ſanctiſſimo Inſtitutore gloriatur, poſtulat inclyta patria tua, quæ pacis, & belli artibus clara, quæ religionis, & fidei non minus, quam libertatis integra gloria ſe jactans, tot viros pietate inſignes, & ſanctitate ad populorum exemplum, ad religionis præſidium Italiæ peperit, ut novum Eccleſiæ decus adjungas in præclariſſimo cive tuo Beato Hieronymo Æmiliano. Is enim patritia gente prognatus, ut erat, & boni civis, & liberaliter educati, ſummo in periculo, & juſto in bello prope neceſſarium officium, poſtquam pro patria, pro libertate ſumma cum laude pugnavit, priſtinis armis abjectis, ad bellum ſe comparavit longe nobilius, & nomen dedit novæ militiæ, quæ duceret ad triumphos, ad gloriam non perituram, non fluxam, cujus in partem nec milites, nec fortuna venirent, verum quam ipſe cum fructus faceret pœnitentiæ digniſſimos totam ſibi deberet. Hinc patrimonio pauperibus diſtributo, omnibus omnia factus, ſe pueris, ſe meſſoribus, ſe mendicis, ſe infimæ plebis hominibus peſtilentia correptis conſolatorem, tutorem, & medicum, & magiſtrum exhibuit, & devovere ſe totum, & animam ipſe ponere ſuam pro animarum ſalute non recuſavit, & ad ultimum uſque ſpiritum in laboribus, in vigiliis, in agris, in civitatibus vitam ſemper utiliter erga proximum, ſemper duriter in ſeipſum, ſemper ſancte peractam ſanctiori morte concluſit.

Quare, Beatissime Pater, id reliquum unum eſt, ut pro divina ſapientia tua Bea-

tum

tum virum Sanctorum faſtis adnumeres, & patriæ votis, & Chriſtianorum Reipublicæ, & ÆMILIANI diſcipulis tam præclare merentibus decreto tuo ſatisfacias.

SAVERIUS Sanctæ Mariæ de Scala Diaconus Cardinalis Canale.

NOn abſque divinæ Sapientiæ conſilio factum arbitror, SANCTISSIME PATER, ut ad noſtra uſque tempora hæc BEATI HIERONYMI ÆMILIANI in Sanctorum catalogum recenſio protraheretur: decere namque videbatur, ut Venetiarum Reipublicæ olim patritius, modo ſingulare decus ÆMILIANUS, Sanctorum corona ab eo potiſſimum Romano Pontifice redimeretur, qui de patritio pariter Veneto ſanguine natus, ſuarum ſplendore virtutum ad Petri Cathedram eſſet evectus. Ut autem id facias, PATER BEATISSIME, ſuo veluti jure poſtulat ipſa ÆMILIANI ſanctitas eximia. Poſtulat mundi contemptus, in quo fuit vere ÆMILIANUS admirabilis: prodigioſe namque a Sanctiſſima Dei Genitrice Maria de tetro carcere, deque hoſtium manibus eductus; continuo, ut meliorem capeſſeret, ſeculi militiam dimiſit; ſplendidos ſibi a Republica oblatos honores recuſavit: grande patrimonium divenditum in egenos diſtribuit omne, & ſtipem ſibi, & victum mendicare non erubeſcens, ad evangelicam deinceps perpetuo anhelavit perfectionem. Poſtulat in Deum, & proximum ÆMILIANI caritas celſiſſima: divinum quippe Magiſtri ſui Jeſu exemplum imitatus, qui, cum benefactis univerſam implevisſet Judæam, clamabat: *Sinite parvulos venire ad me* [1]: Venetam, & Mediolanenſem ditionem itineribus, prædicationibus, exemplis, & prodigiis ſanctificavit totam; ſed in colligendis, alendis, fovendiſque pueris, præcipue orphanis, & derelictis, ſuas quodammodo vires contrivit omnes, orphanotrophia excitavit multa, multa ut excitarentur procuravit: præfuit cunctis, cuncta fovit, & aluit, fidelium liberalitate præbente opem: & aliquando, ſi neceſſaria deeſſent, Deo ad ejus preces patrante miracula; atque ut tantum caritatis opus perennaret, Clericorum Regularium Somaſchæ Congregationem inſtituit, quæ operoſa in ejus labores introiret. Poſtulat denique ÆMILIANI mors in Dei, & hominum conſpectu pretioſiſſima, quam graſſante lue, cum famularetur infirmis, & mortuorum corpora in humeris ſuis portaret ad ſepulcrum, ex morbo contracto patientiſſime obivit, ut qui non ſibi, non mundo, non carni, non ſanguini, ſed Deo vixit, & proximo, pro Dei gloria, & proximi ſalute etiam moreretur. Perge igitur, BEATISSIME PATER, & tua ſuprema ſententia BEATUM HIERONYMUM ÆMILIANUM Sanctorum albo adſcribe; lætabitur certe Catholicus orbis: ſed geminata lætitia Veneta exultabit Reſpublica, cum viderit ab altero Patritio ſuo in Cathedra Petri ſedente alterum Patritium ſuum gloria Sanctorum coronatum in terris.

BENEDICTUS Sanctorum Coſmæ, & Damiani Diaconus Cardinalis Veterani.

SI emendatioris vitæ exordia, & prima a HIERONYMO ÆMILIANO in perfectionis ſtudio jacta veſtigia, ſi ſequentem curſum, ſi demum adeptam in extremo agone palmam intueor, novum ingenioſa caritas quodammodo exhibet martyrem, quem non ſegnior intus adusſit flamma, quam quæ alios foris incendit. Mutante hominem dextera Excelſi, deſerit ille ſtipendia, quibus miſere antea mundo meruerat, & inſpirato cælitus transfugio, nova caſtra Chriſti miles ingreditur, ut aberranti, & afflictæ egenorum coborti, fame, frigore, nuditate enectæ, morbo, & illuvie, fœde, & in ultimum conjectæ diſcrimen dux eſſet, & pater. Enſe depoſito, & baltheo, vir e domo patricia, in qua ſublimes hauſerat ſpiritus, Deum non quærit in terra ſuaviter viventium, ſed voluntarie pauper, & novis armis a pœnitentia mutuatis, cuncta ſuis detrahit, omnia puſilli gregis tribuit com-

[1] *Marci cap. 10. v. 14.*

commodis, & procedit ad nova bella paciſcus. Non hic locus repetendi jam in actis expreſſam, adeo ſibi duram, aliis vero utilem, ærumnoſæ vitæ inſtitutionem, ut uni Hieronymo dictum a Jeremia videatur: dedit ſiceram mœrentibus, & vinum iis, qui amaro erant animo, ut biberent, obliviſcerentur egeſtatis ſuæ, & doloris ſui non recordarentur: pari contendit labore, & officio, ut morbis animi mederetur, redirent prævaricatores ad eor, errores agnoſcerent, dividens illis caritatem ſuam, & lacrymas ſuas; cum enim temporali ope famularetur naturæ, ſpirituali famulatus eſt gratiæ. Non intermiſſa hæc ſtudia caritatis, & extremum uſque ad ſpiritum conſtanti perſeverantia exantlati labores, tanti apud me ſunt, ut Hieronymo communem modum operandi juſtorum prætergreſſo, majores, qui in terra dari poſſunt honores, decernendi a Sanctitate Vestra videantur.

DOMINICUS Jordanus Patriarcha Antiochenus Aſſiſtens.

En & alter, Beatissime Pater, Venerabilis Dei Servus, qui fœtu novæ prolis Eccleſiam Dei amplificavit, ac eximiis virtutum exemplis quammaxime ornavit. Hieronymum Æmilianum dico, Congregationis Somaſchæ ſaluberrimi ſcilicet inſtituti pro colligendis orphanis, iiſque ad pietatem, & litteras informandis Fundatorem. Ut eum Sanctorum numero adſcribas, non modo eadem Somaſchenſis Familia, verumetiam alii religioſi Ordines, imo & Principes, ac Reges humillimis a te precibus expoſtulant. Cum autem illum Omnipotens Deus & heroicæ ſanctitatis merito, ac ſignorum rite expenſis prodigiis illuſtraverit, dignum exiſtimo, ut ſuprema tua auctoritate hujuſmodi pia vota exaudias, ac tandem per te nihil Æmiliano deſit ad gloriam, cui nihil certe defuit ad virtutem.

GEORGIUS de Laſcaris Patriarcha Jeroſolymitanus Aſſiſtens.

Si ipſa veritas dicit, ac docet, a duobus caritatis in Deum, & proximi præceptis totam dependere legem ac Prophetas, perfectiſſimum fuiſſe in ejus pleniſſima obſervatione Beatum Hironymum Æmilianum Clericorum Regularium Congregationis Somaſchæ Fundatorem, nos procul dubio fateri debemus, ſiquidem ab ipſo ſuæ miraculoſæ converſionis exordio ad ultimum ſuæ vitæ halitum heroiæ utriuſque caritatis uberrima non deſtitit præbere documenta prodigiis in vita, & poſt mortem relata. Cum autem caritas ſit vinculum perfectionis, perfectique viri in caritate, in vita, & poſt mortem Deo conjuncti, gaudeant illa beata Dei viſione, quæ Sanctis parata eſt ab origine mundi, nihil impedit, Beatissime Pater, quin Beatus Hieronymus Æmilianus inter Sanctos ab Eccleſia univerſa venerandos, ab Apoſtolica tua auctoritate connumeretur.

FRANCISCUS Caraſa Trajectus Archiepiſcopus Patrarum Aſſiſtens.

Beatissime Pater. Acta Canonizationis Beati Hieronymi Æmiliani probant heroicas illius virtutes, geſta poſt obitum miracula certum exhibent teſtimonium, quod debitum in Cœlis præmium aſſequi promeruit; nil igitur reliquum eſſe cenſeo, Beatissime Pater, quam quod glorificetur & in terris, atque in Sanctorum catalogo referatur.

JOANNES Lercarius Archiepiſcopus Hodrianopolitanus Aſſiſtens.

Carceris, & ſeculi vinculis B. Mariæ Virginis ope ſimul una ſolutus B. Hieronymus Æmilianus ſtatim ad pietatis, & miſericordiæ opera ſe convertit. Miſeros orphanos undequaque colligere, nudos veſtire, eſurientes alere, infirmos curare, ac ſcientiam Sanctorum edocere nunquam deſtitit. Conſumptis in pupillorum alimonia ſuis omnibus facultatibus, ac pauper effectus, ſpem omnem ſuam in Deo, qui dat eſcam eſurientibus, poſuit, ejuſque providentia adjutus, Venetiis, Brixiæ, Bergomi, Papiæ orphanotrophia conſtituit. Caritate tandem quæ nunquam excidit incenſus, dum peſtilentia extinctos ſuis humeris ſepulturæ defert,

fert, luem contraxit, qua mortuus audire meruit a Domino: veni benedicte Patris mei, poſſide paratum tibi regnum, eſurivi enim & dediſti mihi manducare, ſitivi & dediſti mihi bibere. Reliquum eſt, Beatissime Pater, ut in medio Eccleſiæ aperias os tuum, & videat oculus noſter magnalia honoris illius, quem Deus nomine æterno hæreditavit.

D. INNOCENTIUS Gorgoni Archiepiſcopus Emiſſenus, olim Epiſcopus Pinnen., & Hadrien. Aſſiſtens.

Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adjutor; tanquam ſibi dicta excepit Beatus Hieronymus Æmilianus: quapropter piiſſimo operi, orphanis, pupillis, & pauperibus ſubveniendi, & opitulandi ſe, ſuoſque omnino devovit. Nec majorum imagines, opes, promeriti honores a propoſito removerunt, & a cœpto curſu uſquam revocarunt. Superna namque illa lux, quæ refulſit in habitaculo carceris, invocataque adſtans Virgo, ut mente concepit, ſic corde altius infixit. Elegit abjectus eſſe in domo Dei ſui, ut mercedem illam reciperet, quam juſtus Dominus ſuis electis concedit, ut ſolium gloriæ teneant. Probatus itaque ad plenam Canonizationem, cenſeo Sanctitatis Tuæ oraculo, Beatissime Pater, in Sanctorum numerum referri poſſe.

Fr. JOANNES BAPTISTA Colombini Archiepiſcopus Beneventanus Aſſiſtens.

Beatus Hieronymus Æmilianus Clericorum Regularium Congregationis Somaſchæ Fundator, magnus plane ſecundum nomen ſuum fuit, & maximus in ſalutem electorum Dei [1], quam gloriam adeptus ſit in tollendo manus ſuas ad Dominum, dum circumdarent eum undique hoſtes [2], & quam præclara deinde, ac mirabilia operatus ſit ubi venit in eum ſpiritus ſapientiæ, quem invocavit, nemo te melius novit, Beatissime Pater, qui prope manibus contrectaſti, atque oculis vidiſti quæ fecit Hieronymus magnalia, ſive abſcondendo ſe primum, ſeque ſe omnium peripſema conſtituendo; ſive manus extendendo in Congregationem pauperum, atque amplas orphanorum domos erigendo; ſive periclitantes alios, vitiiſque deditos protrahendo in viam ſalutis, & juſtitiæ, proximos denique omnes curando cum omni caritate, & ſcientia, per omnem laborem, & ærumnam in ſollicitudine, & patientia multa. Quorum ſane operum merces, quoniam copioſa apud Deum fuiſſe miraculorum voce depromitur, immortalis quoque apud homines faciendæ memoriæ juſtum puto, Beatissime Pater, & ut a Sede magnitudinis tuæ accipiat Beatus Hieronymus coronam, & gloriam, amictum videlicet ſanctitatis in conſummationem virtutis [1].

SCIPIO Burgheſius Archiepiſcopus Theodoſiæ Aſſiſtens.

Beatum Hieronymum Æmilianum nobilitate generis licet conſpicuum, at moribus depravatum, video divina bonitate eductum ab illecebris mundi, & a diaboli vinculis ſolutum a Deo; qui de excelſo ulterius miſit ignem caritatis in oſſibus ejus [4], & ita fervum ſuum erudivit, ut deinde magiſter eſſet, & moderator virtutum in ejus Eccleſia, inſtituta præſertim in caritatis viſceribus nova Somaſchorum Familia. Hinc merito, Pater Beatissime, ſollemnibus Sanctorum faſtis adſcribendum illum cenſeo.

IGNATIUS Reali Archiepiſcopus Athenarum Aſſiſtens.

Beatissime Pater. Quæ a Beato Hieronymo Æmiliano, dum vitam perageret, geſta ita ſingularia ſunt, ac vere heroica, ut in ipſam divitias ſuas Dei caritatem effudiſſe mirari debeamus. Vir enim ſanguinis genere illuſtris, in mundo ipſo converſatus, divino igne ſuccenſus, factus fuit ſpectaculum mundo, Angelis, & hominibus,

1 *Eccleſiaſtic.* 46. 1. 2.
2 *Ibid.* 3. 12.
3 *Eccleſiaſtic.* 50. 11. 12.
4 *Jerem.* 3. c. 1. v. 13.

nibus, quibus, ut omnes Chriſto lucrifaceret, miſericorditer ſe præſtitit; ac præcipue pupillis, orphaniſque, queis verbo, & exemplo, nulli parcens labori, mirabiliter proſpexit. Quæ omnia, Beatissime Pater, tanta ſunt, ut ejus jam rite probatis in gradu heroico virtutibus, & patratis ipſo a Deo intercedente miraculis, merito Sanctitas Vestra Beato Hieronymo modo publicos, ſollemneſque honores decernat, & inter Sanctos adſcribat.

NICOLAUS SAVERIUS Sanctæ Mariæ Epiſcopus Cyrenenſis Aſſiſtens.

Beatissime Pater. Præ cæteris, iiſque heroicis virtutibus, quibus Beatus Hieronymus Æmilianus Clericorum Regularium Congregationis Somaſchæ Fundator, quaſi ſol effulſit in Eccleſia Dei, ſublimis emicat caritas, qua Dominum Deum ſuum ex toto corde dilexit, & proximum amavit ſicut ſeipſum. Deſpectis enim majorum imaginibus, totus ſpirituali, ac corporali proximorum ſolamini mancipatus, pauperum adjutor, & orphanorum pater, in extrema annonæ caritate, & diris contagiis pro aliorum ſuſtentatione bona cuncta erogavit, corpus aſſiduis obruit laboribus, omnes, quos potuit, verbo, & exemplo ad ſalutis tramites revocavit. Innumera caritatis chriſtianæ monumenta reliquit, quæ inter haud poſtremum ſibi vindicat locum illuſtris ab eo erecta Congregatio, quæ in animarum ſalutem, & fidelium inſtitutionem totis viribus incumbit. Hujus Beati Viri ſanctitatem, quam Deus pluribus in vita, & poſt mortem illuſtravit miraculis, quam S. Carolus Borromæus ob ſuavem odorem ex ejus oſſibus manantem, percepit, eiſque thuris honorem tribuit, & veneratus eſt, poſſe etiam Sanctitatem Vestram Apoſtolico Canonizationis ſollemni ritu declarare, & Eccleſiæ univerſæ ad exemplum, & præſidium proponere, æquiſſimum cenſeo.

FRANCISCUS MARIA Piccolomineus Epiſcopus Pientinus Aſſiſtens.

Beatum Hieronymum Æmilianum cum fama perfectæ ſanctitatis obiiſſe ex eo aperte coniicitur, quod Sanctus Carolus Borromæus Somaſchæ illius oſſa, quæ ſuavem effundere odorem percepit, veneratus ſit, eiſque thus adoleverit. Ac profecto B. Hieronymus poſtquam a Beatiſſima Dei Genitrice Maria miro plane modo liberatus eſt e ſquallido carcere, in quem, victus in bello a Cæſaris exercitu, detruſus fuerat, ad currendam Domini mandatorum viam, ut gigas exultavit. Uno ore ſummis efferebatur laudibus, præcipue ob miſericordiam, effuſamque liberalitatem in pauperes; & ob pium, impenſumque adhibitum ſtudium in inſtituenda Congregatione Somaſcha pro ſublevandis orphanis, pauperibus, iiſque in lege Domini erudiendis. His igitur, & pluribus miraculis, quæ Deo auctore fuit operatus, perpenſis, in ea ſum opinione, Pater Beatissime, ut a Sanctitate Vestra Beatus Hieronymus ſit Sanctorum faſtis jure adſcribendus.

PHILIPPUS Mornati Epiſcopus Sutrinus, & Nepeſinus Aſſiſtens.

Beatissime Pater. Sollemni Canonizationi B. Josephi Calasanctii Fundatoris Ordinis Clericorum Regularium Scholarum piarum jure mihi conjungenda videtur altera Beati Hieronymi Æmiliani Fundatoris Ordinis, ſeu Congregationis Clericorum Regularium de Somaſcha nuncupatæ, utpote qui ambo eumdem caritatis ignem, quem Dominus venit mittere in terram heroicarum virtutum exercitio in proximorum utilitatem accendentes, hominum corda ab infantia, primaque adoleſcentia a malo avertere, & ad bonum inclinare conati ſunt. Alter ſiquidem pauperum miſerator, puerorum educationem, inſtitutionemque ſuſcipiens, ſuiſque præcipiens; alter orphanorum adjutor ipſorum curam exercens, eos in fide, & doctrina inſtruere, & in opere efficaces reddere conſtituit; ſibique idcirco gloriam in Cælo, ac Sanctorum honorem in terris mox exhibendum uterque comparavit.

PETRUS PAULUS Toſius Epiſcopus Ferentinus Aſſiſtens.

Inter omnes virtutes, quæ animum Beati Hieronymi Æmiliani cumulatiſſime ornarunt, ea præ cæteris emicat, quod ipſe

Beatiſſimæ Mariæ Matris Dei præſidio a vinculis, & ſquallore tetri carceris, cui fuerat mancipatus, mirabiliter ereptus, & libertati reſtitutus, æternorum amore vale dicens ſeculo, totum ſe dedit Deo, & proximorum ſaluti, factus puerorum pauperum, & orphanorum pater amantiſſimus, infirmorum curator egregius, & perditorum hominum, ut in viam redirent juſtitiæ, venator induſtrius. Spiritum, quem ipſe ex Deo hauſit, in pueris præſertim, & orphanis moribus, & litteris rite inſtituendis, in Dei gloriam, & proximorum ſalutem perenniter manſurum, ſuis filiis ex Inſtituto a ſe fundato reliquit. Eximiam vero illius ſanctitatem ubique terrarum celebrem, vivente eo adhuc, & vita functo, plura mirabilia meritis ejus a Deo facta teſtantur. Nil itaque obſtat, BEATISSIME PATER, quin ei irrefragabili tuo judicio, & auctoritate ſupremi inter Sanctos concedantur honores.

Fr. NICOLAUS ANGELUS MARIA Landini Epiſcopus Porphyrienſis Aſſiſtens.

BEATISSIME PATER. Quis unquam putaret hominem nobiliſſimum, vanitati addictum, militaris gloriæ percupidum, ætate juvenem adverſæ ſortis imperio in vinculis conſtrictum, ſquallore carceris pene contritum, vix nuncupato voto, ita Deo carum evaſiſſe, ut momento temporis miris ſtatim portentis clareſcere cœperit? Hic ille fuit HIERONYMUS ÆMILIANUS duplici Dei Matris apparitione donatus, & ab illa vinculis, & carcere ſolutus, & patrio ſolo reſtitutus; qui illico virtutum omnium ſplendore, Deique amore, & proximi, pauperum præſertim, & orphanorum inſigni caritate claruit, & efferbuit: ac tandem pretioſa morte ad Superos evocatus, quamplurimis conſequutis miraculis longe etiam clarior effectus eſt. Quis hæc de ÆMILIANO audiens, ſtatim cum Apoſtolo altitudinem ſapientiæ Dei, & illius judicia non admiretur humanis omnino mentibus incomprehenſibilia? Dei ergo voluntati te, BEATISSIME PATER, obſequi arbitror, ſi virum hunc omni ex parte clariſſimum inter Sanctos jubeas adnumerari.

NICOLAUS Gagliardi Epiſcopus Alatri Aſſiſtens.

BEATISSIME PATER. Nemo melius, aut perfectius B. HIERONYMO ÆMILIANO implevit illud, quod eſt in Pſalmis. *Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adjutor:* homo enim Venetiis nobili genere natus, ampla plurimum, ac ridente fortuna, ſpretis mundi illecebris, ac vanitatibus, ita totum ſe Deo dedit, ac pauperibus mancipavit, ut pauperum, & orphanorum parens & dictus fuerit, & extiterit.

Quanta porro enim animi virtus ad tam grave, ac tam difficile munus ſancte, ſalubriterque obeundum requiratur, BEATISSIME PATER, nemo eſt, qui non videat, potiſſimum cum tota virtutis, ac ſanctitatis gloria in eo ſita eſſe videatur, ut quis abneget ſemetipſum. Quare cum hæc omnia ſuper hominum fidem mirifice impleverit B. HIERONYMUS, æquum omnino eſt, ut ſummis Eccleſiæ honoribus decoretur is, qui corona aurea a Chriſto Domino in Cælis jam donatus eſt.

CLEMENS MARIA Bardini Epiſcopus Aquipendii Aſſiſtens

TErrenis militaribus ſtipendiis utcumque vacaſſet HIERONYMUS ÆMILIANUS, divino tamen lumine perculſus, totuſque mutatus a militari illo HIERONYMO, Paulo ſimillimus, in novo militantis Eccleſiæ agro, diu, multumque pro bono certamine dimicatus eſt, novoque Somaſchæ Congregationis agmine militantem ipſam Eccleſiam communivit. Theologalibus immo, & Cardinalibus univerſis virtutibus heroico gradu præfulſit, æſtuanti præſertim caritate in Deum, pauperes, orphanoſque, quorum adjutor optimus, pater amantiſſimus. Nov erunt Venetiæ, viciniorefque inſulæ Duranum, Majurbium; noverunt Verona, Brixia, Bergomum, Comum, Mediolanum, Papia, aliæque civitates, quæ vel peſtifera lue, vel fame turbatæ, maximam HIERONYMI caritatem expertæ ſunt, ejuſque merita continuo celebrant, nomen invocant, auxi-

auxilium implorant. BEATI ergo VIRI ſanctitas, quæ miraculorum teſtimonio pluries comprobata eſt, jure poſtulat, PATER BEATISSIME, ut ad militantis Eccleſiæ præſidium, & triumphantis ornamentum, ad Eccleſiaſticorum exemplum, ad fidelium ædificationem, & utilitatem, inter Sanctos eum quoque a SANCTITATE VESTRA adnumerandum, meo ſuffragio decernam.

STEPHANUS EVODIUS Aſſemanus Archiepiſcopus Apameæ.

DUM mente recolo, BEATISSIME PATER, B. HIERONYMUM ÆMILIANUM ſua omnia, ſeque totum tam ſollemni religione dicaſſe pauperibus, & orphanis adjuvandis, eorumque præſertim moribus informandis ad pietatem; in ea ſemper confirmor ſententia, eximiam illius fuiſſe ſanctitatem, ac ſingularem virtutem. *Qui enim diligit proximum*, docente Paulo [1], *legem implevit: dilectio proximi malum non operatur: plenitudo legis dilectio eſt*. Permanſit ſane Beatus Dei Servus in lege Domini, non auditor obliviosſus factus, ſed factor operis [2]; eamque ob rem quum beatus in facto ſuo jam ſit [3], reliquum eſt, BEATISSIME PATER, ut inſignem tanti viri ſanctitatem, tot miraculis comprobatam, ſollemni fidelium veneratione jubeas celebrari.

[illegible]

[illegible]

Ejuſdem verſio latina.

JACOBUS Meſrob Chiaja Araboli Archiepiſcopus Lampronenſis, & Tarſi natione Armenus.

BEATISSIME PATER. B. HIERONYMUS ÆMILIANUS, cui dictum ſibi fuiſſe a Domino viſum eſt: *tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adjutor*: tot, tantaſque virtutes in hac obeunda provincia exercuit, ut merito quod in Sanctorum canonem ab hac ſacroſancta, & Apoſtolica Sede referatur expetunt, atque exoptant Reges, Principes, Ordineſque religioſi quamplurimi, cum quibus hoc ipſum provolutus in genua humillimis precibus expoſco, atque exoro.

JOSEPH SIMONIUS Aſſemanus Archiepiſcopus Tyri.

BEATISSIME PATER. Juſtum deduxit Dominus per vias rectas. Id quippe in B. HIERONYMO ÆMILIANO in Caſtronovo factum intelligimus, quod olim Jeroſolymis in Beato Petro Apoſtolorum Principe contigit: niſi quod Petrum in carcere retruſum, cadentibus de manu ejus catenis, Angelus Domini in habitaculo refulgens, liberum per primam, & ſecundam cuſtodiam, perque portam ferream, quæ ultro aperta eſt eis, eduxit: HIERONYMUM vero non Angelus, ſed Angelorum Regina, manicis, compedibus, catenis, & globo marmoreo ad collum appenſo onuſtum, manu manum arripiens, per medios hoſtes dux & ſocia ad portas uſque civitatis mirabiliter adduxit. In eo tamen HIERONYMUS Petrum pro modulo ſuo imitari contendit, quod ſicuti Petrus univerſo fidelium cœtui a Chriſto Domino fuit præpoſitus; ita HIERONYMUS, animarum ſalutem reputans, præter plura orphanotro-

Nn 2 phia

1 *Rom.* 13. 8. 2 *Jacob.* 1. 25. 3 *Ibid.*

phia a ſe erecta, illuſtrem Clericorum Regularium Congregationem Somaſcham inſtituit. Quum igitur per ardentem in Deum, & proximum caritatem, evangelicæ legis plenitudinem HIERONYMUS impleverit, virtutumque meritis, ac miraculis a Deo ſit illuſtratus, in Sanctorum album a BEATITUDINE VESTRA eſſe referendum, nullus dubito.

JOANNES de Vita Epiſcopus Reatinus.

CUI Domini Sabaoth, atque exercituum, Regis Regum, ac terribilis apud Reges terræ nomen eſt, ipſe quoque patris orphanorum nomine gloriatur. Hæc orphanorum præ aliis beata ſors eſt, Deum ipſum, qui in Cælis eſt, patrem habere: ſed lætentur adhuc orphani, quibus Pater Cæleſtis noviſſimis temporibus præſentiore quadam providentia conſuluit, ut BEATUM HIERONYMUM ÆMILIANUM patrem vocare poſſent ſupra terram. Lætantibus autem orphanis, ipſa pariter, BEATISSIME PATER, Eccleſia ÆMILIANUM inter Sanctos relatum fuiſſe lætetur. Juſta ſiquidem, neque una tantummodo communis lætitiæ cauſſa eſt, atque ratio, ſi ejuſmodi Sanctum jam demum colere liceat, qui Dei nomen, & vices erga orphanos non modo per ſeipſum gerere dignus fuit, ſed propagato in Congregationem Somaſcham ab ſe inſtitutam, eodem, quo ipſe exæſtuabat caritatis ſpiritu, illud etiam promeruit, ut in alumnis ſuis patres orphanorum in Eccleſia nunquam deeſſent.

PHILIPPUS Bruni Epiſcopus Lyddenſis, & Suffraganeus Sabinenſis.

BEATISSIME PATER. Quod Beato Petro Apoſtolo Jeroſolymis per Angelum contigit, ut ad evangelium coram gentibus diſſeminandum miraculo præpararetur, decidentibus ſcilicet catenis, & porta ferrea patente, id BEATUS HIERONYMUS ÆMILIANUS eſt expertus per ipſam Dei Matrem Sanctiſſimam, vinculis effractis, & porta carceris luctuoſi diſrupta, ut orphanorum pater fieret, & in eorum potiſſimum curam pium Ordinem, & multis titulis commendabilem in ſinu ſuo foveret ſancta mater Eccleſia. Hinc ſicuti Petri fides evangelio Jeſu Chriſti diſſeminando non defuit ex eo tempore, quouſque in cruce fieret martyr veritatis: ita BEATI HIERONYMI ſtudium coaluit licentia mulierum emendanda, extirpandis vitiis, bonis operibus ſuadendis, curandis infirmis, & in primis educandis, alendiſque orphanis, quos etiam ad militaris licentiæ genimina radicitus extirpanda, e lapidibus in capita platearum diſperſis ædificatores fecit ſanctuarii; donec peſtiferam luem in aliis curatam contrahens, martyr occubuit caritatis. Decet igitur, BEATISSIME PATER, ut illum virtutibus fulgentem, & ſignis in Sanctorum numerum adſcribendum decernas.

JOANNES BAPTISTA Filipponi Tenderini Epiſcopus Anagninus.

SI veræ, & perfectæ pœnitentiæ exemplum fuit beata illa evangelica mulier Maria Magdalena, cui dimiſſa ſunt peccata multa, quoniam dilexit multum, dicere idem poſſumus de BEATO HIERONYMO ÆMILIANO. Nam quidquid ante converſionem ſuam Beatiſſimæ Virginis ſingulari ope perfectam deliquerit, id deterſiſſe totum, & ſe præſtabilem coram Domino reddidiſſe videtur maxima, & admirabili dilectione, qua Deum in minimis fratribus, orphanis, ac pauperibus pueris complexus eſt: in his ipſe quoque Deum pavit non ſemel, aut bis, ſed vitæ ſuæ per annos omnes, neque uno in loco, ſed in multis, ubi horum puerorum hoſpitia, & receptacula paravit. Non potuit autem major virtutum caritas eſſe a cæterarum conſortio disjuncta. Addidit Deus ornamenta ſua, miraculorum nimirum, quæ legitime probata eſſe conſtat. Itaque in pœnitentium ſolamen, & exemplum, ad Ordinis, quem inſtituit, ornamentum, ad BEATI VIRI promeritam gloriam, arbitror, BEATISSIME PATER, BEATUM HIERONYMUM ÆMILIANUM Sanctorum faſtis eſſe adſcribendum.

Hæc

Hæc cum attento, libentique excepiſſet animo Pontifex, hiſce verbis lætitiam, quam præconceperat, declaravit.

Perjucundum nobis eſt veſtras inter ſe congruere ſententias, ut Sanctorum honores utrique Beato deferantur. Et magna quidem apud animum noſtrum vis eſt, magnumque numen, unum & idem ſententis hujus ſacri Conſeſſus. Verumtamen imploranda Dei miſericordia, qui nobis mittat auxilium de ſancto, & ferventius adhuc orationi inſtandum, piiſque operibus, ſupplicationibus, & jejuniis hac ipſa die indicendis, exorandum a Patre luminum illud conſilium, quo illius honor amplificetur, & gloria ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti [1].

Statim Dominus Auguſtinus Sabbatucci Cameræ Apoſtolicæ Procurator generalis Protonotarios omnes, ut de hoc ſemipublico Conſiſtorio publicum adornarent Inſtrumentum, per hæc verba rogavit.

„ Ego Auguſtinus Sabbatucci Sanctissimi Domini Nostri, & Cameræ Apoſtolicæ „ Procurator generalis rogo vos omnes Protonotarios, & Notarios Apoſtolicos hic præſentes, ut de ſententiis, conſilio, & unanimi conſenſu Reverendiſſimorum Dominorum S.R.E. Cardinalium, necnon Patriarchum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, deque Summi Pontificis oratione, „ & deliberatione præhabitis ſuper ſollemni „ Canonizatione Beatorum Josephi a Cupertino, & Hieronymi Æmiliani unum, „ vel plura, publicum, ſeu publica conficiatis Inſtrumentum, vel Inſtrumenta ad „ perpetuam rei memoriam.

Roganti R. P. D. Joannes Andreas Archetti Protonotariorum Apoſtolicorum Decanus reſpondit *conficiemus*, atque eos omnes, qui circa ſolium aderant Pontificis, in teſtes appellavit, dicens; *Vobis teſtibus*.

Sequuntur ſuffragia Eminentiſſimorum Cardinalium, ac Reverendiſſimorum Epiſcoporum, qui Conſiſtorio minime interfuere.

Et primo de Beato Josepho a Cupertino.

HENRICUS Epiſcopus Tuſculanus S.R.E. Vicecancellarius Cardinalis Dux Eboracenſis.

Tanta B. Joseph a Cupertino caritate erga Deum flagravit, cum viveret, ut qui ejus vitam diligentius intuebatur, eum cœleſtem potius e Cœlo delapſum civem, terriſque commodatum, quam hominem in terris natum, educatumque arbitraretur. Et ſane, ſi, teſte Dionyſio, ecſtaſim facit divinus amor, magnum, atque incredibile in Joseph divini amoris incendium extitiſſe fateamur, neceſſe eſt. Tanta enim in eo fuit ecſtaſum, raptuum, ac volatuum frequentia, varietas tanta, quantam nullis fortaſſe retroactis temporibus in aliis quibuſcumque ſeu viris, ſeu mulieribus extitiſſe unquam aut legimus, aut audivimus. Quis autem ſtatim non intelligat, virum tanta erga Deum caritate ſuccenſum virtutibus etiam omnibus, ſuperniſque donis abunde fuiſſe cumulatum? Nihil ergo Josepho deeſt, Beatissime Pater, quominus illum inter Sanctos adnumeres, ut ejus patrocinio in frigeſcentibus fidelium cordibus divinæ caritatis ignis accendatur.

PETRUS PAULUS Tituli Sancti Stephani in Monte Cœlio Presbyter Cardinalis de Comitibus.

Ut inoffenſo pede, Beatissime Pater, viam Domini calcaret Beatus Josephus

1 *Epheſ.* 4. 12.

phus a Cupertino Franciſcanæ Conventualium Familiæ arripuit ſemitam, in qua adeo de virtute in virtutem mirificos quotidie extendit greſſus, ut brevi tamquam lucerna lucens, & ardens ſuæ Familiæ alumnis regularis obſervantiæ, omnibuſque chriſtianæ perfectionis ſeſe præbuerit exemplar. Supra cæteras vero virtutes mirabiliter in eo divinus illuxit amor, qui tantus fuit, tamque ardens, ut in mirabiles, ſtupendaſque ecſtaſes fere quotidie raperet Josephum, quum divinus amor ecſtaſim faciat, uti ex D. Dionyſio admonet Angelicus Doctor. Ut ergo, Beatissime Pater, fidelium corda divino inflammentur amore, ſit ipſis ſollemni Canonizatione Beatus Josephi a Cupertino divini amoris exemplar.

PHILIPPUS JOSIAS Caucci Patriarcha Conſtantinopolitanus Aſſiſtens.

Superior ætas hominem vidit rerum cæleſtium tanto ſtudio flagrantem, ut, ſi fas eſt ita loqui, medius quidam mortales inter, & Superos, dum adhuc in terris ageret, videretur. Corpus illi ob aſperrimum vitæ genus magno ad virtutem adjumento fuit: cæterum innato pondere impedimento non erat, quin ſublimis e terra frequentiſſime in ecſtaſim raperetur. Mirum ſane ſpectaculum, & incredulis, ut Romanæ Eccleſiæ veritatem agnoſcant, & Catholicis, ut avulſo a terrenis animo ad Cœlum aſſurgant. Quid exequar cætera Beati hujus Servi Dei dona, & chariſmata præclaris ejuſdem meritis, ac virtutibus conſentanea? Quocirca, Beatissime Pater, magnum Eccleſiæ Dei decus accedet, ſi tam eximiæ virtuti, tamque mirificis raptibus, aliiſque poſt obitum ſignis nobilitatæ, ſollemnis, & publicus, qui Sanctos decet, honor, & cultus irrefragabili Tuæ Sanctitatis oraculo decernatur.

FRANCISCUS MATTHÆJUS Patriarcha Alexandrinus Aſſiſtens.

Mirum evangelicæ perfectionis exemplum exhibet Beatus Joseph a Cupertino, cujus nomen inſigni commendationum præconio celebratur: is namque in ſortem Domini vocatus, & inter Conventuales S. Franciſci Aſſiſienſis Fratres cooptatus, adeo virtutes omnes excoluit, ut facile ei fuerit quem inceperat curſum ſelici exitu conſumare: ſed, ut prætercam cætera, quæ te non latent, Beatissime Pater, tanta in eo caritas effulſit, ut Sanctorum ſcientiam, & inſigne contemplationis donum aſſequuto, frequentiſſimæ ejus fuerint ecſtaſes, raptus, & volatus omnino mirabiles; & quamquam humillimus vir nil antiquius habuerit, quam eam tot chariſmatibus condecoratam abſcondere, id tamen efficere nunquam potuit, quia Deus, quam ſibi carus eſſet Josephus, ejuſmodi permultis, mirifque modis, tamquam de Cœlo ſignis oſtenſum voluit. Quum autem miraculorum teſtimonio diſcamus, eumdem in Cœlis ornatum fuiſſe corona juſtitiæ, in terris quoque Sanctorum canonizatorum gloria eſſe donandum, exiſtimo.

MICHAEL ANGELUS Giacomelli Archiepiſcopus Chalcedonenſis Aſſiſtens.

Beatissime Pater. In plurimis, quæ cum magna ſanctitatis laude afferuntur de Beato Josepho a Cupertino magnum ſolitudinis amorem animadverti, ut orationi, mortificationi, ſanctiſque affectibus totus vacaret. Tunc, ut B. Ambroſii utar verbis, ædificavit ipſe in corde ſuo, ſecitque domum, quo veniebat Jeſus, illumque docebat, & cum eo loquebatur: in hac ſolitudine ſollicitus cuſtodiendæ virginitatis, quam ſervavit immaculatam, & integram, corpus ſuum atrocibus afflictationibus atterebat, & in ſumma pauperie omnium ſuorum immemor commodorum, animum ſuum, & voluntates profunda humilitate, ſummaque ſui deſpicientia frangebat. Hinc perfecta, & omni victima præſtantior ejus obedientia, qua Deum eo ſibi propitium magis reddebat, quo magis ante ejus oculos repreſſa arbitrii ſui ſuperbia gladio præcepti ſe immolabat. In his virtutibus paupertatis, pœnitentiæ, & obedientiæ elucent indicia ſupernaturalium virtutum, quas

quas in eum divina indidit gratia. Denique admirandam ſanctitatem, Deus miraculis, & pene inaudita raptuum frequentia in BEATO VIRO comprobavit; ut omnia mihi in hac Cauſſa eſſe videantur, quamobrem illum SANCTITAS VESTRA in Sanctorum numerum referat.

FRANCISCUS SAVERIUS de Zelada Archiepiſcopus Petren. Aſſiſtens.

Divinus amor ecſtaſim facit, ut ex S. Dionyſio nos monet S. Thomas [1]. Quis hinc definiet, BEATISSIME PATER, quantus divinæ dilectionis ignis, ſeu, ut aptius dicam, quanta flammarum incendia exarſerint in BEATO JOSEPHO A CUPERTINO, cujus maxima fuit raptuum, ecſtaſum, volatuum tum frequentia, eum varietas? Quid igitur mirum, ſi tam dulci, tamque arctiſſimo caritatis vinculo Deo adhærens, & unus quaſi ſpiritus cum eo effectus [2], exultaverit ut gigas ad currendam viam Domini [3], & miraculorum dono quammaxime inſignis evaſerit? Digniſſimum eum itaque exiſtimo, BEATISSIME PATER, qui cæleſtium civium honoribus ab univerſo chriſtiano orbe celebretur.

BERNARDINUS Giraud Archiepiſcopus Damaſcenus Aſſiſtens.

BEATISSIME PATER. Quæ operatus eſt Deus mirabilia, cum in humanis eſſet BEATUS JOSEPH A CUPERTINO, dubitare non ſinunt, quia accepiiſſimæ ei fuerint eximiæ, quas Dei Servus coluit virtutes, cum vero illa indeſinenter perduraverint poſt ipſius obitum luculenter teſtantur quam pretioſa Dei oculis fuerit ejus mors, ac quantum gloriæ ſervo ſuo ſubinde fuerit elargitus. Poſt rigidum ergo rerum omnium examen in Sacra Rituum Congregatione peractum, poſtque expletam tum virtutum, cum miraculorum verificationem, nil reliquum eſt, niſi, ut SANCTITAS VESTRA ad majorem Dei gloriam, Catholicæque Eccleſiæ decus, ac incrementum Sanctorum faſtis ſolemniter eum adſcribere dignetur.

Fr. JOACHIM MARIA Pontalti Epiſcopus Aſcalonites Aſſiſtens.

BEATISSIME PATER. Admirabiles aſcenſiones, quas Deus in corde BEATI JOSEPHI A CUPERTINO diſpoſuit, invitant ſingulos Chriſtifideles ad eum peculiariter colendum, & venerandum, ſicut, dum viveret, allexerunt & Angelos ad eumdem inviſendum, ſuſtentandum, & recreandum: admirabiles propterea fuerunt etiam hujuſce BEATI JOSEPHI in Deum aſcenſiones; neſciens etenim ipſe, utrum in corpore, vel extra corpus viveret, & ſolum ſciens ipſius vitam abſconditam eſſe in Chriſto Jeſu, & lumine fidei, & ſanctæ ſpei deſideriis, & caritatis ignibus rapiebatur adeo, ut ſolo ſanctæ obedientiæ præcepto ad ſenſuum uſum, & ad externas corporis operationes, quarum unaquæque peculiare virtutis exemplum præſtitit, revocaretur. Enituit eapropter in ipſo adhuc vivente virtus Omnipotentis Dei, qui facit mirabilia magna ſolus, & in eodem, ipſo moriente, & mortuo, tot prodigia, & admirabilia talia operatus eſt, ut inter Beatos eumdem collocare hæc Sancta Sedes non dubitaverit. Compleat igitur SANCTITAS VESTRA gloriam aſcenſionum earumdem, ut quo ſublimius eſt elevatus in Cælum, eo devotius veneretur in terris ad majorem Dei gloriam, ad majus Eccleſiæ decus, & ad ſingulare Ordinis Franciſcanorum gaudium, & ſolatium.

ܝܘܣܦ ܕܡܢ ܩܘܦܪܛܝܢܐ ܕܒܝܬ

ܕܓܠܕܝܐ.

ܐܒܐ ܡܒܪܟ ܒܟܠ.

ܗܘ ܕܝܗܒ ܠܡܫܒܚܘܬܗ ܘܠܬܕܡܘܪܬܗ ܕܡܠܟܘܬܐ

ܕܫܡܝܐ ܠܡܠܐܟܐ ܡܢ ܡܫܡܫܢܘܬܗ ܕܡܪܝܡܘܬܐ

ܕܝܘܣܦ

1 2. 2. *quæſt.* 175. *art.* 2. *ad* 1. 2 *I. Corinth.* 6. 17. 3 *Pſalm.* 18. 6.

[illegible]

Ejuſdem verſio latina.

JOSEPH IV. Patriarcha Babylonenſis Chaldæorum.

BEATISSIME PATER. Qui humilia, & contemptibilia mundi elegit Deus, ut fortia quæque confundat, generis humilitatem, & debilitatem ingenii in JOSEPHO A CUPERTINO reſpexit, ut virtutibus cum eximiis, nunquam intermiſſa animi, & frequentiſſima corporis quoque per ecſtaſes, raptus, ac volatus cum Cœlitibus conjunctione, miraculis denique ſuper potentias omnes ſeculi hujus illuſtraret. Quare ad puſillorum quidem animos relevandos, ſuperbos confundendos, & proponendas Chriſtifidelibus virtutes ejus, quas imitentur, nullus dubito, quin a SANCTITATE VESTRA tutiſſime poſſit in Sanctorum numerum referri.

Ⲣⲁⲫⲁⲏⲗ Ⲧⲟⲩⲕⲓ Ⲉⲡⲓⲥⲕⲟⲡⲟⲥ
ⲛ̀ⲧⲉ Ⲁⲣⲥⲉⲛⲟⲏ ⳾
Ⲛⲁⲓⲁⲧ ⲉⲙⲁϣⲱ Ⲫⲓⲱⲧ ⳾

Ⲛⲁⲓⲁⲧ Ⲓⲱⲥⲏⲫ ϩⲁ Ⲕⲟⲩⲡⲉⲣⲑⲓⲛⲟⲥ ⲛ̀ ⲛⲏ ⲉⲧⲁϥⲧⲏⲓⲧⲟⲩ ⲓⲥϫⲉⲛ ⲧⲉϥⲙⲉⲧⲁⲗⲟⲩ ⲛ̀ϯⲙⲉⲧⲉⲑⲟⲩⲁⲃ ⲉⲑⲛⲏⲟⲩ: ⲛⲓ ⲧⲁϫⲣⲟ ⲛⲉ: ⲛ̀ϣⲱⲣⲡ ⲙⲉⲛ ϧⲉⲛ ⲧⲟⲩⲙⲏϯ ⲛ̀ ⲛⲓ ⲥ̀ⲛⲏⲟⲩ ⲉⲧⲟⲩⲙⲟⲩϯ ⲉⲣⲱⲟⲩ ⲛ̀ ⲛⲓ ⲣⲉⲙⲑⲱⲟⲩϯ ⲉ̀ⲃⲟⲗϧⲉⲛ ⲧ̀ϭⲓⲛⲓⲙⲓ ⲛ̀ⲧⲉ ⲛⲓⲗⲁⲓⲕⲟⲥ: ⲙⲉⲛⲉⲛⲥⲁ ⲛⲁⲓ ⲛ̀ϫⲉ ⲡⲓ ⲥ̀ⲟϭⲛⲓ ⲛ̀ⲛⲟⲩϯ ⲁϥⲥ̀ⲟⲃϯ ⲉ̀ ϯ ⲙⲉⲧⲟⲩⲏⲃ ⲉⲧⲁϥⲑⲁϩⲉⲙ ⲙ̀ⲙⲟϥ ⲉ̀ⲣⲟⲥ: ⲛⲓ ⲑⲟ ⲛ̀ⲣⲏϯ ⲛⲉⲙ ⲛⲓ ⲙⲏⲛϣ ⲛ̀ⲥ̀ⲙⲟⲧ ⲛ̀ⲧⲉ ⲛⲓϩⲃⲏⲟⲩⲓ ⲉⲑⲛⲁⲛⲉⲩ ⲁϥⲛⲁϣⲉⲛⲱⲟⲩ: ϧⲉⲛ ⲙⲓⲛ ⲙ̀ⲙⲟϥ ϩⲁⲣⲓϩⲁⲣⲟϥ ⳾ ⲛ̀ϯ ⲙⲉⲧϩⲏⲕⲓ ⲡⲉ ⲛ̀ⲟⲩⲱϣ ⲛ̀ϫⲉ ϯ ⲙⲉⲧϥⲁⲓⲣⲱⲟⲩϣ ⲛⲉⲙ ϯ ⲙⲉⲧⲟⲩⲱⲣϥ ⲙ̀ ⲙⲁⲩⲁⲧⲥ: ⲟⲩⲟϩ ϧⲉⲛ ⲥ̀ⲛⲟⲩ ⲛⲓⲃⲉⲛ ⲙ̀ ⲡⲉϥⲥ̀ⲱⲙⲁ ϣⲟⲡ ϧⲉⲛ ⲛⲓ ϩⲓⲥ̀ⲓ: ⲡⲓⲱⲟⲩ ⲛ̀ϩⲏⲧ ⲛ̀ⲁⲧϭⲣⲏⲟⲩⲧ: ϯ ⲙⲉⲧⲥ̀ⲱⲧⲉⲙ ⲛⲁϥ ⲉⲧϫⲏⲕ ⲉⲃⲟⲗ ⳾ ⲧⲉϥⲙⲉⲧⲥ̀ⲙⲏⲛ ⲛ̀ϣⲫⲏⲣⲓ ⲉⲙⲁϣⲱ: ⲧⲉϥⲙⲉⲧⲑⲉⲃⲓⲟ ⲉⲥ̀ⲧⲟⲩⲃⲟ ⲛⲉⲙ ϯ ⲛⲓϣϯ ⳾ Ⲧⲉϥⲙⲉⲧⲙⲁⲓ ⲙ̀ ⲡⲓϣⲁϩ ⲛ̀ⲭ̀ⲣⲱⲙ ⲉⲑⲙⲟϩ ⲉⲙⲁϣⲱ ϩⲁ ⲡⲛⲟⲩⲧⲉ: ⲛⲉⲙ ⲛⲓ ⲣⲱⲙⲓ ⲉⲧϫⲓⲛ ⲉⲣⲟⲩⲱⲓⲛⲓ. ⲙ̀ⲫⲣⲏϯ ⲟⲛ ⲡⲉϥϩⲃⲏⲟⲩⲓ ⲉⲑⲛⲁⲛⲉⲩ ϧⲉⲛ ⲥ̀ⲙⲟⲧ ⲛ̀ⲛⲓϣϯ ϧⲉⲛ ⲛⲓ ⲙⲏⲓⲛⲓ ⲛ̀ ⲛⲓ ⲙⲏⲛϣ ⲛ̀ϣⲫⲏⲣⲓ: ϧⲉⲛ ⲣⲏϯ ⲛ̀ϩⲉⲗⲧⲉⲙ: ⲛⲉⲙ ⲛⲓ ϩⲁⲗⲁⲓ: ϧⲉⲛⲙⲏⲛϣ ⲛ̀ⲥ̀ⲟⲡ ϩⲁ ⲡⲛⲟⲩⲧⲉ ⲥ̀ⲁⲧⲟⲩⲱⲟⲩ ⲁⲩⲧⲁϫⲣⲱⲟⲩ: ⲡⲁⲓⲣⲏϯ ⲉⲩⲧⲁⲓⲟ ⲛ̀ϯ ⲉⲕⲕⲗⲏⲥⲓ̀ⲁ ⲧⲏⲣⲥ̀: ⲛⲉⲙ ⲧⲉⲥ̀ⲙⲉⲧⲛⲟⲙϯ ϥⲉⲙⲡϣⲁ ⲡⲉ ϫⲉ ⲉ̀ⲉⲓϯϩⲁⲡ: ⲉⲑⲣⲓϭⲓⲛⲓⲙ ⲙ̀ⲙⲟϥ ϧⲉⲛ ⲛⲓ ⲉⲑⲟⲩⲁⲃ ϩⲓⲧⲉⲛ ⲧⲉⲧⲉⲛⲙⲉⲧⲉⲑⲟⲩⲁⲃ ⳾

Ejuſdem verſio latina.

RAPHAEL Tuki Epiſcopus Arſenoenos.

BEATISSIME PATER. Quæ B. JOSEPHUS A CUPERTINO ab ipſo ætatis exordio illuſtria dedit futuræ ſanctitatis argumenta, primum inter Fratres, quos Conventuales vocant, laicorum forti addictus, tum divino ita diſponente conſilio ad munus Sacerdotale evectus, multiplici virtutum genere

&c exer-

& exercitatione facile comprobavit. In eo ſiquidem voluntariæ paupertatis ſtudium, abſtinentia ſingularis, aſſidua ſui corporis afflictatio, invicta patientia, obedientia perfecta, caſtitas admirabilis, ſincera humilitas, ardentiſſima in Deum, & homines caritas illuxere: quemadmodum igitur hujuſmodi virtutes quamplurimis miraculorum ſignis, raptuum, ecſtaſum, & volatuum frequentia, & mira varietate a Deo Optimo Maximo fuerunt confirmatæ, ita ad univerſæ Eccleſiæ decus, & ſolatium dignum illum cenſeo, qui ſupremo Sanctitatis Vestræ judicio Sanctorum faſtis adſcribatur.

JOSEPH Aluſſi Epiſcopus Balneoregienſis.

Vere, Beatissime Pater, Dei benignitas, & miſericordia nullis temporum articulis coarctatur, nec decurſu ætatum minuitur, aut hominum indignitate fatigatur, magnumque Eccleſiæ tuæ decus, & nobis omnibus beneficium attulit, cum B. Josephum a Cupertino mundo dedit; cujus, ſi vitam omnem inſpiciamus, dicere libebit: quia vidimus mirabilia hodie: extremis nimirum mundi ſeneſcentis temporibus. Quid enim illa eſt, niſi ſupernorum chariſmatum perpetuus quidam, & nunquam interruptus tenor, quæ hominibus ſe conſpicienda dabant, in admirandis raptibus illis, & ecſtaſibus, quas licet eximiæ demiſſionis, & humilitatis vir celare curaret, & nominibus obtegere torporis, & ſocordiæ; nihilominus quales eſſent, ſe agnoſcendas palam præbebant, & præbuere ipſi ſummo Urbano VIII., quando unacum Ordinis Miniſtro Generali ipſum adivit. Publice etiam in Aſſiſiate Eccleſia, etſi a fœminarum colloquio abhorreret, juſſus ad nobilem matronam venire, Superiori ſuo parens vir obediens,loquutus eſt victorias: nam viſa Beatiſſimæ Virginis effigie, prorumpens in hæc verba: ah mater mea: ad eam ſpiritu, & corpore evolavit. Non defuere tamen ſingulares, & eximiæ virtutes, quibus ille ſe nobis imitandum daret; ſui deſpicientia, vera paupertas, corporis continua afflictatio, præſertim vero patientia, & obedientia; de hac dicere ſolebat, malle ſe mori, quam non obedire. Illam vere exercuit tot annos abſtractus a ſuis, & honeſto veluti carceri mancipatus. Cum autem miraculis etiam poſt mortem ejus ſanctitatem abunde teſtatam fecerit Deus, atque oſtenderit, mirabilem eum in gloria Sanctorum, jure, Beatissime Pater, Sanctorum ei honores decernentur.

JULIUS MATTHÆUS Natali Epiſcopus Tiburtinus.

Poſuit B. Josephus a Cupertino, novum Ordinis Minorum Conventualium Sancti Franciſci decus, Chriſtum Jeſum, & hunc crucifixum, ut ſignaculum ſuper cor ſuum, & ſuper brachium ſuum, ejuſdemque dilecti ſui pulcherrimam retulit imaginem. Oculi ejus columbarum, ſeu intellectus lumine fidei, & cœleſtis ſapientiæ abunde perfuſus, & arcana Dei myſteria excelſa contemplatione penetravit, & Chriſti Domini veſtigia adeo imitari jugi exercitatione contendit, ut divino inebriatus amore, ſenſibus erga creata omnia perſæpe ſopitis, veluti mortuus ſibi, ſi non re, certe animo, magis in dilecto uno, quam in ſe vivere viſus ſit. Haud illi defuere ad volandum in Deum, & Deiparam pennæ ſicut columbæ, quin alios non ſemel ſecum in aere elevavit. Præcellenti autem morum ſanctitati non impar fuit ſupernorum donorum affluentia, quibus Deus Servum ſuum cumulavit, nec miraculorum fulgor, quo præclara ejuſdem peregrinantis a Domino merita, & cum Domino regnantis gloriam patefecit. Non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita. Itaque nedum æquiſſimum, verum etiam rei catholicæ perutile crediderim, Beatissime Pater, Servum hunc Domini fidelem Sanctorum numero adjiciere, ut religioſis viris ſit ad perfectam ſui abnegationem exemplo, cunctis fidelibus ad pietatem incitamento, & contra furentes Eccleſiæ ſanctæ inimicos præſidio.

Et deinde de Beato Hieronymo Æmiliano.

HENRICUS Epiſcopus Tuſculanus S. R. E. Vicecancellarius Cardinalis Dux Eboracenſis.

QUemadmodum miſerius nullum reperitur hominum genus, quam pauperum orphanorum; ita miſericordior nemo eſt, quam qui in ærumnoſis ejuſmodi hominibus enutriendis, educandiſque curam, operam, ac ſubſtantiam ſuam impendit. In hoc miſericordiæ genere HIERONYMUS ÆMILIANUS ita omnes, qui eum præiverant, antecelluit, ut adjutor pauperum, & pater orphanorum vere diceretur, & eſſet. Non modo enim ad eos juvandos domeſticam ſuam omnem, ac ſatis amplam ſupellectilem divendidit, verum etiam orphanotrophia variis in urbibus, pagiſque conſtituit, ſuorumque laborum ſocios ſibi conſcivit, qui ejus veſtigia premerent, piumque inſtitutum profiterentur. Incredibile dictu eſt, quot incommoda, ac labores forti ſemper animo pertulit, tum ut orphanos aleret, & ad chriſtianam pietatem informaret, tum ut ſociis ſuis, e quibus Congregatio de Somaſcha coaluit, norma præſcriberet, ad quam ipſi, & mores ſuos, & vitam, actioneſque exigerent orphanorum. Tot, tantoſque labores, quos HIERONYMUS cum eximia ſanctitate conjunxit, ſibi pergratos, ac perjucundos fuiſſe perſpicue Deus oſtendit, collatis eidem uberrimis cæleſtium chariſmatum donis, ac ſingulari præſertim patrandi miracula poteſtate. Hanc autem inter miſericordiæ opera vitam tam ſancte traductam, nonniſi pretioſus & manebat, & conſecutus eſt obitus. HIERONYMUS enim, dum Somaſchæ incolis peſtifera lue laborantibus paterna caritate ſedulus inſerviret, vitaque functos humeris ipſe ſuis ſepulturæ inferret, intrepidus, eadem correptus lue placidiſſime obiit, & caritatis martyrio decoratus ad cæleſtem patriam evolavit. Quæ cum ita ſint, quid reſtat, BEATISSIME PATER, niſi ut vir iſte omni laude, atque imitatione digniſſimus, quem Deus jam gloria, & honore coronavit in Cælis, ſupremis quoque honoribus auctoritate tua decoretur in terris?

PETRUS PAULUS Tituli Sancti Stephani in Monte Cælio Presbyter Cardinalis de Comitibus.

SAncta Apoſtolica Sedes illis Canonizationis honorem, BEATISSIME PATER, indulgere ſemper conſuevit, quorum admiranda vitæ ſanctitas fuit populorum utilitati conjuncta. Hos inter illi recenſentur præſertim, qui virtute inſignes, atque prodigiis illuſtres Sacrorum Ordinum Fundatores fuere. Horum unus eſt B. HIERONYMUS ÆMILIANUS, qui relicta militia, ſpretiſque hujus ſeculi pompis, ut novum hominem indueret, nedum aſperrimum corpori ſuo bellum indixit flagellis, fame, ſiti, breviſſimoque ſomno; verum & nullis pepercit laboribus, nullis impenſis, ut orphanos pauperes a miſeriis levaret, utque pie, ſancteque eos inſtrueret. Per vias, atque plateas orphanos pueros conquirebat, colligebatque in eam domum, quam poſt in orphanotrophium erigebat. Ne vero caritas hæc erga miſerrimos orphanos uſquam excideret, reputans tamquam ſibi dicta illa Davidis verba: *Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adjutor*, Clericorum Regularium Congregationem, quam a loco, ubi cœperat, Somaſcham vocant, Epiſcopis plaudentibus, inſtituit. Itaque tam eximium virum, qui vitæ ſanctitatem cum populorum utilitate conjunxit, in Sanctorum numerum cooptandum eſſe, indubitanter cenſeo.

PHILIPPUS JOSIAS Caucci Patriarcha Conſtantinopolitanus Aſſiſtens.

SI in ullo unquam homine propheticum illud impletum eſt: *Leo, quaſi bos, comedet paleas* [1]; in BEATO HIERONYMO ÆMILIANO luculenter ſane perſpectum eſt. Quid enim caritas, quid humilitas chriſtiana poſſit, exemplo ille ſuo pulcherrime demonſtravit. Non generis claritas, non militaris exercitatio, non ingentes hinc hauſti ſpiritus prohibuerunt, ne generoſam veluti

1 *Iſaj.* 11.

luti leonis indolem exuens, manſuetam bovis indueret, atque humillimis ſeſe addiceret miniſteriis; quod quidem mundo perinde eſt, ac paleas comedere. Pauperculos e plebe, atque orbatos parentibus pueros conquirere, nutrire, educare, obſequentes Deo, Reipublicæ utiles reddere, hoc illi glorioſum opus, hic dulcis labor. Id autem & per ſe præſtitit, quamdiu vixit, & præſtat adhuc per eos, qui Ordinis ab ipſo inſtituti piis ſe legibus mancipavere. Tam excellentem igitur caritatem, atque humilitatem, cæteraſque illius virtutes claris poſt mortem miraculis illuſtratas conſideranti, omnino mihi videtur, Beatissime Pater, inſignis hic Servus Dei dignus eſſe, qui firma, & rata Sanctitatis Tuæ definitione in Sanctorum numerum referatur.

FRANCISCUS Matthæjus Patriarcha Alexandrinus Aſſiſtens.

AD bonum certamen certandum, divino favente Numine, B. Hieronymus Æmilianus vocatus, & e milite factus captivus Chriſti, eximium Eccleſiæ præbuit ſupernæ gratiæ triumphum; gratia namque in eo inſigni prodigio e vinculis erepto vacua non fuit, ſed peperit caritatem, qua incenſus Hieronymus non ſolum anteactæ vitæ pœnituit, perpetuoque ſibi bello indicto, corpus ſuum in ſervitutem redegit; verum etiam ut orphanos, quorum patrem agere ſibi propoſuerat, alioſque aleret pauperes, omnia bona ſua divendidit, & ſtipem dietim quærere in deliciis habuit, unde Crucem in paupertate amplexus, ſummi prototypi in ſe retulit imaginem. Univerſæ ideirco Eccleſiæ bono, Pater Beatissime, futurum puto, ſi Beatus Chriſti Famulus, cujus ſanctitatem crebris miraculis confirmavit Deus, Canonizationis honore donatus, peccatoribus æque, ac juſtis imitandus proponatur; illis ſcilicet, ut agnita ſeculi vanitate reſipiſcant, & viam Domini ingrediantur, his vero, ut ferventius Deo famulentur, arreptumque curſum alacrius proſequantur.

MICHAEL ANGELUS Giacomelli Archiepiſcopus Chalcedonenſis Aſſiſtens.

BEatissime Pater. Sanctitatis ædificium in B. Hieronymo Æmiliano inchoaſſe videtur B. Virgo Deipara, quæ miro modo e carcere, & hoſtium manibus illum eripuit. Quo periculo B. Vir liberatus, futuræ ſanctitatis fundamentum firmiſſimum poſuit humilitatem, cum rejectis honoribus, quos illi patria decreverat, mundo valere juſſo, omnem animum adjecit ad ſtudia pietatis. Ita ſancti viri, ut ait S. Gregorius Nyſſenus, unicam generis claritatem, dignitatemque ſtatuunt eſſe propinquitatem cum Deo. In pueris orphanis, & omni humana ope deſtitutis colligendis, alendis, & in via Domini deducendis, omnem prope vitam ſuam exegit. Illis amorem, qui proximo debetur, præſtabat plane ad eam normam, quam præſcribit D. Auguſtinus: *Qui ergo diligit proximum*, ait S. Doctor, *agit quantum poteſt, ut ſalvus corpore, ſalvuſque animo ſit; ſed cura corporis ad ſanitatem animi referenda eſt*: poſtremo peſte laborantibus inſerviendo Beatus Vir eodem morbo abſumptus heroicam, qua flagrabat ejus animus, caritatem exhibuit. Tantam virtutem Deus miraculis comprobavit, & ſignis, ut illum exiſtimem a Sanctitate Veſtra in Sanctorum numerum poſſe referri.

FRANCISCUS SAVERIUS de Zelada Archiepiſcopus Petren. Aſſiſtens.

QUamvis plurima ſeſe nobis offerant chriſtianarum virtutum exempla, quæ eximiam Beati Hieronymi Æmiliani ſanctitatem maxime commendant, eumque dignum efficiunt, qui Sanctorum faſtis adſcribatur: ſingulare tamen illud ſtudium, ac ſollicitudo, qua Vir Dei nullis parcens laboribus, curis, ac vigiliis, intentus continuo fuit in orphanorum corpora, animoſque curandos, alendos, ſuſtentandos, id potiſſimum expoſtulare mihi videtur. In hoc enim uno opere procurando mirum eſt, quot, quantiſque modis ſuam ille erga Deum expreſſerit caritatem, & illum vi-

ciſſim Deus plurimum apud ſe gratia valere demonſtraverit. Tantum itaque, ac talem virum, BEATISSIME PATER, quem ſuum orphani patrem, ac patronum beneficentiſſimum merito dicunt, Sanctorum numero adſcribi, æquiſſimum arbitror.

BERNARDINUS Giraud Archiepiſcopus Damaſcenus Aſſiſtens.

BEATISSIME PATER. Difficile eſt majori erga proximum caritate accendi, quam quod flagraverit BEATUS HIERONYMUS ÆMILIANUS. Huic ceteræ reſponderunt virtutes, quibus addidit ſingularem erga Omnipotentis Dei Matrem venerationem, non æquivocum ſane de ipſius prædeſtinatione monumentum. Prodigiis autem claruit, dum vixit, & poſtquam mortuus eſt. Juſtum igitur cenſeo, ut in Sanctorum album a SANCTITATE VESTRA referatur, vivatque ejus nomen de generatione in generationem, caritatem ejus ſectentur populi, ipſiuſque laudes nunciet Eccleſia.

Fr. JOACHIM MARIA Pontalti Epiſcopus Aſcalonites Aſſiſtens.

BEATISSIME PATER. In BEATO HIERONYMO ÆMILIANO, qui fuit nedum Venetiarum, ſed & catholici orbis præclariſſimus ſplendor, expreſſa mihi apparet fidelis, atque prudentis Servi Dei imago; exhibet enim virum, non ſibi natum, ſed utilitati aliorum in moribus reformandis, in pueris educandis, in perverſis hominibus ad bonam frugem reducendis: hic nihil ſibi in terris reſervavit, niſi fidem non fictam, conſcientiam bonam, & caritatem perfectam: hic nihil mundi in mundo habuit, quia Cælo ſemper intentus, ab oratione ſpiritum non retrahebat: hic nihil putavit arduum, quia ſemper fuit humillimus, nihil aſperum, quia crucifixus cum Chriſto, nihil optabat magis, quam diſſolvi, & eſſe cum Chriſto: cum Chriſto regnat in æternum, ut Beatificationis acta, patrata miracula, & populi Chriſtifidelis comprobat ſatis abunde devotio. Hoc unum reſtat, quod SANCTITAS VESTRA hunc eumdem B. HIERONYMUM, cujus gloriæ complementum in militante Eccleſia SANCTITATI VESTRÆ divinitus reſervatum eſt, in Sanctorum albo deſcribat ad majorem Dei gloriam, & Catholicæ Eccleſiæ ornamentum: hoc idem efflagitantibus una mecum & inclyta Venetorum Republica, & præclara Patrum Somaſchorum Familia.

ܢܘܡܘܣ ܕܡܪܢ ܦܛܪܝܪܟܐ ܕܐܢܛܝܘܟ

ܕܣܘܪܝܝܐ .

ܐܒܐ ܩܕܝܫܐ ܛܒܐ .

ܛܘܒܢܐ ܗܝܪܘܢܝܡܘܣ ܐܡܝܠܝܢܘܣ

ܠܦܘܠܚܢܗ ܕܡܪܢ ܡܫܝܚܐ ܝܗܒ ܢܦܫܗ .
ܘܠܐ ܐܦ ܒܢܟܣܘܗܝ ܚܣ ܠܝܬܡܐ . ܟܠܗ
ܓܝܪ ܐܝܬܘܗܝ ܗܘ ܘܐܦ ܚܝܘܗܝ ܠܡܣܟܢܘܬܐ
ܕܝܬܡܐ ܘܡܛܠܬܗ ܠܘܠܕܐ ܕܡܪܝܡ .
ܗܘܐ ܓܝܪ ܡܢ ܛܠܝܘܬܗ ܥܒܕ ܡܢ ܟܠܗܘܢ
ܡܝܬܪܘܬܐ ܕܡܫܝܚܝܘܬܐ ܚܝܘ . ܗܘܐ ܓܝܪ ܠܐܒܐ
ܕܝܬܡܐ ܘܠܐܠܡܢ ܕܡܣܟܢܐ ܡܦܪܢܣ
ܕܒܝܬܗ ܡܫܝܚܝܘܬܐ ܗܘ . ܠܗ ܓܝܪ ܫܦܝܪܐ
ܕܢܗܘܐ ܠܘܠܕܐ . ܡܛܠ ܟܢ ܫܘܒܚܗ
ܘܩܕܝܫܘܬܗ ܠܡܟܪܙ ܐܠܗܐ ܘܡܢ ܒܢ̈ܝ ܥܕܬܐ
ܗܘܬ . ܒܐܒܘܗܐ ܡܢ ܕܝܠ ܘܥܠܡܐ ܟܠܗ
ܐܬܚܙܝ ܗܘܐ ܕܢܬܦܪܫ ܡܢ ܗܢܐ ܥܠܡܐ ܘܢܗܘܐ
ܐܦ ܠܡܠܟܘܬܐ ܕܫܡܝܐ ܠܐܒܗ̈ܬܐ ܕܥܕܬܐ
ܕܩܕܝܫܐ ܕܫܡܝܐ ܥܠ ܝܕ ܬܫܒܘܚܬܗ ܕܠܗ
ܐܢܐ ܦܝܣܐ ܡܠܟܐ ܩܕܝܫܘܬܟ ܘܡܫܡܫܢܘܬܐ
ܘܬܫܒܘܚܬܐ ܕܟܠܗ̈ .

Ejuſ-

Ejuſdem verſio latina.

JOSEPH IV. Patriarcha Babylonenſis Chaldæorum.

BEATISSIME PATER. HIERONYMUS ÆMILIANUS Chriſti mandatum facturus, *vade, vende quæ habes, & da pauperibus*, quæ poſſidebat, vendidit omnia, & ignotæ caritatis, qua æſtuabat, ductus ſtimulis prætium in pauperum, ac præſertim orphanorum alimoniam, & inſtitutionem erogavit. Hæc quidem virtus præ aliis, quæ in eo plurimum emicuere, barbaris quoque gentibus, qui ambulant in invio, maximæ eſt admirationi, nobis autem debet eſſe incitamento. Quare cum ejus vita, & mors in conſpectu Domini, & hominum pretioſa fuerit, ſignis quoque & miraculis id comprobantibus, æquum cenſeo, ut per SANCTITATEM VESTRAM Chriſtifidelibus proponatur colendus, ut in ejus virtutes intuentes habeant ſimul quod venerentur, & imitentur ad venerationem reverenter demiſſi, ſtrenue ad imitationem erecti.

Ⲣⲁⲫⲁⲏⲗ Ⲧⲟⲩⲕⲓ Ⲉⲡⲓⲥⲕⲟⲡⲟⲥ̀

ⲛ̀ⲧⲉ Ⲁⲣⲥⲉⲛⲟⲏ.

Ⲉ̀ⲡⲙⲉⲧⲁⲑⲙⲓⲛ ⲛ̀ϩⲣⲏⲓ ϧⲉⲛ ⲡ̀ϫⲓⲛ ⲛ̀ⲣⲉϥϣⲟⲡϥ ⲉⲣⲟⲥ̀ ⲛ̀ⲭⲱⲗⲉⲙ ⲛⲉⲙ ⲟⲩ ⲓⲏⲥ Ⲉⲙⲁϣⲱ ⲛ̀ⲧⲉ ϯⲣⲉϥϫⲫⲉ ⲙ̀ⲛⲟⲩⲧⲉ Ⲙⲁⲣⲓϩⲁⲙ: ⲛ̀ϫⲉ ⲡⲁⲓⲁⲧϥ Ϩⲓⲉⲣⲟⲛⲩⲙⲟⲥ Ⲉⲙⲓⲗⲓⲁⲛⲟⲥ ϩⲁⲛ ⲡⲁⲩⲃⲱⲗⲉ̀ⲃⲟⲗ ⲛ̀ ⲛⲓ ⲥ̀ⲛⲁⲩϩ ⲛ̀ⲧⲉ ⲛⲓ ϣⲧⲉⲕⲟ: Ϧⲉⲛ ⲑ̀ⲙⲏϯ ⲛ̀ⲧⲉ ⲛⲁⲩⲧⲁ̀ⲣⲉϩ ⲛ̀ⲣⲉϥⲧⲁⲗϭⲟ ⲛⲉⲙ ⲧⲟⲩϫⲟϥ ⲁⲩϫⲉⲙϫⲟϥ. Ⲟⲩⲟϩ ϩⲙⲟϥ ⲛ̀ϫⲉ ⲟⲩ ⲫⲓⲗⲟⲛⲓⲕⲓⲁ̀ ⲙ̀ⲡ̀ϩⲏⲧ: ⲓⲉ ⲟⲩ ϥⲓⲣⲱⲟⲩϣ ⲛ̀ⲛⲓϣϯ ⲁϥⲁⲓϥ ⲉⲑⲣⲉϥ ⲉ̀ⲙⲫⲟⲟⲩ ⲁⲓⲁⲓ; ⲓⲉ ⲛ̀ⲧⲉ ⲣⲉϥϣⲱⲡⲓ ⲉⲑⲛⲁⲛⲉϥ: ⲛⲉⲙ ⲉⲩϫⲉⲕⲉ̀ⲃⲟⲗ ⲉⲙⲁϣⲱ: ⲉⲑⲃⲉ ⲟⲛ ⲡ̀ϫⲓⲛ ⲙⲉⲛⲣⲉ ⲛ̀ ⲛⲓϣϯ ⲉⲙⲁϣⲱ ⲉϥⲡⲁϣⲱⲡⲓ Ϩⲁ ⲡ̀ⲛⲟⲩⲧⲉ. Ⲩⲉⲛⲉⲛⲥⲁ ⲛ̀ⲛⲓϫⲱⲙ ⲟⲩⲟⲛⲡⲓⲃⲉⲛ ⲉⲑⲛⲁⲛⲉⲩ ⲉⲧⲁϥϣⲁⲓⲧⲟⲩ ⲛ̀ⲥⲛⲟⲩ ⲛⲓⲃⲉⲛ ⲉⲧⲟⲩϣⲟ̀ⲡϥ ⲉ̀ⲣⲟϥ: ϧⲉⲛ ⲙⲉⲧⲣⲉϥϣⲉⲙϣⲓⲧ ⲛ̀ ⲑ̀ⲙⲏⲓ: ⲟⲩⲟϩ ⲙ̀ ⲫⲓⲱⲧ ⲛ̀ ⲡⲓϫⲱⲃ: ⲛⲉⲙ ⲛⲓ ⲕⲟⲩϫⲓ: ⲛⲉⲙ ⲛⲓ ⲟⲣⲫⲁⲛⲟⲥ: Ϧⲉⲛ ⲡ̀ϩⲟⲩⲟ̀ ⲛ̀ ⲣⲉϥϫⲓⲙⲓ ⲛ̀ ⲟⲩⲙⲁⲛ ⲉ̀ⲙⲧⲟⲛ ⲙ̀ⲙⲱⲟⲩ ⲛⲟⲩⲡϫⲓⲛϥⲓ ⲣⲱⲟⲩϣ: ⲛ̀ⲑⲟϥ ϧⲉⲛ ⲙ̀ⲙⲓⲛⲙ̀ⲙⲟϥ ⲉⲡⲧⲏⲣϥ ⲁϥϩⲑⲏϥ ϧⲉⲛ ⲡⲓ ⲙⲏϣ ⲙ̀ ⲃⲁⲕⲓ ⲛ̀ ⲣⲉⲙ ⲛ̀ ⲣⲁⲛ ⲛ̀ ⲛⲓϣϯ ϩⲱⲛⲟⲩ ⲛ̀ⲧⲉ ϯ ϩⲓⲧⲁⲗⲓⲁ ϧⲉⲛ ⲡⲓ ⲙⲏϣ ⲛ̀ⲣⲟⲙⲡⲓ ⲉϥⲙⲟϣⲓ ⲁⲩⲛⲁⲩ ⲉⲣⲟϥⲡⲉ: ⲉⲑⲣⲉϥϫⲟⲩϣⲧ: ⲛⲉⲙ ϥϫⲉⲙⲙⲓⲛϣⲓⲛⲓ ⲛ̀ ϥⲛⲁⲥⲟⲩⲧⲉⲛ ⲉ̀ⲙⲙⲉⲛⲣⲉ: ⲛⲉⲙϯ ⲙⲉⲧⲛⲁⲏⲧ: ϩⲉⲛ ϩⲣⲏⲟⲩⲓ ⲉⲑⲃⲉϯ ⲙⲉⲧϯϩⲏⲟⲩ ⲛ̀ ⲡⲓ ϫⲱⲃ: ⲛⲉⲙ ⲛⲓ ϩⲏⲕⲓ: ⲟⲩⲟϩ ⲁϥⲧⲁϫⲣⲏⲟⲩⲧ ⲛ̀ϫⲉ Ⲫϯ ϧⲉⲛ ⲛⲓϣⲫⲏⲣⲓ ⲛ̀ ⲛⲓϣϯ ⲛ̀ϯ ⲙⲉⲧⲉⲑⲟⲩⲁⲃ ⲙ̀ ⲡⲉϥⲃⲱⲕ ⲛ̀ ⲥⲁⲓϣⲱⲓ: ⲟⲩⲟϩ ⲡⲁⲓⲁⲧⲟⲩ ⲛ̀ ⲛⲓ ϩⲓⲥⲓ: ⲛⲉⲙ ⲛⲓ ⲉⲩⲥⲣⲱϥⲧ ⲛ̀ ⲛⲓ ϩⲩⲡⲁⲣⲭⲟⲛⲧⲁ ⲛ̀ⲧⲉ ⲡⲉϥⲏⲓ: ⲉⲓϯϩⲁⲡ ⲟⲛ ⲉⲑⲛⲏⲟⲩ ⲉⲓⲉ̀ϣⲱⲡⲓ ⲛ̀ ϩⲏⲟⲩ ⲛ̀ ⲛⲓϣϯ ⲉϯ ⲉⲕⲕⲗⲏⲥⲓⲁ̀ ⲛ̀ ⲕⲁⲑⲟⲗⲓⲕⲏ; ⲛ̀ⲧⲉ ⲧⲉⲛⲡⲁⲓⲁⲧⲥ· Ϫⲁϥ ⲛ̀ ϩⲓⲉⲣⲟⲛⲩⲙⲟⲥ· ϧⲉⲛ ϣⲉⲙϣⲓ ⲛ̀ ϭⲓⲛⲓ ⲛ̀ⲧⲉ ⲛⲓ ⲉⲑⲟⲩⲁⲃ.

Ejuſdem verſio latina.

RAPHAEL Tuki Epiſcopus Arſenoenor.

UBi primum præſentiſſimo Dei Genitricis Mariæ patrocinio B. HIERONYMUS ÆMILIANUS, ſolutis carceris vinculis, per medios hoſtes incolumis evaſit; jam tum maxima animi contentione niſus fuit, ut in dies melior, ac perfectior fieret. Pro maxima igitur caritate, qua in Deum ferebatur, poſtquam virtutum omnium exercitationem amplexus fuit, miſericordia vere paterna egenorum pupillorum, & orphanorum maxime commodis procurandis ſe totum addixit. Pervarias, & celeberrimas quoque Italiæ urbes per plures annos verſari viſus eſt,

eſt, ut conſuetæ caritatis, & miſericordiæ pabulo pauperum orphanorum utilitati proſpiceret. Et quoniam Servi ſui ſanctitatem eximiam, & felices labores domi, foriſque exhauſtos pluribus Deus miraculis probavit, magno Catholicæ Eccleſiæ emolumento futurum cenſeo, ut Sanctorum numero merito a SANCTITATE VESTRA B. HIERONYMUS adſcribatur.

JOSEPH Aluſſi Epiſcopus Balneoregien.

QUis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus [1]? Beati ſunt quidem, ut apud eumdem Pſalmographum ſequitur, BEATISSIME PATER, ii, *qui cuſtodiunt judicium, & faciunt juſtitiam in omni tempore*. Sed Beati quoque exiſtimandi ſunt, qui miſerationes Dei magnas, & ſingulares experiuntur quando ad juſtitiæ, & ſalutis tramitem, ab injuſtitia, in qua detenti aliquando fuere, revocantur. Expertus vero miſerationes illas eſt B. HIERONYMUS ÆMILIANUS, & Beatiſſimæ Virginis præſens auxilium ſenſit, cum duriſſimo carceri ereptus, a ſeculari militia, ad certandum bonum certamen traductus eſt, curandamque animæ ſuæ perfectionem, & proximorum æternam ſalutem. Alter hic Tobias legi Dei, & evangelicis conſiliis captivatus, totum ſe miſericordiæ operibus impendit, & ſuperimpendit. Quare quemadmodum ille, hic quoque humandis mortuorum corporibus, & vivorum ſubveniendæ egeſtati aſſidue incubuit, ſed præterea miſerorum, atque inopum puerorum curam ſuſcipiens, parentis loco eſſe illis omnibus cœpit, & hoſpitia, domoſque receptandis aperuit, ac perpetua fecit, familia excitata alumnorum ſuorum, ad quorum caritatem confugere eis ſemper liceret. Taceo pro ægrotis noſocomia ab HIERONYMO fundata, pro pœnitentibus mulieribus receptacula patefacta; denique pro ruricolis erudiendis navatam operam. Cum tot, ac tanta ageret, multumque in his agendis laboraret, duriſſime corpus habebat ſuum, ſibi ſoli aſper & inimicus. Miracula ab eo adhuc vivo peracta multa ſunt, præſertim illud perennis aquæ fontis, qui nunc etiam perſeverat: multa vero mortem HIERONYMI miracula pariter ſubſecuta. Quamobrem, BEATISSIME PATER, ad pœnitentium ſolamen, & incitamentum, ad cæterorum, ad novi Ordinis ab eo inſtituti decorem, ad BEATI VIRI gloriam exiſtimo, B. HIERONYMUM ÆMILIANUM Sanctorum honoribus exornandum.

JULIUS MATTHÆUS Natali Epiſcopus Tiburtinus.

MIra plane BEATI HIERONYMI ÆMILIANI ad Deum converſio, ſed æque mira in Deum, & in proximos caritas cum eximia humilitate, cæteriſque heroicis virtutibus conjuncta. Ad publicum rei chriſtianæ bonum a Deo electus ex omni carne, non propriæ tantum perfectioni incredibili conſtantia, atque animi alacritate operam dedit, ſed rerum omnium humanarum contemptor magnanimus, amantiſſimi orphanorum patris nomen, de quo Deus ipſe gloriatur, ſibi merito vindicavit: illud procul dubio cogitans: *Eſtote miſericordes, ſicut Pater veſter Cæleſtis miſericors eſt*: unde ſimilem eum dicerem illis viris miſericordiæ, quorum pietates non defuerunt: etenim per HIERONYMUM noſtrum multam gloriam, ſeu multa glorioſa fecit Dominus, ac per Ordinem a ſe inſtitutum facere adhuc non dedignatur. Cum itaque virtutum HIERONYMI fulgori, divinum, tum veterum, cum recentiorum miraculorum accefferit teſtimonium, cumque ſapientiam ipſius narrent populi, & laudem nunciet Eccleſia, nihil eſt, ut cenſeo, quod SANCTITATEM VESTRAM morari poſſit HIERONYMUM in Sanctorum numerum referre.

HAC eadem die Marcus Antonius Columna SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PAPÆ in Urbe Vicarius, edicto publice in foris, & Baſilicis propoſito, declaravit, BEATISSIMUM PATREM ſuorum Prædeceſſorum veſtigiis inhærentem, benigne ex Eccleſiæ theſauro plenarias Indulgentias illis elargiri, qui Kalendis, & v., ac IV. Nonas Quintilis

1 Pſalm. 105.

tilis jejunium devote celebrantes, adoratum poſtmodum accederent Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, quod certis, ſtatutiſque diebus in Lateranenſi, Vatleana, ac Liberiana Baſilica fidelium venerationi magno cereorum apparatu erat proponendum.

MARCO ANTONIO del Titolo di S. Maria della Pace della S. R. C. Prete Card. Colonna della Santita' di Nostro Signore *Vicario Generale &c.*

„ La Santita' di Nostro Signore „ Papa Clemente XIII. felicemente „ regnante, regolando il ſuo zelo co i lumi- „ noſi eſempj de' Sommi Pontefici ſuoi Pre- „ deceſſori, allorchè ſonoſi accinti a fare „ il grande, e ſolenne atto della Canoni- „ zazione, concede Indulgenza plenaria, „ e remiſſione di tutti i peccati a i Fedeli „ tutti dell'uno, e l'altro ſeſſo, i quali di- „ giuneranno ne i tre giorni, cioè Mer- „ coledì 1., Venerdì 3., e Sabbato 4. dell' „ entrante meſe di Luglio, e che confeſſa- „ ti, e comunicati viſiteranno, almeno „ una volta, una delle infraſcritte Baſili- „ che, mentre in eſſa, ſecondo il metodo „ qui ſotto indicato, ſarà alla publica „ adorazione eſpoſto il Santiſſimo Sagra- „ mento, ed ivi divotamente pregheran- „ no Sua Divina Maeſtà, acciochè ſi de- „ gni riempire di ſuperna grazia Sua Bea- „ titudine, e col celeſte ſuo lume aſſiſter- „ la nella grave deliberazione della proſ- „ ſima Canonizazione delli BB. Giovanni „ Canzio, Giuseppe Calasanzio, Giusep- „ pe da Copertino, Girolamo Emiliani, „ Serafino d'Ascoli, e Giovanna Fran- „ cesca Fremiot di Chantal.

„ Affinchè poi tutti poſſino conſeguire il „ celeſte teſoro, concede la Santita' Sua, „ che a i Regolari dell'uno, e dell'altro „ ſeſſo, anche a quelli, che convivono in „ clauſura, & ad ogni altra perſona tanto „ laica, quanto Eccleſiaſtica, compreſi „ anche i racchiuſi in carcere, o da qual- „ che infermità corporale impediti, per cui „ non potranno o digiunare, o viſitare „ le Baſiliche Patriarcali per venerarvi il „ Santiſſimo Sagramento ivi eſpoſto, poſ- „ ſa il Confeſſore commutare le ſudette „ opere ingiunte in altre di criſtiana pie- „ tà, e preſcrivere ciò, che da i medeſimi „ penitenti a motivo de i loro reſpettivi im- „ pedimenti potrà più facilmente eſeguirſi.

„ Si eſortano pertanto tutti i fedeli di- „ voti a non traſcurare l'acquiſto di queſto „ ſpirituale teſoro, ed a fare in detti gior- „ ni altre opere di religione, non ſolo per „ viepiù meritarci dal Signore il conſe- „ guimento delle grazie, di cui abbiſognia- „ mo, ma ancora per uniformarci alle par- „ ticolari premure di Sua Beatitudine.

Il Santiſſimo Sagramento ſarà eſpoſto.

„ Nella Baſilica di S. Giovanni in Late- „ rano la mattina del Mercoledì 1. del ven- „ turo meſe di Luglio, fino al mezzo gior- „ no del Venerdì 3. del detto meſe.

„ Nella Baſilica di S. Pietro in Vatica- „ no dalla mattina del Venerdì 3. detto, „ fino al mezzo giorno della Domenica 5. „ dello ſteſſo meſe.

„ Nella Baſilica di S. Maria Maggiore „ dalla mattina della Domenica 5. detto, fi- „ no al mezzo giorno del Martedì ſeguente.

„ Dato dalla noſtra ſolita Reſidenza que- „ ſto dì 15. Giugno 1767.

M. A. Card. Vicario.

Gaſparo Arciprete Ori Segretario.

Quia autem dies illi, quibus jejuniis erat vacandum, in Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli octavam incidebant, hinc Eminentiſſimi Patres, ut etiam dum iſta jejunia agerent, rubris veſtibus uterentur, per ſequentem ſchedulam fuere præmoniti.

„ Nelli tre preſcritti giorni di digiuno, „ cioè Mercoledì 1., Venerdì 3., e „ Sabbato 4. del venturo meſe di Luglio, per „ eſſere tutti e tre li detti giorni entro „ l'Ottava de' Santi Apoſtoli Pietro, e Pao- „ lo, che è una delle Ottave privilegiate, „ veſtirà l' Eminenza Voſtra gli abiti Car- „ dinalizj di colore roſſo, tanto in caſa, „ quanto fuori di eſſa.

Quam-

Quamvis ſemper quammaxime BEATISSIMO DOMINO NOSTRO cordi ſit, ac fuerit, ut tum nobiles ejus aulici, tum inferioris ordinis famuli per rectam mandatorum Dei ſemitam ſemper incedant, tamen exoptans ardentius, ut proximum Apoſtolorum feſtum ea, quæ decet, religione, animique pietate agerent, ſicque rite, recteque ſeſe diſponerent ad propoſitas elucrandas Indulgentias, prudenti deliberatione effecit, ut tribus diebus, quæ ejuſdem Sollemnitatis pervigilium præcedunt, Dominus Adeodatus Barcali unus ex Cappellanis intimis cathecheſes pias, ferventeſque eiſdem familiaribus haberet: id cum eſſet peractum, mane dici ſolis ipſo Apoſtolorum Principum pervigilio, in intimo ſacello PONTIFEX Sacrum devote celebravit, ac ſuos nobiles aulicos Divina Euchariſtia refecit; quam inferioris ordinis famulis in altero ſacello idem Adeodatus Barcali præbuit.

His peractis, BEATISSIMUS PATER Vaticanum petiit, ut in aula Conſiſtoriali publicum cenſum, ſeu vectigal a Comeſtabili Laurentio Columna nomine Ferdinandi IV. utriuſque Siciliæ Regis exciperet; ac mane feſtivitatis Apoſtolorum ſupra corpus Beati Petri Miſſarum ſollemnia celebraret.

Kalendis Julii in Lateranenſi Baſilica ad præſcriptum PONTIFICIS Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacrameotum fidelium venerationi fuit propoſitum; quamobrem cum Eminentiſſimi Patres per ſequentem ſchedulam certiores eſſent effecti, die Jovis VI. Nonas, hora 22. fore ut SUMMUS PONTIFEX adoratum veniret ad Baſilicam, frequentes ad ipſam acceſſere, ut eumdem præſtolarentur.

Eminentiſſimo, e Reverendiſſimo Signore.

„ LA SANTITA' DI NOSTRO SIONORE CLE-
„ MENTE PP. XIII. ſi porterà alle ore
„ 22. nella Baſilica di S. Giovanni in La-
„ terano a venerare il Santiſſimo Sagramen-
„ to, che ſarà eſpoſto in detta Baſilica,
„ per implorare la divina aſſiſtenza nella
„ grave deliberazione della proſſima Cano-
„ nizazione de BEATI GIOVANNI CANZIO,
„ GIUSEPPE CALASANZIO, GIUSEPPE da Co-
„ PERTINO, GIROLAMO EMILIANI, SERA-
„ PINO da ASCOLI, e della BEATA GIO-
„ VANNA FRANCESCA FREMIOT di CHAN-
„ TAL: gli Eminentiſſimi Signori Cardina-
„ li, che vorranno intervenirvi, anche ad
„ oggetto di conſeguire l' Indulgenza dalla
„ SANTITA' SUA a tal' effetto conceſſa, vi
„ ſi troveranno veſtiti di rocchetto, man-
„ telletta, e mozzetta di color roſſo.

Indicta hora PONTIFEX privato domeſticoque comitatu ad Lateranum venit, cujus ad fores cum Eminentiſſimo Nereo Corſini Baſilicæ Archipresbytero cæteri omnes Domini Cardinales adſtabant. Nereus Cardinalis Corſinus aſpergillum PONTIFICI obtulit, qui cum ſe, Archipresbyterum, Eminentiſſimoſque cæteros luſtrali aqua aſperxiſſet, præeunte cum Cruce Carolo Origo noviſſimo Rotæ Auditore, pedes inter armorum inſervientes incedens, ad altare princeps Divinam Euchariſtiam adoraturus proceſſit, ubi in genua provolutus devotas ferventeſque preces effudit.

Mane diei Veneris V. Nonas Julias Reverendiſſimum Capitulum. Vaticanum poſt Conventualem Miſſam in altari Gregoriano, inter conſpicuam ardentium cereorum copiam, Euchariſtiam fidelium venerationi propoſuit; Eminentiſſimi Cardinales per hanc ſchedulam pariter admoniti fuere.

Eminentiſſimo, e Reverendiſſimo Signore.

„ LA SANTITA' DI NOSTRO SIONORE CLE-
„ MENTE PAPA XIII. volendo con rei-
„ terate ſuppliche ricorrere all' Altiſſimo,
„ acciù coll' abbondanza de' ſuoi lumi ſi
„ degni aſſiſterla nell' affare importantiſſi-
„ mo della ſutura Canonizazione, ſi por-
„ terà alle ore 22. alla Baſilica Vaticana
„ ad adorare il Santiſſimo Sagramento, ove
„ per il ſudetto effetto ſarà eſpoſto alla pu-
„ blica venerazione de ſedeli: ſe ne ren-
„ de pertanto conſapevole Voſtra Eminen-
„ za, affinchè, volendoviſi trovare preſen-
„ te, ſia veſtita dell' abito Cardinalizio
„ roſſo con il rocchetto.

Vati-

Vaticanum petierunt quamplures Eminentiſſimi, ut venientem exciperent Pontificem, qui non ita multo poſt privato cultu ad Baſilicam ſe contulit, & ſumma religione, ac incredibili animi pietate devotiſſimas preces fudit, a Patre luminum donorum omnium chariſmata ſibi, populoque Sacerdos Summus apprecans.

Tandem Dominica die III. Nonas Julias Beatissimus Dominus Noster ad Liberianam Baſilicam oraturus ante Divinam Euchariſtiam, quæ venerantibus fidelibus fuerat expoſita, venit, ab Eminentiſſimis Patribus exceptus, qui ibidem de Pontificis adventu per ſequentem ſchedulam certiores effecti, convenerant.

Eminentiſſimo, e Reverendiſſimo Signore.

„ Perche inceſſanti ſieno le ſuppliche all' „ Altiſſimo, la Santita' di Nostro „ Signore Clemente Papa XIII approſſi„ mandoſi il giorno deſtinato per eſeguire „ la Canonizzazione de Beati Giovanni „ Canzio, Giuseppe Calasanzio, Giuseppe da Copertino, Girolamo Emiliano „ Serafino da Ascoli, e della Beata Gio„ vanna Francesca Fremiot di Chan„ tal, ſi porterà alle ore 22. alla Baſilica „ di S. Maria Maggiore ad adorare l' Au„ guſtiſſimo Sagramento, che ivi ſarà eſpo„ ſto, come ha parimente eſeguito in que„ ſti paſſati giorni nelle altre due Baſili„ che per il menzionato effetto. Del tutto „ ſe ne dà notizia a Voſtra Eminenza, ac„ ciò volendo intervenire, poſſa trovarſi „ in detta Baſilica in abito Cardinalizio roſ„ ſo, e rocchetto, conforme nelle altre „ due conſimili occaſioni ſi è praticato.

Difficile dictu eſt, quanta hiſce diebus lætitia, quantoque ſpirituali gaudio Dominus Noster Beatissimus fuerit perfuſus, dum in omnibus, quas petiit Baſilicas, incredibilem, ac pene infinitam Romani populi religioſam multitudinem offendit, quæ pietatis, religioniſque cauſſa ex omnibus etiam conſpicuis, nobiliſſimiſque ordinibus ad illas confluxerat.

Ut quamprimum Canonizationis ſollemnitas expleretur, tertio, ac ultimo ſemipublico Conſiſtorio, in quo de Beato Seraphino ab Asculo, ſeu a Monte Granario, & de Beata Joanna Francisca Fremiot de Chantal erat pertractandum, ad VI. Idus Julii dies fuerat indicta, ac omnes, qui ad illud venire debebant, per curſores ea, quam ſubjicimus, ſchedula fuerant evocati.

INTIMATIO

Per curſores facienda, etiam domi dimiſſa copia.

„ Die 10. præſentis menſis Julii feria 6. „ Sanctissimus Dominus Noster „ Clemens Papa XIII. alterum habebit ſe„ mipublicum Conſiſtorium hora 13. in de„ ſignata Palatii Apoſtolici Quirinalis aula „ pro excipiendis ſuffragiis ab Eminentiſſi„ mis DD. Cardinalibus, necnon Reverendiſſimis Patriarchis, Archiepiſcopis, & „ Epiſcopis in Cauſſis Beatorum Seraphini „ ab Asculo Laici profeſſi Ordinis Mino„ rum Capuccinorum S. Franciſci, & Jo„ annæ Franciscæ Fremiot de Chantal „ Fundatricis monialium Viſitationis B. Ma„ riæ, eadem penitus ſervando, quæ jam „ pro conſimili antecedenti ſemipublico „ Conſiſtorio peracta fuere.

„ Certiores itaque reddantur omnes, & „ ſinguli Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi „ DD. Cardinales, necnon Reverendiſſimi „ DD. Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epi„ ſcopi in Urbe præſentes, ac Domini Pro„ tonotarii Apoſtolici, duo antiquiores Ro„ tæ Auditores, Sacrorum Rituum Congre„ gationis Secretarius, Promotor Fidei, & „ Procurator Fiſcalis Cameræ Apoſtolicæ, ut „ omnes cappis induti Conſiſtorio interſint.

De Mandato SS. D. N. Papæ.

I. Archiepiſcopus Athenarum Apoſt. Cærem. Præfectus.

Statuta hora, ac die cum in aulam Conſiſtorialem Eminentiſſimi Cardinales veniſſent, Beatissimus Dominus Noster ſolito conſuetoque apparatu circumamictus ex paramentorum aula in Conſiſtorium deſcendit,

& antequam de BEATIS canonizandis ſermonem inſtitueret, ſecreto de Conſiſtorialibus negociis cum Eminentiſſimis Patribus agens, tranſtulit ex Hadrianopolitana titulari Eccleſia Joannem Lercari ad Archiepiſcopalem cathedram Januenſem: hinc Archiepiſcopum Meſſanenſem conſtituit Joannem Mariam Spinelli Clericum Regularem Teatinum: declaravit Epiſcopum Muranum Baſilicatæ Provinciæ in Neapolitano Regno Carolum Gagliardi Pauperum Patronum in Neapolitana urbe: pronunciavit Epiſcopum Leſinæ in Dalmatia Provincia Petrum Riboli Archidiaconum Spalatenſem; ſtatuit Epiſcopum Letteranum in Provincia terræ Laboris Neapolitani Regni Franciſcum de Afflicto Pœnitentiarium Cathedralis Ravelli: ac tandem dixit Epiſcopum Torcelli Joannem Nani patricium Venetum.

Ut PONTIFEX finem ſermoni impoſuit, primum Joannes Franciſcus Albani Epiſcopus Sabinenſis propoſuit in Abderitanum Titularem Epiſcopum Joannem Lenezowski Canonicum Chelmenſem: hinc Alexander Diaconus Cardinalis Albani in Titularem pariter Thenarum Epiſcopum propoſuit Philippum Carolum de Fechenbach Canonicum Herbipolenſem, ac denique Eminentiſſimus Orſini a PONTIFICE petiit, ut Cenomanenſem Epiſcopum crearet Antonium Joſephum des Laurens, de quo in ſuperiori Conſiſtorio verba fecerat.

Negociis iſtis abſolutis, cum aulæ Conſiſtorialis Advocatus inſtantiſſimis precibus PONTIFICEM oraſſet, ut Pallium in ſignum plenitudinis Pontificalis poteſtatis novo Archiepiſcopo Januenſi elargiretur, in aulam ſtatim Conſiſtorialem admiſſi fuere Epiſcopi omnes, cæterique, qui præ foribus ſtabant; & PONTIFEX orationem iterum reaſſumens ea gravitate, & eloquentia, quæ Patrem Patrum decet, verba hunc in modum habuit.

VENERABILES FRATRES. De BEATIS SERAPHINO AB ASCULO, & JOANNA FRANCISCA FREMIOT DE CHANTAL, quorum nihilominus impenſe, quam BEATORUM quatuor, de quibus egimus in ſuperioribus Conſiſtoriis, Canonizationem a nobis poſtulant piiſſimi Principes, & Catholicus populus fere univerſus, veſtrum hodie conſilium exquirimus. Ac BEATUM SERAPHINUM primo proponimus; cujus admirabiles virtutes uno videntur comprehendi poſſe præconio, ſi dixerimus illum digne [1] Deo juxta Apoſtoli monitum ambulaſſe, & ſanctitatis cepiſſe fructum, quem Abrahamo Deus ſuaviſſimis illis propoſuit verbis = ambula [2] coram me, & eſto perfectus = quod Chriſtus Dominus dixit apertius = Eſtote [3] perfecti, ſicut Pater veſter perfectus eſt = & illum quidem perfectiſſimæ fuiſſe virtutis vel inde licet exiſtimare, quod a lethali omni peccato purus vitæ ſuæ curſum peregerit. Cæterum ſupernaturalia dona, tum paupertatem, humilitatem, obedientiam, orationis ſtudium, & in omni victu aſperitatem, atque duritiem, cæteraſque virtutes, quas illi divina tribuit gratia, miracula etiam, quibus veluti indiciis Deus ſanctitatem ejus nobis oſtendit, ex ejus vita, quam redigi curavimus in compendium, arbitramur vobis eſſe perſpecta. Quod attinet ad BEATAM JOANNAM FRANCISCAM illud in ea nobis videtur præcipuum, quod in omni ſtatu, qui fœmi-

1 *Coloſſ.* 1. 20. 2 *Geneſ.* 17. 1. 3 *Matth.* 5. 49.

Digitized by Google

fœminis poſſit obtingere, præclara dedit ſive futuræ, ſive incipientis, ſive maturæ, & corroboratæ ſanctitatis indicia. Nam & virginitatem ſervare maluiſſet, quam nubere; & viro nupta adeo in omnibus honorabile præſtitit [1] ſuum connubium, ut ſuarum exemplo virtutum ſanctificato viro, conjugium illud, quod in chriſtiano matrimonio poſtulat [2] Beatiſſimus Paulus, Chriſti cum Eccleſia conjunctionem repræſentaret. Viro præterea e vivis adempto, ſecundas aſpernata nuptias, vere [3] vidua fuit, eaſque virtutes omnes exhibuit, quas in viduis requirit idem Apoſtolus. Poſtremo caſtitatis perpetuæ voto, quo ſe adſtrinxit, perfectioris vitæ arduum iter ingreſſa, difficillimum aliud votum adjunxit, ſemper ea faciendi, quæ Deo gratiora fore cognoſceret. Idque votum adeo ſancte præſtitit, ut ſub ſancti viri Franciſci Saleſii magiſterio ad eam denique pervenerit ſanctitatem, quam Deus comprobatam voluit omnipotentiæ ſuæ mirabilibus ſignis. Itaque de his duobus BEATIS, quorum proponitur Canonizatio, a vobis petimus, ut veſtras ſententias exponatis. Sed quoniam in Conſiſtorio ſecreto ſatis abſumptum eſt temporis, ne diutius, VENERABILES FRATRES, detineamini, commodius exiſtimamus, ut poſt veſtra ſuffragia primus Epiſcoporum Pontificio ſolio noſtro Aſſiſtentium diſerte & ipſe dicat ſententiam ſuam, ad quam cæteri Epiſcopi Aſſiſtentes, ſi eis ita videatur, uno verbo declarent ſe accedere: itidemque primus Epiſcoporum non Aſſiſtentium ſuum proferat explicate ſuffragium, cui cæteri ſubinde Epiſcopi, uno pariter verbo, ſe, ſi ita velint, ſinguli aſſentiri profiteantur.

Hæc cum dixiſſet, illico Domini Cardinales, & Epiſcopi, qui in venerabili Conventu conſidebant, ut PONTIFEX monuerat, de BEATO SERAPHINO AB ASCULO, ſeu A MONTE GRANARIO dedere ſuffragia.

CAROLUS ALBERTUS Epiſcopus Oſtienſis, & Veliternus Sacri Collegii Decanus Cardinalis Guidobonus Cavalchinus.

BEATISSIME PATER. Siſtitur hodie coram throno majeſtatis tuæ B. SERAPHINUS AB ASCULO, ut gloriam ejus cum cæteris Sanctis Domini in terra perficias. Humili quidem in loco is natus eſt ab egenis, vulgaribuſque parentibus, ſed ab infantia, moribus integerrimis, ſummoque orandi ſtudio, quo magnopere delectabatur, ita cœpit placere Deo, ut nihil ad arripiendum evangelicæ perfectionis iter deſiderari in eo poſſe videretur. Factus adultior poſt aſperos, diuturnoſque labores obtinuit recipi in rigido Fratrum Capuccinorum Ordine: cumque ibi quotidie proceſſerit de virtute in virtutem, plurimis muneribus, ac cæleſtibus ſignis eximiam ejus adhuc viventis ſanctitatem oſtendit Altiſſimus, & demum pretioſam ipſius mortem ex ore infantium, & lactentium voluit mirabiliter promulgari: quæ vero noviſſime in hujus BEATI VIRI honorem ſuſcitavit miracula, efficaciter poſtulant, ut immarceſcibilis coronæ gloria donatus in

Pp 2 Cælis

1 *Hebr.* 13. 4. 2 *Epheſ.* 5. 3 *I. Timoth.* 5. 3. 4.

Cælis declaretur. Hoc univerſa Capuccinorum familia ardentiſſime deprecatur, idque ipſum ego quoque ſacro huic Ordini præſidere juſſus fidenter exoro.

JOANNES FRANCISCUS Epiſcopus Sabinenſis Cardinalis Albani.

GLorietur frater humilis in exaltatione ſua, qui mortificationem Jeſu Chriſti circumferens in corpore ſuo, vivificatus autem ſpiritu, ſe præbuit exemplum bonorum operum in ſimplicitate, in humilitate, in caritate non ficta, unice contuens in eam, quæ revelabitur in nobis, gloriam adoptionis incontaminatam. Nec ſuo glorietur minus BEATO SERAPHINO Minorum Capuccinorum familia, pœnitentium altrix, & fœcunda parens; ac in filii ſui virtutibus omnibus rite, me acta referente, comprobatis, maximis de Cælo ſignis accedentibus, atque oraculo tuo, BEATISSIME PATER, illi Sanctorum honores decernente, habeat ad ſancte, humiliterque vivendum domeſticum incitamentum.

HENRICUS Epiſcopus Tuſculanus S.R.E. Vicecancellarius Cardinalis Dux Eboracenſis.

EXcelſus ſuper omnes Cælos Deus, qui humilia reſpicit, & alta a longe cognoſcit, ut potentiam ſuam oſtenderet, qua potens eſt de lapidibus ſuſcitare ſemen Abrahæ, reſpexit in humilitatem ſervi ſui SERAPHINI, eumque de terra ſuſcitans deduxit in domum Domini, ut ſimplicitate ſua ſapientiam ſapientum perderet, & prudentum prudentiam reprobaret. Illum enim humili genere ortum, ac litterarum plane rudem, quia ſimplex erat, & humilis corde, ab armentis, quibus cuſtodiendis excubabat, in ſacrum Capuccinorum Ordinem tranſtulit, & in humili Laicorum gradu conſtitutum heroicis virtutibus inſignivit, donis cæleſtibus auxit, & innumeris ſignis, ac prodigiis illuſtravit. Mox plenum meritis, confectumque laboribus vocavit ad Cælum, ubi æternum gloriæ ſolium tenet, & invocantibus illum beneficia incredibili liberalitate largitur. Æquum igitur eſt, BEATISSIME PATER, ut ad evangelicæ ſimplicitatis, atque humilitatis gloriam SERAPHINUS Apoſtolicæ Sedis auctoritate Sanctorum albo adſcribatur.

FABRITIUS Epiſcopus Albanenſis Cardinalis Serbellonus.

VEra exhibetur religioſi viri perfectiſſima imago in BEATO SERAPHINO AB ASCULO, adeo enim ſupremam perfectionem per aſſiduum virtutum omnium, & patientiæ præſertim exercitium fuit adeptus, ut Deus Optimus Maximus per frequentes ecſtaſes, raptuſque cæleſtes pluries illam comprobatam voluerit; conſequens igitur eſt, BEATISSIME PATER, ut veſtra excelſa Paſtoralis dextera tanto viro coronam imponat in terris, quam ipſi in Cælis præparavit Dominus in æternum.

JOSEPH MARIA Tituli Sanctæ Cæciliæ Presbyter Cardinalis Feroni.

IN humili vitæ gradu ſublimiſſimum virtutis genus profeſſus eſt BEATUS SERAPHINUS, quem ob diuturnam in ea urbe commorationem AB ASCULO nominamus. Capuccinorum inſtitutum amplectens, quam in ſeculo intactam primæ innocentiæ ſtolam ſervaverat, eamdem ſeveriſſimis corporis afflictationibus, & perpetua regularium legum cuſtodia ad ultimum uſque ſpiritum inviolatam perduxit. In cordis ſimplicitate præſertim ambulans, quæ Deo placerent, ſuaviſſime loquebatur, atque adeo plurimorum aut exemplo, aut emendationi proſpexit. Hinc placidiſſime moriens cum migraviſſet ad Dominum, ex ore infantium, & lactentium, ſingulari quidem prodigio SERAPHINI laudes prodierunt. Hunc igitur eximium innocentiæ, demiſſionis, ſimplicitatis, & pœnitentiæ cultorem tuto a SANCTITATE VESTRA in Sanctorum album recenſeri poſſe aperte confirmo.

JOSE-

CAROLUS Tituli Sancti Clementis Presbyter Cardinalis Rezzonicus S.R.E. Camerarius.

Beatum Seraphinum ab Asculo in ſimplicitate cordis ambulantem, & animam ſuam in patientia poſſidentem, tanta bonorum cæleſtium copia cumulavit Deus, quanta ipſe bonorum naturæ inopia laborabat. Qui humili Seraphino gratiam dedit Deus, gloriæ corona etiam exornavit. Tuum eſt, Beatissime Pater, ſummos ei, quem tantopere decoravit Deus, honores oraculo tuo tribuendos in terris eſſe conſtituere.

FERDINANDUS MARIA Tituli S. Sylveſtri in Capite Presbyter Cardinalis de Rubeis.

Etſi in radice caritatis omnes inter ſe conjungantur virtutes, ut una ſine altera eſſe non poſſit, plerumque tamen in præſtanti aliquo viro, hæ, vel illæ præ cæteris eminent, ac efflorefcunt maximæ. Id dum in Seraphino ab Asculo deprehendimus, quem ſimplicitate cordis, obedientia, humilitate, pœnitentia præcelluiſſe ſcimus, quadam tamen ſingulari ratione, cæleſtium etiam rerum contemplationi, fidelium ſaluti, pauperum ſubſidio prorſus vacaſſe admiramur. Jam ipſum luculentiſſimis illuſtrante miraculis Deo, in eam devenio ſententiam, eumdem eſſe a te, Beatissime Pater, in Sanctorum faſtos publico Eccleſiæ bono adſeribendum.

JOSEPH MARIA Tituli Sancti Alexii Presbyter Cardinalis Caſtelli.

Qui terrena omnia non odit, atque adhuc animam ſuam, dignus non eſt qui inter Domini diſcipulos adnumeretur. Vir Dei Seraphinus a pueritia uſque ad exitum vitæ terrenis cupiditatibus acerrimum bellum indixit: carnem odit, quum laboribus, jejuniis, vigiliis, innumeris, atque aſperrimis caſtigationibus corpus ſuum perpetuo afflixit: animam quoque, carnalem animam odit, quum totum hominem exuit, & propriæ excellentiæ, ſuique amorem ab humillimo corde magnanime abjecit, ac propemodum extinxit, nihil amplius ſibi vivens, ſed totus Magiſtro ſuo Jeſu Chriſto. Dignus profecto fuit, ut a Magiſtro, & Domino tamquam fidelis diſcipulus in æterna tabernacula reciperetur. Dignum quoque exiſtimo, ut id merito, & fideliter accidiſſe ab infallibili Sanctitatis Vestræ oraculo rite, & ſollemniter pronuntietur.

CAJETANUS Tituli Sancti Auguſtini Presbyter Cardinalis Elephantutius.

Beatissime Pater. Vitæ ſimplicitas, innocentiæ candor, obedientia, patientia, humilitas eæ ſunt præ cæteris virtutes, quibus Beatus Seraphinus ad miraculum uſque enituit, effectuſque uti parvulus, intrare promeruit in regnum Cælorum. Hinc autem ſi dignus fuit, adhuc vivens, ut altitudo divitiarum, & ſapientiæ Dei ſibi revelaretur, dignus eſt utique, ut ſupremo Sanctitatis Vestræ judicio eam in terris accipiat coronam gloriæ illis debitam, qui computantur inter electos, & filios Dei.

PETRUS HIERONYMUS Tituli Sanctiſſimæ Trinitatis in monte Pincio Presbyter Cardinalis Guglielmi.

Cum adhuc junior eſſet Beatus Seraphinus ab Asculo quæſivit ſapientiam Dei valde in oratione ſua [1]. Invenit autem & apprehendit; tantumque profecit in ea [2], ut non ſolum, quæ mundi ſunt, cuncta, deſpexerit etiam ſemetipſum; ſed abundaverit quotidie magis in omni ſcientia, & in omni ſenſu [3] uſque ad conſummationem juſtitiæ [4], uſque ad circumſpectionem Dei [5]. Divinæ namque pulchritudinis ſtudio cum teneretur, extendebat ſe in dies amplius ad cognoſcendum illum, ſi quo modo comprehenderet [6]; nihilque arbitrabatur ſe

1 *Eccleſiaſtic.* 51. 18.
2 *Ibid.* v. 22.
3 *Philipp.* 1. 9.
4 *Ex plur.*
5 *Eccleſiaſtic.* 14. 22.
6 *Philipp.* 3. 10. 12.

ſe cognoſcere, donec introiret in potentias Domini [1], & in tabernaculum Dei ſolius. Introivit autem, & guſtavit, & vidit [2]; ſpeculator eximius factus magnitudinis illius [3]. Iſta ſapientia deduxit BEATUM SERAPHINUM ad excelſa: ita a te exaltari [4] oportet, BEATISSIME PATER, qui nihil habes antiquius, quam ſapientiam Sanctorum revereri. Dic igitur Sanctum SERAPHINUM AB ASCULO: & ſapientiam ejus enarrabunt gentes, & laudem ejus enuntiabit Eccleſia [5].

NICOLAUS Tituli SS. Nerei, & Achillei Presbyter Cardinalis Antonellus.

ABnegavit ſemetipſum BEATUS SERAPHINUS, & ſecutus eſt Dominum, Crucem ſuam patienter, & humiliter ferens a primis ætatis ſuæ annis uſque ad ultimum ſanctiſſimæ vitæ diem. Nullum fuit anguſtiæ, ærumnæ, & tribulationis genus, quod non fortiter, & conſtanter toleraverit, verbera, convicia, contumelias, injurias, famem, ſitim, paupertatem, nuditatem, omniumque rerum inopiam. Nam Vir Dei mundana quidem conditione vilis, cæleſti virtute nobilis, humanis litteris, rudis Sanctorum ſcientiam edoctus, carnis, & mundi illecebris calcatis, imperterrito animo, & mente incorrupta montem myrrhæ, & collem thuris impigre aſcendit, aſpiciens *in auctorem fidei, & conſummatorem Jeſum, qui propoſito ſibi gaudio, ſuſtinuit Crucem, confuſione contempta.* Et quoniam, ſicut ſocii Chriſti paſſionum ſumus, ſic erimus & conſolationis. Benigniſſimus Deus ſervum ſuum ecſtaſis, prophetiæ, ſcrutationis cordium, aliiſque gratiis, & ſupernarum conſolationum donis adhuc in terris exiſtentem remuneravit, & ſanctitatis, & miraculorum fama notum, clarumque reddidit: & poſt hanc mortalem vitam æternæ beatitudinis participem in Cælis effeciſſe, indubiis, probatiſque ſignis, ac prodigiis declaravit. Quare ad Omnipotentis Dei laudem, ad Catholicæ Eccleſiæ decus, & præſidium BEATUM SERAPHINUM ſollemnibus Sanctorum honoribus decorari, merito univerſa Picena Provincia, & inſignis Fratrum S. Franciſci Ordo, & boni omnes enixe a te, BEATISSIME PATER, poſtulant, ac deprecantur.

Fr. LAURENTIUS Baſilicæ SS. XII. Apoſtolorum Presbyter Cardinalis Ganganelli.

SERAPHINUS ortu Picenas, ac Seraphicæ Capuccinorum religionis alumnus præclarum dedit virtutum omnium ſpecimen, humilitatis, ſine qua æterna claudicat ſalus; patientiæ, quæ nobis neceſſaria eſt ad reportandas promiſſiones: tum vero maxime paupertatis, quam ita in deliciis habuit, ut tunc ditiorem ſe crediderit, cum neceſſariis quoque ad vitam, ſe viderit deſtitutum. Hinc SERAPHINUS factus *abundans in paupertate, oculus Dei reſpexit illum in bona, & erexit eum ab humilitate ipſius, & exaltavit caput ejus.... Facile eſt enim in oculis Dei ſubito honeſtare pauperem* [6]. Et ſane poſt virtutum omnium ſplendorem, tot ſignis honeſtatum deprehendimus SERAPHINUM, ut ſupremos ſanctitatis honores adjudicari eidem tuto poſſe jamdiu ſit pronunciatum.

Quem itaque Beatorum albo conſcriptum, Romana Sede permittente, mihi datum eſt Aſculi frequenter colere, te mandante, BEATISSIME PATER, univerſa Eccleſia Sanctorum faſtis cooptatum veneretur.

MARCUS ANTONIUS Tituli Sanctæ Mariæ de Pace Presbyter Cardinalis Columna.

BEATISSIME PATER. *Caritas non cogitat malum.* Hæc Apoſtoli ſententia apprime congruit BEATO SERAPHINO AB ASCULO, cujus tanta morum innocentia, ut omnium, quæ ſecundum Deum non eſſent, non cogitatum modo, ſed & auditum ſtudioſiſſime caveret; tanta item dilectio proximi, ut de ipſis obtrectatoribus, ac perſecutoribus ſuis quam optime ſentiret; tanta denique manſuetudo, ut graviſſimas illatas inju-

1 *Pſalm.70.16.*
2 *Prov.31.18.*
3 *II. Petr. 1.16.*
4 *Ex Eccleſiaſtic. 24.2.*
5 *Eccleſiaſti c. 39.14.*
6 *Eccleſiaſti c. cap.11.*

injurias, & contumelias pro maximis beneficiis acciperet: adeo illas, uti mala, non cogitabat, ſive inferentibus imputabat. Vix autem fore puto, ut quis de tam bene cogitante non optime cogitet, eumdemque in Sanctorum canonem non exiſtimet referendum.

SIMEON Tituli Sancti Joannis ad Portam Latinam Presbyter Cardinalis Buonaccorſi.

BEATISSIME PATER. Divinam mihi intuenti in humillima vitæ profeſſione BEATI SERAPHINI ſapientiam, confiteri Domino Cæli, & terræ libet, quod hanc abſcondiderit a ſapientibus, & prudentibus, eamdemque parvulis revelaverit. Ætas nulla, BEATISSIME PATER, abundavit magis, quam ætas noſtra hoc genere ſapientum, quibus Dei ſapientia vanitas eſt, & humilitas Crucis ſtultitia. Horum ergo inſipientiæ refellendæ, quemadmodum Chriſtum Crucifixum Apoſtolus Dei ſapientiam philoſophis inculcabat, ſic decet Eccleſiam Chriſti, ejuſdem Crucis participes Chriſti famulos cæleſtem gloriam adeptos objicere.

JOANNES CAROLUS Tituli SS. Joannis, & Pauli Presbyter Cardinalis Boſchi Major Pœnitentiarius.

BEATISSIME PATER. BEATUS SERAPHINUS, qui AB ASCULO cognomen, ab Ordine Capuccinorum novum ad ſanctimoniam incitamentum fortitus eſt, ea excelluit pietate, ut in Deum O. M. ſpem omnem, & ſtudia ſua contulerit, proximos vero omni officiorum genere proſequi ſtudens, quæ iis ab inopia ſua præſtare non poterat, Deo ipſo mirifice opitulante, conferret. Neque id gratiæ apponi ſibi, ambitionis expers, poſtulavit; ſed vilem ſui ipſius opinionem in ipſis proceribus inſerere conatus eſt. Nullis voluptatum illecebris, nulla habendi cupiditate captus, eo tolerantiæ proceſſit, ut injurias omnes pacato animo ſuſtineret, ac fere quotidie ſponte ſua in verberationibus, & jejuniis verſaretur; omnibus, non ſibi parcens. Virum itaque, BEATISSIME PATER, tanta morum probitate præſtantem, ut naturæ ipſius Auctor eam inſignibus prodigiis teſtatam velit, Sanctorum albo adſcribendum judico, ut novum chriſtianarum virtutum exemplar ſplendidius eluceat.

LUDOVICUS Tituli Sanctæ Anaſtaſiæ Presbyter Cardinalis Calinus.

QUum BEATUS SERAPHINUS AB ASCULO religioſæ perfectionis laude mirabiliter inſignitus, paupertatem, abſtinentiam, aliaſque chriſtianas virtutes ita per totum vitæ curſum excoluerit, ut aſſiduis licet tentationibus exagitatus, de ſeipſo tamen, deque humani generis hoſte perpetuo triumphaverit, & perfectiſſima heroicarum virtutum exempla ad imitandum reliquerit, ideo, BEATISSIME PATER, dignum exiſtimo qui ſollemni pompa inter Sanctos coopteтur.

ANTONIUS Tituli Sanctæ Mariæ in Via Presbyter Cardinalis Columna Branciforti.

SEraphici Patris Franciſci vere imitator, & filius BEATUS SERAPHINUS AB ASCULO ita Deo viventem hoſtiam ſe præbuit, ut Deus idem, qui mirabilis ſemper eſt in Sanctis ſuis, quique infirma mundi eligit, ut fortia quæque confundat, præclaris illum & prodigiis, & donis condecoraverit. Æquum igitur eſt, ut qui in terris ab eo, qui vere mitem ſe dixit, & humilem corde, ſuaviſſimam animi manſuetudinem, & morum integerrimam ſimplicitatem conſtantiſſime didicit, ſuperna jam felicitate donatus, ad evangelicæ humilitatis incitamentum, & gloriam inter Sanctorum ordines a BEATITUDINE VESTRA ſollemnibus cæremoniis recenſeatur.

PETRUS Tituli Sanctæ Mariæ Transtiberim Presbyter Cardinalis Pamphilius.

HUmilia reſpiciens Deus, & alta a longe cognoſcens [1], quanta operatus ſit in

[1] Pſal. 137.6.

au pauperculo, ac vere contrito [1], vereque docibili [2] ſervo ſuo BEATO SERAPHINO AB ASCULO, & ex linguis operum noſcimus, & ex ſignorum luce conſpicimus. Nihil ſiquidem in ejus vita occurrit, quod non pietatem, non patientiam, non perfectam ſui abnegationem, & quidquid eſt aliud evangelicæ perfectionis, præſertim vero intimam, eamque perſeverantiſſimam, ac ſummam cum Deo unionem redoleat. Ita nimirum, ut ſi diviſiones deinde alias gratiarum [3], vel curandis corporibus, vel abditis penetrandis, vel mirabilibus aliis ante, ac poſt obitum patrandis accepiſſe intelligimus, ab uno illo eodem ſpiritu accepiſſe credamus, qui dat gratiam humilibus [4] affluenter, qui humiles exaltat, & ſublevat, & ſolium gloriæ tenere facit cum principibus [5]. Ita ſane BEATISSIME PATER, a Domino factum eſt iſtud in BEATO SERAPHINO ASCULANO, nec aliud reſtat, ut ſit vere mirabile in oculis noſtris [6], quam ut ſic honoratum a Deo, tu quoque, BEATISSIME PATER, ampliſſima, qua præſtas auctoritate honorari facias [7] in Eccleſia plebis, Sanctorum catalogo BEATUM SERAPHINUM ASCULANUM adſcribendo.

URBANUS Tituli Sancti Calliſti Presbyter Cardinalis Paracciani.

BEATISSIME PATER. Qui ſuſtulit olim David de gregibus ovium, eumque præ cæteris in ſede ſupremæ majeſtatis conſtituit, noviſſime egenum de pulvere ſuſcitavit BEATUM SERAPHINUM, ut glorificaret illum in conſpectu Regum, Eccleſiamque ſuam, quæ ſine macula eſt, & ſine ruga, divinarum virtutum candore decoraret. Hic enim ad innocentiam plane factus, acceptam in lavacro regenerationis integritatem mirifice coluit, exornavitque ſectando juſtitiam, fidem, caritatem, manſuetudinem. Depoſitum autem ad ultimum uſque diem cuſtodivit tam horrida, tamque aſpera vivendi ratione, ut perditiſſimus quiſque ad placandam Numinis iram majores peccatorum pœnas ultro ſuſcipere nullo modo potuiſſet. Quæ cum ita ſint, eum ſine dubitatione digniſſimum exiſtimaverim, cui cœleſtes honores Apoſtolica auctoritate decernantur. Id exoptant avidiſſime quotquot ſunt de Chriſtiana Religione optime meriti; deprecatur quam humillime Capuccinorum Ordo, omniumque maxime flagitant univerſæ Firmanæ meæ Diœceſis populi, qui SERAPHINUM civem, ac tutorem ſuum amantiſſimum ſingulari veneratione proſequuntur.

PHILIPPUS MARIA Tituli Sancti Chryſogoni Presbyter Cardinalis Pirellius.

BEATISSIME PATER. Bene ſemper de tota Eccleſia promerita Divi Franciſci Familia duos ad augendam unius diei celebritatem proponit, JOSEPHUM A CUPERTINO, de quo præteritis diebus latiſſimus ab omnibus, toto plaudente Senatu, eſt ſermo habitus, & SERAPHINUM AB ASCULO, diverſos quidem munere, & mitioris, ac ſeverioris diſciplinæ alumnos: ita nimirum, ut quælibet inſtituti pars ſuo hoc novo lætetur decore, ſuumque ſibi novum fulgentiſſimæ virtutis exemplum habeat quod imitetur.

Deus ipſe hunc ſuſcitavit de pulvere egenum, humilemque exaltavit, ut cum principibus ſedeat; gratiſſimumque ſibi eſſe oſtendit, non ſolum e vivis ſublatum, ſed etiam antea, cui tantam prodigiorum agendorum poteſtatem viventi fecerat, ut parum abfuerit, quin ab iis patrandis prohiberetur a ſociis, ne ex multitudine confluentium undique ægrotorum, ſolitariæ vitæ ſilentia turbarentur.

Poſtquam itaque perſpecta rite ſunt omnia, ſatis eum digne inter Sanctos recenſendum exiſtimo.

ALEXANDER Sanctæ Mariæ in Via lata Diaconus Cardinalis Albanus.

IN recenſendis virtutibus univerſis, quæ BEATI SERAPHINI ſanctitatem illuſtrarunt, nec ſatis unquam dicitur, nec quod dicatur uſquam deficiet. Hæreret ideo in ipſa copia fandi facundia, ſi non ipſius ſanctitatem exi-

1 *Iſaias 66.2.*
2 *Joan.6.45.& II.Timoth.2.24.*
3 *Ex I. ad Corinth.12.4.11.*
4 *I.Petri 5.5.Jacob.4.6.,Prov.29.23.*
5 *Reg.2.8.*
6 *Pſal. 117.*
7 *Ex Æſther.6.9.11.,Pſal.106.32.*

eximiam aſſeruiſſet teterrimus humani generis hoſtis, qui deſperatis artibus, quibus a via, quam Seraphinus currebat ut gigas, retrahere fruſtra molitus fuerat, ſingulari illum certamine laceſſivit, probris, terroribus, infeſtationibus, dirisque verberibus ſæpius affecit, reviventemque in ipſo patientiſſimum Job agnoſcens, victus ſemper aufugit. Tantæ ſanctitatis argumenta poſtulant, ut ſollemni Pontificio decreto inter Sanctos ſcribatur in terris, qui cum ipſis gaudet in Cælis.

NERIUS Sancti Euſtachii Diaconus Cardinalis Corſinus.

Didicit egregie in ſchola Chriſti Beatus Seraphinus ab Asculo mitem eſſe, & humilem corde: didicit ſatagere, ut per bona opera certam faceret vocationem ſuam, & perfectus fieret, ſicut Pater noſter Cæleſtis perfectus eſt. Itaque illius heroicam ſanctitatem, cujus conſtans fama ex multis jam diſcuſſis, probatisque miraculis in dies eſt aucta, decet omnino, Beatiſſime Pater, ut Apoſtolico judicio confirmes.

DOMINICUS Sanctæ Mariæ ad Martyres Diaconus Cardinalis Urſinus.

Beatiſſime Pater. Ab ineunte ætate Beatus Seraphinus non obſcura dedit futuræ ſanctitatis indicia, majora patravit in ſacrum Capuccinorum Ordinem cooptatus, regulam vel in minimis diligentiſſime cuſtodivit, ſervavit, obediens, humilis, patiens, paupertatis amator, virginitate, & caſtitate, morumque intemerato candore ita excelluit, ut ad ſacram exomologeſim accedens, nil expiatione dignum detulerit: vere in omnibus vir ſecundum cor Dei: Dominicæ paſſionis myſteria tanto cum animi ſenſu meditabatur, ut ſæpe in dulcem ecſtaſim raperetur, ejusque vultus cæleſtibus radiis ſplendeſceret; prophetiæ donis, cordium penetratione, Virginis apparitione dignatus, miraculis illuſtratus eſt: non immerito itaque Sanctorum Confeſſorum catalogo Beatum Seraphinum adſcribendum arbitror.

FLAVIUS Sanctæ Mariæ in Porticu Diaconus Cardinalis Chiſius.

Beatiſſime Pater. Deus Optimus Maximus, qui ſtulta mundi plerumque eligit, & infirma, ut confundat ſapientes, & fortia [1] Beatum Seraphinum de Asculo Ordinis Minorum Capuccinorum Laicum profeſſum tanta cæleſtium virtutum luce, tanto ſanctimoniæ ſplendore, tanta denique ſignorum, ac miraculorum copia fulgere voluit, ut Seraphici Ordinis lumen, ac ornamentum effectus, tamquam novum Chriſti prodigium, omnium in ſe haud immerito oculos converterit. Hanc itaque chriſtianæ perfectionis lucernam ſuper candelabrum in Sancta Eccleſia a te, Beatiſſime Pater, collocari æquum eſt, ut omnibus, qui in domo Dei ſunt, eluceſcat [2] ejusque præclara geſta intuentes, cæleſtem Patremfamilias glorificent.

ALOYSIUS Sanctæ Agathæ Gothorum Diaconus Cardinalis Torrigiani.

Beatiſſime Pater. Ex omnibus virtutibus, quas jugiter exercuit Seraphinus ab Asculo, pœnitentia, & humilitas eximiam viri ſanctitatem facile depromunt. Sane vixit in ſacra Capuccinorum familia, cujus vivendi rationem per ſe duram, atque aſperam non ſolum exactiſſime ſervavit, ſed etiam ſuum corpus aſſiduis laboribus defatigatum, voluntariis cruciatibus, vigiliis, ac jejuniis tanta affecit ſeveritate, ut ſui ipſius carnifex, & vitæ contemptor cenſeretur. Humilioribus autem miniſteriis occupatus, omnem commendationem ſemper abhorruit, ſuasque virtutes, ac cæleſtia dona, quibus cumulatiſſime affluebat, ſingulari ſtudio deprimere, & occultare conabatur. Excelſus tamen Dominus, qui humilia reſpicit, & alta a longe cognoſcit, ſervi ſui famam miraculorum frequentia adeo illuſtravit, ut populus nunquam cohiberi potuerit, quominus Seraphinum etiam viventem, veluti

1 *I. Corinth.* 1. 26. 27.

2 *Math.* 5. 15.

Sanctum agnoſceret. Quoniam vero inſignis Dei Servus Beati nomen jamdudum adeptus eſt, prodigiorum celebritas, quæ in dies augetur, hoc amplius exigere videtur, ut Beatus Vir divina tua auctoritate in Sanctorum numerum referatur.

NICOLAUS Sancti Georgii ad Velum aureum Diaconus Cardinalis Perrelli.

SI eorum maxime admiranda virtus eſt, qui cum ſumma vitæ innocentia parem pœnitentiæ vigorem junxerunt, mirabilis plane Beatus Seraphinus, cujus Canonizatio hodie comprobanda proponitur: namque is humili licet loco natus, neque admodum liberaliter educatus, deinde inter Laicos Ordinis Capuccini eleemoſynis rogandis, aut cœnobii januæ cuſtodiendæ adhibitus; attamen inter multiplices peccandi occaſiones, nihil unquam admiſit a recto, honeſtoque alienum, ut vix inveniretur in ejus confeſſionibus, de quo poſſet abſolvi. At idem corpus innocentiſſimum tam duriter divexabat, ut prope inhumanus in ſeipſum, homo alioqui mitiſſimi ingenii videri poſſit. Accedebant aſſiduæ ab domeſticis moderatoribus animadverſiones, eoque acerbiores, quod immerenti inferebantur, quas ille tamen æquo ſemper, atque hilari animo pertulit. Jam ergo tanta ejus virtus digna plane eſt, ut ego ſentio, quæ ſollemnem Sanctorum cultum per te, Beatissime Pater, obtineat.

ANDREAS Sancti Angeli in Foro piſcium Diaconus Cardinalis Corſinus.

CUM in Beato Seraphino tanta fuerit vitæ ſanctitas, tanta morum integritas, animique innocentia, tanta adverſus Deum pietas, ac propenſiſſima in homines caritas, ut non modo confratribus ſuis, qui evangelicam perfectionem in Franciſcana Capuccinorum familia profitentur, ſed & univerſis Chriſtifidelibus admirationi ſemper fuerit & exemplo: hinc eſt, Beatissime Pater, quod virum hunc tot eximiis virtutibus illuſtrem, novaque miraculorum gloria fulgentem, jure ac merito Sanctorum faſtis eſſe adſcribendum cenſeam.

ANDREAS Sanctorum Viti, & Modeſti Diaconus Cardinalis Nigronus.

BEATISSIME PATER. Sentiens Beatus Seraphinus condignas non eſſe paſſiones hujus temporis ad ſuperventuram gloriam, quæ revelabitur in nobis, adoleſcens Fratrum Minorum, quos Capuccinos vocant, ſuſcepto inter Laicos inſtituto, miræ auſteritatis vitam eſt aggreſſus. Cibus ejus, quoad vixit, parciſſimus vix ad vitæ ſuſtentationem; lectulus doloris potius, quam quietis; ſomnus breviſſimus; duri cruciatus, & mirum, quam contumelias, vexationes, jurgiaque læto animo pertulerit, ſuique contemptor, quo erga alios comes, facilis, miſericors, præcipue erga pauperes, & infirmos, ſeque fratribus præbens omnium virtutum exemplar, tanta in Deum æſtuabat dilectione, ut nonniſi de Deo cogitaret, de Deo loqueretur. Æquum propterea eſt, Beatissime Pater, ut qui cum Chriſto compaſſus eſt, cum Chriſto regnet in Eccleſia Sanctorum albo adſcriptus.

ÆNEAS SYLVIUS S. Adriani Diaconus Cardinalis Piccolomineus

IMaginem, Beatissime Pater, antiquæ ſimplicitatis, atque innocentiæ heroicis Chriſtianorum temporibus comparandæ, & vitæ exemplum in maxima aſperitate dulciſſime offert judicio tuo conſecrandum Venerabilis Servus Dei Seraphinus ab Asculo verus, ac perfectus S. Franciſci imitator, atque diſcipulus.

Is humili loco natus apud Picenos ex patre fabro non aliud habuit a parentibus patrimonium, quam religionis, & fidei diſciplinam.

Hac ille fretus cum puerili in ætate ad ſublevandam rei familiaris inopiam, patris imperio paſcendis operam daret armentis, non illa quærens, quæ mundi eſſent & ſua, & neceſſaria maxime ad vitam, ſed quæ eſſent Dei, non aliud in mente, non aliud

in

in ore habere, quam Deum, nec ullo magis ſpectaculo delectari, quam rei divinæ myſteriis, quam Sacerdotum aſpectu, quam majeſtate templorum.

Quod religionis in illo ſtudium cum Deiparæ venerandæ Laureti templum adiret, aquarum impetus retardare minime potuit, neque impedire currentem, quin ſe torrenti committeret, atque undas ripæ inſultantes ea confidentia tentaret, qua Sanctis montes de loco movere conceſſum fuit, ſociis aſpectu periculi a trajiciendo deterritis, atque ad miraculum evadentis obſtupefactis.

Defuncto patre, ſubire duriſſimi fratris imperium, & conditionem vitæ immutare coactus laboribus, contumeliis, atque omni genere aſperitatum exercitus, fratrem ſæva atque injuſta jubentem, hilari ſemper vultu, & æquo animo excepit, nullam querelæ vocem emiſit, omnia pertulit, omnia vicit manſuetudine, humilitate, patientia.

Quæ quidem divina virtus in Sancto Viro admirabilis, aditum tandem ei patefecit ad religioſam Capuccinorum familiam, in quam ſe condere flagrantiſſime optaverat, ut pauperem, ut abjectum, alienæ ut poteſtati ſemper obnoxium eſſe liceret, & libertatem, qua potiebatur unico patrimonio, acceptam a Deo, Deo reddere, & dedicare poſſet cum fenore pœnitentiæ.

Acceptus itaque in ſeveriſſimam diſciplinam, votique compos effectus, nihil antiquius habuit, quam aliquid ſemper addere ad regulam inſtitutæ, & præſcriptæ ſeveritatis: abſtinentiſſimus cibi, atque ſomni aliquid ſibi ſemper de neceſſario detrahere conſuevit, ut orationi liberius, atque diutius vacaret: in paupertate ditiſſimus, ut liberalitatem de ſuo in pauperes exerceret, panis ad vitæ ſuſtentamentum ſibi aſſignati dimidia parte contentus, alteram partem pauperibus reſervavit.

De proximorum ſalute, tamquam de propria ſollicitus, inimicitiis pacandis, & componendis civium diſcordiis, & peccatoribus in pœnitentiæ viam revocandis operam dedit aſſiduam, & quos ratione non potuit, vicit precibus, atque lacrymis, vicit exemplo virtutis.

Quæ vitæ ratio ſanctiſſima cum ſumma ſimplicitate conjuncta, tentata tribulationibus, exercita per flagella, per plagas, probata invicta patientia, & caritatis inextinguibili flamma, tantam ei conciliavit gratiam a Deo, ut fretus recte factorum, & pœnitentiæ conſcientia e vita, tamquam e domo emigraverit.

Quæ, Beatissime Pater, cum ita ſint, id unum reliquum eſt, ut illum judicio tuo Sanctorum faſtis adſcribas, quem Sanctum non anceps virtutum fama, ſed ea clariſſimis teſtimoniis, atque miraculis comprobata pronuntiat, Sanctum proclamat tota Piceni Provincia pietate inſignis, & fide, Sanctum clariſſimus Ordo Capuccinorum de Chriſtianorum Republica optime meritus, precibus, atque votis expoſtulat.

SAVERIUS S. Mariæ de Scala Diaconus Cardinalis Canale.

Quamquam duæ equidem viæ ſunt, quarum alterutra itur ad ſanctitatem, innocentia, & pœnitentia; attamen qui viam tenent utramque, eos merito eredimus ad faſtigium contendere ſanctitatis. Horum certiſſime fuit unus Beatus Seraphinus ab Asculo nuncupatus Ordinis Capuccinorum decus præclariſſimum. Ipſe enim, qui ſtolam innocentiæ in lavacro regenerationis acceptam, nulla unquam per diuturnum utique totum vitæ ſuæ curſum, vel leviores etiam culpæ macula inquinavit, ſed candidiſſimam ſecum intulit in Cælum: atque ipſe iidem, qui pœnitentiæ perpetuæ cultor rigidiſſimus, corpus quidem ſæviſſimo cruciatuum omnium genere maceravit, laceravit, oppreſſit; ſpiritum vero per patientiam, per tribulationem, perque jugem Dominicæ paſſionis compaſſionem Cruci confixit, ut mortuus mundo, unice Deo viveret cum Chriſto. Factum porro, ut qui per pulcherrimas ambas ſingularis innocentiæ, & ſingularis pœnitentiæ vias ad ſanctitatem direxit greſſus ſuos, celſiſſimam demum ejuſdem ſanctitatis metam attigerit: facile

videre eſt in virginali ejus mentis, & corporis puritate tanta, ut cum ſubactæ tandem carnis ne moleſtiam quidem ſentiret, merito comparari potuerit eum ipſis Angelis Dei in Cælo in arctiſsima ejus unione eum Deo, qua raptus tum etiam ad cæleſtia videretur, ſive quando viliora intra clauſtra cœnobii munera obibat, ſive quando clauſtra egreſſus, Aſculum, & vicina caſtella ſanando infirmos, & omnibus benefaciendo circumibat: in ejus erga Deum, & proximum caritate conſumatiſsima; cum etenim pro illius gloria, pro hujus ſalute omnia eſſet aggreſſus, omnia paſſus, omnia ſuſtinuiſſet fortiter; eo etiam proceſsit, ut ad barbaras ire gentes concupiverit ardentius, petierit impenſius, aut Chriſti fidem laturus ad eas, aut martyr pro Chriſti fide apud eas obiturus: in aliis denique virtutibus ejus reliquis, quas utinam, ſicuti ipſe refulſit omnibus, ita percenſere ſaltem ego poſſem omnes. Pleniſsimam igitur hanc, vereque abſolutiſsimam Beati Seraphini ſanctitatem, quamdiu ipſe vixit in terris meliorum omnium chariſmatum copia decoram, poſtquam vero ad Cælum evectus eſt, miraculorum frequentia glorioſam, decere maxime ſentio, ut Beatitudo Vestra univerſalis Eccleſiæ Caput, & Magiſter univerſali Eccleſiæ ſollemni, & publico cultu honorandam, celebrandamque proponat, & decernat.

BENEDICTUS SS. Coſmæ, & Damiani Diaconus Cardinalis Veterani.

Suſcitans Deus de pulvere egenum, ut ſedeat cum principibus, & ſolium gloriæ teneat, in parvulo, ac demiſſo Seraphino ab Asculo jucundam ſibi delegit habitationem, ineffabili conſilio ab eo perficiendam. Hanc itaque ut Seraphinus exequeretur, e medio Babylonis fugiens, ſeſeque in tranquillam Religionis Capuccinorum ſtationem recipiens, primum altiſſimum humilitatis jecit fundamentum, & per multiplicium virtutum compagem, propoſitæ ſibi regulæ conſonam, difficillimum perfectionis ſuſtulit ædificium, & in illo muniriſſimam, & inexpugnabilem locavit arcem, ad quam diu, noctuque confugit, ſanctam ſcilicet orationem, ut teterrimi hoſtis ignita tela confringeret. Demum cum in veſtibulo erectæ molis appenderit ſtolam candidam in baptiſmate acceptam, nullaque ſorde pollutam, quemadmodum humana non minus, quam divina declarant teſtimonia; jure tantæ perfectionis artifex, innocentiæ teſſera inſignitus, canoni Sanctorum videtur adiiciendus.

PHILIPPUS JOSIAS Caucci Patriarcha Conſtantinopolitanus Aſſiſtens.

Quod hominibus vile plerumque & abjectum eſt, mirum, quanto in pretio ſit apud Deum, qui non vultum hominis tantum, ſed cor intuetur. Beatus Seraphinus ab Asculo humili genere, nullis litteris, Laicus profeſſione, nihil præferebat ex iis, quæ mundus miratur, & laudat. Sed quam multis virtutum, & gratiæ donis cumulatus fuerit quis eloqui ſatis poſſit. Caſtitas namque perpetua, quotidiana corporis laniena, abſtinentia dimidio in diem pane contenta, inexplebile orandi ſtudium, fervens denique amor in Deum, atque orta inde martyrii cupiditas, mirifice in eo refulſerunt. Ea vero fuit in proximos caritate, ut aliorum memor eſſet, immemor ſui, atque ore pallente jejuniis, fame torqueretur aliena. Itaque ambigeres, pauper tatiſne magis eſſet, an pauperum ſtudioſus. Cum igitur, Beatissime Pater, ad virtutum illius claritatem, miraculorum quoque ſplendor acceſſerit, novum hoc lumen Eccleſiæ candelabro imponendum eſſe cenſeo, ut luceat omnibus, qui in domo ſunt.

Poſtquam Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui primum locum inter Epiſcopos Aſſiſtentes occupabat, ſuam de B. Seraphino ab Asculo, seu a Monte Granario protulit ſententiam, cæteri, qui adſtabant Aſſiſtentes Epiſcopi, ſe libenti animo in ſententiam Patriarchæ Conſtantinopolitani deſcendere declararunt; ſuffragia autem, quæ in ſcriptis attulerant minime perlegerunt; quæ ta-

tamen ſuffragia ut diſcriminentur a ſuffragiis illorum, qui Conſiſtorio non interſuere, hic loci, veluti viva voce eſſent in Conſiſtorio prolata, conſueto ordine modo ſubiiciuntur.

DOMINICUS Jordanus Patriarcha Antiochenus Aſſiſtens.

INeffabili miſerentis Dei providentiæ, Beatissime Pater, gratiæ quammaximæ agendæ nobis ſunt, qui, dum undique vitia, ac nova flagitia in mundum irruunt, ac impudentiſſime dominantur, pios io Eccleſia ſua excitet viros, qui oppoſita vivendi ratione vehementiſſime ea perſequantur. Divinæ hujus providentiæ Beatum Seraphinum ab Asculo teſtem appello. Quemadmodum enim corruptis hiſce noſtris temporibus, univerſos pene homines in molli vita degentes, ac continuis voluptatibus involutos doleoter conſpicimus; ita e contrario pœnitens, ac auſtera Beati Seraphini vivendi forma, quæ inter cæteras virtutes mirabiliter in eo effulſit, ad ejus ſectanda veſtigia efficaciſſime hortatur. Perfice igitur, Beatissime Pater, divinæ hujus providentiæ conſilium, ac Beatum Seraphinum virtutum, & miraculorum gloria cumulatiſſimum Sanctorum faſtis adſcribendo, illum fidelibus, totique Eccleſiæ tamquam abſolutiſſimum pœnitentiæ exemplar propone imitandum, ut dum Sanctorum honore eum veneramur, ſuarum quoque virtutum proficiamus exemplo.

GEORGIUS de Laſcaris Patriarcha Jeroſolymitanus Aſſiſtens.

VIR, Beatissime Pater, qui in ſimplicitate cordis ab ipſa infinita Sapientia edoctus, ac adjutus, omnia adamuſſim proprii ſtatus, ac legis ſervat mandata: perfectus profecto juxta illud Evangelii, *Si vis perfectus eſſe, ſerva mandata*: a veritate pronunciatur divina, qui vero perfectus in lege probatur, Sanctus quoque ſine erroris periculo pronunciari poteſt. Cum igitur Beatus Seraphinus ab Asculo in humili laicali, ſed Sanctorum fœcundiſſima Capuccinorum ſchola, per Beatificationis acta ſatis, ſuperque probatus exiſtat mandatorum Dei, ac ſuæ Seraphicæ regulæ obſervator exactiſſimus, cunctarumque virtutum non perfunctorie, ſed in gradu heroico profeſſor fidelis & conſtans, proximi ſui amator, honoris divini zelator ſtrenuus, Deo per orationem, atque contemplationem ineeſſanter conjunctus, eum perfectiſſimum fuiſſe nemo inficiari poteſt; cumque ejus in lege perfectio ſit plurimis miraculis etiam comprobata, dignum propterea eum cenſeo, ut etiam Sanctus mediante tuo Pontificio Canonizationis decreto ab omnibus inclametur, a cunctis veneretur.

FRANCISCUS Caraſa Trajettus Archiepiſcopus Patracenſis Aſſiſtens.

BEatissime Pater. Beatus Seraphinus ab Asculo ab ipſa ineunte ætate omnia, quæ mundi ſunt, ita deſpexit, ut ad cæleſtem patriam eo uſque tempore deſtinatus videretur; Ordinem dein Capuccinorum ingreſſus, illius heroicæ virtutes clarius enituerunt; quum autem ſubinde infallibili Dei eloquio pluribus prodigiis probari meruerint; neque humanum, neque divinum teſtimonium deeſſe videtur, ut inter Sanctorum album recolatur.

JOANNES Lercarius Archiepiſcopus Genuenſis Aſſiſtens.

BEatissime Pater. Rectus, ac timens Deum patientiſſimus Job ad inopinatam bonorum omnium jacturam [1] *corruens in terram adoravit & dixit: Sicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum.* Simplex & rectus Beatus Seraphinus [2] gloriabatur in tribulationibus, quæ patientiam operabantur, quia caritas Dei diffuſa erat in corde ipſius per Spiritum Sanctum, qui datus erat ei. Jobi patientiam coronavit Dominus [3], & noviſſimis ejus benedixit. Coronam quoque juſtitiæ jam obti-

[1] *Job. c. 1.* [2] *Ad Roman. c. 5.* [3] *Job. c. 42.*

obtinuit in Cælis B. Seraphinus quoniam [1] in dolore ſuſtinuit, & in humilitate ſua patientiam habuit. Sed noviſſimos in terris honores expectat a te, Beatissime Pater, qui ſciens [2] patientiam pauperum non perire, ſupremum gloriæ decorem, ut humiliter petimus, illi conſtitues, ejuſque nomen in Sanctorum albo ſcribendum eſſe decernas.

D. INNOCENTIUS *Gorgoni Archiepiſcopus Emiſſenus, olim Epiſcopus Pinnen., & Hadrien. Aſſiſtens.*

Inter pauperes, quorum eſt regnum Dei, Seraphinus ab Asculo humilibus parentibus natus, Seraphici Patris in pauperrimo Capuccinorum Inſtituto alumnus revera inclytus, religioſæque paupertatis eximius cultor jure optimo eſt recenſendus. Paupertatem hanc virtutes in gradu heroico ſummopere illuſtrarunt, ad quas per admirabilis patientiæ viam, crebra jejunia, meditationes, præſertim paſſionis Chriſti Domini, & propemodum incredibilem corporis caſtigationem devenit. Omnia ſignis luculenter comprobata, ut ſupremum ſanctitatis culmen in eo efficiunt, ſic dignum reddunt, qui in Sanctorum faſtos Sanctitatis Tuæ oraculo, Beatissime Pater, rite cooptetur.

Fr. JOANNES BAPTISTA *Colombini Archiepiſcopus Beneventanus Aſſiſtens.*

Beatissime Pater. Docente Apoſtolo: *Quos elegit Deus, & prædeſtinavit, oportet conformes fieri imagini Filii ſui* [3] hujuſce ſibi comparandæ divinæ ſimilitudinis deſiderio flagrans Beatus Seraphinus ab Asculo, quum primos adoleſcentiæ annos vix attigiſſet, a ſeculo auſugiens, Minorum S. Franciſci Capuccinorum Ordinem ingreſſus, rigidiſſimam illius inſtituti vivendi rationem ita profeſſus eſt, ut manifeſtandæ vitæ Jeſu in carne ſua mortali [4] ſtudium omne ſumma, & vix imitabili diligentia intenderit. Siquidem humiliavit ſe in omnibus, & adinſtar Filii Altiſſimi, in omnibus factus obediens [5] Crucis mortificationem jugiter in corpore ſuo portavit [6]. Sicque per aſſiduum humilitatis, obedientiæ, paupertatis, aliarumque virtutum omnium exercitium imagini Filii Dei conformis effectus Seraphinus, & ſummam perfectionem aſſecutus ſupernis chariſmatum donis cumulatiſſime ornari meruit; tum etiam ſignis, & prodigiis, quibus Deus mirabilem ſe reddidit in Servo ſuo, & teſtatam eſſe voluit ejus ſanctitatem. Nequaquam proinde vereor, Beatissime Pater, quin Beatus Seraphinus habiturus ſit a cunctis gentibus, & honorem, & gloriam, & benedictionem [7], ſi ejus ſortem inter Sanctos eſſe pronuncies, uti ſentio ego humiliter, & poſtulo vehementer.

SCIPIO *Borgheſius Archiepiſcopus Theodoſiæ Aſſiſtens.*

Cum nemo, Beatissime Pater, in Cælis coronabitur, niſi legitime in terris certaverit, hac corona dignus eſt Beatus Seraphinus ab Asculo, quem ad agonem uſque certantem lego adverſus ſanguinem, adverſus carnem, adverſus rugientem leonem. Hic Beatus, ut propoſitum ſibi bravium lucraretur, currentem continuo lego in ſtadio perfectionis, quo ad Domini coronam recipiendam ducebatur.

IGNATIUS *Reali Archiepiſcopus Athenarum Aſſiſtens.*

Beatissime Pater. Evangelicam illam ſententiam, quod Deus humilia reſpiciat, ut fortia confundat, quiſque in Beato Seraphino verificari coniiciet, ſi ejuſdem geſta licet propere percurrat. Seraphicam enim ſtrictiorem regulam in Capuccinorum Ordine ſequutus, Seraphici Parentis æmulatus eſt chariſmata meliora. Caſtitatis pollebat vigore, abſtinentiæ gloriabatur anguſtiis, in oratione ſedulus, in operoſa vita, cui addictus erat aſſiduus, carnem ſuam quotidie abſtinentiis, ciliciis, repetitis flagellis excrucians, in ſervitutem redegit, & Sera-

1 *Eccleſiaſtic. c. 2.* 2 *Pſal. 9.* 3 *Roman. 8. 29.* 4 *II. Corinth. 4. 10. 11.*
5. *Eccl. 4. 10.* 6 *II. Corinth. 4. 10.* 7 *Sapien. 5.*

Seraphicæ, qua ipſe flagrabat caritatis ardore, alios ſatagebat incendere, & incendebat. Tanta hæc ſunt, Beatissime Pater, ut nihil reliquum ſit, quam ut Sanctitas Vestra ſupremam tanto operi manum imponens, Beatum Seraphinum ab Asculo Sanctorum faſtis adſcribat, & ſollemniori ritu militanti Eccleſiæ publice imitandum proponat.

FRANCISCUS SAVERIUS de Zelada Archiepiſcopus Petrenſis Aſſiſtens.

Conveniunt in Beato Seraphino de Asculo ea duo, Beatissime Pater, quibus Apoſtolica hæc Sedes movetur ad aliquem in Sanctorum numerum referendum, eximia ſcilicet virtus, & miraculorum gloria. Utrumque & ex actis abunde conſtat, & auctoritate tua firmiſſima jam ſuit approbatum. Reliquum eſt itaque, ut quem apud Deum eſſe, & cum Chriſto regnare confidimus, eumdem ex Sanctitatis Tuæ decreto, publico in Eccleſia cultu, ſollemnique Sanctorum ritu nobis liceat venerari.

NICOLAUS SAVERIUS Sancta Maria Epiſcopus Cyrenenſis Aſſiſtens.

Beatissime Pater. Qui infirma mundi elegit Deus Beatum Seraphinum Ordinis Capuccinorum Laicum ab Asculo dictum, a primo ætatis diluculo elegit ex omni carne; quoniam a puerilibus occupationibus alienus, in templorum viſitatione, aſſidua oratione, & piis aliis exercitationibus pueritiam traduxit. Inter Religioſos Capuccinos poſt enixas preces cooptatus, arduas illius Inſtituti regulas, & auſteritates ad obitum uſque diligentiſſime ſervavit. Obedientiam exactiſſimam profeſſus eſt in iis etiam, quæ ejus voluntati adverſantia videbantur: paupertatem arctiſſimam, cum neque neceſſariis uteretur, caſtimoniam integerrimam, quam ne leviter quidem unquam obumbravit: humilitatem eximiam, cum ſe peccatorem maximum dijudicaret, & ab omnibus ſe ſperni gauderet: caritatem in Deum ardentiſſimam, qui diu, noctuque contemplationi infixus, cæleſtia ſemper cogitabat: in proximum vero effuſam, adeout Deo caritati ejus annuente, ſæpe multiplicaverit annonam, & omnes, quos potuit ad bonam frugem a ſeculi vanitatibus revocaverit. Hunc itaque Beatum Virum tantis virtutibus inſignitum, quem Deus ſupernaturalibus donis, ac miraculis in vita, & poſt mortem rite probatis abunde decoravit, ut Sanctorum faſtis Sanctitas Vestra ſollemniter adſcribat, æquiſſimum cenſeo.

FRANCISCUS MARIA Piccolomineus Epiſcopus Pientinus Aſſiſtens.

Perſpicuum futuræ ſanctitatis Beatus Seraphinus ab Asculo ſpecimen dedit quotidie ſpiritum ſuum aſsidue, ac fervide orationis cibo recreare ſatagens, licet eſſet adhuc puer, & per prata villici domini ſui paſceret armenta. Percrebuit illius ſanctitatis opinio, quia vulgatum fuit, quod adoleſcens non ſemel, ut properaret ad viſitandam ſacram ædem Lauretanam, & miraculoſiſsimam Beatiſsimæ Virginis Mariæ imaginem, ſicco, & intrepido trajecerat pede Potentiæ flumen, cujus aquæ ita excreverant, ut trajici ab aliis non potuerint. Virtutibus autem omnibus in gradu heroico coruſcavit, cum ſub efferati, & inhumani fratris cuſtodia ſe recepit, & multo magis poſtquam arrepta ſeverioris vitæ ratione ad Minores Capuccinos confugit, inter quos ſanctiſſime vixit annos pluſquam quadraginta. Nec viventi defuit miracula operandi gratia, quæ etiam poſt illius pretioſam in conſpectu Domini mortem eum apud nos maxime commendat. Propterea Beatus Seraphinus meo judicio certe promeretur, Beatissime Pater, ſplendidiore Sanctorum diademate in militanti Eccleſia a Sancta Sede Apoſtolica coronari.

CAROLUS AUGUSTUS Peruzzini Epiſcopus Maceratæ, & Tolentini Aſſiſtens.

Beatissime Pater. Cum Beati Seraphini Ordinis Capuccinorum alumni acta percurrerem, mihi viſus ſum virum illum inveniſſe, quem Pſaltes exoptabat, ut aſcen-

aſcenderet in montem Domini, & ſtaret in loco ſancto ejus, innocens videlicet manibus, & mundo corde, qui non accepit in vano animam ſuam. Tanta enim fuit SERAPHINI morum innocentia, & cordis mundities, ut ferunt, dum ad ſacram exomologeſim accederet, quod expiatione foret dignum in eo reperiri vix poſſet: tantum quoque in SERAPHINO fuit excolendæ vineæ ſibi locatæ, animæ videlicet ſuæ ſtudium, ut patientia, humilitate, caritate, obedientia, cæteriſque viri perfecti virtutibus eamdem exornaverit. Idcirco ad commune votum ejus Canonizationis nedum ultro accedo, ſed pro ipſa eo ferventiori ſtudio SANCTITATEM VESTRAM humillime deprecor, quo vir Dei in mea Tolentinate Diœceſi ſanctioris vitæ fundamenta jecit, & Deus ipſe in altera Maceratenſi ſanctitatem ejus primo teſtatam voluit, dum flumen Potentiæ aquis redundantem intrepido, ac ſicco pede fecit illum trajicere.

JOANNES Rondinelli Epiſcopus Comaclenſis Aſſiſtens.

QUum BEATUS SERAPHINUS AB ASCULO probatiſſimæ Capuccinorum familiæ alumnus, ea vivens præbuerit caritatis, præſertim manſuetudinis, patientiæ, paupertatis, caſtimoniæque argumenta, ut dilectus Deo, & hominibus, memoriam ſui in benedictione reliquerit; ita de eo ornando, Sanctorumque faſtis adſcribendo, judicium merito eſt inſtitutum. Cum vero Deus Optimus Maximus ſpectatiſſimas egregii hominis virtutes ſignis, atque prodigiis declaraverit; cenſeo nihil obeſſe, quominus publici, qui Sanctis deferri ſolent honores, ſollemni ritu illi quoque decernantur, ad ſplendidius cum Ordinis ſui, tum Chriſtianæ Reipublicæ univerſæ decus & fauſtitatem.

PHILIPPUS Mornati Epiſcopus Sutrinus, & Nepeſinus Aſſiſtens.

BEATISSIME PATER. In Sanctorum Canonizatione præſentibus Comitiis ſtatuenda, duos Piceni Provincia, in qua mihi ortum ducere datum eſt, habere candidatos gloriatur, qui tamquam una laborantium biga, quæ Chriſti jugum in terris pari devotione portavit, ut ait D. Chriſoſtomus, pari etiam felicitate triumphet in Cælis. Decet itaque, BEATISSIME PATER, ut ſicut B. JOSEPHUS A CUPERTINO in Ordine Minorum S. Franciſci, prius Capuccinorum, & poſtea Conventualium adoptatus, & in Auximano conventu Chriſti vitam, mortemque imitatus, inter Sanctos Confeſſores merito intenſiſſimi amoris erga Deum, cujus vi in ſui cordis ſpiritu incenſus adeo frequenter, ac mirabiliter in aera rapiebatur, communi Eccleſiæ voto adſcribendus cenſetur; ita etiam BEATUM SERAPHINUM natalitium diem mundo in oppido Montis Granarii, Religioni in Æſina, Cælo vero in civitate Aſculana ſortitum ejuſdem Seraphici Patris filium, non minoris in Deum, majoriſque erga proximos caritatis luce conſpicuum, ac mirabili patientia illuſtrem, eodem duliæ cultu venerandum eſſe per SANCTITATEM VESTRAM Spiritu Sancto impellente, jubeatur, novuſque Seraphicæ non modo Religioni in hoc ejus alumno divinæ providentiæ impetrandæ Patronus, ſed toti Picenæ Provinciæ fide vera invocandus, atque exorandus addatur.

F. JOACHIM MARIA Pontalti Epiſcopus Aſcalonites Aſſiſtens.

BEATISSIME PATER. Cum tam admirabilis ob oculos Chriſtifidelium occurrat B. SERAPHINI AB ASCULO Ordinis Minorum S. Franciſci Capuccinorum & humilitas ab omni vanitate prorſus aliena, & paupertas ab omni rerum cupiditate omnino ſejuncta, & patientia in injuriis omnibus, atque vitæ incommodis alacriter perferendis, & caritas erga Deum, & proximum adeo fervens, & conſtans, ut jure, ac merito SERAPHINI nomine nuncuparetur, quas ob virtutes in gradu heroico comprobatas, fuit inter Beatos cooptatus. Eccleſiæ militanti præſidium, ſicut & Seraphico Capuccinorum Ordini gaudium cenſeo adfuturum quammaximum, quoties, ut enixe oro, obteſtorque inter Sanctos hoc præclariſſimum heroicarum virtutum

tutum exemplar ab hac ſancta Apoſtolica Sede adnumeretur: ſic fiet, ut quem adhuc viventem homines, quem Sanctum nunc habent Cælites, ut Sanctum etiam venerentur ſinguli Chriſtifideles in terris.

Fr. NICOLAUS ANGELUS MARIA *Landini Epiſcopus Porphyrienſis Aſſiſtens.*

Beatissime Pater. Inter heroicas Seraphini ab Asculo virtutes martyrii deſiderium eminere minime dubito; ſed ad infidelium regiones ire vetitus, alia ſtatim virtus prodiit, quæ hanc ipſam fortaſſe ſuperare videtur. Innumeros etenim peccatores apud Picenos ſuos monitis, precibus, exemplis, minis, interdum objurgationibus, ſignis etiam, & prodigiis excitare non deſtitit, & Chriſto tandem lucrifecit. Ita vir in Capuccinorum Ordine laicus, omnis humanæ ſapientiæ expers, imo hebetis ingenii, & ſervilibus operibus vix par viſus eſt Apoſtolatus munere tam feliciter fungi, ut cum magno Paulo dicere poſſet: *Signa Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos in omni patientia, in ſignis, & prodigiis, & virtutibus.* Quid ergo amplius hæſitandum, Beatissime Pater, ut tantum nomen cæteris Eccleſiæ Chriſti nominibus celeberrimis adjungere valeas?

PETRUS PAULUS *Toſius Epiſcopus Ferentinus Aſſiſtens.*

Quam eximia futura eſſet ſanctitas Beati Seraphini ab Asculo, ſeu de Monte Granario Laici profeſſi Ordinis Minorum S. Franciſci Capuccinorum, prima ejus ætas non obſcura præbuit indicia, in qua morum innocentia, & in Deum pietas non vulgaris ejuſdem rei omen dedit, & quod devotionis cauſſa io Deiparam, arrepto itinere ad ſacrato inviſendam Lauretanam domum, Potentiæ flumen, quod ex ſuccreſcentibus ultra modum aquis trajici nequaquam poterat, ipſe ſolus ſumma adſtantium, & ſociorum admiratione ſicco pede trajecit. Rigidi inſtituti, cui adhuc adoleſcens ſe addixit, officia omnia ſacrorum votorum Religione ſollemniter a ſe adpromiſſa, ad apicem, ultimamque perfectionem, donec in humanis fuit, exactiſſime ſemper implevit. His ſumptibus ſpecioſiſſimam illam in corde ſuo extruxit turrim, caritatem nempe, quæ eſt vinculum perfectionis; ex ea vero ſimul cum viva fide, & firmiſſima ſpe omnia pariter bona illi advenerunt, patientia præſertim, in qua probra, ludibria, maledicta, graviſſimas injurias, & dæmonis infeſtationes uſque in finem fortiter ſuſtinendo, animam ſuam plene poſſedit: hæc eum Deo commendavit, ſervavitque, & exinde ſublimium meritorum gloriam adeptus eſt apud Deum, & homines, cui & plauſerunt mirabilia, quæ Deus ipſe meritis ejus intercedentibus operatus eſt. Quare, Beatissime Pater, publici cultus honorem Sanctis cum Deo regnantibus in terris debitum, per te, cui unice datum eſt ſacra Divis dare, illi adſcribi cenſerem.

NICOLAUS *Gagliardi Epiſcopus Alatrinus Aſſiſtens.*

Beatissime Pater, Beatus Seraphinus de Asculo, qualis vir fuerit per totum ſuæ vitæ curſum, exploratum habere poterit Sanctitas Vestra ex eo, quod arctam mandatorum, & conſiliorum divinorum viam ſuperna gratia jugiter dilatante cor ejus, feliciter ingreſſus fuit, felicius cucurrit, feliciſſime denique conſumavit.

Dixi feliciter ingreſſus fuit, nam a primo rationis uſu, quo ſe Deo ſtatim obtulit, iter perfectionis arripiens, abnegatis ſecularibus deſideriis, ſobrie, juſte, ac pie vixit, tamque ardenter exurivit, & ſitivit juſtitiam, & ſanctitatem, ut ex tunc videretur cum Angelis converſatus.

Felicius idem iter cucurrit, nam in ſortem Domini vocatus per exactam ſuæ Religionis diſciplinæ obſervantiam, ſingulariſque mundi contemptus exemplo provectioribus prælucebat. Ipſius porro ardentiſſima caritas ipſum taliter circumduxit in morbis ſanandis, in ſpiritibus e corporibus expungendis, & in omnibus pietatis operibus, ut per ardentem in Deum, & proximum

caritatem de eo dici poſſit evangelicæ legis plenitudinem revera impleviſſe.

Tandem feliciſſime in ſemita mandatorum Domini curſum conſumavit, quia ad ultimum uſque vitæ ſpiritum, quamvis debilitata natura, viribuſque proſtratis ex diuturnis jejuniis, gravoque pectoris morbo, a zelo tamen propagandæ Dei gloriæ non deſtitit. Semper ad occurrendum Deo venienti promptiſſimus, cœleſtis patriæ deſiderio flagrabat, æquiſſimo animo moleſtias, acerboſque morbi dolores ferebat, ut nemini eus aperuerit. Supereſt igitur, quod SANCTITAS VESTRA divina illa auctoritate, cujus vices gerit in terris. Sanctorum faſtis adſcribat, ut Chriſti invictus athleta ſuo lumine illuſtret Eccleſiam, ſuoque tueatur patrocinio.

CLEMENS MARIA Bardini Epiſcopus Aquipendii Aſſiſtens.

SUpremum ſanctitatis apicem aſſequutus profecto eſt SERAPHINUS AB ASCULO. Sacro enim regeneratus lavacro, nullius unquam criminis vel leviſſimi, donec vixit, ſibi conſcius fuit, religioſum inſuper Divi Franciſci Inſtitutum cum adhuc adoleſcens profeſſus ſit, arduam Ordinis diſciplinam, auſteritateſque ad obitum uſque vix imitabili obedientia perſequutus eſt. Integerrimam inſuper cuſtodivit vitæ innocentiam, caſtitatemque; corpus dira pœnitentia cruciavit, ardentiſſimo dilectionis æſtu in Deum, proximumque efferbuit; pauperie ita præfulſit, ut evangelicæ quidem paupertatis exemplar cunctis ubique videretur; tanta demum patientia hominum, ſatanæque pertulit injurias, crudelitates, & inſidias, ut, ſi exoptatam martyrii lauream pro Dei gloria, & Catholica tuenda veritate haud obtinuit, martyr tamen patientiæ merito poſſet appellari. Hiſce virtutibus, PATER SANCTISSIME, SERAPHINUM crebris prodigiis Deus O. M. illuſtravit; hiſce ergo arbitror, eum ſollemni Canonizationis ritu eſſe a SANCTITATE VESTRA Sanctorum faſtis adſcribendum.

Omnes Aſſiſtentes Epiſcopi, quorum ſuffragia retulimus, animum expoſuerant ſuum, cum Archiepiſcopus Apameæ, qui inter non Aſſiſtentes Epiſcopos primus erat, ſuam in hunc modum dixit ſententiam.

STEPHANUS EVODIUS Aſſemanus Archiepiſcopus Apameæ.

EGregia ſunt, & luculentiſſima, BEATISSIME PATER, quæ B. SERAPHINI DE ASCULO ſanctitatem mirifice exornant. Illud primum eſt, quod evangelicæ perfectionis iter ab ineunte ætate avidiſſime arripuit, ſtudioſiſſime tenuit, pleniſſime abſolvit. Alterum vero, quod miraculorum dono æque dum viveret, ac poſt obitum magnopere effulſit. Quum itaque utroque nomine dilectum eum eſſe Deo, & hominibus, ejuſque memoriam in benedictione eſſe [1], abunde pateat; ſupereſt, BEATISSIME PATER, ut Sanctorum cultum, & honores eidem ſollemni decreto adjudices.

Quæ modo ſequuntur Epiſcoporum non Aſſiſtentium ſuffragia nequaquam fuere in Conſiſtorio perlecta, cum tantum reliqui Epiſcopi ſubjunxerint ſe a ſententia Archiepiſcopi Apameæ minime diſcrepare.

ՅԱԿՈԲՈՍ [illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Ա[illegible]

1 *Eccleſiaſt.* 45.

[illegible]

Ejuſdem verſio latina.

JACOBUS Meſrob Chiaja Araboli Archiepiſcopus Lampronenſis, & Tarſi natiane Armenus.

BEATISSIME PATER. SERAPHINUS AB ASCULO Ordinis Capuccinorum evangelicæ paupertatis amator in ſe ſævientiſſimus, in proximos, & Deum caritate plenus, humilitatis, & patientiæ cultor eximius, ac vitæ innocentia, & caſtitate adeo clarus, ut ne levi culpa virtutes haſce maculaverit unquam. Jam inter Beatos relatus, exoptat, & orat univerſus Capuccinorum Ordo, ut in Sanctorum album referatur ab hac Sacroſancta, & Apoſtolica Sede, quod & ego humillimis precibus in genua provolutus exoro ſupplex, ac poſtulo.

JOSEPH SIMONIUS Aſſemanus Archiepiſcopus Tyri.

BEATISSIME PATER. Seraphicus Ordo plantatus in domo Domini, & ſicut Cedrus Libani multiplicatus, ſemper fructificat[1] in palmites, & emittit propagines: electos ſcilicet Dei, & ſanctos viros, qui heroicis virtutibus, & miraculis inſigniti, Franciſci patris ſui gloriam augent. Poſtquam clauſtra Ordinis Minorum S. Franciſci Conventualium B. JOSEPHUM A CUPERTINO Sanctorum albo cooptandum exhibuere: nunc ſepta ejuſdem Ordinis Minorum S. Franciſci Capuccinorum nobis proponunt B. SERAPHINUM AB ASCULO, ſeu DE MONTE GRANARIO inter Sanctos recenſendum. Hic quidem in baptiſmate Felix nuncupatus fuerat, neque id caſu factum puto: vivam enim Sancti Felicis a Cantalicio imaginem erat repræſentaturus, quemadmodum exhibita nobis feries ipſius vitæ teſtatum facit. Itaque tam exacte, tamque luculenter Felicis, & JOSEPHI in vita, & poſt obitum veſtigiis inhærentem SERAPHINUM, eorumdem etiam catalogo a SANCTITATE VESTRA adſeribendum cenſeo.

[1] Ezechiel. 17.

ALEXANDER FE' Epiſcopus Methonenſis.

CUM jam ſatis conſtet non tam de morum probitate, humilitate, & paupertate, ſed etiam de aliis virtutibus in gradu heroico B. SERAPHINI AB ASCULO; ideo, BEATISSIME PATER, inter catalogum Sanctorum recenſendum eſſe ſentio.

CAROLUS CAMUCIUS Epiſcopus Juſtinopolitanus.

COmpertum ſatis eſt, BEATISSIME PATER, omnes eas animi præclaras dotes in B. SERAPHINO AB ASCULO extitiſſe, quæ ex Chriſti Domini turbas docentis ore beatos reddunt homines. Fuit ille ſiquidem pauper ſpiritu, cum paupertate namque arctiſſima humilitatem profundam conjunxit. Fuit mitis, cum multa, & præclara patientiæ exempla præbuit: fuit etiam lugens, omnibus mundi illecebris, ac voluptatibus vale dicens, pœnitentiis, & ſui corporis caſtigationibus apprime addictus, utpote etiam mæſtitia ſauciatus dum conſiderabat Deum tam ſæpe ab hominibus offendi: tum exurivit, & ſitivit juſtitiam, amator exiſtens veri, & inconcuſſi boni, & omnem Capuccinorum vitæ aſperam rationem, cui ſe addixit, exactiſſime ſervandi ſtudioſus: fuit quoque miſericors, caritate in proximum undequaque æſtuans: fuit pacificus, omnes animi ſui motus componens, nec illi defuerunt perſecutiones propter juſtitiam, tum a fratre, dum in ſeculo vitam agebat, tum deinde ab iis, qui ejus ſanctitatem vel non noverant, vel probare cupiebant. Reliquum ergo eſt, ut quem Redemptor noſter beatum clamans comparticipem effecit Regni Cœlorum, eum SANCTITAS VESTRA cæteris illius beati regni poſſeſſoribus parem honore, & gloria in terris faciat,

Rr 2 JU-

JULIUS MATTHÆUS Natali Epiſcopus Tiburtinus.

JUſtorum ſemita, quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit uſque ad perfectam diem [1]. Huic omnino ſimilis fuit ſemita B. SERAPHINI AB ASCULO Capuccinorum familiæ alumni percelebris. Ab ortu ſuo montem mirrhæ, & collem thuris alacriter conſcenſus, ibique in foraminibus petræ, & caverna maceriæ defixus aſperrima carnis ſuæ nunquam coinquinatæ mortificatione, incredibili totius corporis afflictatione, ac patientia plane admirabili ſub vexillo caritatis in ſe ordinatæ, cæteriſque heroicis virtutibus comitantibus, pro Dei gloria, & proximorum ſalute uſque ad occaſum dimicans, adverſa omnia ſuſtulit, omnia vicit, de omnibus triumphavit; atque e vertice inacceſſo & incalcato Amana, Senir, & Hermon collectis omnigenis floribus, coronam ſibi jamdiu promeruit. Sed tot, tantiſque SERAPHINI facinoribus etiam Dominus contulit plurimorum miraculorum ſplendorem, & pulchritudinem, in pulchritudinem ampliavit, ut incomparabili decore omnibus appareret, eique gloriam Libani datam eſſe, decorem Carmeli, & Saron. Sicut itaque a multis tum civibus, cum exteris Sanctus dudum habetur, riteque colitur, æquiſſimum arbitror, BEATISSIME PATER, ut ſupremo decreto tuo glorietur ſuper eum Eccleſia univerſa, & ſit nomen ejus in numero Sanctorum, & juſtorum.

JOSEPH ALUFFI Epiſcopus Balneoregienſis.

BEATISSIME PATER. BEATUS SERAPHINUS AB ASCULO iterare de ſe poſſe videtur Davidis illud: *Quoniam non cognovi litteraturam, introibo in potentias Domini*; litteraturam enim vere non cognovit in paſcendis gregibus, & cæmentaria arte exercenda, cum ab adoleſcentia ſua annos traduxerit. Introivit tamen in Domini potentias, & illo ipſo tempore orationi deditus, & carni edomandæ; multo autem poſtea magis, cum audita pia lectione, ſacrum Capuccinorum Ordinem ingreſſus eſt. Potentias autem Domini, in quas introivit, dicere poſſumus admirabile contemplationis donum, in lucrandis Deo animabus dexteritatem, in quibus fuit famoſiſſimi graſſatoris Marci Sciarra, gratiam curationum; ſed præcipue heroicarum virtutum exercitationem, ex quibus omnino ſingularis fuit in corpore affligendo ſeveritas, conſuetus ter in hebdomada ſolo pane, & aqua vivere, alias cibis cinerem admiſcere, & patientia in tolerandis fratris ſui contumeliis, atque injuriis, poſtea vero a nequam homine graviſſimo ictu caput percuſſus, cum obſtupuiſſet ſibi redditus, ſancti nomine blande percuſſorem appellavit. Ex quibus omnibus, & ex miraculorum probatione rite conſtituta, BEATUM SERAPHINUM, BEATISSIME PATER, digniſſimum judico, qui inter Sanctos recenſeatur.

JOANNES de Vita Epiſcopus Reatinus.

APparuit in Seraphici Patris familia Capuccinorum nuncupata, qui Seraphicas virtutes etiam nomine præſeferret. Apparuit, inquam, BEATUS SERAPHINUS, qui frigeſcente adhuc mundo, ignem venit mittere in terram: ut ejuſmodi ignem accenderet pauper, & humilis, nihil, quod mundi erat, habere debuit, nihil habere voluit; ut accenſum augeſceret, fecit caritas illa, quæ in corde ejus diffuſa, nullis per omnem ætatem, ac flatum tentationum aquis extincta, nullis tribulationum fluminibus obruta, vehementioribus in Deum, ac proximum amoris ignibus conflagravit. Prodeat itaque, BEATISSIME PATER, in univerſa Dei Eccleſia novus hic Seraphim ſanctitatis corona redimitus; in quo Deus ignobilia, & contemptibilia mundi elegiſſe videtur, non ut fortes, & ſapientes deſtrueret, aut confunderet, ſed ut hi meliora, quæ, dum velint, ſatis poſſunt, Seraphini æmulantes chariſmata, illud tandem diſcant non ſolis conditione humilibus, profeſſione pauperibus, ſed paupertate ſpiritus, humilitate cordis, caritate non ficta,

1 Prov. 4. v. 18.

ſicta, patere quibuslibet regna Cælorum.

PHILIPPUS Bruni Epiſcopus Lyddenſis, & Suffraganeus Sabinæ.

Beatissime Pater. Mirandum ſane minus eſt Beatum Seraphinum ſicco pede Potentiæ torrentem tranſiliiſſe, quam in humilitate, in candore non violatæ innocentiæ, in corporis ſui mortificatione gloriatum, a peccato etiam leviſſimo toto vitæ ſuæ tempore abhorruiſſe. Abſconditam agens vitam in Chriſto, ſeculi deſideriis ſpoliatam, ſumpſit in cinere panes, & veſtes in cilicio. Contumelias, & jurgia non diſcreta domi; irriſionem, & contemptum foris ex induſtria quæſitum heroice pertulit; civium ſimultates, improborum ſcelera, obſtinatamque conſcientiam vicit non ſcientia, quæ ſapientes inflat, ſed Chriſti ſapientia, quæ parvulis revelatur. Hunc igitur tua, Beatissime Pater, auctoritate inter Sanctos relatum ſeculi hujus filii venerentur, ut tantam virtutem, tantamque gloriam admirati, cæleſtia exquirere, terrena faſtidire doceantur.

JOANNES BAPTISTA Filipponi Tenderini Epiſcopus Anagninus.

Deum facere magna, & iſcrutabilia, quemadmodum a Jobo dictum legimus, atque, ut Apoſtolus, ignobilia mundi, & contemptibilia eligere, ut confundat fortia, ex tota B. Seraphini vita, ſi cætera deeſſent, conſtaret. Nam humili loco natus, gregibus primo paſcendis, deinde cæmentariæ arti addictus, ingenio præterea rudi, neque ad has ipſas exercendas artes ſatis idoneo, nihilominus ad ſublimia Dei intelligenda divina virtute factus eſt aptiſſimus, ad animas etiam proximorum traducendas a vitiis ad virtutem, & pietatem, ut publicos ipſos prædones Deo lucraverit, periculoſum alearum ludum ab Aſculana plebe ſuſtulerit, inveteratas inimicitias reſtinxerit, aliaque egerit ad Dei gloriam magna, atque præclara. Quamvis enim omnibus ferme humanis præſidiis deſtitueretur, fide, ſpe, caritate præcipue abunde erat inſtructus, qua officioſum mendacium cum ſuaderetur, ut proferret, expavit. Cumque ſit caritatis veluti palæſtra patientiæ exercitatio, in ea admirabilem ſe præbuit; ab ipſa ineunte ætate fratris contumeliis, & ſævitie conſtantiſſime tolerata, poſtea malorum hominum inſultibus, ictuque in capite graviſſimo, denique ſuorum propter naturæ ineptitudinem reprehenſionibus, & animadverſionibus cum gratiarum quoque actione exceptis. Accedentibus ergo ad heroicas has, aliaſque virtutes Dei donis, & miraculis rite jam probatis, B. Seraphinum digniſſimum judico, cui Sanctorum honores a Beatitudine Vestra decernantur.

Cum Cardinales, & Epiſcopi quid de B. Seraphino ab Asculo, ſeu de Monta Granario ſentirent, expoſuiſſent, Beatissimus Dominus Noster eorumdem ſententias & de Beata Joanna Francisca Fremiot de Chantal hiſce exquiſivit verbis.

Gratæ nobis fuerunt de B. Seraphino canonizando ſententiæ veſtræ. Nunc de B. Joanna Francisca itidem in Sanctorum numerum referenda veſtra cupimus audire ſuffragia.

Eminentiſſimi autem Patres, & Reverendiſſimi Epiſcopi eo, qui ſequitur conſueto ordine, ſuum & de B. Joanna Francisca Fremiot de Chantal ſenſum declararunt.

CAROLUS ALBERTUS Epiſcopus Oſtienſis, & Veliternus Sacri Collegii Decanus Cardinalis Guidobonus Cavalchinus.

Beatissima Pater. Virginem caſtam ſe ſe exhibuerat Chriſto, ſanctamque corpore, & ſpiritu Beata Joanna Francisca Fremiot de Chantal; ubi autem patri obſequens nupſit, etſi mutato vitæ inſtituto, eamdem ſervavit morum integritatem. Viro obediens, cogitavit quæ Domini ſunt, & inventa eſt mulier fortis in habitu quidem ornato, ſed cum verecundia, & ſobrietate,

quod

quod decet mulierem promittentem pietatem per opera bona. In ea oraculum illud Sapientis, mandata Dei in corde mulieris ſanctæ impletum eſt. Orbata viro veram ſe viduam præbuit, nocte, ac die jejuniis, & obſecrationibus ſerviens. Tantis autem ornata virtutibus a S. Franciſco Saleſio ad Ordinem ſanctimonialium a Viſitatione inſtituendum non modo adjutrix, quin etiam Præſes ad eum regendum electa fuit. Itaque cincta fortitudine lumbos, roboranſque brachium ſuum manum miſit ad fortia, eoque ſic functa eſt munere, uti jam ejus Congregationis mater appellaretur. Pluries quoque S. Vincentius a Paulo in adminiſtrandis, gubernandiſque collegiis ſuis ſalutare admodum conſilium ejus expertus eſt. Poſuit poſtremo Deus in ipſa verba ſignorum ſuorum, ut tandem particeps gloriæ Sanctorum (quod jamdudum de illa futurum prænunciavit S. Franciſcus Saleſius) ſollemni Apoſtolicæ Sedis decreto promulgari mereatur.

JOANNES FRANCISCUS Epiſcopus Sabinenſis Cardinalis Albani.

Omnes ſane virtutes, quibus Beata Joanna Francisca Fremiot tum virginitatis ſtatum, tum conjugii, tum viduitatis ornavit; quantacumque fuit ratio ſupernaturalium gratiarum in eam cælitus collatarum, quæ certe maximæ S. Franciſco Saleſio viſæ ſunt: quanta utilitas inſtitutæ non dicam familiæ, ſed militiæ, quæ mundum vinceret in ſpiritu dulcedinis, & lenitatis, non per martyrium carnis, ſed per incendium cordis: ea omnia chariſmata in emiſſo voto continentur, quo ſibi legem ſtatuit, ne cogitaret, loqueretur, ageret, niſi quod perfectius exiſtimaret. Inde lacte, ac melle manantes epiſtolæ prodiere; inde ferrum excanduit, quo in pectore Chriſti nomen obſignavit; inde fidei, inde morum zelus, atque conſtantia. Quam igitur virtutes maximæ, quam præclariſſima decorarunt miracula, eam in Sanctorum album referre, Beatissime Pater, non dedigneris.

HENRICUS Epiſcopus Tuſculanus Cardinalis Dux Eboracenſis S. R. E. Vicecancellarius.

Multarum filiarum divitias in una Joanna de Chantal congregatas intuemur, Beatissime Pater, quæ proinde ſupergreſſa fuiſſe videtur univerſas. Ea enim in multiplici vitæ curſu, quem tenuit, exemplo ſuo virginibus, nuptis, viduis, ac ſanctimonialibus rectiſſimam vivendi normam reliquit, quam ſequerentur. Virgo fuit ſancta corpore, & ſpiritu, & una de numero prudentum, quam Dominus ſemper vigilantem invenit. Nupta, mulieris fortis explevit munia: panem otioſa non comedit, operata eſt conſilio manuum ſuarum, & confidit in ea cor viri ſui. Orbata viro, ſanctæ viduitatis honores ſibi promeruit: curam habuit ſuorum, maxime domeſticorum, filios in timore Domini educavit, manum ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem. Perpetuæ, quod in hoc ſtatu emiſit, caſtitatis voto illud etiam adjunxit, ea ſemper faciendi, quæ perfectiora, ac Deo gratiora fore cognoſceret, eoque ſanctitatis brevi devenit, ut, Franciſco Saleſio teſte, quem illa divinitus admonita conſcientiæ ſuæ moderatorem elegerat, pro ratione acceptorum a Deo munerum nemini liceret altius aſſurgere. Tandem elegit abjecta eſſe in domo Dei magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum. Juſſa enim a moderatore ſuo Ordinem monialium Viſitationis excitare, exivit e domo, & cognatione ſua, poſthabitiſque hujus ſeculi curis, Annecium perrexit, ut Saleſii ductu novum fundaret Ordinem, quem ipſa prior, veluti Fundatrix, ac mater profiteretur. Quamquam autem innumeræ eidem fuerint ſuperandæ difficultates, innumeraque certamina ſubeunda; quatuor tamen ſupra octoginta cœnobia lectiſſimarum virginum in regionibus, nationibuſque diverſis adhuc vivens excitavit, pene omnia præſens inviſit, ac ſanctiſſimis legibus communivit. Quot autem, quantaque fuerint virtutum exempla, quibus illas ad religioſam perfectionem informavit,

mavit, ſatis teſtantur filiæ non degeneres, quæ matrem referunt, totuſque Viſitationis Ordo latiſſime propagatus, in quo matris ſpiritus vivit, omniaque ſuaviſſime, ſanctiſſimeque moderatur. Ea profecto fuit ejuſdem ſanctitatis fama, ac celebritas, ut JOANNAM e diſſitis etiam regionibus doctiſſimi, ſanctiſſimique viri conſulerent, quos inter S. Vincentius a Paula eidem caſtigandas, moderandaſque commiſit vivendi rationem, ac leges, quas alumnis ſuis præſcribere meditabatur. Tandem meritis plena, laboribuſque confecta inter pias filiarum ſuarum lacrymas ad Sponſi Cæleſtis amplexum evolavit. Plurima ejus obitum conſecuta ſunt divinitus patrata miracula, quorum quinque rite probatis, illam Beatarum albo Benedictus XIV. adſcripſit. Cum autem nuper alia duo ex recentiſſimis probata a te fuerint, BEATISSIME PATER; quid reliquum eſt, niſi ut eidem Sanctarum honores oraculo tuo decernantur? Id futurum prædixit S. Franciſcus Saleſius, qui illam ſæpiſſime ſanctam nuncupavit, & Paulæ, Franciſcæ, aliiſque ſanctiſſimis mulieribus ſimillimam dixit; id enixis precibus poſtulat Viſitationis Ordo, quem ſuaviſſima parens mea Britanniæ Regina Maria Clementina ſummopere ſemper dilexit; id tandem ego quoque ſupplex peto, cui & ejuſdem Ordinis tutelam, & hujuſce Cauſſæ relationem Apoſtolica Sedes demandavit.

FABRITIUS Epiſcopus Albanenſis Cardinalis Serbellonus.

HEroicæ ſanctitatis BEATÆ JOANNÆ FRANCISCÆ DE CHANTAL locupletiſſimum teſtimonium tribuit S. Franciſcus Saleſius ejuſdem magiſter, & moderator, pronunciare enim de illa non dubitavit, eo ſanctitatis, & virtutis proceſſiſſe, ut pro ratione gratiarum, quibus a Deo fuit locupletata, nemini liceret altius aſſurgere; cumque hoc ipſum inſignium miraculorum frequentia fuerit comprobatum, æquiſſimum cenſeo, BEATISSIME PATER, ut coronam de manu veſtra accipiat in terris, quam de manu Domini jam recepit in Cælis.

JOSEPH MARIA Tituli S. Cæciliæ Presbyter Cardinalis Feroni.

VIrginibus, BEATISSIME PATER, in matrimonio conjunctis, viduis, ac demum ſanctimonialibus fœminis illuſtre exemplum aliquod a Deo Optimo Maximo ad imitandum propoſitum in BEATA JOANNA FRANCISCA FREMIOT DE CHANTAL mihi videor plane cognoſcere; tanta vero in unoquoque vitæ illius gradu JOANNÆ FRANCISCÆ extiterunt præclara merita, ut ſtatui vix poſſit, in quo majorem virtutis laudem ſit conſecuta. S. Franciſco Saleſio, quo pietatis, ac perfectionis magiſtro uſa eſt, in religioſa virginum a Viſitatione dictarum familia conſtituenda adjutrix, & ſocia fuit; poſt autem illius mortem, ſuavitate, & prudentia mirabili novum Ordinem late per Gallias diſſeminatum ſanctiſſime plures annos adminiſtravit. Hanc itaque ſanctiſſimi Gebennenſium Epiſcopi beatam alumnam, a Catholica Eccleſia inter ſanctas mulieres jure optimo referri poſſe non dubito, ut, quod in terris haberi maximum poteſt, decus, & ornamentum JOANNÆ FRANCISCÆ nomini accedat.

CAROLUS Tituli S. Clementis Presbyter Cardinalis Rezzonicus S. R. E. Camerarius.

PErfectiorem illam vivendi rationem, quæ cum Deo mentem in hac ipſa mortali vita conjungit, quam recte noverit B. JOANNA FRANCISCA DE CHANTAL, immortalia, piorumque manibus perpetuo tenenda ſcripta demonſtrant. Meliorem adhuc factis ea expreſſit, quam ſcriptis. Magni Saleſii magiſtri, cuſtodis, ducis conſiliis adeo profecit, ut ejus judicio vix cuiquam ſanctitate, & virtute altius aſſurgere liceat. Cui ergo in terris adhærere Deo bonum adeo fuit, eam in Cælis eadem intima unione frui diceodum eſt. Tui igitur oraculi eſt, BEATISSIME PATER, quod vitæ ratio ſuadet, quod miraculorum multitudo confirmat, definire.

FER-

FERDINANDUS MARIA Tituli S. Sylveſtri in Capite Preſbyter Cardinalis de Rubeis,

IN fragili etiam, infirmoque ſexu, dum JOANNÆ FRANCISCÆ FREMIOT DE CHANTAL vitam perpendimus, præter ſingularem innocentiam, caſtitatem, ac pietatem, in adverſis, ac in ſecundis conſtantiam, miram ſanctiſſimarum legum doctrinam, ac conſultiſſimam divinarum rerum ſcientiam admiramur. Tuum nunc eſt, BEATISSIME PATER, Deo eamdem miraculis glorificante, laudem ipſi, Sanctarumque honorem in terris tribuere.

JOSEPH MARIA Tituli S. Alexii Preſbyter Cardinalis Caſtelli.

HAbent chriſtianæ virgines, SANCTISSIME PATER, in BEATA JOANNA FRANCISCA FREMIOT, habent nuptæ, habent viduæ ad vitæ perfectionem adipiſcendam propriis ſtatus virtutes omnes, quas imitentur. Virgines adoleſcentis pietatis in Deum ſedulum cultum, humile, & conſtans in parentes obſequium, verecundiam, modeſtiam, pudicitiæ conſervandæ ſtudium, retinendæque deſiderium. Nuptæ incorruptam fidem, & caſtum amorem in conjugem, in filios ad pietatem formandos jugem ſollicitudinem, familiæ ſibi commiſſæ hortationibus, & exemplo ad omnes virtutes capeſſendas perpetuum adjutum excitamentum. Viduæ vero magnanimam pomparum ſeculi abdicationem, mundi faſtidium, cæleſtium dumtaxat rerum amorem, & deſiderium. Luceat igitur per te, BEATISSIME PATER, mulier hæc fortis in ſplendoribus Sanctorum, ut videat univerſus fœmineus ſexus pro tantis virtutibus ſibi propoſitis ad imitandum, quæ merces magnificentiſſima a ſummo, & juſto largitore Deo reſervetur in Cælis.

CAJETANUS Tituli S. Auguſtini Preſbyter Cardinalis Elephantutius.

BEATISSIME PATER. Quod BEATA JOANNA adhuc innupta exhibuerit Chriſto virginem caſtam; quod viro conjuncta æmulata ſit mulierem fortem; quodque demum vidua obtulerit Deo ſacrificium bene placens, atque perfectum, hæc omnia plane aſſequimur ex iis, quæ de heroicis virtutibus, deque eximia illius ſanctitate narrantur. Verum præ cæteris præſtat inſigne illud, quod jamdiu dederunt teſtimonium, duo præclariſſima Eccleſiæ lumina Franciſcus Saleſius, & Vincentius a Paulo, qui ideo, ubi acceſſerit, ut æquum puto, indefectibile SANCTITATIS VESTRÆ decretum, & ipſi in Cælis gaudebunt habere in terris ejuſdem gloriæ conſortem, quam olim habuerunt alumnam, magnorumque operum, & conſiliorum ſociam, atque participem.

PETRUS HIERONYMUS Tituli Sanctiſſimæ Trinitatis in monte Pincio Preſbyter Cardinalis Guglielmi.

BEATAM autem JOANNAM FRANCISCAM DE CHANTAL quibus efferam laudibus, aut cui eam valeam comparare, plane ignoro, BEATISSIME PATER; niſi præclaram illam mulierem recordatus fuero, quam lego in Scripturis ſanctis benedictam præ omnibus mulieribus ſuper terram [1], ſanctam Judith intelligo, manu Domini confortatam, ut faceret viriliter [2] in ſalutem populi, eo quod caſtitatem diligens poſt virum ſuum, alterum neſciverat [3], & jejuniis intendens, & habens ſuper lumbos ſuos cilicium, ſecretam ſibi manſionem fecerat, in qua cum puellis ſuis clauſa morabatur [4]. Hujus, inquam, ſanctæ mulieris converſatio, caſtitas, fortitudo veſtigium aliquod præbet ſanctimoniæ BEATÆ JOANNÆ. Quamquam nemo profecto ſit, qui BEATÆ JOANNÆ geſta percurrat, & clare non videat tum vitæ auſterioris & ſecretioris inſtituto, tum reliquarum virtutum exercitio, ſed præſertim in rebus difficillimis agendis, & arduis quibuſque ſuperandis fortitudine longe admodum præſtitiſſe BEATAM JOANNAM; atque ita præſtitiſſe, ut ſtupeat humana quævis mens in contemplatione operum illius. Sed ad rem. Memineris, BEATISSIME PATER, Eliacim Summum Pontificem veniſſe de Jeruſalem cum univerſis Pres-

1 Judith. c. 3. 23. 2 Ibid. c. 15. v. 11. 3 Ibid. 4 Ibid. c. 8. v. 5. 6.

Presbyteris ſuis, ut gratularetur Judith [1]; & Judith nomen in Sanctorum numero relatum, [2] ut non recederet laus ejus ex ore hominum. [3] Lætare tu etiam, Beatissime Pater, in Beata Joanna, & benedic nomen ſanctum ejus, ut inter medios Cleros, & populos laudetur in ſecula [4].

NICOLAUS Tituli SS. Nerei; & Achillei Presbyter Cardinalis Antonellus.

Renovata eſſe diebus noſtris in Joanna Francisca de Chantal antiqua chriſtianarum virtutum exempla, quæ vetus Roma in Paula mirata eſt, gaudet, & lætatur Eccleſia. Nobilis utraque genere, ſed multo nobilior ſanctitate; potens utraque divitiis, ſed Chriſti paupertate inſignior: in nuptiis utraque viro ſuo, & propinquis fœcunditate, & pudicitia, ſanctiſque moribus probata: morte deinde mariti viduam utramque factam, non propinquorum lacrymæ, & preces, non familiæ, non poſſeſſionis, non dilectiſſimi filii amor retardare potuit, quin Dominum ad ſe vocantem ſequeretur. Nam utraque pietatem in filios, pietate in Deum ſuperans, egreſſa eſt de domo, & cognatione ſua, & venit in terram, quam monſtraverat ſibi Dominus. Paula Jeroſolymis poſt virorum monaſterium, quod viris tradidit gubernandum, plures virgines e diverſis orbis partibus congregatas in tres turmas, monaſteriaque diviſit; ita tamen, ut in opere, & in cibo ſeparatæ, pſalmodiis, & orationibus jungerentur. Joanna Francisca autem quatuor ſupra octoginta cœnobia virginum variis in locis erecta, optimis, ſanctiſque legibus communivit. Illa Epiphanium, & Hieronymum: hæc Franciſcum Saleſium, & Vincentium a Paulo pietatis magiſtros habuit. Nihil illarum animo clementius, nihil erga omnes, præſertim humiles blandius. Tanta ſe utraque humilitate, quæ prima Chriſtianorum virtus eſt, dejecit, ut qui eas non vidiſſet, aut pro celebritate nominis videre non geſtiſſet, ipſas eſſe non crederet, ſed ancillarum ultimas, & minimas omnium eſſe putaret. Utraque demum poſt vitam in laboribus, in jejuniis, in vigiliis, in patientia, & in caritate non ficta, in pſalmodiis, & canticis ſpiritualibus inter ſacras virgines ſanctiſſime peractam, pie obdormivit in Domino. Sed B. Paula jam ab antiquiſſimo tempore inter beatos Cæli incolas ab univerſa Eccleſia colitur. Id igitur unum reſtat, Beatissime Pater, ut etiam B. Joanna Francisca ſollemni tuo judicio in Sanctorum numerum recenſeatur, atque vel hinc Eccleſiæ hoſtes intelligant, ſanctitatem, qua in filiis ſuis Eccleſia Dei ſuper ſatanæ ſynagogas, tamquam ſol ſuper tenebras longe, lateque præfulget, nunquam deficere, nec vitio hominum, nec lapſu temporum, nec fraude diaboli extingui poſſe.

Fr. LAURENTIUS Baſilicæ SS. XII. Apoſtolorum Presbyter Cardinalis Ganganelli.

Agrum hunc Eccleſiæ fertilem cerno; nunc integritatis flore vernantem, nunc viduitatis gravitate pollentem [5]. Jam vero Joanna Francisca utrumque ex hoc agro retulit fructum, virginitatis, quam lubens ſervaſſet, niſi parentum voluntati obſequi debuiſſet. Viduitatis, quam ad mortem uſque cuſtodivit. *Utrumque autem donum Dei eſt, & conjugalis pudicitia, & continentia vidualis... illud quidem quantum in ſe eſt laudabile, quia bonum... Hoc laudabilius quia melius* [6]. Joanna ergo facta eſt magiſtra fidei, & magiſtra caſtitatis, & virginitatis patrona, quam in tot puellis uſque modo ſervat, ac protegit. Quæ autem Saleſii, & Vincentii judicio probata eſt, dum viveret, hanc inter ſanctas mulieres virtutibus promicantem, & coruſcantem ſignis, Apoſtolica auctoritate recenſendam fore confido.

Gaude ergo, ac exulta, Beatissime Pater, quod Polonia Cantium, Hiſpania Calasanctium, Neapolitanum Regnum Josephum, Venetiarum Reſpublica Hieronymum, Picena Provincia Seraphinum, Gallia demum

Sſ

1 Ibid. c. 15. v. 9.
2 Ibid. c. 10. 8.
3 Ibid. c. 13.25.
4 Ex Pſalmis.
5 S. Ambroſius de viduis.
6 S. Fulgentius ad Probam epiſt. 2. cap. 6.

mum Joannam dederint, quibus tamquam novis ſyderibus Eccleſia militans, te moderante, præfulgeat.

MARCUS ANTONIUS Tituli S. Mariæ de Pace Presbyter Cardinalis Columna.

Beatissime Pater. Caritas, inquit Apoſtolus, non agit perperam; quo potiſſimum ſigno præfulgentem mirari ſubit magnam vitæ ſanctitatem Beatæ Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal, quæ plurimo Dei amore ſuccenſa, quum optime curreret in via mandatorum Dei, tamen metuens, ne temere curreret, & imprudenter, magnis expetitum votis a Deo, ductorem obtinuit magnum Saleſium; cui quidem tum ſeſe morigeram, obſequentemque ſemper præbuit, ut, eo duce, & altiorem ipſa virtutis apicem attigerit, & ſplendidiſſimum in Eccleſia ſacrarum virginum Ordinem, Viſitationis ſcilicet S. Mariæ fundaverit, lateque propagaverit. Quamobrem nullus dubito, quin mulier hæc ſapiens, & fortis Sanctorum faſtis ſit accenſenda.

SIMON Tituli S. Joannis ad Portam Latinam Presbyter Cardinalis Buonaccorſi.

Beatissime Pater. Beatis Franciſco Saleſio, & Vincentio a Paulo in Sanctorum album relatis, bis eſt de Beatæ Joannæ Franciscæ ſanctitate a Sancta Sede præjudicatum. Quod enim illi judicium de famulæ Dei virtutibus habuerunt, habuerunt autem eximium plane, & ſingulare, huic judicio pondus auctoritatis eſt additum, quod potuit maximum, cum illos ſpiritu Dei fuiſſe plenos, Sanctitatis Vestræ Prædeceſſores judicaverunt. Quod ergo in ſpiritu Sanctum Vincentium a Paulo, Beatis Saleſio, & Joannæ de Chantal ſuperſtitem vidiſſe accepimus, beatos parentis, filiæque animos ad ſinum uſque immenſitatis divinæ, quaſi geminos lucis globos ſublime elatos confluere, idem ſuo quodam modo in hoc fieri decet Eccleſiæ a Deo peregrinantis Empireo, ut quos Dei caritas ad multorum ſalutem in hac vita conjunxit, eodem cultu eum Deo regnantes, iiſdemque honoribus proſequamur

JOANNES CAROLUS Tituli SS. Joannis, & Pauli Presbyter Cardinalis Boſchi Major Pœnitentiarius.

Beatissime Pater. Si quæ mulier ab ineunte ætate mira quadam ratione vitam ad religionem inſtituit; ea profecto habenda eſt Joanna Francisca Fremiot de Chantal. Nam adhuc virgo, nihil de animi ſui dotibus, aut candore ſuperbiens, totam ſe Deo, & paternæ credidit auctoritati. Nobili viro connubio juncta, eique divinæ vinculis caritatis adhærens, prolis optimis moribus imbutæ parens evaſit, familiæ ſuæ non minus, quam totius patriæ lumen, & ornamentum. Viduitatem denique colens, ita ſe fortitudine, & prudentia magno Saleſio probavit, ut ſacrarum virginum mater divi meruerit, ac votis de ſanctiori vivendi methodo quotannis nuncupatis, omnes & matronarum, & virginum virtutes perpetuo vitæ ſuæ tenore complexa ſit; ſanctiſſimam igitur matronam tot meritis a Deo, & prodigiis inſignitam, ea, qua Sanctos proſequimur, veneratione, ſuperno Apoſtolicæ Sedis oraculo conſecrandam cenſeo.

LUDOVICUS Tituli S. Anaſtaſiæ Presbyter Cardinalis Calinus.

Mulierem vere fortem B. Joannam Franciscam Fremiot de Chantal, quod de hæreticis primum, deinde de parente, de filio, deque ſeipſa mirifice triumphaverit: votumque de faciendi ſemper, quæ perfectiora, & Domino gratiora cognoſceret, non modo emiſerit, ſed etiam integre perſolverit; Ordinem præterea virginum lectiſſimarum fundaverit, direxerit, ſuarumque virtutum exemplo inſtituerit; dignam idcirco judico, cui a Sanctitate Vestra Divorum honores ſollemni ritu decernantur.

AN-

ANTONIUS Tituli S. Mariæ in Via Preſbyter Cardinalis Columna Branciforti.

Quæ a prima pueritia virtutum omnium rudimenta præſetulit, eadem B. Joanna Franciſca Fremiot de Chantal nobiliſſimis incrementis amplificata, atque aucta, tum in matrimonio conjuncta, vidua deinde, ac denique religioſæ familiæ caput, & mater perpetuo monſtravit. Sancti Franciſci Saleſii monitis, & magiſterio ſcilicet inſtituta, altiſſimum perfectæ virtutis gradum obtinuit. Quare ad ſanctimonialium, quæ a Viſitatione dicuntur, Ordinis totius præcipuum ornamentum, ad nobiliſſimarum fœminarum exemplum, ad Catholicæ Eccleſiæ vota, & deſiderium cenſeo Joannam Franciſcam Fremiot de Chantal a Beatitudine Vestra Sanctorum faſtis eſſe adſcribendam.

PETRUS Tituli S. Mariæ Tranſtiberim Preſbyter Cardinalis Pamphilius.

Eamdem Sanctorum gloriam peto, Beatissime Pater, impertiendam veli B. Joannæ Franciscæ de Chantal, ita magni Saleſii commendatæ teſtimonio, ut pronuntiare non dubitaret, eo ſanctitatis, & virtutis proceſſiſſe Joannam, ut pro ratione gratiarum, quibus a Deo fuit locupletata, nemini unquam liceret altius aſſurgere [1]: fere ac ſi cum Salomone diceret: multæ filiæ congregaverunt divitias: hæc vero ſupergreſſa eſt univerſas [2]: cui ſane præconio neſcio quid amplius addi poſſit, præſertim cum judicium viri ſancti, atque in ſpirituum probatione clariſſimi, jam ſatis ſuperque ſigna comprobarint e Cælo; niſi quod juſtum idcirco arbitror, Beatissime Pater, ut quæ laudatæ mulieris fortitudini, atque decori reſpondere habet merces juxta eumdem Salomonem, hæc quoque, te jubente, Beatæ Joannæ tribuatur, nimirum, ut exaltent eam fideles omnes inter Sanctos relatam, & laudent in portis opera ejus.

URBANUS Tituli S. Calliſti Preſbyter Cardinalis Paracciani.

Beatissime Pater. Germanam, & expreſſam effigiem B. Joannæ de Chantal in muliere forti a Salomone deſcriptæ contineri, præclarum illud Eccleſiæ lumen D. Franciſcus Saleſius conſtantiſſime tradidit. Et ipſa enim compoſito ad alacritatem animo, manum ſuam miſit ad fortia, devictaque ſexus infirmitate accinxit fortitudine lumbos ſuos, brachium roboravit, & de fructu manuum ſuarum plantavit vineam, quæ lectiſſimos honoris, & honeſtatis fructus perpetuo erit allatura. Summa in Deum exarſit caritate, proximorum ſaluti, atque indigentiæ deſerviit incredibili ſollicitudine. De ſe autem demiſſe adeo ſenſit, ut ne par quidem infimis eſſe videretur. Quamobrem ſupergreſſam eam eſſe filias Syon univerſas, quæ virtutum divitias congregavere; idem Saleſius, ac D. Vincentius de Paulis, qui certe ipſam intime noverant, quique in exploranda ſpirituum indole erant omnium peritiſſimi, teſtimonio ſuo comprobarunt. Chriſtianæ propterea Reipublicæ glorioſum arbitror, ut mulieri tam inſigni publici Sanctorum honores per Sanctitatem Vestram ſollemni ritu decernantur.

PHILIPPUS MARIA Tituli S. Chryſogoni Preſbyter Cardinalis Pirellius.

Beatissime Pater. Cæleſtem Jeruſalem, quæ ornat varietas, eam ab terris traxit Deus omnipotens, & immortalis, qui militantem Eccleſiam mira perſonarum, & munerum varietate circumdat, alios ab aulis Regum, alios vocans ab gregibus ovium, alios ab aris, templiſque, alios ab vicis, plateiſque communibus; neque minus viros, quam mulieres, & inter has & virgines, & nuptas, & viduas; ut omnis populus confiteatur Domino, nulluſque excuſationem prætendat ad colendam, & conquirendam virtutem.

In hac muliere forti Joanna Franciſca; non

Sſ 2

[1] Ex Compend. vitæ.

[2] Proverb. 31. 29.

non ſolum virginibus, nuptis, viduiſque clariſſima proponuntur perfectioris chriſtianæ virtutis exempla; verum etiam, quod ſingulare profecto eſt, iis, quæ optimam partem in clauſtris eligunt, quarum novam aliquam ſocietatem laudatiſſimis legibus conſtabilivit: itaut in illa una videatur omnis eximia muliebris religio univerſe, atque integre contineri.

Hæc proinde, quam etiam ſanctiſſimorum virorum Franciſci Saleſii, & Vincentii a Paulo teſtimonia prædicant, & quam Deus ipſe noviſſimis ſignis illuſtravit cumulatiſſime, optimum factu eſt, ac debitum meritis, ut cœleſtibus honoribus condecoretur.

ALEXANDER S. Mariæ in Via lata Diaconus Cardinalis Albanus.

Quæ pollicitus eſt Deus iis, qui reliquerint omnia, & ſecuti eum fuerint, cumulatiſſime impleta conſpicimus in B. Joanna Francisca Fremiot de Chantal, quæ relictum patrem invenit in Franciſco Saleſio, relictam domum in quatuor ſupra octoginta Cœnobiis, quæ conſtituit, quibuſque præfuit, relictum filium in lectiſſimis virginibus innumeris, quæ ipſius legibus obtemperant; quumque pari menſura coronæ gloria donatam in Cœlis fuiſſe teſtentur tot miracula, quibus ancillæ ſuæ ſanctitatem in terris exploratam voluit Deus, æquum eſt, ut ſupremo Sanctitatis Tuæ oraculo ſanctarum viduarum albo inferatur, viduarumque patrona apud Deum conſtituatur.

NEREUS S. Euſtachii Diaconus Cardinalis Corſinus.

Totius chriſtiani populi, Beatissime Pater, preces, & vota poſtulant, & adprecantur, Beatam Joannam Franciscam Ordinis Viſitationis Sanctæ Mariæ Fundatricem, quæ in virginitate ſua, & conjugio, & viduitate, & demum in ſtatu cœnobitæ mirificum ſe præbuit infirmiori ſexui chriſtianæ fortitudinis exemplum, ad eum cultum evehas, quo evehendam jam prædixit Sanctus Franciſcus Saleſius. Quod eidem fieri poſſe tuto ex actis in hac Cauſſa exploratum cenſeo.

Etenim Beata Joanna omnium chariſmatum abundantia impinguata, & cœleſtibus delectationibus ſuperabundanter repleta, ad talem virtutis gradum pervenit, ut arduum votum faciendi ſemper, quæ perfectiora fore cognoſceret, Deo offerre valuerit, ac reddere. Illius vero animam a corpore mortis hujus liberatam ad æthereum thalamum aſſumptam fuiſſe, non ſolum mira viſione divinitus accepit, & teſtatus eſt S. Vincentius a Paulo, ſed etiam plura miracula comprobant, quibus Deus glorioſam facere dignatus eſt in terris ſponſam ſuam immarceſcibili corona juſtitiæ, & gloriæ donatam in Cœlis.

DOMINICUS S. Mariæ ad Martyres Diaconus Cardinalis Urſinus.

Infans, virgo, mater, vidua Beata Joanna Francisca de Chantal quantum in ſcientia Dei proceſſerit, quantum in gratia creverit, quantum virtute profecerit ſat porro ſit, Beatissime Pater, magni Saleſii clariſſimi ſpirituum probatoris judicium, pronuntiare etenim non dubitavit eo virtutis, & ſanctitatis deveniſſe, ut pro ratione gratiarum, quibus a Deo fuit locupletata, nemini unquam liceret altius aſſurgere: quatuor ſupra octoginta cœnobiis lectiſſimarum virginum ſub titulo Viſitationis Mariæ mirabiliter excitatis, ad Cœlos migravit multis patratis miraculis: qua illic gloria excepta fuerit, intellexit divinitus S. Vincentius a Paulo: nil ergo morandum, ut Sanctorum laudibus, & honoribus efferatur.

FLAVIUS S. Mariæ in Porticu Diaconus Cardinalis Chiſius.

Beatissime Pater. Mulierem fortem invenimus, qualem nobis Salomon deſcribit[1], quæ nempe accinxit fortitudine lumbos ſuos, & roboravit brachium ſuum & cujus indumentum, fortitudo, & decor. Hanc eſſe Beatam Joannam Franciscam Fremiot de Chantal, totius vitæ ſeries luculentiſſime demonſtrat. Accedit, eximiæ ejus

1 Proverb. 31.

ejus, planeque ſingularis ſanctitatis graviſſimum reddidiſſe teſtimonium egregios complures pietatis viros, præſertim S. Franciſcum Saleſium, & S. Vincentium de Paulis, immo vero Deum ipſum Optimum Maximum, qui eam miraculis effecit illuſtrem. Unum tantum ſupereſt, Beatissime Pater, nimirum, ut Sanctorum eidem decernas honores, ex quo fiat, ut illius laudes univerſa enuntiet Eccleſia.

ALOYSIUS S. Agathæ Gothorum Diaconus Cardinalis Torrigiani.

MUlierem fortem invenimus, Beatissime Pater, dum reſpicimus Beatam Joannam Franciscam Fremiot de Chantal, quæ per omnes vitæ viciſſitudines adeo crevit in gratia, & ſcientia Dei, ut teſte S. Franciſco Saleſio, aliam fœminam vix liceat agnoſcere, quæ altiorem ſanctitatis gradum promeruerit. Multas enim, tum virgo, tum etiam nupta, cæleſtium munerum largitiones, in viduitate autem omnium gratiarum dona videtur aſſequuta. Hæc arduo voto ſeipſam adſtrinxit ad ea ſemper gerenda, quæ perfectiora, ac Deo magis grata fore intellexiſſet. Hæc amplius, Saleſio duce, & auctore novum inſtituit Ordinem ſanctimonialium a Viſitatione B. Mariæ nuncupatum, quem divino favente Numine, tam proſpere, ac feliciter propagavit, ut quatuor ſuper octoginta ſacrarum virginum cœnobia numerentur, quæ in regionibus, nationibuſque diverſis Joanna brevi tempore excitavit. Eam vero cum Benedictus XIV. Beatam rite nuncupaverit, & nova miracula non deſint, quibus Deus ancillæ ſuæ famam quotidie magis extollit, reliquum eſt, Beatissime Pater, ut heroicam mulierem cultu Sanctorum venerandam fore conſtituas.

NICOLAUS S. Georgii ad Velum aureum Diaconus Cardinalis Perrelli.

LAudari a laudato viro, ea maxima laus eſt. Quid igitur ſtatuendum de Beata Joanna Francisca, quam duo viri ſanctiſſimi Franciſcus Saleſius, & Vincentius a Paulo non laudaverunt ſolum, ſed inter ſanctiores, Deoque cariores animas adhuc viventem adnumerare non dubitarunt, uti quæ ſemper eligeret perfectiora, ſeque ad id religione voti, quo nihil difficilius obſtrinxiſſet? Ejus equidem qualis, & quanta fuerit ſanctimonia, ſatis ex hoc graviſſimo virorum talium teſtimonio colligi poſſe exiſtimo. Quod ſi Viſitationis Ordinem, officinam illam religioſæ virtutis præ oculis habeamus, cujus ipſa parens, & moderatrix una cum Franciſco Saleſio fuit; haud equidem ſcio, an alia unquam fœmina præſtantius quidquam ad incrementum chriſtianæ perfectionis inceperit, perfeceritque. Quam ergo ipſius merita, quam vota omnium populorum jamdiu ad ſollemnem Canonizationem depoſcunt, eam ad id honoris conſenſu noſtro, tua vero, Beatissime Pater, auctoritate provehi arbitror oportere.

ANDREAS S. Angeli in Foro piſcium Diaconus Cardinalis Corſinus.

QUod olim S. Franciſcus Saleſius divina luce perfuſus de Joanna Francisca Fremiot de Chantal, adhuc inter mortales degente, pronuntiare non dubitavit: idipſum in præſens de ea jam ad Superos evecta affirmare minime vereor; hanc ſcilicet præclariſſimam fœminam eo ſanctitatis, & virtutis proceſſiſſe, adeoque cæleſtibus donis fuiſſe a Deo cumulatam, ut nihil ſupra. Itaque, Pater Beatissime, cum habeas tam illuſtre ſapientiſſimi parentis de filia teſtimonium, deque ejus vitæ præſtantia tam grave ſanctiſſimi præſulis judicium, certis præterea argumentis, noviſque in dies ſignis magis, magiſque comprobatum, æquum profecto feceris, ſi huic in poſterum parem cum illo in Eccleſia cultum tribuendum eſſe decreveris.

ANDREAS SS. Viti, & Modeſti Diaconus Cardinalis Nigronus.

BEatissime Pater. Habes in Beata Joanna Francisca mulierem fortem, quæ oblita populum ſuum, & domum patris ſui, oculos avertens, ne reſpicerent in vanitates

tes, & inſanias falſas mirabiles diſpoſuit aſcenſiones in corde ſuo. Æmulata Saleſii virtutes perfectionis faſtigium conſcendit, eoque pervenit, ut ſemper facere quod gratius, accepriuſque Deo fore cognoſceret, voto ſe adſtrinxerit. Et vero quo non protendit quaſi myrrha electa ſuavitatis odorem? Viri omni ſcientia, ac virtute ſpectatiſſimi ſapientiæ ſuæ copiam quammaxime admirati in augendo, comuniendoque præcipue Viſitationis Ordine, in rebus arduis, dubiiſque eam conſulere, & ab ejus ore, conſiliiſque pendere ſibi gloriæ verterunt. Decet igitur, BEATISSIME PATER, ut quæ tanti magiſtri conſors exiſtit virtutum, ſtatuatur ipſa ſuper candelabrum, æqueque luceat omnibus, qui in domo Domini ſunt.

ÆNEAS SYLVIUS S. Adriani Diaconus Cardinalis Piccolomineus.

FOrtis, & generoſi animi fœmina non ab ultimis terræ finibus evocata, non procul a noſtro Cælo, ſed prope noſtris in oculis, in florentiſſimo Galliæ Regno nata, educata apud gentem omnis humanitatis, & elegantiæ cultricem, tamquam inuſitatum, & novum de Cælo lumen affulſit, ut ſcilicet noſtra ætate, & te potiſſimum, BEATISSIME PATER, Eccleſiam Dei gubernante, & tuæ non ſolum pietatis, atque virtutis exemplis, ſed nova Sanctorum gloria illuſtrante, etiam in ſexu fragili antiquæ ſeveritatis, & diſciplinæ ſplendida exempla, tamquam picturæ veteris injuria temporum evaneſcentis inſtaurati colores, & reſtituta lineamenta renovarentur.

Hæc eſt inſignis, & celeberrima Serva Dei JOANNA FRANCISCA A CHANTAL, cujus ad laudem Saleſius unus ſufficeret laudatiſſimus, ipſa teſtis, æſtimatorque pietatis, qui illi dux, & hortator ad excellentiam virtutis, ad perfectionis faſtigium; qui morum, atque ſtudiorum ſimilitudine, qui ſocietate laborum, & conſiliorum ſancta illi neceſſitudine, atque amicitia conjunctus.

Nata illa quidem præclaro loco nobilibus, opulentiſque parentibus, non puerile geſſit ingenium, non luſus, non fœminiles artes tractavit, ſed religionis imbuta, ſanctis firmiſſimiſque principiis aliquod agitare ſublimius, atque præclarius animo forti, conſilium aliquod de ſe magnum teneris uſque ab annis portendere viſa eſt, cum veritatis cauſſa ſuſcepta hæretici coram patre inverecunde obloquentis fregit audaciam, bellumque erroribus tum per Galliam craſſantibus obnunciavit, quod animo, atque virtute pluſquam muliebri magno catholicæ cauſſæ incremento ad mortem uſque ſuſtinuit.

Tantus in illa fuit religionis amor, & ſtudium, ut a parente, quem ſummo proſequebatur obſequio adduci nunquam potuerit, nec magnis etiam propoſitis conditionibus, ut conſentiret in nuptias nobiliſſimi viri, cujus in ſplendida dignitate, & fortuna eſſet illi ſuſpecta religio, neque alio pacto amantiſſimo genitori tandem aſſenſit, ut ſancto conjugii vinculo jungeretur JOANNA, quam ſi catholico jungeretur, & pio, & ſibi ingenio, atque moribus quam ſimillimo viro.

Qua quidem in ſuaviſſima conſuetudine, & ſocietate ita vixit, ut conjugem ipſa ſuum, ut liberos, ut familiam, ut civitatem, atque provinciam propria virtute, atque moribus informaret, atque emendaret exemplis; in florentiſſimo ſtatu ſic utens fortunæ bonis, uti non ſuæ, ſed proximorum utilitati ſibi conceſſis, atque ita gaudens, ac ſi eſſet extrema gaudii quamprimum luctus occupaturus.

His annis, atque præſidiis a religione quæſitis ita ſe comparavit ad omnes fortunæ caſus, ut deſiderium viri cariſſimi crudeli fato amici manu interempti, ut parentum, ut liberorum acerba funera, ut viduitatis ſquallorem, & ſolitudinis ea magnitudine atque conſtantia ferre potuerit, quæ ſolos amicos Dei, atque omnia ad Deum referentes etiam in calamitate, atque in luctu vere eſſe divites, vere beatos oſtendit.

Quare ſoluta vinculis officiorum, quæ filiam, quæ conjugem, quæ genitricem non humanitatis expertem terræ, atque mundo alligaverant, & divitiarum, rerumque domeſticarum veluti ſarcina excuſſa, totam ſe dedit in diſciplinam Saleſii, totam ſe proximorum

rum utilitati, ſe religioni devovit intenta, ſemper, aut monaſteriis fundandis, aut legibus, regulisque condendis ad pudicitiæ cuſtodiam, ad caritatis, atque obedientiæ præſidium, & ſemper occupatiſſima etiam in otio aut commentando, aut ſcribendo, aut orando, in regia, tamquam in ſolitudine, in gloria, tamquam in abjectione, plena ſemper humilitatis, plena lætitiæ, majora ſemper animo verſans ad proximorum utilitatem, ad religionis præſidium.

Qua in cogitatione defixa cum Pariſiis Annecium reverteretur, ſanctiſſimæ, & laborioſæ vitæ curriculum, tamquam glorioſæ peregrinationis ad Cælum, tranquilla, ſanctaque morte concluſit.

Quæ cum ita ſint, Beatissime Pater, id unum reſtat, ut ſtrenuam celebratamque mulierem, quam ſancti viri Saleſius, atque Vincentius a Paulo ſanctam appellaverunt, Sanctorum faſtis adnumerandam pro tua ſapientia decernas, & populorum, & Regum, & Galliæ, & Italiæ votis, & virginum ſacratarum ejus inſtitutione florentium, & univerſæ tandem Eccleſiæ judicio tuo ſatisfacias.

SAVERIUS S. Mariæ de Scala Diaconus Cardinalis Canale.

Tria in una Beata muliere Joanna Francisca Fremiot de Chantal occurrunt magnopere celebranda; honorabile connubium; veneranda viduitas; inſignis in Eccleſia Chriſti monialium novi Ordinis inſtitutio. In matrimonio talis ubique fuit, quales cupiebat Apoſtolus eſſe chriſtianas uxores; pudica, ſobria, caſta; amavit virum ſuum, & ſecum fieri ſanctum procuravit; dilexit filios ſuos, & in lege Dei erudivit eos; præfuit domui ſuæ, & ſuaviter, & fortiter diſpoſuit omnia, fallacem gratiam, & vanam pulchritudinem exiſtimavit; & quoniam in timore Domini poſuit omnem gloriam ſuam, propterea laudata ſunt in portis opera ejus. Præpopera morte ereptum ſibi maritum mœrentiſſime doluit; converſa tamen ad Deum adjutorem, ſpem & fortitudinem ſuam, magno animo tulit: ſciens autem viduam, quæ in deliciis vivit, mortuam eſſe, continuo corporis cultum, & omnem ornatum ejus abjecit; atque ut falleret mundum, qui blandus ei novas nuptias comparabat, non ſolum caſtitatem Deo vovit perpetuam, ſed ſingulari, plenoque fiduciæ conſilio nudum pectus candenti ferro Jeſu nomine obſignavit, ea ſane mente, ut diceret deinceps: nemo mihi moleſtus ſit, ego enim ſtigmata Domini Jeſu in corpore meo porto. Relictis poſtmodum patria, patre, filiis, cognatis, conſanguineis, perſuaſa perfectam ſe eſſe non poſſe Chriſti diſcipulam, niſi his omnibus renunciaret, Annecium ad celeberrimum Franciſcum Saleſium venit, cujus ſanctiſſimis exemplo, monitis, doctrina, & magiſterio in omnium exercitatione virtutum mirifice proficiens, celſiſſimum, in quo inhabitare beneplacitum eſt Deo, ſanctitatis montem aſcendit. Egregie vero Mariæ, & Marthæ una ſimul functa muneribus, quin a quotidiana, & diuturna paſſionis Jeſu amoris ſui Crucifixi, & rerum divinarum contemplatione defecerit unquam; magnis ſæpe Franciam, per Sabaudiam, per Italiam ſuſceptis itineribus, immenſis exantlatis laboribus terreſtrium, & infernarum poteſtatum fortiter obſiſtentia ſuperata, ſanctimonialium Ordinem a Viſitatione nuncupatum inſtituit; quem in quatuor ſupra octoginta monaſteria per regiones, nationeſque diverſas ejus opera excitata, mirabiliter excreſcere eadem ipſa vidit, & quem tot poſtmodum incrementa ſuſcepiſſe, lætiſſima nunc tota intuetur Eccleſia. Celeberrimam itaque mulierem hanc omnibus decoratam a Deo monilibus ſanctitatis, a ſanctiſſimis viris, qui ea vivente, vixerunt mirificis laudibus commendatam, Sancto Vincentio a Paulo viſam, pretioſa morte ereptam de terra, in fulgentiſſimi globi ſpeciem aſcendere in Cælum, certiſſime oportere credo, ut Beatitudo Vestra ſollemni decreto in ſanctarum mulierum referat catalogum: hoc etiam conſilio, ut eam in matrimonio ſanctam, juncti connubio ſequantur ſanctæ; eam in viduitate ſanctam, viduitatis cultores imitentur glorioſe; eam in monialium inſtitutione, & regimine ſanctam, qui

qui clauſtra incolunt, æmulentur ſtrenue.

BENEDICTUS SS. Coſmæ, & Damiani Diaconus Cardinalis Veterani.

HEroicæ conjectura virtutis, quam plerique arduam, & plenam aleæ ſuſpicantur, luce ſua ſe prodit in virilis animi pientiſſima fœmina FRANCISCA FREMIOT DE CHANTAL, ſi unaquæque ſpectetur ætas, ſi diverſa vitæ librentur officia. Superni altitudn conſilii, attingens a fine uſque ad finem fortiter, & diſponens omnia ſuaviter, prudentis virginis, nuptæ fidelis, viduæ honorabilis in ea expreſſit imaginem dignam, quam reliquæ imitentur. Repoſita illi a juſto Judice hæc triplex corona juſtitiæ, merces eſt in unoquoque vitæ genere ſtrenue ſuperati certaminis. Multa obtulit Deo holocauſta, ſed una ſemper fuit hoſtia; crebri fuerunt cum diverſo hoſte congreſſus, ſed una perpetuo relata gloria triumphi a victrice FRANCISCA, ſemper anxia pati, ſemper læta contemni. Audivit obſequens filia, & inclinavit aurem ſuam Cæleſti Sponſo ajenti: egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monſtrabo tibi. Itaque ſi pulcherrimus eſt coronæ nexus, quando, teſte Bernardo, puritas vitæ, & humilis preſſurarum tollerantia ſibi invicem cohærent; æquiſſimum puto, BEATISSIME PATER, ut Apoſtolicæ Sedis judicio hæc eadem corona tantæ virtuti decernatur.

PHILIPPUS JOSIAS Caucci Patriarcha Conſtantinopolitanus Aſſiſtens.

PErvulgatum illud fortis, ac ſtrenuæ mulieris exemplum, quod in ſacris Proverbiis extat, in BEATA JOANNA FRANCISCA DE CHANTAL admirabili quodam modo inſtauratum reperio. Quid enim admirabilius, quam inſitum parentibus erga filios amorem ſuperare? At JOANNA per calcatum filium, quo divinitus vocabatur, pergere non dubitavit, quid, quum ad firmandum magis, magiſque propoſitum totam ſe Deo mancipandi, candente ferro Sponſi ſui Jeſu nomen pectori impreſſit? Quid, quum arduum illud, ac perdifficile votum nuncupavit ſemper id exequendi, quod acceptius Deo eſſe intelligeret? Quocirca mirum non eſt, tametſi pro miraculo haberi poſſit, quod tam multa, tamque ſpectatæ virtutis monaſteria fundaverit. Hæc igitur inſignis Dei famula cæleſtibus etiam poſt mortem ſignis decorata, digna omnino videtur, BEATISSIME PATER, quæ TUÆ SANCTITATIS oraculo ſupernis civibus adſcripta declaretur.

Hæc cum dixiſſet Patriarcha Conſtantinopolitanus, reliqui Aſſiſtentes Epiſcopi, quorum ſuffragia in præſentiarum damus, ipſius ſententiam amplecti ſtatim ſunt profeſſi.

DOMINICUS Jordanus Patriarcha Antiochenus Aſſiſtens.

EXultandum quammaxime nobis eſt, BEATISSIME PATER, ac magnopere lætandum, Omnipotentem Deum ad divini ſui nominis gloriam, atque Orthodoxæ religionis decus, etiam ex ſexu fragili eximia virtutum exempla miſericorditer imitanda proponere. En vere fortis mulier BEATA JOANNA FRANCISCA FREMIOT DE CHANTAL, quæ aliis quinque ſanctiſſimis viris ſociam ſe adjungit, eoſque pari gradu, non minus optimis virtutum meritis, quam inſignibus prodigiis glorioſa comitatur. Ipſa enim in triplici ſuæ vitæ ſtatu, quam bene Marthæ munera cum Magdalenæ contemplationibus conjungi poſſint, præclariſſime demonſtravit: nec de ſuis meritis contenta, novæ prolis fœcunditate, Ordinis ſcilicet Viſitationis inſtituto, ampliſſimum quoque aliarum virginum chorum ad Chriſtum ſponſum perducere curavit. Quam igitur duo ſanctiſſimi viri Franciſcus Saleſius, & Vincentius de Paulis, dum adhuc in humanis ageret, ſanctam jam prædicere non dubitarunt; eamdem dignam cenſeo, ut ſupremo Apoſtolicæ hujus Sedis oraculo ſollemni ritu ſanctarum mulierum faſtis adſcribas, atque ut quemadmodum, quos habuit in via Domini magiſtros, cæleſtibus proſequimur honoribus, ita quoque eorum alumnam iiſdem

iiſdem honoribus proſequendam ſore decernas.

GEORGIUS de Laſcaris Patriarcha Hieroſolymitanus Aſſiſtens.

DUorum Sanctorum Eccleſiæ luminarium teſtimonio, BEATISSIME PATER, Franciſci nempe Saleſii, & Vincentii a Paulo, accurata Sacræ Congregationis Rituum virtutum heroicarum, ac miraculorum diſquiſitione, & competenti veræ ſanctitatis judicio, tuo quoque infallibili, ac irrefragabili oraculo BEATA JOANNA FRANCISCA FREMIOT DE CHANTAL Ordinis Viſitationis inſtitutrix cultu, Sanctis ab univerſali Eccleſia præſtari ſolito, digniſſima recognoſcitur. Perfice ergo, BEATISSIME PATER, quod totius populi chriſtiani vota, quod tantæ matris devotiſſimarum filiarum ſanctimonialium ſuſpiria, quod Catholicorum Regum, ac Principum aſſiduæ poſtulationes, quod tandem venerabilium Eccleſiæ Paſtorum ſupplicationes, ac preces a te humillime præſtolantur.

FRANCISCUS Carafa Trajectus Archiepiſcopus Patracenſis.

BEATISSIME PATER. De BEATA JOANNA FRANCISCA FREMIOT DE CHANTAL vere poteſt prædicari, quod de nocte ſurrexit, deditque prædam domeſticis ſuis, cibaria ancillis ſuis, manum ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem; ferventiſſimo enim ducta amore Divini Sponſi, mundi abjectis deliciis, in quadruplici ſtatu, virginis ſcilicet, nuptæ, viduæ, & religioſæ clariſſima præbuit omnium virtutum argumenta. Decet igitur, ut mulier fortis publico expoſita cultui, omnibus conſtituatur veluti ſpeculum probitatis.

JOANNES Lercarius Archiepiſcopus Genuenſis.

BEATISSIME PATER. Vidit S. Ambroſius [1] *agrum Eccleſiæ fertilem, nunc integritatis flore vernantem, nunc viduitatis gravitate pollentem, nunc etiam conjugii fructibus redundantem*: habemus ſiquidem ſanctas virgines candidis de puritate coronis redimitas: conjugatas [2] incedentes in omnibus mandatis, & juſtificationibus Domini, & viduas [3] in operibus bonis teſtimonium habentes. Novum tamen videtur, ut una, eademque mulier, BEATA ſcilicet, JOANNA FRANCISCA in diverſis humanæ ſuæ vitæ conditionibus, virginibus in caſtitatis pudore, nuptis in pia adminiſtrationis diligentia, viduis in operoſa ſanctæ converſationis modeſtia præluceret, unde jure poſſimus ei dicere *multæ filiæ congregaverunt divitias, tu ſupergreſſa es univerſas*. Hæc igitur, quæ, teſte Saleſio, ſupremum attigit perfectionis apicem, ſupremos etiam meretur in terris honores, quos cum decreveris, PATER SANCTISSIME, in una JOANNA FRANCISCA virginibus, nuptis, & viduis eximium præbebis æmulandæ virtutis exemplum.

Don INNOCENTIUS Gorgoni Archiepiſcopus Emiſſenus, olim Epiſcopus Pinnen., & Hadrien. Aſſiſtens.

PRævenit in benedictionibus dulcedinis, & lenitatis ſpiritum JOANNÆ FRANCISCÆ Chriſtus Dominus, eumque Sanctus Franciſcus Saleſius, quo duce, ac moderatore uſa eſt, omnino perfecit. Spectaculum ſane facta eſt Cælo, & hominibus excellentium agmine virtutum. Candor vitæ, humilitas, amor in pauperes ſingularis, ſumma in Cælites, & præſertim in Deiparam pietas, admirabilis patientia, ita inter ſe magnitudine certant, ut laudando ignores quam prætuleris. Aliæ multas congregaverunt virtutes, hæc aſſequuta eſt univerſas, atque in iis ita effulſit, illuxitque, ut nemini unquam licuerit altius aſſurgere, ipſomet Saleſio teſtante ejus ſpiritus probatore. Ei igitur, quæ coronam decoris accepit in Cælis de manu Domini, honores quoque Sanctorum in terris attribui poſſe cenſeo, ſi ita SANCTITATI TUÆ videbitur.

1 *S. Ambroſius de Viduis.* 2 *Lucæ cap. 1.* 3 *I. ad Timoth. cap. 5.*

Fr. JOANNES BAPTISTA Colombini Archiepiſcopus Beneventanus Aſſiſtens.

BEATISSIME PATER. In dubium profecto revocari a nemine poteſt, quin BEATA JOANNA FRANCISCA DE CHANTAL, arrepto ſemel perfectionis itinere; alacri, & felici curſu pervenerit ad celſiſſimum ſanctitatis faſtigium: liberata ſiquidem mulier ſapiens a lege viri, atque ad partem ſeculi ſancti fundandam, magno Franciſco Saleſio duce, & magiſtro, vocata effugit quaſi caprea a laqueis [1], atque ad terram, quæ ſibi monſtrata fuerat, contendit. Cumque firmum baberet fundamentum Jeſu [2], quem poſuerat ut ſignaculum ſupra pectus ſuum, & vulneratam gereret animam a magnitudine amoris illius [3], accepta vix forma, ſecundum quam ambularet, ut abundaret magis [4], non ſolum id omne, quod ad perfectum adducit, ſpopondit, ſed illud etiam pollicita eſt, quod Deo amplius placeret, ſervavitque religione perpetua. Hinc nullam melius a Solomone præfiguratam, quam JOANNAM FRANCISCAM legebat in Proverbiis [5] Genevenſis Antiſtes, & omni laude majorem prædicabat. Quare æquiſſimum cenſeo, BEATISSIME PATER, ut in aſcenſu altaris ſancti [6] univerſa tibi concinat Eccleſia, & cum ſanctam dixeris mulierem fortiſſimam JOANNAM DE CHANTAL, exaltent eam populi omnes, & magnificentiam gloriæ ſanctitatis ejus loquantur.

SCIPIO Burgheſius Archiepiſcopus Theodoſiæ Aſſiſtens.

SI juxta Apoſtoli monitum, PATER BEATISSIME, mulieres, quæ veræ viduæ ſunt, proſequi debemus dignis honoribus: B. JOANNA FRANCISCA FREMIOT DE CHANTAL; quæ adhuc vivens in omnibus ſe exhibuit vere viduam exercitatione virtutum, inſtitutione præſertim familiæ ſacrarum virginum, & ipſa inter Sanctas erit adſcribenda.

IGNATIUS Reali Archiepiſcopus Athenarum Aſſiſtens.

BEATISSIME PATER. Vere magna, æque mirabilia fecit Dominus in corde BEATÆ JOANNÆ FRANCISCÆ. Secularem enim vitam ducens, & terreno conjuncta ſponſo ipſo e vivis inopinato, fortuitoque caſu ſublato, cæleſti perculſa lumine, alium ſponſum ſibi quærere non cogitavit, niſi ſolum Jeſum. Sancti Franciſci Saleſii monitis humillime, totoque ex corde, boc ut conſequeretur, ſe ſubmiſit. At tam celeriter ad altiſſimum humilitatis, obedientiæ, & caritatis faſtigium pervenit, ut digne mereri potuerit ab ejus Cæleſti Sponſo innumeris, ac ſingularibus chariſmatum donis cumulari, quibus ejuſdem vitæ ratio mirabiliter effulſit. Ipſe vero Sanctus Franciſcus Saleſius eximias ejuſdem BEATÆ virtutes miratus, ipſi ſacrum Viſitationis Ordinem a ſe inſtitutum commendavit, ut ejuſdem moderationi, ac propagationi, veluti ipſius Ordinis mater incumberet.

Tanta igitur, ac tam præclara ſunt BEATÆ JOANNÆ FRANCISCÆ heroicarum virtutum merita miraculis illuſtrata, ut eadem inter Sanctas ſupra Eccleſiæ candelabrum a SANCTITATE VESTRA merito collocetur, ut omnibus, qui in domo Dei ſunt, & præcipue aſcetricibus indeficienti lumine præluceat.

FRANCISCUS SAVERIUS de Zelada Archiepiſcopus Petren. Aſſiſtens.

JUſtorum fortitudo eſt, ait S. Gregorius Magnus [7], *carnem vincere, propriis voluntatibus contraire, delectationem vitæ præſentis extinguere, hujus mundi aſpera pro æternis amare, proſperitatis blandimenta contemnere, adverſitatis metum in corde ſuperare.* Hæc omnia miro quodam modo perfecit BEATA JOANNA FRANCISCA FREMIOT DE CHANTAL, quam nihil antiquius babuiſſe ex ejus actis didicimus, quam ut fortis inſtar mulieris, accingeret fortitudi-

1 *Eccl.* 27. 22.
2 *Ex II. Timoth.* 2. 19.
3 *Eccl.* 27. 22.
4 *Theſſ.* 4. 1.
5 *Ex vita cap. ult.*
6 *Pſal.* 144. 5.
7 *Lib. 7. Moral. cap. 21. num. 24.*

tudine lumbos ſuos, roboraret brachium ſuum, manumque ſuam mitteret ad fortia [1]. Itaque, Beatissime Pater, ſi tam præclarum mulieris fortis exemplum & ad colendum, & ad imitandum ſollemni ritu propoſueris, univerſo Chriſtiano orbi utiliſſimum futurum, acceptiſſimumque pro certo habeo.

NICOLAUS SAVERIUS Sancta Maria Epiſcopus Cyrenenſis Aſſiſtens.

Beatissime Pater. Heroicas virtutes, quibus in Eccleſia Dei refulſit B. Joanna Francisca Fremiot de Chantal Ordinis Viſitationis S. Mariæ fundatrix, ſuperfluum eſt recenſere; quoniam ab ineuntis ætatis primordiis manum ſuam miſit ad fortia, eamque in triplici gradu virginali, conjugali, viduali, in multa patientia, in laboribus, in tribulationibus, in caſtitate, in Spiritu Sancto ſemper Deus vigilantem invenit; quæque per calcatam opulentiſſimam domum, amantiſſimum patrem, cariſſimum filium invicta perrexit ad palmam. Sufficit graviſſimum S. Franciſci Saleſii judicium, qui aſſerere non dubitavit, pro gratiarum ratione, quibus locupletata fuit B. Joanna nemini licere altius aſſurgere. Sufficit ampliſſimum S. Vincentii a Paulo teſtimonium, qui gloriam, qua a Deo mulier fortis excepta fuit, conſpicere meruit. Supereſt itaque, ut beatæ huic mulieri, quæ tot virtutibus, & miraculis clara gaudet in Cælis, honores Sanctorum infallibili Sanctitatis Vestræ oraculo diutius non differantur in terris.

FRANCISCUS MARIA Piccolomineus Epiſcopus Pientinus Aſſiſtens.

Mirum ſane eſt, Beatissime Pater, tot variis, iiſque melioribus chariſmatibus B. Joannam Franciscam de Chantal a Spiritu Sancto fuiſſe locupletatam. Nondum quinquennis virili pectore Calviniſtam increpavit, qui contra Sanctiſſimam Euchariſtiam impia proferebat. A patre in matrimonium eum Chriſtophoro Chantal collocata, vere nupſit in Domino. Cum autem ſponſus inopinato inter venandum a conſanguineo vulneratus obiierit, qualis, ac quanta in ea non eluxit patientia? Eluxit ſanctus in virum amor, perfecta in occiſorem benevolentia, firmumque in obſequendo divinæ voluntati propoſitum. Non tantum mulieris fortis, & ſanctæ, veræque viduæ, verum etiam ſanctæ, ſapientiſſimæque inſtitutricis, & magiſtræ ſacrarum virginum Viſitationis laudem promeruiſſe luculenter S. Franciſcus Saleſius, & S. Vincentius a Paulo teſtati ſunt, ac manifeſte comprobant quamplura Ordinis Viſitationis ab ea, everſis improborum hominum, & ſatanæ machinationibus, erecta, & optimis legibus inſtructa cœnobia, & demum inſignia miracula ſuis precibus a Deo impetrata. Hæc ſunt, Pater Beatissime, quæ ut reor, jure optimo exigunt, & quodammodo impellunt Sanctitatem Vestram, ut Beatam Joannam de Chantal inter Sanctos recenſeri jubeas.

CAROLUS AUGUSTUS Peruzzini Epiſcopus Maceratæ, & Tolentini Aſſiſtens.

Beatissime Pater. Multæ filiæ in Eccleſia Dei congregaverunt virtutum divitias, Beata Joanna Francisca Fremiot de Chantal, de cujus Canonizatione in præſentiarum agitur, ſupergreſſa videtur univerſas. Ipſa namque adhuc virgo omnes prudentum virginum eſt æmulata virtutes: matrimonio copulata, mulieris illius, cujus pretium procul, & de ultimis finibus, imitata eſt fortitudinem: vidua denique relicta, præter naturalem filium, tot etiam filias, quot in Ordine Viſitationis ſpiritu Deo peperit, ſancte educavit, omneque opus bonum ſubſequuta eſt. Congruum igitur eſt, ut quæ in triplici vitæ gradu fuit ſemper omnibus chriſtianæ perfectionis exemplo, ad divinos honores per Sanctitatem Vestram evecta, ut enixe rogo, ſit in poſterum patrocinio.

[1] *Proverb.* 31.

JOANNES Rondinelli Epiſcopus Comaclenſis Aſſiſtens.

SI in omni vitæ ratione adeo præclare ſe geſſit B. JOANNA FRANCISCA FREMIOT DE CHANTAL, ut & diligentiſſima materfamilias, & probatiſſima vidua, & novi Ordinis a ſe inſtituti prudentiſſima habita ſit moderatrix, maximo hæc erunt argumento, eamdem inter filias, quæ congregaverunt divitias, aut ſupergreſſam eſſe univerſas, aut ſaltem ſpectatiſſimas exæquaſſe. Itaque honeſtatur gloria Sanctorum fœmina beatiſſima, cujus virtutes clariſſimis miraculorum vocibus celebrantur. Sic fiet, ut quæ curſum feliciter conſummavit, fidem ſervavit, in terris quoque coronam juſtitiæ ſibi repoſitam aſſequatur.

PHILIPPUS Mornati Epiſcopus Sutrinus, & Nepeſinus Aſſiſtens.

BEATISSIME PATER. Quæ ab Eminentiſſimis, atque Reverendiſſimis Patribus hactenus deducta ſunt de vita, & miraculis B. JOANNÆ FRANCISCÆ FREMIOT DE CHANTAL non ultra meis approbationibus indigere, ſed jugibus tantummodo laudibus extollenda cenſeo; cumque ejus vita tam in ſtatu virginali, & conjugali, quam in ſtatu viduitatis, & religionis, omni ætati, omnique gradui mulierum in virtutibus chriſtianis proficiendi cupientium imitationis exemplar proponi poſſit, prout S. Franciſcus Saleſius Epiſcoporum magiſter, & præfatæ Servæ Dei ſpiritus, ac conſcientiæ moderator ſuis ſcriptis propoſuit, & S. Vincentius a Paulo poſtea confirmavit, minime inficior, quin eam in Sanctarum albo infallibili SANCTITATIS VESTRÆ judicio adſcripta erit, non Romæ ſolum, ubi iſta, aut in Galliæ, & Sabaudiæ regionibus, ubi illa vitam traxit, ſed univerſo Chriſtianorum orbi in evangelicæ perfectionis progreſſu facile iter, lumen, atque auxilium e Cælo impetratura ſit, atque allatura.

Fr. JOACHIM MARIA Pontalti Epiſcopus Aſcalonites Aſſiſtens.

BEATISSIME PATER. Quiſquis B. JOANNÆ FRANCISCÆ FREMIOT DE CHANTAL heroica geſta, præclaras virtutes, & molimina, atque miracula ab ipſa Dei virtute patrata mente percurrerit, mulierem fortem, quam Salomon procul, & de ultimis finibus perquirendam aſſeruit inveniſſe, neque injuria arbitrabitur; rapitur enim extra ſe quodammodo, qui corde recolit hujus beatæ fœminæ in adverſis patientiam, in proſperis humilitatem, in maximis adeundis rebus fortitudinem, in Deum, & proximum ferventiſſimam caritatem. Merito igitur efflagitant moniales Viſitationis S. Mariæ, ut hanc ſuam matrem, merito Regnum Galliarum, ut hanc ſuam patronam, merito Catholica Eccleſia exorat, ut hanc virtutum omnium magiſtram hæc Sancta Apoſtolica Sedes inter ſanctas matronas, & viduas recenſeat; quidquid enim ad ſanctificationem viduarum præſcripſit Gentium Apoſtolus, in hac una adamuſſim compertum & legitur, & arctiſſime comprobatur: humillime proinde exoro, ut vox tua, BEATISSIME PATER, quæ eſt vox virtutis, mulierem hanc ipſam & fortem, & mulierem virtutis, & ſanctam declaret.

Fr. NICOLAUS ANGELUS MARIA Landini Epiſcopus Prophyrienſis Aſſiſtens.

JOANNAM FRANCISCAM FREMIOT DE CHANTAL omni ejus ætate, ac ſtatu ita a Chriſto edoctam fuiſſe miror, ut ejus ſponſæ decorem perfectum virtutibus ſuis perpetuo expreſſerit; ſponſique dilectiſſimi partes, honoremque laboribus innumeris, vigiliis, itineribus, voce, exemplo, ſcriptiſque feliciſſimo ſemper eventu zelaverit, & mirabiliter excoluerit. Tantam ergo ſponſam a Domino Jeſu tot pretioſis monilibus ditatam, pretioſa etiam morte apud ſe receptam, multiſque tandem miraculis illuſtratam, digniſſimam cenſeo, BEATISSIME PATER, ut ei ille honor, qui Sanctis in terris etiam debetur, accedat.

PE-

PETRUS PAULUS Toſius Epiſcopus Ferentinus Aſſiſtens.

QUæ in muliere forte a Spiritu Sancto commendantur, in B. Joanna Francisca Fremiot de Chantal Fundatrice Ordinis Viſitationis S. Mariæ cumulatiſſime adfuiſſe, ſuæ admirabilis vitæ acta demonſtrant. Virgo enim a prima ætate fuit ſecundum Deum mirum in modum ſapiens, & religioſa; matrimonio juncta, fidelis, induſtria, & prudens; ſuo viduata viro, conſtans in propoſito ſervandæ caſtitatis, ut intimam cum Deo unice quæreret unionem; oblatas hinc a patre ſecundas nuptias toto animi ſui conatu rejecit omnino, ac inſtans obſecrationibus, & orationibus nocte, ac die, omne opus bonum ſubſequuta eſt uſque ad integre reddendum, quod arduo, ac perdifficili voto adpromiſit, ea, nempe ſemper faciendi, quæ perfectiora, Deoque gratiora, & acceptiora fore cognoſceret: quin etiam majorem in ſe, & in aliis intendens Dei gloriam, omnibus fortiter ſuperatis gravibus admodum impedimentis, ac proprii etiam filii amore, Dei vocem ſequuta, exivit quamcitiſſime de domo ſua, & de cognatione ſua, ut electam ſe a Déo ſuorum laborum ſociam, & comitem ſanctiſſimo Præſuli Saleſio addeçet in fundatione Ordinis Viſitationis S. Mariæ, quod in laboribus plurimis, & ærumnis ſelici, proſperoque ſuceeſſu perfecit. Ejus autem præmaximam ſanctitatem S. Franciſcus Saleſius, & S. Vincentius a Paulo magnifice laudarunt, ac populi pariter per orbem: mirabilia etiam, quæ ea interveniente Deus oſtendit, eamdem ejus ſingularem ſanctitatem commonſtrant aperte. Illam ergo inter Sanctas a Sanctitate Vestra adnumerari jure, meritoque cenſerem.

NICOLAUS Gagliardi Epiſcopus Alatri Aſſiſtens.

BEatissme Pater. Joanna Francisca Fremiot de Chantal mulier omnium virtutum genere præclariſſima, abdicatis hujus mundi pompis, ſolos amplexus dulciſſimos Jeſu Chriſti in Cruce pendentis in deliciis habuit. Hæc quippe, uti alumna, & ſocia S. Franciſci Saleſii, Ordinem monialium inſtaurans Viſitationis, mirum eſt, quo ardore, quo proſpero ſucceſſu myſticam illam vineam excoluerit, peculiaribus impedimentis, ac difficultatibus ſuperatis, nobiliumque irridentium, & ſubſannantium voeibus contemptis, brevique omnium fructuum ubertate redundantem, a ſolis ortu uſque ad oceaſum mirifiee exhibuerit.

Humilitate enim, obedientia; earitate, continuiſque jejuniis, & pœnitentiis intenta, ita præ omnium oculis claruit, ut miraculorum dono inſignis, a Cæleſti Sponſo in Cælis non videretur dubitandum fuiſſe evectam. Tantæ igitur mulieris nomen compluribus a Cælo ſignis, luculentiſſimoque teſtimonio S. Franciſci Saleſii commendatum, merito cenſerem a Sanctitate Vestra in faſtis Sanctarum Virginum ſupremo, & infallibili tuo judicio recenſendum.

CLEMENS MARIA Bardini Epiſcopus Aquipendii Aſſiſtens.

FOrtem mulierem, quæ tanta laude a Spiritu Sancto decoratur, æmulata vere, & imitata eſt Joanna Francisca de Chantal. Fortis quidem & ipſa fuit, dum viro, ſeſeque in holocauſtum Divinæ oblata Majeſtati, ac perpetua caſtitate ſua Deiparæ devota, fidem, quam homini dedit in terris, totam Chriſto Domino tribuit in Cælis. Fortis inſuper, dum contemptis, victiſque filii, ac univerſæ obſtrepentis cognationis, ſatanæque impedimentis, & machinis, ſaerum excitavit Viſitationis Ordinem, qui prægrandi futurus erat Eccleſiæ noſtræ utilitati, & ornamento; illumque, magno Saleſio duce, qui ſibi determinatus a Deo eſt, per graviſſimas euras, laboreſque exantlatos ampliavit. Fortis tandem, dum arduis omnibus, ac limites ſupercedentibus humanæ naturæ ſuperatis ſimul, & obtentis, tantum, ipſo Saleſio teſte, profecit ſcientia Dei, tantum in gratia crevit, tantum in ſanctitate, & virtute proceſſit, ut donis, quibus a Deo fuit illuſtrata, nemini unquam liceat altius aſſur-

alluigere. Tantum ergo fortitudinis exemplar, quod Sponſi Cæleſtis manu coronam gloriæ aſſequutum eſt, probatiſque miraculis undique circumſultum, arbitror, PATER BEATISSIME, infallibili etiam SANCTITATIS VESTRÆ oraculo eſſe in Sanctorum choris referendum.

Statim ac cognovit Epiſcopos omnes Aſſiſtentes pedes in partes Patriarchæ Conſtantinopolitani contuliſſe Archiepiſcopus Apameæ, quid de BEATA JOANNA FRANCISCA FREMIOT DE CHANTAL & ipſe ſentiret, per hæc declaravit verba.

STEPHANUS EVODIUS Aſſemanus Archiepiſcopus Apameæ.

HAbent plurimum, BEATISSIME PATER, conjuges, viduæ, moniales, ac monialium Præfectæ quod addiſcant in egregia vivendi ratione B. JOANNÆ FRANCISCÆ DE CHANTAL. In quolibet enim eorum vitæ graduum heroicis adeo virtutibus emicuit, ut merito de ea prænunciaverit Prædeceſſor tuus Benedictus XIV.[1] chriſtianæ perfectionis exemplar eam fuiſſe in conjugali ſtatu, in viduitatis ſolitudine, in religionis ſanctimonia, in fundationis, & præſidentiæ ſollicitudine. Quare quum & novis ea miraculis claruerit, Chriſtianæ Reipublicæ maxime profuturum arbitror, BEATISSIME PATER, ſi eamdem Sanctorum faſtis adſcriptam, quatuor præſertim iis mulierum cœtibus ad imitandum propoſueris.

Eidem ceteri Epiſcopi, quorum ſententias, modo exponimus, aſſenſum præbuerunt ſuum.

ՅԱԿՈԲՈՍ Մեսրոպ Չէլէպի Արապկեան
Արք Եպիսկոպոս Լամբրոնի և Տարսոնի
[illegible]
Ազգաւ Հայ.
Երանելի Հայր:

[illegible]

Ejuſdem verſio latina.

JACOBUS Meſrob Chiaja Arabeli Archiepiſcopus Lampronenſis, & Tarſi natione Armenus.

BEATISSIME PATER. Ad quem ſanctitatis gradum, divina opitulante gratia, aſcenderit B. JOANNA FRANCISCA FREMIOT, duo hæc plane oſtendunt. Alterum quod Divo Francisco Saleſio ejus moderatore illuminata, & inſtructa, doctrinis, præceptis, exemplis arduum emiſerit, Dominoque integrum reddiderit votum de quotidiano in dies profectu, eaque agendi, quæ perfectiora, Deoque gratiora viderentur. Alterum, quod Sanctus idem Franciſcus teſtatus fuerit JOANNAM eo ſanctitatis, & virtutis proceſſiſſe, ut pro ratione gratiarum, quibus a Deo fuit locupletata, nemini unquam liceret altius aſſurgere. Merito igitur ad aliorum preces & humillimas meas adjungo, ut hæc Sacroſancta, & Apoſtolica Sedes B. JOANNAM FRANCISCAM in Sanctorum catalogo recenſere dignetur.

70.

[1] In *Decreto Anni* 1751.

JOSEPH SIMONIUS Aſſemanus Archiepiſcopus Tyri.

BEATISSIME PATER. Non ſolum ex ſcriptis documentis, quæ nobis tradita ſunt de BEATÆ JOANNÆ FRANCISCÆ rebus geſtis, ſed etiam luculentiſſimo S. Franciſci Saleſii ſpirituum probatione longe clariſſimi teſtimonio comprobatur, eo ſanctitatis, & virtutis, dum viveret, proceſſiſſe eamdem B. JOANNAM FRANCISCAM, ut pro ratione gratiarum, quibus a Deo fuit locupletata, nemini unquam liceret altius aſſurgere. Sanctam quippe Tereſiam imitata, eodem Saleſio conſulente, maxime arduum votum emiſit, implevitque efficiendi ſemper quidquid perfectius, Deoque gratius, & acceptius fore intelligeret. Effloruit in eo conſilio omnipotens miſerentis Dei benedictio: nam Ordo Viſitationis, Saleſio plantante, JOANNA rigante, Deo incrementum dante, in arborem proceram ita crevit, ut quatuor ſupra octoginta cœnobia lectiſſimarum virginum in regionibus, nationibuſque diverſis beata mulier a Deo conſortata excitaverit: alia præterea diverſorum Ordinum aſceteria ex Epiſcoporum, quibus ſuberant auctoritate, ad priſtinam ſeveriorem regulam revocaverit. Quum igitur ipſius ſanctitatem extra omnem dubitationis aleam conſtituant juridicæ probationes tam ſuper heroicis virtutibus, quam ſuper miraculis ad ejus interceſſionem a Deo patratis; firmiſſimum SANCTITATI VESTRÆ fundamentum ſuppeditant, ut illam Sanctorum catalogo adſcribas: idque ut tandem fiat, univerſi Ordinis Viſitationis in Europa conſtituti votis, ſuas etiam humillimas preces idem Ordo in Monte Libano propagatus adjungit.

ALEXANDER FE' Epiſcopus Methonenſis.

CUM ſatis, ſuperque liqueat B. JOANNAM FRANCISCAM FREMIOT DE CHANTAL tum ex proceſſu, ac tot auctoritatibus, & tam magnis, verum exemplum fuiſſe ſanctitatis, & divini amoris domicilium, & ſedem, & cum in Marthæ munere. Magdalenæ contemplationibus conjungendo, laudem meruerit immortalem; ideo, BEATISSIME PATER, inter Sanctarum catalogum adſcribendam eſſe plane reor.

CAROLUS Camucius Epiſcopus Juſtinopolitanus.

QUod S. Franciſcus Saleſius divino illius tractus ſpiritu de alumna ſua JOANNA FRANCISCA FREMIOT DE CHANTAL prædixerat, illam ſcilicet eo ſanctimoniæ venturam, eoque caritatis igne eſſe conflagraturam, quo S. Angela, quo S. Paula, quo S. Catharina Januenſis, id felix exitus comprobavit. Nec vero S. Epiſcopus prænunciare aliter poterat, cum jam tum eam videret in ſcientia Dei adeo proceſſiſſe, & ita creviſſe in gratia, ut pro ratione gratiarum, quibus a Deo fuerat locupletata, nemini unquam, ipſomet teſte, liceret altius aſſurgere. Quarum igitur virtutes, & chariſmata meliora eſt æmulata hæc mulier fortis, earum ſorte merito a SANCTITATE VESTRA donabitur, eam in Sanctarum albo, in quo illæ recenſitæ ſunt, adſcribendo.

JULIUS MATTHÆUS Natali Epiſcopus Tiburtinus.

VIrtutum omnium ornamentis, quibus mulierem fortem decoratam exhibet Salomon, BEATAM JOANNAM FRANCISCAM FREMIOT DE CHANTAL inclaruiſſe res ab ipſamet geſtæ luculentiſſime teſtantur. In eam veluti ſpeculum oculos conjicere licet nobilibus, innuptis, nuptis, ac viduis, ut inde ſumant quod imitentur. Sed mihi ſuſpiciendum videtur, præcipue ardentiſſimum divinæ gloriæ ſtudium, & invictum animi robur, quo haud reſpiciens carnem, & ſanguinem præclara terreſtrium, & infernorum hoſtium triumphatrix innumeras Deo filias peperit, & ſpiritum S. Franciſci Saleſii ducis ſui, propriumque mirifice propagavit, unde generatio, & generatio laudabit in portis opera ejus. Porro prodigia, quæ per illam etiam in diebus noſtris operatus eſt Dominus, ut eam celebrem mundo faceret, & cunctis hominibus glorioſam, nunc poſtulant, ut detur

tur ei de fructu manuum ſuarum, & ad militantis Eccleſiæ præſidium, & decus ſuper candelabrum in domo Dei, SANCTITATE VESTRA annuente, collocetur.

JOSEPH Aluſſi Epiſcopus Balneoregienſis.

MUlierem fortem, quam Spiritus Sancti teſtimonio invenire eſt perquam difficile, in BEATA JOANNA FRANCISCA habemus, BEATISSIME PATER, quæ licet quinquennis in Calviniano hæretico convincendo fortis fuit, atque adultior accinxit fortitudine lumbos ſuos, victrixque Beatiſſimæ Virginis ope extitit in ea pugna, quam adverſus virginitatem movit vaferrima mulier: fortitudinem vero ſuam maxime exercuit in viri morte conſtantiſſime perferenda, & proſequendo interfectore inſignibus benevolentiæ demonſtrationibus: ut taceam vitæ rationem ab ea jam vidua inſtitutam corporis afflictatione, parciſſimo cibo, vulgari veſtitu, frequentia in noſocomiis, quæ abſque ſingulari fortitudine peragi non poſſunt; manum ſuam miſit ad fortia, tunc præcipue, quando Annecium, quo a S. Franciſco Saleſio ad inſtaurandum Ordinem Viſitationis vocabatur, pergens, filium unicum ſuum eam remorantem, & in domus limine ſe proiicientem, tranſgreſſa eſt. Ita vineam in Eccleſia plantavit fructu uberrimam, non eo ſolum, quem Ordo Viſitationis protulit, proſertque in dies, ſed alio præclariſſimo, quem germinat Congregatio Miſſionis, cujus leges ei probandas ſubjecit S. Vincentius a Paulo; cujus etiam de ſanctiſſima fœmina judicium confirmavit Dominus ſpecie illi oblata fulgentiſſimi globi in ejuſdem morte; cum vero miracula quoque rite, recteque probata heroicas pariter virtutes, & JOANNÆ FRANCISCÆ merita confirment, dignam cenſeo, BEATISSIME PATER, quæ ſummos Sanctarum honores conſequatur.

JOANNES de Vita Epiſcopus Reatinus.

DEus Optimus Maximus, qui Sanctum Franciſcum Saleſium mitem, & humilem corde, atque, ut omnis caro videret ſalutare Dei, aſpera in vias planas redigentem, omnibus denique omnia factum voluit, dum ſcilicet talem Deus hominem ſibi formaret, nonne illud dixiſſe iterum putandus eſt: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram?* Ita ſane; ſed ut novum hoc ſpiritualis creationis opus pari modo Deus ipſe perficeret, illud addidiſſe, atque iterum compleſſe voluit: *Faciamus ei adjutorium ſimile ſibi*: tulit itaque de coſtis Franciſci, atque melioribus auſpiciis de ipſo Franciſci ſpiritu ædificavit JOANNAM ſimilem Franciſco. Hinc JOANNA honoribus, divitiis, carne adhuc, & ſanguine proculcatis, non tam ſerpentis reſpuiſſe voces, quam ipſum ſerpentis caput contriviſſe viſa eſt. Hinc JOANNA ex Franciſci diſcipula fidelis adminiſtra, atque aliorum magiſtra, ex filia felicior altera viventium mater effecta, omnes Chriſto lucrifacere collaboravit. Quum igitur ex Franciſci ſpiritu JOANNÆ ſpiritus coaluerit; fuerintque duo in corde uno, una quoque, eademque ſanctitatis corona ambos exornet.

PHILIPPUS Bruni Epiſcopus Lyddenſis, & Suffraganeus Sabinæ.

BEATISSIME PATER. Aperi templum tabernaculi teſtimonii in Cælo, cujus tibi claves ſunt traditæ; non quidem ut felici animæ B. FRANCISCÆ DE CHANTAL oſtium pandas ad hæreditatem incorruptibilem, ad quam ſuſcipiendam jamdudum ignito globo eam raptam vidit S. Vincentius a Paulo inter ſplendidiores, atque ardentiores ignis vortices commiſceri: ſed ut omnes gentes veniant, & adorent in conſpectu Dei, quoniam judicia ejus manifeſta ſunt, juſtificata in ſemetipſa, fundata in veritate, atque æquitate. Apparuit enim jam veritas probatarum virtutum, ſigna jam deſurſum loquuta ſunt comprobantia quam ſancte illa in virginitate, in connubio, in viduitate perfectionis iter ſit proſequuta. Decet ergo tribus de cauſſis, ut excelſa manus Paſtoris primi forti huic mulieri, & jam in Cælis glorioſæ, ſanctitatis coronam imponat: ut diſcamus ſcilicet non tam illius agi triumphum in tanta

eele-

celebritate, quam divinæ gratiæ, quam miſericordiæ, cujus eſt omne optimum; ut noſcamus nullum eſſe vitæ genus, quod perfectioni virtutum ſit inimicum; ut tandem quos pium Viſitationis inſtitutum ab ea morum fontes ſaluberrimos bibit, confidentius in cæteros homines largo hauſtu diffundat.

JOANNES BAPTISTA Filipponi Tenderini Epiſcopus Anagninus.

BEATAM JOANNAM FRANCISCAM FREMIOT DE CHANTAL ſatis commendat vir ipſe commendatiſſimus S. Franciſcus Saleſius, qui egregiis Illius virtutibus præcipue adductus eſt, ut illam in fundando ſacro Ordine Viſitationis ſociam, & quaſi miniſtram adhiberet; ſed eamdem quoque Deus ipſe commendavit excellentibus chariſmatum donis, cum & puerula linguam in revincendo erroris ſui Calviniano homine, ſecerit eſſe diſſertam, & latentis alterius ſub ovina pelle Calviniani, qui ſponſam eam ſibi præoptaverat, maculatam religionem mire detexerit, præterea illæſam a pravæ mulieris aſtu, & fallaciis, ne caſtitatem læderet, ſervaverit. Quin ipſa ſe abunde commendat JOANNA FRANCISCA admirabili præſertim conſtantia, atque in Deum caritate, cum ejus amore non modo viri ſui necem interſectori libentiſſime condonavit, ſed ipſius quoque filium in amicitiæ arctioris argumentum ſuſcipere e ſacro fonte voluerint cum eo, quo cæleſti afflatu vocabatur, & ad religionis clauſtra perrexerit percalcatum non patrem, quod S. Hieronymus, & S. Bernardus ſuadent, ſed, quod plus eſt, morigerum ipſum ſuum, & amatiſſimum filium: denique cum virtutum omnium abſolutiſſimam perfectionem, quantum homini licet, complexa videatur admirabili voto, quo, S. Franciſco Saleſio conſentiente, ſe obſtrinxit, inſtauravitque ſingulis annis faciendi ſemper ea, quæ perfectiora, Deoque gratiora, & acceptiora fore cognoſceret. Heroicis igitur ornatam virtutibus, miraculis etiam inſignitam JOANNAM FRANCISCAM cenſeo, BEATISSIME PATER, in Sanctorum album ad Dei gloriam, Eccleſiæ ornamentum, Sacri Ordinis Viſitationis decus, fidelium omnium exemplum eſſe recenſendam.

Poſtremus Epiſcoporum jam dixerat ſententiam, cum PATER SANCTISSIMUS iterum reaſſumens ſermonem, ſe incredibilem concepiſſe Letitiam, ſummoque gaudio aſſectum fuiſſe unanimi eorumdem perſpecta ſententia de BEATIS hiſce in Sanctorum canonem referendis declaravit, ſimulque tantam ſollemnitatem in ſeſto S. Mariæ de Monte Carmelo, quo ſacra thiara, corona decoris, ac diademate ſpeciei an. MDCCLVIII. fuit redimitus, ſe expleturum per hæc verba edixit.

VENERABILES FRATRES. Gratiſſimum nobis accidit ſententias veſtras cum votis noſtris plane congruere. Itaque non modo BEATIS SERAPHINO AB ASCULO, & JOANNÆ FRANCISCÆ FREMIOT DE CHANTAL, de quibus egimus in præſenti Conſiſtorio, ſed etiam BEATIS JOANNI CANTIO, JOSEPHO CALASANCTIO, JOSEPHO A CUPERTINO, & HIERONYMO ÆMILIANO, quorum Cauſſæ relatæ fuerunt in ſuperioribus Conſiſtoriis, Sanctorum cultum, & honores Prædeceſſorum noſtrorum more benedicente Domino decernemus; eique ſollemnitati celebrandæ anniverſarium Coronationis noſtræ conſtituimus diem decimum ſextum currentis hujus menſis Julii Beatæ Virgini Mariæ de Monte Carmelo conſecratum. Interea non intermittendæ, immo vero ferventiores ad Deum urgendæ ſunt preces, ut ejus divino favore, & numine, tantam rem poſſimus denique abſolvere ad

illius honorem, & gloriam, ad Catholicæ Fidei exaltationem, & univerſæ Eccleſiæ utilitatem, & decus.

Tunc Procurator Generalis Cameræ Apoſtolicæ, conſueta formula per Protonotarios Apoſtolicos inſtetit, ut de hoc ſemipublico Conſiſtorio publicum exararetur Inſtrumentum.

„ Ego Auguſtinus Sabbatucci SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI, & Cameræ Apoſtolicæ Procurator Generalis rogo vos Protonotarios, & Notarios Apoſtolicos hic præſentes, ut de ſententiis, conſilio, & unanimi conſenſu Reverendiſſimorum Dominorum S. R. E. Cardinalium, necnon Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, deque SUMMI PONTIFICIS oratione, & deliberatione præhabitis ſuper ſollemni Canonizatione BEATORUM SERAPHINI AB ASCULO, ſeu A MONTE GRANARIO, & JOANNÆ FRANCISCÆ FREMIOT DE CHANTAL unum, vel plura, publicum, ſeu publica conficiatis Inſtrumentum, vel Inſtrumenta ad perpetuam rei memoriam.

Efflagitanti R. P. D. Joannes Andreas Archetti Protonotariorum Apoſtolicorum de numero participantium Decanus, ſuorum collegarum nomine, *conficiemus* reſpondit, atque in teſtes, qui ad ſolium PONTIFICIS aderant, appellans, ſubjunxit *vobis teſtibus*.

Sequuntur ſuffragia Eminentiſſimorum Cardinalium, ac Reverendiſſimorum Epiſcoporum, qui licet Romæ adeſſent, nonnullis attamen impedimentis detenti, Conſiſtorio intereſſe minime potuere.

Et primo de BEATO SERAPHINO AB ASCULO, ſeu de MONTE GRANARIO.

FRIDERICUS MARCELLUS Epiſcopus Portuenſis, & Sanctæ Rufinæ Cardinalis Lantes.

BEATISSIME PATER. BEATUS SERAPHINUS AB ASCULO ex Ordine Capuccinorum vir ſimplex, rectus, ac timens Deum, evangelicæ perfectionis, & regularis diſciplinæ ſedulus cultor, ardentiſſimo zelo ſalutis æternæ animarum percitus, tot dira ab inhumano fratre perpeſſus eſt, tot aſpera pertulit perpetuo ab hominibus, & a dæmone laceſſitus, ut martyr patientiæ jure merito diceretur, & eſſet. Quare, BEATISSIME PATER, virum hunc religioſiſſimum virtutibus omnibus heroicis, & miraculis clarum, in Eccleſia plebis catholicæ cultu Sanctorum exaltandum eſſe cenſeo.

PETRUS PAULUS Tituli Sancti Stephani in Monte Cœlio Presbyter Cardinalis de Comitibus.

BEATUS SERAPHINUS AB ASCULO Capuccinorum Ordinis Laicus profeſſus viam juſtitiæ ingreſſus eſt ab adoleſcentia ſua. In Capuccinorum vero familia omnium heroicarum virtutum ſpecimen cunctis aſſidue fuit. Illuxit miraculis in vita, ſplendet miraculis poſt mortem. Sanctificetur ergo, BEATISSIME PATER, in Eccleſia militante, qui ſanctus eſt in Eccleſia triumphante.

JOANNES CONSTANTIUS S. Cæſarei Diaconus Cardinalis Caracciola de Sancto Bono.

BEATISSIME PATER. Infirmia elegit Deus, ut fortia quæque confundat. Humilibus parentibus natus BEATUS SERAPHINUS, tenuiſſimo præditus ingenio, ambulans in ſimplicitate cordis, ſumma animi fortitudine fratris opprobria, & aſperrima quæque, quo Deo, & hominibus in dies fieret acceptior, lenis ſemper, comes, ac benevolus toleravit. Capuccinorum Ordini divina vocatione adſcriptus, ſumma animi demiſſione ſe geſſit, cum non adeo omnium minimum videri ſtuduerit, ſed revera ſeſe exiſtimaverit. Ob ſingularem patientiam, abſtinen-

ſtinentiam, corporiſque afflictationem, & infinita charismatum dona, quibus Deus ipſum cumulaverat, cum ſummo honore, ac veneratione ſocii omnes, & Ordinis proceres proſequebantur; qua de cauſa pretioſam ejus mortem in conſpectu Domini occultandam decreverant. Sed ex ore infantium, & lactentium Deus notam ſecit, crebriſque miraculis jam probatis, ejus ſanctitatem teſtatam voluit. Quid itaque, BEATISSIME PATER, impedimento eſſe poterit, quominus Sanctorum albo is adſcribatur, quem Deus ipſe jam oſtendit in Cælis portantem cum gloria manipulum ſuum.

FRANCISCUS Matthæjus Patriarcha Alexandrinus Aſſiſtens.

VIas Domini quærens, & in cordis ambulans ſimplicitate B. SERAPHINUS AB ASCULO, quam in ſalutari regenerationis lavacro gratiam ſuit conſequutus, nunquam vel levi quopiam flagitio fertur commaculaſſe; ſed pietate, & gratia coram Deo, & hominibus creſcens, ad ſublimem pervenit perfectionis gradum: in Seraphico namque Capuccinorum Ordine adſcitus regularis obſervantiæ ſtudio, & virtutum omnium exercitatione uſque ad vitæ exitum omnibus prævivit; dignus proinde qui mirabilibus charismatibus, ac præſertim miraculorum dono vivens ditaretur, & paulo poſt obitum Beatorum cultu donatus, altarium frueretur honoribus: cum autem eximia ejus ſanctitas tot, quæ adhuc extant, monumentis, & miraculis comprobata, continuo illuſtrior evaſerit, tuum modo eſt, PATER BEATISSIME, ſervum fidelem Sanctum dicere, Sanctiſque Confeſſoribus adnumerare.

MICHAEL ANGELUS Giacomelli Archiepiſcopus Chalcedonenſis Aſſiſtens.

BEATISSIME PATER. Dominus, cujus ſedes Cælum eſt, terra [1] autem ſcabellum pedum ejus, reſpexit ad paupereulum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones illius; ad BEATUM SERAPHINUM inquam AB ASCULO, antea nomine Felicem, qui audiens de futuro judicio tremefactus eſt, non ut Felix [2] ille olim infructuoſo timore, ſed qui eſt ad ſalutem; & ſacrum Capuccinorum Ordinem ingreſſus, vitæ rationem inſtituit arctiſſima paupertate, demiſſione animi, corporis afflictatione omnino admirabilem. Reſpexit autem Dominus ad BEATUM VIRUM, & nullis naturæ dotibus commendatum, melioribus charismatibus ornavit, ſublimi præſertim cæleſtium rerum intelligentia, ardenti ſalutis animarum ſtudio, quo multos a vitiis ad pietatem traduxit, gratia quoque curationum, quæ eum vel mortuum comitata eſt. Cum igitur Deus humilem exaltatum iri pronunciet, cenſeo, BEATISSIME PATER, B. SERAPHINO ſummos, qui ſanctis viris tribuuntur, honores A SANCTITATE VESTRA eſſe deferendos.

FRANCISCUS MARIA Forlani Epiſcopus Civitatis Caſtellanæ, & Hortanæ Aſſiſtens.

BEATISSIME PATER. Quæ virtutes in BEATO SERAPHINO ſplendidæ fuerunt omnes, ſplendidiores videri debent, eum quædam ex his in ætate non ſua præ cæteris eſfulſerint ſingularius. Cum enim ſuapte natura pueri intemperantes eſſe conſueverint, inconſtantes animi levitate adoleſcentes, aſperi monitoribus viri, ſenes vero commodis indulgentiores, & ſibi B. SERAPHINUS pueritiam jejuniis, ſtabili contemplatione adoleſcentiam, virilitatem obedientia, ſenectutem aſperiori mortificatione, ſuique contemptu illuſtravit. Hæ ſane virtutes, quo naturam vicerunt magis, eo rationem intulerunt abſconditæ in Chriſto vitæ, quæ eum tentatur, proficit, eum humiliatur, erigitur. Illum igitur, PATER BEATISSIME, Sanctorum dypticis infallibile tuum adnumeret decretum; ut ſicut abundarunt in eo paſſiones Chriſti, ita & per Jeſum Chriſtum ſui in terris Vicarii voce, & in eo, & nobis, & in laudatiſſimo illius Ordine abundet conſolatio.

1 *Iſai.* LXVII. 1. 2. 2 *Actor.* XXIV.

ܝܘܣܦ ܪܒܝܥܝܐ ܦܛܪܝܪܟܐ ܕܒܒܠ

ܕܟܠܕܝܐ.

ܐܒܐ ܩܕܝܫ ܒܟܠ.

ܡܕܒܪܢܐ ܐܠܗܐ ܡܣܟܢܘܬܐ ܠܥܘܬܪܘܬܐ
ܘܫܝܛܘܬܐ ܠܐܘܪܒܘܬܐ ܘܡܟܝܟܘܬܐ ܕܪܘܚܐ
ܦܫܝܛܬܐ ܠܡܫܬܩܠܢܘܬܐ ܕܡܬܪ̈ܥܝܢ ܡܪ̈ܝܡܬܐ
ܒܣܪܐܦܝܢ ܡܢ ܐܣܩܘܠܝ ܣܗܕ ܕܚܟܡܬܐ
ܘܫܘܒܚܗ ܕܥܠܡܐ ܗܢܐ ܫܪܝ ܠܡܒܣܪܘ
ܘܒܪܘܚܐ ܡܟܝܟܬܐ ܘܒܠܒܐ ܕܟܝܐ ܗܘܐ ܡܬܦܨܚ.
ܘܡܢ ܒܬܪ ܥܢܐ ܢܣܒܗ ܘܡܠܝܗ ܪܘܚ ܚܟܡܬܐ
ܘܣܘܟܠܐ ܕܢܩܝܡ ܡܢ ܐܪܥܐ ܠܡܣܟܢܐ ܘܥܡ
ܪ̈ܝܫܢܐ ܢܘܬܒ ܒܫܡܝܐ. ܟܠܗܘܢ ܕܝܢ
ܗܠܝܢ ܟܕ ܫܠܡܢ ܘܡܝܬܪܢ ܘܡܫܪ̈ܪܢ ܒܬܕܡܪ̈ܬܐ
ܣܓܝܐ̈ܬܐ ܫܪܝܪܐܝܬ ܡܣܬܒܪ ܠܝ ܕܢܦܩܢ
ܠܗ ܐܝܩܪ̈ܐ ܥܠܝ̈ܐ ܒܥܕܬܐ ܩܬܘܠܝܩܝ
ܡܛܠ ܩܕܝܫܘܬܟ.

Ejuſdem verſio latina.

JOSEPH IV. Patriarcha Babylonenſis Chaldæorum.

BEATISSIME PATER. Paupertatem divitiis, ignobilitatem nobilitati, & ſimplicis animi demiſſionem elationi cogitantium ſublimia præponens Deus, in B. SERAPHINO AB ASCULO teſtatus eſt, ſapientiam, & gloriam ſeculi hujus ſe deſpicere, atque humili ſpiritu, & ſincero cordis affectu delectari. Eum ſiquidem de poſt fœtantes accipiens, implevit ſpiritu ſapientiæ, & intellectus, ut quem ſuſcitaret de terra inopem, in Cœlo cum principibus ſuis collocaret. Quæ omnia cum ſatis, & abunde conſtent, pluribus quoque miraculis comprobata, ſupremos illi in Catholica Eccleſia honores per SANCTITATEM VESTRAM decerni tuto poſſe exiſtimo.

Ραφαηλ Τογκι Επισκοπος

ⲛ̀ⲧⲉ Ⲁⲣⲥⲉⲛⲟⲏ ⳾

Ⲛⲁⲓⲁⲧϥ Ⲥⲉⲣⲁⲫⲓⲙ ⲉ̀ⲃⲟⲗ ϧⲁ Ⲁⲥⲕⲟⲩⲗⲓ ⲉ̀ⲧⲟⲩϫⲱ ⲙ̀ⲙⲟϥ: ⲱ ⲡⲁⲓⲁⲧⲕ ⲙ̀ⲙⲁϣⲱ ⲫⲓⲱⲧ: ⲓⲥϫⲉⲛ ⲛⲓ ϩⲟⲩⲓⲧ ⲛ̀ⲣⲟⲙⲡⲓ ⲛ̀ⲧⲉϥⲙⲉⲧϭⲉⲗϣⲓⲣⲓ: ⲁϥⲑⲏⲓϥ ⲙ̀ⲙⲓⲛ ⲙ̀ⲙⲟϥ ⲛ̀ⲣⲁⲛ ⲉ̀ⲡϫⲓⲛⲑⲁⲙⲓⲟ ⲟⲩⲧ ⲉⲑⲟⲩⲁⲃ ⲛ̀ⲧⲉ ⲛⲏ ⲉⲧⲟⲩⲙⲟⲩⲧ ⲉ̀ⲣⲱⲟⲩ ⲛ̀ ⲡⲁⲕⲁⲗⲁϥⲧ: ⲡⲓ ⲣⲉϥⲫⲟϣⲉⲛ ⲛ̀ⲧ ⲙⲉⲧϩⲏⲕⲓ ⲉⲧⲭⲏⲟⲩ ⲛⲉⲙ ⲛ̀ⲛⲓϣϯ: ⲛⲉⲙ ϯ ⲙⲉⲧⲟⲩⲉⲃⲓⲟ ⲛ̀ ϩⲏⲧ ⲛ̀ⲉⲩⲁⲅⲅⲉⲗⲓⲕⲏ: ⲛⲉⲙ ⲛⲓ ⲙⲟϩ. ⲟⲩⲟϩ ⲟⲩⲥⲙⲟⲧ ⲛ̀ ϫⲱⲕ ⲉ̀ⲃⲟⲗ ⲛ̀ ⲟⲩⲙⲉⲧⲧⲁⲧⲁ ϭⲛⲓ ⲛ̀ⲧⲉ ϥⲟⲩⲱⲛϩ ⲛ̀ ⲟⲩⲁⲓ. ⲛⲉⲙ ⲡϫⲓⲛ ⲉⲣϩⲱⲃ ⲛ̀ ⲛⲓ ⲁⲣⲉⲧⲏ ⲛⲓⲃⲉⲛ: ϩⲓⲛ ⲥ̀ⲙⲟⲩⲧⲉⲛ ϣⲁⲣⲉ ⲁⲓⲧⲁⲭⲣⲟ· ϫⲉ ⲛ̀ⲑⲟϥ ⲁϥϭⲓ ⲛ̀ ⲧⲁⲫⲉ ⲉⲧϭⲓⲥⲓ ⲛ̀ⲧⲉ ϯ ⲙⲉⲧⲓⲑⲟⲩⲁⲃ ⲉⲧϭⲟⲥⲓ ⳾ Ⲡⲛⲟⲩⲧⲉ ⲅⲁⲣ ⲡⲓ ⲡⲁⲛⲧⲟⲕⲣⲁⲧⲱⲣ; ⲫⲏ ⲉⲧⲉϥⲉⲣ ⲙ̀ ⲛ̀ϩⲏⲕⲓ: ⲟⲩⲟϩ ⲁϥⲁⲓϥ ⲛ̀ ⲣⲁⲙⲁⲟ ⲁϥⲧⲟⲩⲛⲟⲥ ⲙ̀ ⲡⲁⲓ ϩⲏⲕⲓ ⲉ̀ⲃⲟⲗ ϧⲁ ⲡ̀ⲕⲁϩⲓ: ⲉⲑⲣⲉϥϩⲉⲙⲥⲓ ⲛⲉⲙ ⲛⲓ ⲁⲣⲭⲱⲛ: ⲟⲩⲟϩ ϧⲉⲛ ϯ ⲙⲉⲧⲟⲩⲣⲟ ⲛ̀ⲧⲉ ⲛⲓ ⲫⲏⲟⲩⲓ ⲛ̀ ⲙⲁⲛϩⲉⲙⲥⲓ ⲛ̀ⲧⲉ ⲟⲩⲱⲟⲩ ϣⲁϥϭⲟϫⲓ: ⲛⲉⲙ ϣⲁϥⲁⲙⲁϩⲓ ⲙ̀ⲙⲟϥ ⳾ Ⲉⲑⲃⲉⲟⲩ ⲱ̀ ⲡⲁⲓⲁⲧⲕ ⲙ̀ⲙⲁϣⲱ ⲫⲓⲱⲧ ϣⲁⲧⲉϥⲥ̀ⲙⲏ ⲓⲉ ⲥ̀ⲓⲱⲧ ⲛ̀ⲧⲉ ϯ ⲧⲉϥⲙⲉⲧⲑⲉⲟⲩⲁⲃ ϣⲉⲡⲁⲥ ⲛⲉⲙ ϣⲁ ⲁⲥⲫⲟϩ ⲓⲥ̀ϫⲉⲛ ⲙ̀ ⲧⲟⲛ ⲙ̀ ⲡⲓ ⲃⲱⲕ ⲛ̀ⲧⲉ Ⲫϯ ϣⲁⲛⲓ ⲥ̀ⲛⲟⲩ ⲡⲁⲓ: ⲛⲉⲙ ϣⲁⲣⲉⲁⲓⲁⲓ: ⲟⲩⲟϩ ϣⲁⲣⲉⲁϣⲁⲓ: ⲟⲩⲟϩ ϣⲁⲣⲉⲥ̀ⲱⲣ: ⲛⲉⲙ ⲁⲩⲥⲧⲁϫⲣⲏⲟⲩⲧ ϩⲉⲛ ⲟⲩ ⲙⲉⲧⲙⲉⲑⲣⲉ

ⲑⲣⲉ

ⲟⲣⲉ ⲛ̀ ⲛⲓ ϣⲫⲏⲣⲓ ϩⲱⲛ: ⲫⲁⲓ ϩⲱⲃ
ⲙ̀ⲙⲟⲩⲁⲓ ⲫⲏⲉⲧⲉⲣϩⲟⲩⲟ̀ ⲡⲉ ⲉⲧⲁⲩ-
ϫⲁϥ: ⲁϥϭⲓ ⲙ̀ ⲡⲓ ⲃⲉⲭⲉ ⲛ̀ⲁⲧⲧⲁ=
ⲕⲟ ⲙ̀ ⲡⲓ ⲙⲟϩ ⲛ̀ ⲛⲓ ϣϯ ϧⲉⲛ ⲛⲓ
ⲫⲏⲟⲩⲓ: ⲛ̀ ⲛⲓ ⲧⲁⲓⲟ ⲛ̀ⲧⲉ ⲛⲓ ⲉⲑⲟⲩ=
ⲁⲃ ϧⲉⲛ ⲡ̀ ⲕⲁϩⲓ ⲛ̀ ⲧⲉϥϣⲟⲡⲟⲩ
ⲉ̀ⲣⲟϥ ϧⲉⲛ ⲫⲁⲓ ⲛ̀ ⲛⲏⲉⲧⲛⲁϩϯ ⲛ̀ⲧⲉ
ⲛⲓ ⲭⲣⲓⲥⲧⲟⲥ ⲛⲉⲙ ⲛⲓ ⲙⲉⲧⲣⲏⲕⲓ ⲉ̀
ϯ ⲙⲉⲧⲣⲁⲙⲁⲟ̀: ϧⲉⲛ ⲉⲅⲕⲣⲁⲧⲓⲁ̀
ⲉ̀ ⲛⲓ ⲟⲩⲛⲟϥ: ϧⲉⲛ ϯ ⲙⲉⲧⲑⲉⲃⲓⲟ̀
ⲙ̀ ⲙⲏⲓ: ⲓⲉ ⲛⲓ ⲙⲉⲧϭⲛⲟϫⲓ ϣⲁ ⲛⲉϥ=
ϫⲉⲙϫⲟⲙ ⲛ̀ⲧⲉ ⲛⲓ ⲉⲑⲟⲩⲁⲃ ϫⲉ ⲁⲓ=
ⲛⲁ ⲧⲁⲛⲉⲟⲩⲱⲛϯ ⸗

Ejuſdem verſio latina.

RAPHAEL Tuki Epiſcopus Arſenoenos.

BEATUM SERAPHINUM AB ASCULO dictum, BEATISSIME PATER, qui a primis adoleſcentiæ annis Sacræ Capuccinorum familiæ nomen dedit, aſperrimæ paupertatis cultorem eximium, ac evangelicæ humilitatis, & perfectionis exemplar perfectum, ſingulari vitæ innocentia, ac virtutum omnium exercitatione ſupremum ſanctitatis faſtigium aſſequutum fuiſſe facile affirmaverim. Omnipotens ſiquidem Deus, qui pauperem facit, & ditat, hunc de pulvere ſuſcitavit egenum, ut ſedeat cum principibus, & in regno Cælorum ſolium gloriæ teneat. Quare, BEATISSIME PATER, cum illius fama ſanctitatis ab obitu Servi Dei ad hæc uſque tempora, miraculorum etiam teſtimonio confirmata percrebuerit, id unum ſupereſt, ut qui mercedem ampliſſimam in Cælis jam eſt conſequutus, Sanctorum honores in terris recipiat, quo fideles Chriſti immarceſcibiles paupertate divitias, abſtinentia delicias, veram humilitate celſitudinem valeant ſibi comparare.

Hinc de BEATA JOANNA FRANCISCA FREMIOT DE CHANTAL.

FRIDERICUS MARCELLUS Lantes Epiſcopus Portuenſis, & S. Rufinæ.

BEATISSIME PATER. JOANNA FRANCISCA FREMIOT DE CHANTAL mulier fortis, quæ fide mundum vicit, virumque ſuum ſanctificavit, prole, & domeſticis ad pietatem, & religionem exercitis, adeo in benedictionibus dulcedinis a Deo præventa fuit, ut S. Franciſci Saleſii, quem Deus in fide, & lenitate ſanctum quoque fecit, ſocia, & comes fuerit in fundando, amplificandoque Viſitationis Ordine, quem ſanctiſſimis clementiæ legibus communivit, ut multæ filiæ divitias honoris, & honeſtatis congregarent. Quoniam igitur Deus patrum noſtrorum fœminam hanc illuſtrem miraculis virtute ſua corroboravit, ſit nomen ejus, BEATISSIME PATER, in numero Sanctarum, ut nova Jeruſalem ſuper eam glorietur.

PETRUS PAULUS Tituli S. Stephani in Monte Cælio Presbyter Cardinalis de Comitibus.

BEATÆ JOANNÆ FRANCISCÆ DE CHANTAL ſanctitatem, BEATISSIME PATER, teſtatam habemus a S. Franciſco Saleſio ſpirituum probatione longe clariſſimo, qui ejus moderator, & director fuit, quique ea alumna, & ſocia uſus eſt in fundando, atque amplificando ſacrarum virginum Viſitationis Ordine. Quantæ vero auctoritatis ſint Sanctorum atteſtationes de aliorum ſanctitate prolatæ, tabulæ Eccleſiaſticæ ſatis clare demonſtrant. Id meminiſſe ſat eſt, ut tuto proferam BEATAM JOANNAM FRANCISCAM, quam gloria, & honore coronavit Dominus in Cælis, ſollemni, legitimoque ritu per te, PATER BEATISSIME, coronandam eſſe in terris.

JOANNES CONSTANTIUS S. Cæſarei Diaconus Cardinalis Caracciolo de Sancto Bono.

NON in uno dumtaxat vitæ ſtatu BEATA JOANNA FRANCISCA DE CHANTAL ſanctimoniæ, pietatis, ac religionis perfectiſſimum ſeſe præbuit exemplar. Cum enim viro ſubdita vitam ageret, mulierem fortem evangelicam imitata, operata eſt conſilio manuum ſuarum, conſulendo quæ viri, filiorum, familiæque, & præcipue Dei erant. Uxoris ammiſſo nomine, cum unice Deo, cui ſe ſponſam devoverat, gratam ſe exhibere contenderet, en vehementiſſimi

mi amoris devenit, ut candenti ferro Jeſu nomen in pectus ſibi figeret, quo ſignaculo a novis ſeculi, quæ quotidie proponebantur, nuptiis liberaret. A Deo vocata demum, ut Ordinem Viſitationis, auctore S. Saleſio regeret, ac propagaret, carnem, & ſanguinem deſpexit, ut eumdem amplecteretur. Moleſtias itinerum, irriſiones, ludibria, ac labores ſuſtinuit, ut opus perficeret. Sanctorum Franciſci Saleſii, & Vincentii a Paulo de ipſa clariſſima extant teſtimonia. Heroicas ejus virtutes miracula permittente Deo patrata abunde teſtantur. Horum igitur omnium conſpectu æquiſſimum erit, SANCTITATEM VESTRAM decernere, mulierem hanc fortem, & de Catholica Eccleſia optime meritam Sanctorum albo eſſe adſeribendam.

FRANCISCUS Matthæjus Patriarcha Alexandrinus Aſſiſtens.

VIrtutis amore ſuccenſa, & quæ Dei ſunt, omni ſtudio perquirens B. JOANNA FRANCISCA FREMIOT DE CHANTAL primo virginibus, deinde conjugibus, ac poſtremo viduis nullum eſſe ſtatum, in quo perfectio nequeat adipiſci, præclaro oſtendit exemplo: arduum namque virtutum iter, quod forti, alacrique animo virgo ſuſcepit, ferventiori conatu, in matrimonio vitam agens, eſt proſequuta, ac ſeverioris tandem vitæ genere viro orbata conſummavit, præclariſſimis, ſanctiſſimiſque magiſtris Franciſco Saleſio, & Vincentio a Paulo, quibus ſeſe inſtituendam tradiderat, perfectionis ſemitas monſtrantibus: porro quum eximiam ejus ſanctitatem ounquam ſatis laudandum Viſitationis inſtitutum, quod ab ipſa primordia repetit, & iterata miracula, quæ Deus illius intereeſſione patrare dignatus eſt, undique teſtatam faciant: reliquum modo eſt, PATER BEATISSIME, ut e Petri ſolio mulierem fortem Sanctarum catalogo adſcribas.

MICHAEL ANGELUS Giacomelli Archiepiſcopus Chalcedonenſis Aſſiſtens.

BEATISSIME PATER. De virtutibus B. JOANNÆ FRANCISCÆ FREMIOT DE CHANTAL, quas ſummas, & heroicas fuiſſe conſtat, præjudicium longe antea fecerunt eximia ſanctitate illuſtres viri duo, Sanctus Franciſcus Saleſius, & S. Vincentius a Paulo; quorum alter eam dignam habuit, cui maximum opus ſuſcipiendum, perficiendumque Ordinis Viſitationis committeret; ſatiſque ſpiritualium virium ei ſuppetere judicavit, ut voto ſe obſtringeret perficiendi ſemper quæ perfectiora, Deoque gratiora fore cognoſceret: alter Congregationis Miſſionis leges, & inſtituta beatæ fœminæ vel caſtiganda tradidit, vel probanda; ſuæque diſciplinæ alumnos juſſit, ipſius quaſi matris diligentiſſime ſervare mandata. Denique morientem illam in ſplendidiſſimi globi formam Cælum petere ſe vidiſſe teſtatus eſt. Itaque ſanctiſſimorum virorum judicium mihi videor ſequi, cum JOANNAM FRANCISCAM virtutibus, miraculis, Deique donis illuſtrem digniſſimam cenſeo, quæ in ſanctarum fœminarum numerum a SANCTITATE VESTRA ſollemniter referatur.

FRANCISCUS MARIA Forlani Epiſcopus Civitatis Caſtellanæ, & Hortanæ Aſſiſtens.

BEATISSIME PATER. Gratiæ miraculum videri poteſt B. FRANCISCA FREMIOT DE CHANTAL, quæ martyrii deſiderio, quæ fidei conſtantia, quæ zelo tuendæ innocentiæ virginitatem ſic ornavit, ut lampadem venienti offerret Sponſo non vacuam, ſed oleo refertam caritatis; quæ in conjugali ſtatu, ſeculi pompis abdicatis, tota in Deum fuit, ut coleret, in ſponſum, ut diligeret, in filios, ut ſancte, catholiceque educaret: quæ tandem in viduitate exemplar facta perfectionis inſuperabilis, percalcato filio inſtituti glorioſi mater effecta eſt longe fœcundior, quam quod in thalamo, longe felicior quamquod ſpe conceſſerat. Hanc igitur mulierem fortem, PATER BEATISSIME, in Sanctorum album adnumera, quam ei gloriam S. Franciſcus Saleſius prophetico ſpiritu prævidit obventuram.

ܝܘܣܦ ܕܐܪܒܥܐ ܦܛܪܝܪܟܐ ܕܒܒܠ
ܕܟܠܕܝܐ .
ܐܒܐ ܩܕܝܫܐ ܛܒ .

ܐܢܬܬܐ ܚܝܠܬܢܝܬܐ ܐܫܟܚܢ ܒܛܘܒܢܝܬܐ
ܝܘܚܢܢ ܕܫܢܬܐܠ ܕܗܝ ܐܘ ܒܒܬܘܠܘܬܐ
ܒܙܘܘܓܘܬܗ ܐܘ ܒܐܪܡܠܘܬܗ ܝܬܝܪ ܢܨܚܬ
ܒܡܝܬܪܘܬܐ ܣܓܝܐܬܐ . ܠܗܕܐ ܕܝܡ ܡܬܝܕܥܐ
ܕܡܢ ܪ̈ܚܝܩܐ ܕܝܡܝܢ ܕܡܢ ܥܠܡ ܐܘ ܗܘܘ
ܠܗ ܡܕܒܪܢܐ ܒܐܘܪܚܐ ܕܦܘܩܕܢܐ ܕܡܪܝܐ ܐܘ
ܒܗ ܡܬܕܡܝܢ ܗܘܘ . ܠܗܕܐ ܬܘܒ ܡܣܗܕܝܢ
ܬܕܡܪ̈ܬܐ ܕܒܗܘܢ ܐܬܕܡܪ ܡܪܝܐ ܠܐܡܬܗ
ܐܝܟܢܐ . ܡܫܘܐ ܗܝ ܕܢܬܟܠܠ ܒܬܓܐ
ܕܐܝܩܪܐ ܘܩܕܝܫܘܬܐ ܒܥܕܬܐ ܕܪܗܘܡܝ
ܩܕܝܫܬܐ .

Ejuſdem verſio latina.

JOSEPH IV. Patriarcha Babylonenſis Chaldæorum.

BEATISSIME PATER. Mulierem fortem invenimus in B. IOANNA DE CHANTAL, quæ ſive in virginali ſtatu, ſive in connubio, ſive ac præſertim in viduitate ſua tot, tantiſque enituit virtutibus, ut de ultimis finibus ſit prætium ejus. Id teſtatum reliquere ſanctiſſimi quoque viri, qui vel ei duces in via mandatorum Domini fuerunt, vel eam ſunt imitati: & id præterea confirmant miracula, quibus ipſe Dominus mirificavit ſervam ſuam. Quare digna videtur, quæ a Sancta Romana Eccleſia coronetur diademate honoris, ac ſanctitatis.

Ⲣⲁⲫⲁⲏⲗ Ⲧⲟⲩⲕⲓ Ⲉⲡⲓⲥⲕⲟⲡⲟⲥ̀
ⲛ̀ⲧⲉ Ⲁⲣⲥⲉⲛⲟⲏ ⳾

Ⲛⲁⲓⲁⲧ ⲉⲙⲁϣⲱ Ⲫⲓⲱⲧ ⳾

Ⲛⲁⲓⲁⲧⲥ̀ Ⲁⲛⲛⲁ Ⲫⲣⲁⲛⲥⲓⲥⲕⲁ Ⲫⲣⲉⲙⲓⲟⲧ ϩⲁ Ⲕⲁⲛⲧⲁⲗ: ϯⲣⲉϥⲥⲉⲛϯ ⲙ̀ ⲡⲓ ϫⲓⲛ ⲑⲱⲟⲩϯ ⲛ̀ⲧⲉ ϯ ⲙⲉⲧϫⲉⲙⲡ̀ϣⲓⲛⲓ ⲛ̀ ϯ ⲉⲑⲟⲩⲁⲃ Ⲙⲁⲣⲓϩⲁⲙ ⳾ Ϯ ⲥ̀ϩⲓⲙⲓ ϩⲉⲛ ⲟⲩ ⲙⲉⲑⲙⲏⲓ ⲉⲧⲉ ⲡⲓ ⲡⲛⲉⲩⲙⲁ ⲉⲑⲟⲩⲁⲃ ϭⲉⲛ ⲡⲓ ⲛⲓϣϯ ⲛ̀ ⲱⲟⲩ ⲁⲩⲙⲟϩ ⲛ̀ ⲉⲣϩⲣⲧⲟ ⳾ Ϫⲉ ⲛ̀ⲑⲟⲥ̀ ⲁⲥ̀ϫⲟϩ ⲛ̀ ϯⲥ̀ϩⲓⲙⲓ ⲉⲧⲉ ⲉⲑⲃⲏⲧⲥ̀ ⲉϥϫⲱⲙ̀ⲙⲟⲥ̀ ⳾ ⲟⲩ ⲥ̀ϩⲓⲙⲓ ⲛ̀ϫⲱⲣⲓ ⲛⲓⲙ ⲉⲑⲛⲁϫⲉⲙⲥ̀: ⲉⲥ̀ⲧⲁⲓⲏⲟⲩⲧ ⲉϩⲟⲧⲉ ϩⲁⲛ ⲱ̀ⲛⲓ ⲉⲛⲁϣⲉⲛ ⲥ̀ⲟⲩⲉⲛⲟⲩ ⲛ̀ϫⲉ ⲑⲁⲓⲧⲉ ⲙ̀ ⲡⲁⲓⲣⲏϯ: ⲓⲥ̀ϫⲉ ⲡⲉⲥ̀ⲓⲱⲧ ⲁⲥ̀ⲑⲉⲃⲓⲏⲟⲩⲧ ⲁⲥ ϩⲱⲧⲡ ⲙ̀ ⲡⲓ ⲅⲁⲙⲟⲥ̀ ⲛ̀ⲑⲟⲥ̀ ⲇⲉ ⲉ̀ Ⲫⲛⲟⲩⲧⲉ ⲛ̀ⲥ̀ⲛⲟⲩ ⲛⲓⲃⲉⲛ ⲛ̀ϯ ⲣⲉϥⲫⲟϣⲉⲛ ⲧⲉ ⲛ̀ ⲡⲉⲥ̀ⲟⲩⲛⲟⲩ ⲙ̀ ⲡⲟⲩϩⲛⲟⲩ ⲛⲉⲙ ⲡⲟⲩⲥ̀ⲱϯ ⲁⲥ̀ⲙⲁϩϩⲏⲧⲉⲥ. Ⲡⲉϥϩⲁⲓ ⲉⲧⲉ ⲡⲉⲥ̀ⲣⲱⲙⲓ ⲙ̀ ⲧⲟⲛ: ⲛ̀ⲑⲟⲥ ⲇⲉ ⲙⲉⲛⲉⲛⲥ̀ⲱϥ ϩⲉⲛ ⲡⲓ ⲟⲩⲱⲓⲛⲓ ⲛ̀ⲛⲟⲩϯ ⲁⲥ̀ⲉⲣⲟⲩⲱⲓⲛⲓ ⳾ Ⲟⲩⲟϩ ⲁⲥ̀ⲥ̀ⲱⲛϩ ⲙ̀ⲙⲓⲛ ⲙ̀ⲙⲟⲥ̀ ϭⲉⲛ ⲥ̀ⲛⲁⲩϩ ⲛ̀ ⲟⲩⲥ̀ⲙⲏⲛ ⲛ̀ⲉⲛⲉϩ: ⲁⲥ̀ⲉⲣ Ⲓⲏⲥ̀ⲟⲥ Ⲭⲣⲓⲥ̀ⲧⲟⲥ ⲡⲉⲥ̀ϣⲉⲗⲏⲧ: ⲙ̀ ⲡⲉϥⲧⲁⲓⲟ̀ ϭⲉⲛ ⲟⲩ ⲛⲓϣϯ ⲛ̀ ⲣⲱⲓⲥ̀ ⲁⲥ̀ϥⲓⲣⲱⲟⲩϣ: ⲛⲉⲙ ⲁⲥ̀ⲁⲣⲉϩ ⲉ̀ⲣⲟⲥ ϫⲉ ⲥ̀ⲉϩⲓⲱⲓϣ ⲙ̀ ⲙⲟϥ ⲉⲛ ⲧⲏⲣϥ ⳾ Ⲭⲉⲟⲩⲏⲓ ⲛⲉⲙⲁⲥ̀ ⲧⲱⲃϩ ϩⲁ ⲡⲛⲟⲩⲧⲉ ϩⲉⲛ ⲡⲓⲉϩⲟⲟⲩ ⲛⲉⲙ ⲡⲓ ⲉϫⲱⲣϩ ⲛ̀ ⲥ̀ⲛⲟⲩ ⲛⲓⲃⲉⲛ ⲙ̀ ⲡⲓ ϩⲱⲃ ⲛ̀ ⲟⲩⲁⲓ: ⲉⲧⲉ ⲟⲩ ⲑⲙⲏⲓ ⲛ̀ⲉⲣϣⲁϩ ⲉⲙⲁϣⲱ ⲉⲧⲉ ϭⲉⲛ Ⲫⲏⲉⲑⲟⲩⲁⲃ Ⲫⲣⲁⲛⲥ̀ⲓⲥ̀ⲕⲟⲥ̀ Ⲥⲁⲗⲉⲥ̀ⲓⲟⲥ̀ Ⲫⲁⲓ ⲉⲧⲁⲥ̀ϫⲉⲙϥ ⲛ̀ⲑⲟⲥ̀ ⲛ̀ϫⲉ ⲟⲩⲥ̀ϩⲓⲙⲓ ⲛ̀ϫⲱⲣⲓ ⲑⲁⲓ: ⲛ̀ⲑⲟϥⲇⲉ Ⲫⲏ ⲉⲑⲟⲩⲁⲃ ⲡⲉ ⲧⲉⲥ̀ⲥ̀ⲩⲡⲉⲓⲇⲏⲥ̀ⲓⲥ̀ ⲡⲓ ⲣⲉϥⲉⲣϩⲏⲙⲓ: Ⲫⲁⲓ ⲉⲧⲉ ⲟⲛ ⲉ̀ⲃⲟⲗϩⲓⲧⲟⲧϥ ⲁⲥ̀ⲃⲱ

ⲛⲁⲥ̀

ⲛⲁⲥ ⲙ̀ ⲡⲓ ⲙⲱⲓⲧ ⲛ̀ⲧⲉ ϯ ⲙⲉⲧ=
ϫⲱⲕⲉ̀ⲃⲟⲗ ⲙ̀ⲙⲏⲓ: ⲁⲥ'ⲓⲛⲓ ϧⲉⲛ ⲡ=
ϩⲱⲃ ⲙ̀ ⲡⲉⲥ'ⲉⲩⲭⲏ ⲛ̀ⲉⲧϫⲏⲟⲩ ⲛⲉⲙ
ⲟⲩ ⲛⲁϣⲧ: ⲛ̀ⲧⲉ ⲥ'ⲙⲟϩ ⲙ̀ ⲫⲟⲟⲩ
ⲛ̀ⲥ'ⲛⲟⲩ ⲛⲓⲃⲉⲛ ⲛ̀ ⲛⲓ ⲉⲧϫⲱⲕ ⲉ̀ⲃⲟⲗ
ⲉⲙⲁϣⲱ ⲛ̀ ⲛⲓ ϩⲃⲏⲟⲩⲓ̀ ⲉⲑⲛⲁⲛⲉⲩ:
ⲟⲩⲟϩ ⲙⲏⲉⲧϣⲏⲡ ⲉ̀ⲙⲛⲟⲩⲧⲉ ⲉⲙⲁ-
ϣⲱ ⲡⲉ ⲛⲁⲥ'ⲥ'ⲟⲩⲱⲛ: Ⲁⲥ'ⲧⲟⲩ=
ⲛⲟⲥ'ⲟⲩ ⲛ̀ ⲛⲓⲕⲟⲓⲛⲟⲃⲓⲟⲛ: Ϧⲉⲛ ϯ'
ⲏⲡⲓ ϧⲁⲙⲉⲛⲉ ⲛⲉⲙⲉϥ ⲧⲱⲟⲩ ϩⲉⲛ ⲛⲓ
ⲙⲏϣ ⲛ̀ⲙⲁ ⲉⲩϣⲉⲃⲓⲏⲟⲩⲧ: ⲉⲑⲃⲉ
ⲛⲏ ⲉⲧⲥ'ⲱⲧⲡ ⲛ̀ ⲁⲗⲟⲩ ⲙ̀ ⲡⲁⲣⲑⲉ=
ⲛⲟⲥ'. Ⲟⲩⲟϩ ⲁⲥ'ⲧⲁϫⲣⲱⲟⲩ ϩⲉⲛ
ⲡⲓ ϣϯ ⲙ̀ ⲡⲁⲣⲁⲇⲟⲥ'ⲓⲥ' ⲉⲑⲟⲩⲁⲃ:
ⲛⲉⲙ ⲛⲓ ⲛⲟⲙⲟⲥ' ⲉⲧⲧⲟⲩⲃⲏⲟⲩⲧ:
ⲟⲩⲟϩ ϧⲉⲛ ⲡⲓ ϫⲓⲛⲁⲙⲟⲛⲓ ⲙ̀ ⲡϣⲉ-
ⲗⲉⲧ ⲫⲁϯⲫⲉ: ⲛⲉⲙ ⲟⲩ ⲥ'ⲓⲱⲧ
ⲛ̀ⲥ'ⲙⲏ ⲛ̀ ⲛⲓ ϩⲃⲏⲟⲩⲓ̀ ⲉⲑⲛⲁⲛⲉⲩ ⲉⲧⲉ
ⲛⲓ ⲁⲣⲉⲧⲏ ⲧⲏⲣⲟⲩ: ⲛⲉⲙ ⲡⲓ ϣⲫⲏⲣⲓ ⲛ̀
ⲛⲁⲟⲩⲱⲛϩ ⲉ̀ⲃⲟⲗ: ⲟⲩⲟϩ ⲛⲁϭⲱⲣⲡ
ⲛⲱⲟⲩⲉ̀ⲃⲟⲗ ⲁⲥ'ϣⲉⲛⲁⲥ ⲉ̀ ⲛⲓ ⲫⲏ=
ⲟⲩⲓ̀: ⲙ̀ ⲫⲣⲏϯ ⲅⲁⲣ ⲙ̀ ⲡⲓⲥ'ⲁϫⲓ
ⲧⲏⲣϥ ⲥ'ϣⲉ ⲛⲁⲛ ⲙ̀ ⲡⲓϭⲓ ⲙ̀ⲙⲟϥ
ⲉ̀ⲃⲟⲗϩⲁ ⲛⲏ ⲉⲑⲟⲩⲁⲃ Ⲫⲣⲁⲛⲥ'ⲓⲥ'=
ⲕⲟⲥ Ⲥⲁⲗⲉⲥ'ⲓⲟⲥ': ⲛⲉⲙ Ⲃⲓⲛⲕⲉⲛ=
ⲥ'ⲓⲟⲥ' ϩⲁ Ⲡⲁⲩⲗⲟⲥ' ϧⲉⲛ ⲛⲓ ⲙⲉⲧ=
ⲙⲉⲑⲣⲉⲩ ⲙ̀ⲙⲟϩ ⲙ̀ⲙⲏϣⲉⲑⲃⲉⲧⲉⲥ
ⲙⲉⲧ ⲉⲑⲟⲩⲁⲃ: ⲡⲁⲓⲣⲏϯ ϩⲱⲡ ⲉⲑ=
ⲃⲉ ⲡⲓϫⲓⲛ ϫⲱ ⲙ̀ ⲡⲉⲥⲣⲁⲛ ⲟⲩⲧⲉ
ⲛ̀ ⲛⲓ ⲉⲑⲟⲩⲁⲃ ⲛ̀ ⲧⲁⲣⲉⲧⲓⲛϫⲉ ⲥ'ⲱ=
ⲧⲉⲙ ϩⲉⲛ ⲡⲁⲛⲧ ⲛ̀ ⲛⲓ ⲧⲱⲃϩ: ⲟⲩⲟϩ
ⲁϭⲛⲉⲥ'ⲁⲛⲓⲥ' ⲛⲁϣⲉⲛ: ⲉⲑⲣⲉⲥⲙⲉⲧ=
ⲉⲑⲟⲩⲁⲃ ⲛ̀ ⲧⲁⲕ ⲙ̀ ⲡϣⲁ ⲉ̀ ⲫⲁⲓ: ⲉⲓϣ-
ⲗⲏⲗ: ⲛⲉⲙ ⲉⲓϯϩⲟ.

Ejuſdem verſio latina.

RAPHAEL Tuki Epiſcopus Arſenoenos.

BEATISSIME PATER. B. JOANNA FRANCISCA FREMIOT DE CHANTAL Ordinis Viſitationis S. Mariæ Fundatrix mulierem fortem illam, quam Spiritus Sanctus tot laudibus cumulavit, æmulata, licet patris voluntati obſequens, conjugio juncta, Deo tamen unice, ſibi, familiæ, ſuorumque utilitati, & ſaluti vacavit, & amiſſo viro, Divini Spiritus lumine irradiata, perpetuæ caſtitatis vinculo adſtricta, Jeſum Chriſtum ſponſum ſibi propoſuit, ejuſque honorem maxime ſtuduit propagare. Quod unum ardentiſſimis votis a Deo petierat, in S. Franciſco Saleſio conſcientiæ ſuæ moderatorem illum invenit, a quo veræ perfectionis ſemitam edocta, arduum illud emiſit votum ea ſemper faciendi, quæ perfectiora, ipſique Deo gratiora fore cognoſceret. Quatuor ſupra octoginta lectiſſimarum virginum diverſis in locis cœnobiis excitatis, ſanctiſſimiſque legibus inſtitutis in amplexus Cœleſtis Sponſi virtutum omnium, & miraculorum fama inſignis evolavit. Sicut igitur Sanctis Franciſco Saleſio, & Vincentio a Paulo de illius ſanctitate teſtibus locupletiſſimis omnis ratio habenda eſt, ſic pro ejuſdem Canonizatione ſupplicum preces clementer exaudire, & tuto probare, ut SANCTITAS VESTRA dignetur, oro, atque obteſtor.

CÆremoniarum Pontificiarum Magiſtri, quia tantæ ſollemnitatis dies accedebat, de Pontificis voluntate apprime inſtructi, Eminentiſſimum Cardinalem Marcum Antonium Columna BEATISSIMI DOMINI NOSTRI in Urbe Vicarium in ſcriptis monuere, ut Indulgentias ab iis fidelibus, qui tam ſacro, ſanctoque ritu intereſſent, vel ſupplicabundi incederent, elucrandas, per edictum proponeret; ut in Vaticanum convenire præciperet ſtata die, atque hora, qui ſupplicantium in modum ante PONTIFICEM deberent incedere; & ut campanas omnes Urbis per horam integram, Canonizatione expleta, feſtivo, lætoque ſonitu quati mandaret.

Inſtructio autem cæremoniarum Magiſtrorum ſic ſe habebat.

„ EMinentiſſimus, & Reverendiſſimus
„ Dominus Cardinalis Vicarius man-
„ det affigi per Urbem ſchedulam publica-
„ tionis Indulgentiæ plenariæ, quam SAN-
„ CTISSIMUS elargitur omnibus intereſſen-
„ tibus

„ tibus ſollemni Canonizationi BEATORUM „ JOANNIS CANTII, JOSEPHI CALASANCTII, „ JOSEPHI A CUPERTINO, HIERONYMI ÆMI- „ LIANI SERAPHINI AB ASCULO, ſeu A MON- „ TE GRANARIO, & JOANNÆ FRANCISCÆ „ FREMIOT DE CHANTAL, Deo inſpirante, „ peragendæ die 16. currentis menſis Julii „ feſto Beatiſſimæ Virginis Mariæ de Monte „ Carmelo.

„ Mandet inſuper mandatariis, ut utrum- „ que Clerum ſecularem, & regularem, „ nec exceptis Capitulis trium Baſilicarum „ Urbis, & duarum Collegiatarum inſignium, „ necnon Monachis quantumvis exemptis, „ admoneant etiam, dimiſſa copia typis im- „ primenda, ut ſummo mane, hora ſcili- „ cet nona dicti diei feriæ quintæ 16. Julii „ cum eorum Crucibus, ſicuti ſolent in fe- „ ſto Corporis Chriſti, ad Vaticanum con- „ tendant, & in atrium magnum Palatii „ Pontificii ſimul conveniant, inde ſupplica- „ bundi conſueto ordine diſceſſuri, & a por- „ ta majori Palatii per periſtylium ad alte- „ rum periſtylium veniant, indeque ad por- „ tam Baſilicæ hinc inde diſpoſiti pueri Ho- „ ſpitii Apoſtolici S. Michaelis, & orpha- „ ni, necnon Clerus ſecularis, & regularis, „ excluſive ad Capitula dictarum Collegia- „ tarum inſignium, ſtationes agentes, SAN- „ CTISSIMI adventum expectent. Capitu- „ lum S. Petri in ſuo ordine procedat, & „ ſub porticu hinc inde diſpoſitum, SAN- „ CTISSIMO pariter adventuro aſſiſtentiam „ conſuetam præſtet. Capitula vero Colle- „ giatarum inſignium, necnon Baſilicarum „ Liberianæ, & Lateranenſis Baſilicam ip- „ ſam Vaticanam ingrediantur, ibique di- „ ſpoſita per alas adventum SANCTISSIMI „ ſimiliter expectent.

„ Mandet etiam intimari, domi quoque „ dimiſſa copia, ut ſupra imprimenda, o- „ mnibus, & ſingulis Rectoribus, Sacriſtis, „ Cappellanis, ſeu quovis alio nomine nun- „ cupatis Eccleſiarum, & Oratoriorum „ omnium cuſtodibus, necnon Monialibus „ Urbis, ut die prædicta 16. Julii cum pri- „ mum audierint bombardarum ſtrepitum „ ex arce S. Angeli, ſeu pulſum campa- „ næ Capitolinæ inter duodecimam, & de- „ cimam tertiam horam circiter pulſent, „ ſeu pulſari faciant campanas omnes hila- „ riter per integram ſaltem horam.

Vi hujuſce inſtructionis iv. Idus Julii plura edicta ad Baſilicarum fores, ac platearum angulos apponi juſſit Eminentiſſimus Dominus. Ac primum, quia ſumma animi pietate, & religione ſollemnitatem hanc expleri quammaxime in optatis PONTIFEX BEATISSIMUS habebat, hinc Cardinalis Vicarius declaravit, omnes almam Urbem incolentes feſtum ipſum Canonizationis diem celebrare debere, ac a ſervilibus, quæ vocant operibus vacantes, piis ſolum exercitationibus intendere.

MARCO ANTONIO del Titolo di S. Maria della Pace della S. R. C. Prete Card. Colonna della SANTITA' DI NOSTRO SIGNORE *Vicario Generale &c.*

„ LA SANTITA' DI NOSTRO SIGNORE „ PAPA CLEMENTE XIII. volendo fare „ coll' ajuto Divino Giovedì 16. del cor- „ rente feſta della Beatiſſima Vergine del „ Carmine, la ſolenne Canonizazione del- „ li BB. GIOVANNI CANZIO, GIUSEPPE CA- „ LASANZIO, GIUSEPPE DA COPERTINO, GI- „ ROLAMO EMILIANI, SERAFINO D'ASCO- „ LI, e GIOVANNA FRANCESCA FREMIOT DE „ CHANTAL, dichiara tutto il detto giorno „ feſta di precetto in queſt' alma Città per „ queſt' anno ſolamente; e però vuole che „ tutti gli abitanti di Roma ſiano obligati „ ad oſſervarla nella ſteſſa guiſa, che ſi oſ- „ ſervano le altre feſte di precetto coll'aſte- „ nerſi dalle opere ſervili, udire la ſanta „ Meſſa, e fare altre opere ſpirituali, e ſante, „ ſotto le ſolite pene impoſte ai traſgreſ- „ ſori. Dato in Roma dalla noſtra ſolita „ Reſidenza queſto dì 12. Luglio 1767.

M. A. Card. Vicario.

Gaſparo Arciprete Ori Segretario.

Deinde per aliud edictum Indulgentias fideli populo indixit.

MARCO ANTONIO del Titolo di S. Maria della Pace della S. R. C. Prete Card. Colonna della SANTITA' DI NOSTRO SIGNORE *Vicario Generale &c.*

„ VOlendo la SANTITA' DI NOSTRO SI-
„ GNORE PAPA CLEMENTE XIII., che
„ nella proſſima Canonizazione delli BEATI
„ GIOVANNI CANZIO, GIUSEPPE CALASAN-
„ ZIO, GIUSEPPE DA COPERTINO, GIROLA-
„ MO EMILIANI, SERAFINO D' ASCOLI, e
„ GIOVANNA FRANCESCA FREMIOT DI CHAN-
„ TAL nulla manchi di ciò, che può contri-
„ buire a render ſolenne un sì grand' atto,
„ tanto per la maeſtà e decoro, quanto per
„ la divozione, e ſpiritual profitto del dilet-
„ to ſuo popolo, che ſarà per concorrer-
„ vi, concede indulgenza plenaria, e re-
„ miſſione di tutti i peccati a tutti i fe-
„ deli dell' uno, e dell' altro ſeſſo, che
„ confeſſati, e comunicati, ovvero ſola-
„ mente confeſſati, e con fermo propoſito
„ di comunicarſi dentro la ventura ſettima-
„ na, interverranno alla Proceſſione, o alla
„ Canonizazione, che con l' ajuto Divino
„ ſi farà dalla SANTITA' SUA nella Baſilica
„ Vaticana Giovedì proſſimo 16. del cor-
„ rente meſe di Luglio, feſta della Bea-
„ tiſſima Vergine del Carmine,

„ La ſteſſa plenaria indulgenza concede
„ SUA SANTITA' a tutti quelli, che obli-
„ gati a convivere ne' Monaſterj in clauſu-
„ ra, o ne' Conſervatorj, ed altri Luoghi
„ pii di Roma, o detenuti da infermità,
„ racchiuſi in carcere, ed in qualunque
„ altro modo legittimamente impediti, allo
„ ſparo delle bombarde di Caſtel Sant' An-
„ gelo, o al ſuono delle campane, genu-
„ fleſſi, oppure nell' atto più divoto, che
„ potranno, diranno tre *Pater noſter*, e
„ tre *Ave Maria* con render grazie all'
„ Altiſſimo della gloria, che coi nuovi San-
„ ti ſi aggiunge alla Cattolica Religione.

„ Noi dunque, in adempimento del no-
„ ſtro offizio, eſortiamo i fedeli a non traſcu-
„ rar l'acquiſto di un tanto ſpiritual teſoro,
„ ed incarichiamo per ordine della SANTI-
„ TA' SUA a qualunque perſona di qualſivo-
„ glia ſtato, grado, e condizione d' inter-
„ venire alla Proceſſione, o Canonizazio-
„ ne ſudetta con la dovuta modeſtia, e
„ divoto raccoglimento, onde non ſolo ab-
„ bia ad eſſer rimoſſo qualunque motivo di
„ ſcandalo, ma ſe ne abbia a ritrarre dai
„ ſpettatori edificazione, e vantaggio.
„ Quindi avverta ciaſcuno di uniformarſi
„ al giuſtiſſimo zelo di NOSTRO SIGNORE per
„ non incorrere nella Pontificia indignazio-
„ ne, e moltopiù in quella dell' Altiſſimo,
„ che ſuol punire con ſeveri caſtighi le ir-
„ riverenze nelle azioni ordinate all' au-
„ mento del ſuo Divino culto, ed alla pro-
„ pagazione della ſua gloria, qual' è ap-
„ punto la ſolenne Canonizazione de' San-
„ ti. Dato dalla noſtra ſolita Reſidenza
„ queſto dì 12. Luglio 1767.

M. A. Card. Vicario.

Gaſparo Arciprete Ori Segretario.

Hinc eos omnes, qui ſupplicabundi debebant incedere, per publicum pariter edictum voluit admonitos.

MARCO ANTONIO del Titolo di S. Maria della Pace della S. R. C. Prete Card. Colonna della SANTITA' DI NOSTRO SIGNORE *Vicario Generale &c.*

„ DOvendoſi fare dalla SANTITA' DI
„ NOSTRO SIGNORE PAPA CLEMENTE
„ XIII. Giovedì mattina 16. del corrente
„ meſe di Luglio la generale, e ſolenne
„ Proceſſione per la Canonizazione delli
„ BB. GIOVANNI CANZIO, GIUSEPPE CALA-
„ SANZIO, GIUSEPPE DA COPERTINO, GIRO-
„ LAMO EMILIANI, SERAFINO D' ASCOLI,
„ E GIOVANNA FRANCESCA FREMIOT DI
„ CHANTAL, commanda la SANTITA' SUA,
„ che tutti i Canonici delle Baſiliche, e
„ Collegiate anco inſigni, Curati, Monaci,
„ Frati, ed altri tutti del Clero ſecolare,
„ e regolare di Roma, ſoliti ad interveni-
„ re alle Proceſſioni Papali, debbano ritro-
„ varſi

„ varſi alle ore dicei della predetta matti-
„ na con le loro Croci al Palazzo Vati-
„ cano.

„ Il Clero ſi congregherà nel ſolito luo-
„ go, ove ſuol radunarſi pe'l Corpus Do-
„ mini. Il Regolare poi nel cortile mag-
„ giore detto di S. Damaſo nel Palazzo
„ Vaticano, ove ſi radunano gli Officiali
„ di Cancellaria in occaſione della mento-
„ vata ſeſta del Corpus Domini.

„ Comincerà la Proceſſione dalla porta
„ maggiore del Palazzo ſuddetto. Primie-
„ ramente i ſanciulli dell' Oſpizio Apo-
„ ſtolico, detto di S. Michele, s' incam-
„ mineranno diviſi per ala in ambedue le
„ parti, quindi ſeguiranno gli orfanelli,
„ e così diſpoſti, ſecondo il ſolito ordine,
„ gli altri tutti del Clero ſecolare, e re-
„ golare, girando tra l' uno, e l' altro co-
„ lonnato, giungeranno ſino alla porta
„ della Baſilica del Principe degli Apoſto-
„ li, dove aſpetteranno SUA BEATITUDINE.

„ I Capitoli, e Clero delle Baſiliche La-
„ teranenſe, e Liberiana con le tre Colle-
„ giate inſigni, e non altri entreranno den-
„ tro alla Baſilica Vaticana, & in eſſa di-
„ ſpoſti per ala, ſimilmente aſpetteranno
„ l' arrivo di SUA SANTITA'.

„ In fine d' ordine eſpreſſo, e ſpeciale
„ di NOSTRO SIGNORE, ſi ricorda a chiun-
„ que interverrà alla ſolenne Proceſſione,
„ di pratticare in tal congiuntura quella mo-
„ deſtia, pietà, e divozione, con cui tanto
„ interiormente, che eſteriormente merita
„ di eſſere accompagnata una azione sì ſa-
„ cra. Dato dalla noſtra ſolita Reſidenza
„ queſto dì 12. Luglio 1767.

M. A. Card. Vicario.

Gaſparo Arciprete Ori Segretario.

Ac tandem juſſit, ut ſtatim ac æs campanum, quod in eminenti Capitolina turri eſt poſitum, in lætitiæ ſignum inſonuiſſet, cæteræ omnes campanæ Urbis feſtivo ſonitu per horam integram pulſarentur.

MARCO ANTONIO del Titolo di S. Maria della Pace della S. R. C. Prete Card. Colonna della SANTITA' DI NOSTRO SIGNORE *Vicario Generale &c.*

„ D'Ordine eſpreſſo di NOSTRO SIGNO-
„ RE PAPA CLEMENTE XIII. ſi co-
„ manda a tutti i Superiori tanto ſecola-
„ ri, quanto regolari, Rettori, Sagreſtani,
„ Cappellani, cuſtodi, ed a qualunque
„ altro Miniſtro di tutte le Patriarcali Ba-
„ ſiliche, Collegiate, Chieſe, Oratorj, e
„ Monaſterj di Monache, che la matti-
„ na del Giovedì proſſimo 16. del corren-
„ te circa le ore 13. ſubito che ſi udi-
„ rà lo ſparo delle bombarde di Caſtel S.
„ Angelo, o il ſuono della campana di
„ Campidoglio, facciano immediatamente
„ ſuonare tutte le campane delle loro Pa-
„ triarcali Baſiliche, Collegiate, ed altre
„ Chieſe anco di Monache, ed Oratorj,
„ per lo ſpazio almeno di un' ora, ſotto
„ pene riſervate al noſtro arbitrio. Dato
„ dalla noſtra ſolita Reſidenza queſto dì
„ 12. Luglio 1767.

M. A. Card. Vicario.

Gaſparo Arciprete Ori Segretario.

JAM imminebant Canonizationis ſollemnia, & ex vicinis, remotiſque regionibus non plebei tantum homines, verum & illuſtres viri nobilitate, divitiiſque ſpectabiles, mulieres, & matronæ morum ſuavitate, honeſtate, majorumque gloria conſpicuæ Romam in dies adventabant, ut maximam, quæ in Eccleſia celebrari, agitarique poteſt ſollemnitas, devoti ſpectarent. Hinc videre erat incredibilem pene, ac fere infinitam populi cujuſcumque ordinis multitudinem auguſtiſſimam Vaticanam Baſilicam petere, ut regium, ac ſplendidiſſimum apparatum conſpiceret, in quo neſcio, an artificum magis induſtria, vel rerum ipſarum varietas, copia, & elegantia magis in ſtuporem, admirationemque raperet intuentes.

Quem ſplendidum, nobilemque ornatum, licet ipſa rei majeſtas in cauſſa ſit, ut delineare, ac deſcribere perfecte minime poſſimus, tamen ut ad poſterorum memoriam vel minimum hujuſce rei perveniat monumentum, præ virium, ingeniique tenuitate, ſi non deſcribere, adumbrare ſaltem hic loci curabimus.

Supra princeps Baſilicæ oſtium in medio ipſius frontis perampla tabula, ſeptem, & quinquaginta palmis oblonga, quinque vero, & triginta lata, eminebat, quæ epiſtylium, magnumque proceſtrium, ex quo ſollemnibus, ſtatutiſque diebus Pontifex benedicere populo aſſolet, omnino velabat: in ea vivis, ingenuiſque coloribus ſex Beati Cælum petentes, ac ſimulacrum triumphantis Eccleſiæ in media Cæli regione poſitum aſpicientes, erant expreſſi. Ad calcem hujus tabulæ ſupra ferreos cancellos auro illitum, ſplendoribuſque circumdatum ſtemma aderat gentilitium Pontificis ab aligera fama vectum, cui inter florum ſerta pueruli amplam efformabant coronam: ei civitatis Cracoviæ, Religioſorumque Ordinum, qui Canonizationem expoſtulabant, inſignia ſubjacebant.

Quatuor, quæ ad latera ſuper reliquis oſtiis ſunt minora podia, attalica aulæa auro contexta ornabant, ad quorum extremas oras criſpata zona ex oloſerico villoſo cum tæniis, ac fimbriis aureis decus, venuſtatemque addebat.

Regium, prænobilem, ampliſſimumque xyſtum a ſummo ad imum ſericæ damaſcenæ veſtes aureis diſtinctæ lineis exornabant. His ſplendorem maximum adaugebant decem, & ſex periſtromata, quæ auro, ac lana contexta ſecundum exemplum a Raphaele Urbinate delineatum, præcipua Salvatoris noſtri, & Apoſtolorum Petri, & Pauli geſta exhibent expreſſa.

Fores, per quas aditus ad Baſilicam patet, in epiſtylio grandes habebant tabulas Angelis, ſertiſque florum circumdatas, e quibus ſerica criſpata vela pendebant: hæ autem tabulæ Romanis characteribus ſententias quaſdam e ſacris decerptas litteris, tantæ ſollemnitatis proprias, legentibus proponebant: ſequentique ordine erant diſpoſitæ.

Super auream portam, quæ ſingulis Jubilæi annis ſolet ſollemni ritu a Romano Pontifice reſerari, & claudi, hæc aderant verba.

PLACUERUNT SERVIS TUIS LAPIDES EJUS.

Super alteram portam, quæ aureæ adjacet, legebatur inſcriptum.

QUAM MAGNIFICATA SUNT OPERA TUA DOMINE.

Super principem portam, quæ argentea vocatur, ſequentia erant ſignata verba.

LAUDENTUR VIRI GLORIOSI
EORUM SAPIENTIAM NARRENT POPULI
ET LAUDEM NUNTIET ECCLESIA.

Super quartam, quæ ad dexteram oſtii principis eſt, hæc fuerant litteris conſignata.

QUOS JUSTIFICAVIT ILLOS ET GLORIFICAVIT.

Ac tandem ſuper portam, quæ Ravennatenſium in antiquis Baſilicæ monumentis appellatur, Pſalmi [1] verba videbantur picta.

VENITE ET VIDETE OPERA DOMINI QUÆ POSUIT PRODIGIA SUPER TERRAM.

Templum ingredientes ſtatim navis principis magnas pilas, ſeu paraſtatas a capitulo ad baſim uſque, & parietem inter ipſas paraſtatas interjectum conſuetis Baſilicæ damaſcenis ſericis veſtibus, aureis faſciolis in futuris ornatis, coopertas offendebant; magnum certe opus Alexandri VII. æternæ memoriæ Pontificis. Zoophorus etiam, qui ſub corona templi eſt, ſolita pariter damaſcena zona tæniis aureis exculta condecorabatur: coronam ipſam templi oloſericum villoſum, tæniis diſtinctum aureis, fimbriaſque ad oras habens, per palmos 2514. ambiebat, licet paſſim villoſum hoc ſericum tabulæ maximæ, miracula Beatorum exhibentes, coronam ipſam ſuperantes, interrumperent. In ipſa corona machinæ quædam ſtabant floribus, pueriſque ludentibus exornatæ, quarum quælibet

1 *Pſal.* 45. 8.

libet cereos ſex ponderis librarum ſeptem ſuſtinebat; ſed machinæ illæ, quæ ſuper toli maximas pilas erant conſtitutæ, non ſolum illuſtriori ornatu condecoratæ videbantur, verum cereos octo decem librarum regebant.

Tabulæ maximæ decem, & octo altitudinem quinquaginta palmorum, latitudinem vero quadraginta habentes, quæ ingenuis, ac mira arte expreſſis coloribus prodigia ab Omnipotenti Deo Beatorum interceſſione patrata reprehesentabant, per ampliſſimum hujus navis gyrum rite diſpoſitæ, & ordinatæ, majeſtatem ſummam, & elegantiam reliquo ornatui adjiciebant: hæ coronides habebant auro reſertas, encarpis, aliorumque ornamentorum generibus circumdatas, ex quarum lateribus ampliſſima utrinque aurea attalica picta veſtis deſcendebat, quæ tabulam ipſam, cæteroſque ornatus reddebat magis nobiles, & conſpicuos: mutulo arcuum ſeu fornicum inſidebant, & ſi fides oculis habenda erat, regi, & ſuſtineri ab albis anaglyphis, quæ ſuper fornices arcuum jacebant, videbantur.

Sub arcus fornice oloſerica damaſcena aureis tæniis, fimbriiſque diſcriminata, ac tortuoſe decidentia, roſarum in modum deſinebant; ac ipſius arcus decus, majeſtatemque majorem reddebant. Inter hæc oloſerica damaſcena expanſis alis, veluti per aereas regiones, veſtibus ceruleis circumamictus Angelus volitabat, minorem tabulam aureis inſcriptam characteribus gerens. Sub Angeli hujus pedes ex ornato fune magnus turbinatus pendebat polylycnus, qui totidem brachiolis multo ſplendentibus auro viginti cereos quinquelibres, duobus diſcriminatos ordinibus, regebat: infimam polylyeni partem encarpi lemniſcati auro cooperti ſcite utrinque defluentes ornabant: ſupremam Cherubinorum capita ex opere anaglypho cum aurearum frondium manipulis condecorabant. A paraſtatis, ubi hemicyclium arcus deſinit, duos minores lychnuchi ejuſdem ornatus, & figuræ deſcendebant, qui duobus pariter diſcretos ordinibus duodecim ſuper brachiolis habebant quinquelibres cereos: majores lychnuchi, qui etiam interiorem frontem Baſilicæ, & pronaum SS. Simonis, & Judæ Apoſtolorum, & alterum SS. Proceſſi, & Martiniani Martyrum excolebant, altitudinem palmorum quatuor & viginti, quindecim vero latitudinem habebant: minorum autem lychnorum altitudo erat palmorum ſexdecim, latitudo vero duodecim.

Tabulæ illæ, quæ vivis coloribus prodigia ab omnipotenti dextera Excelſi ad gloriam horum Beatorum amplificandam edita, habebant expreſſa, tres unicuique Beato fuerant aſſignatæ, atque hoc ordine diſpertitæ.

In interiori Baſilicæ fronte, quæ adverſus altare princeps eſt, ſupra lateralem januam, quæ aureæ portæ adjacet, prima conſpiciebatur tabula, mirabilem ſanationem Gabrielæ Angelicæ Morellæ tibiam altera ſemipalmo breviorem habentis, exprimens cum epigraphe.

Tibiam Gabrielæ Angelicæ Morellæ altera ſemipalmo breviorem, parem eidem reddidit.

Altera ſuper ſacellum, quod Pietatis vocant, Floridam Coing exhibebat, cui atrophum, ſiccumque brachium momento temporis ſanitati fuit reſtitutum, illique hoc aderat lemma.

Brachium Floridæ Coing a quinquennio contractum, & aridum, momento carnoſum & actuoſum reddit.

Tertia, quæ fornici arcus cappellæ Sancti Sebaſtiani inſidebat, monialem Mariam Droz a confirmata, conclamataque phthiſi liberatam proponebat, eique hæc appoſita erat inſcriptio.

Sorori Mariæ Droz ex confirmata phthiſi proxime moriturae ſanitatem ſubitam impertitur.

Tres omnes hæ tabulæ miracula B. Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal continebant; aliæ autem tres, quæ proxime ſequebantur, ad B. Josephum a Cupertino hoc ordine pertinebant.

Prima ſuper ſacellum Sanctiſſimi Sacramenti imminens, Mariam Magdalenam Panzironi a ſcirrhoſo tumore, aliiſque morbis, quæ illam morti proximam reddiderant, libe-

liberam proponebat : ei epigraphe erat ſubjecta.

Mariam Magdalenam Panzironi a diuturno ſcirrhoſo tumore ſtupendæ molis, ac duritiei in epigaſtrio, ſuæ contactu reliquiæ, illico ſanat.

Secunda ſuper fornicem ſacelli Gregoriani habebat expreſſam virginem Benedictam Pierangelini, quæ exeuntibus a diſſecta ſalvatellæ vena polypoſis molibus cordi inſidentibus, optimæ reſtituta fuit valetudini. Inſcriptio autem, quæ miraculum hoc tam rarum, tamque illuſtre declarabat, hæc erat.

Benedicta Pierangelini duobus inveteratis polypis cordi hærentibus, e diſſecta ſalvatella mirabiliter expulſis, a morte vindicatur.

In tertia arcui, qui ad Benedicti XIV. novum ſepulcrum ducit, impoſita conſpiciebatur B. Joseph a Cupertino per viſum Benedicto Sinigaglieſe maligno herpete laboranti apparens, illumque ſanitati reſtituens: cujus lemma.

Bernardino Sinigaglieſe ejus patrocinium imploranti apparet, ipſumque ab herpete maligno in grave ulcus converſo, ſtatim reddit incolumem.

Sequebantur deinde tres aliæ tabulæ, quæ Beati Josephi Calasanctii prodigia hoc ordine indicarent.

Prima, quæ in medio abſidis pronai SS. Martyrum Proceſſi, & Martiniani poſita, magnam feneſtram ſupra ipſorum altare occupabat, monialem Chriſtinam Ceccherini a plurimis, graviſſimiſque morbis, quibus per ſeptennium laboraverat, illico liberatam exhibebat, ut appoſita inſcriptio declarabat.

Sororem Chriſtinam Ceccherini a ſeptennio immobilem, & conclamatam ſanitate donat, & viribus.

Secunda arcui, quo recte ad altare S.Petronillæ itur, appoſita oſtendebat puellam Vincentiam Buada, quæ divinitus a crurum paralyſi, ſeu potius atrophia libera evaſit: lemma adjectum hoc erat.

Crura Vincentiæ Buada ſenſu, motu, carne deſtituta, momento integritati reſtituit.

Tertia ſuper arcu S. Michaelis Archangeli habebat monialem Conſtantiam Caminati, quæ a deplorato maraſmo omnino convaluerat: ei hæc fuerat ſubpoſita epigraphe.

Sororem Mariam Conſtantiam Caminati ex undenni phthiſi, octenni ſcirrho morti proximam, momento donat ſanitate, viribus, carne.

Poſt miracula B. Josephi Calasanctii, ſtatim portenta B. Joannis Cantii ſequebantur expreſſa.

In prima tabula, quæ arcui ſacelli Beatæ Virginis de Columna erat impoſita, merces in flumen Sola prolapſæ ad demerſionis locum adverſo flumine redire videbantur; inſcriptio hæc erat.

Merces vi aquarum procul reptæ contra fluentem regrediuntur.

Altera in arcu, per quem ad S.Leonis altare acceditur, puerum exhibebat maraſmo pene conſumptum, quem B. Joannes Cantius ſanitati reſtituit: hæc ei aderat inſcriptio.

Novennis puer a phthiſi confirmata repente convaleſcit.

Sub navis abſidem, quam SS. Apoſtolorum Simonis, & Judæ ab eorum altari nuncupant, erat tertia tabula, quæ expreſſum habebat Antonium Olexowicz, cui collum & eſophagus ab ulcere omnino fuerant depaſta: huic tabulæ ſic erat inſcriptum.

Antonii Olexowicz collum a maligno ulcere depaſtum, ut ex exeſo eſophago cibus erumperet, extemplo ſanatur.

Statim poſt hæc veniebant miracula B. Hieronymi Æmiliani hoc ordine expreſſa.

Prima tabula ſupra arcum, per quem Sacrarium petitur, incumbens, Hieronymam Durighellam, quæ acutis, violentiſque oppreſſa morbis, jamjam erat moritura, ſanitati reſtitutam intuentibus exhibebat: hujusce tabulæ lemma hoc erat.

HieronymamDurighellam ex pluribus acutis morbis certo, & proxime morituram, ad perfectiſſimam ſanitatem momento temporis revocat.

Se-

Secunda ſupra arcum Clementini ſacelli, quod Clemens PP.VIII. conſtruxit, Deoque in honorem Magni, ſanctique Pontificis Gregorii I. ſacravit, ſtabat, in qua picta videbatur monialis Iſabella Pocobello, quæ ab oſſis carie in tarſo pedis libera evaſit; huic tabulæ inſcriptum erat.

Mortiferum Iſabellæ Pocobello ulceroſum tumorem in ſiniſtro pedis tarſo, jam carne, & oſſibus putreſcentibus, ſanat.

Adverſus ſacellum Sanctiſſimi Sacramenti ſupra Canonicorum chorum tertia tabula erat conſtituta, eique vivis coloribus Hieronymus per viſum Eliſabethæ Zandadelli colica nephritica crudeliſſime divexatæ apparens, eamque optimæ valetudini reſtituens, fuerat expreſſus: epigraphe hæc erat.

Eliſabetham Zandadelliam a colica nephritica, aliiſque gravibus affectionibus ſubitæ incolumitati reſtituit.

Tres denique, quæ ſupererant tabulæ B. Seraphini ab Asculo, ſeu a Monte Granario miracula repræſentabant.

Harum prima ad ſacellum Præſentationis Deiparæ Virginis Januarium Ranalli peſtifero carcinomate ſub axilla affectum, omnino ab eodem incolumem evaſiſſe declarabat. Epigraphe hujuſce tabulæ hiſce erat præconcepta verbis.

Januarium Ranalli a peſſimo inveterato tumore, fætidiſſima ſanie jugiter manante, mirabiliter ſanat.

Altera ad arcum Baptiſterii pictum ſenem Hugonem Carletti habebat, qui deperditum per paralyſim brachii ſenſum, motumque, illico recuperavit: ei hæc adjecta erat inſcriptio,

Hugonem Carletti paralyſi in brachio ſiniſtro laborantem unacum inchoata atrophia, inſtantanea ſanitate priſtinæ incolumitati reſtituit.

Tandem ſupra portam, quæ in Baſilicæ interiori fronte dextrorſum eſt templum exeuntibus, ultima aderat tabula, quæ Fabium Bernardini, qui luce oculorum captus, exoptatum viſum Beato intercedente miraculoſe obtinuerat, exhibebat: ſubpoſitum hoc erat lemma.

Fabius Bernardini luce omnino privatus, ejus opem fiducialiter implorans, illico illuminatur, & videt.

Inferiora omnia maximi pronai loculamenta, in quibus plurimorum religioſorum Ordinum Fundatorum e lunenſi marmore ſigna erecta ſunt, & conſtituta, ad baſim magnæ peltæ exornabant, quæ venuſte, & eleganter ſerta, coronaſque florum unacum Cherubinorum capitibus pictas exhibebant, & ante ipſorum Sanctorum Fundatorum ſimulacra ſex magnos ſuſtinebant cereos.

Superioris autem ordinis loculamenta, quæ adhuc ſtatuis, ſigniſque carent, decem, & octo Virtutum ſimulacris, quæ a vero marmoris colore non abluderent, & in ſuppoſita baſi uniuſcujuſque Virtutis proprium nomen ſignatum haberent, fuerant repleta.

Antiquiſſima, & quam ſumma religione, ac veneratione per plura ſecula pii fideles proſequuntur, Beatiſſimi Apoſtolorum Principis ænea ſtatua ad majorem rei majeſtatem, dignitatemque, ſicut in ipſius Apoſtolorum Principis feſto peragi ſolet, alba, pluviali rubro aureo opere phrygio nobiliſſimo, gemma pectorali, & thiara pretioſis conſpicua lapillis induta, excultaque fuit, eique pro menſula argentea duo candelabra adſtabant, quorum utriſque lychnuchus, qui ligneis deargentatis brachiolis plures cereos regeret, erat impoſitus.

Ex ampliſſimæ navis principis fornice, qui ad occidentalem Baſilicæ plagam eſt, damaſcena ſerica tæniis aureis diſtincta, & zona ex villoſo oloſerico ad oras ornata, pendebant, quæ leviter complicata, & ad extremitates flexa, elegantes ita efformabant roſas, ut intuentes delectarent ſimul, & in admirationem raperent.

Sed minora quælibet ſilentio pervolventes, tempus eſt, ut orationem ad auguſtiſſimi theatri ornatum, quod per ſe ſolum ſatis erat pro rerum varietate, ſplendore, & elegantia quemlibet in ſtuporem pertrahere, convertamus.

Ad occidentalem templi plagam, quæ adverſus aram principem eſt, conſpicuum, regium-

Digitized by Google

regiumque theatrum ex lignea contignatione aſſurgebat, cæteris omnibus, quæ in ſuperioribus Canonizationibus erecta fuerant, ſine ulla dubitatione amplius, & auguſtius: ejus namque area, quæ inter utraſque magnas toli pilas claudebatur, ſenſim deſcendens, ad latera uſque Confeſſionis protendebatur, quæ ligneis repagulis ſepta, clauſaque erant, ex quibus per duos tantum aditus ingrediendi locus advenientibus erat conceſſus: e regione aræ principis tres gradus erant, qui in ipſam theatri aream ducebant: gradus hi, ſicut etiam tota planities theatri, laneo ſtragulo coloris viridis, non tantum ad majorem majeſtatem, & ornatum conveſtiebantur, verum etiam, ut ibidem, ſecundum receptam conſuetudinem, in ipſius Canonizationis ſollemniis Suffragantes Signaturæ Juſtitiæ, Abbreviatores de Parco majori, Referendarii utriuſque Signaturæ, omneſque illi, qui ab intimo cubiculo ſunt Pontificis, vel honoris cauſſa a cubiculo nuncupantur, Advocati Conſiſtoriales, & Cappellani, tam qui ab intimo ſacello ſunt, quam qui ſub communium nomine continentur, decentius aſſiderent.

Prope loculamentum, quod Veronicæ appellant, eo quod in ſuperiori podio ſanctum Chriſti ſudarium, in quo vera ejus imago eſt expreſſa, aſſervatur, tribus ſuperpoſitum gradibus, quos rubea laneæ veſtis cooperiebat, parvum Pontificis ſolium attalicis aulæis indutum imminebat, in quo Pater Sanctissimus conſideret, dum ſchola cantorum ſuavi, devotoque cantu horam tertiam modulante, pretioſis indumentis ad Sacrum peragendum condecoraretur. Non ita multo longe a parvo Pontificis ſolio menſa erat conſtituta, quæ ſeptem aureata candelabra cum cereis arabice pictis, hinc inde a Papali Cruce in ſollemni Canonizationis ſupplicatione, & ad Evangelium inter Miſſarum ſollemnia ab utriuſque Signaturæ Suffragatoribus perferenda, exciperet. Adverſa parte, non procul a S. Elenæ ſigno, ſex menſæ, ſupra quas oblationes Pontifici pro quocumque canonizato a Poſtulatoribus exhibendæ, erant collocandæ, fuerant poſitæ; inde propius ad aram maximam cæteri videbantur diſpoſiti abaci, ſupra quos ſacra, quæ ad rem divinam requiruntur vaſa, ex ſanctiore Pontificis repoſitorio deprompta, ad lautiorem apparatum erant expoſita.

Penes parvi ſolii gradus, & ſex oblationum menſas, utrinque perpetuo, ac non interrupto ordine in cunei forma ad imam uſque theatri partem ſcamna, duobus impoſita gradibus, in quibus Eminentiſſimi Patres conſiderent, nobilibus periſtromatibus cooperta, ſtatim accurrebant: quæ ad dexteram erant, Epiſcopis, & Presbyteris Cardinalibus, quæ autem ad ſiniſtram Diaconis Cardinalibus fuerant attributa. Poſt hæc ſcamna duo ſubſelliorum ordines, quorum unus altero altior, & eminentior erat, ut omnibus in ſacrum conſeſſum liber eſſet, & pateret aſpectus, fuerant conſtituti: quæ ſubſellia licet non inelegantibus, tamen ſequioribus induta erant aulæis: ſubſellia, quæ ad dexteram videbantur ab Epiſcopis non Aſſiſtentibus, ab Abatibus, & Pænitentiariis Baſilicæ Vaticanæ tenenda erant: quæ autem ad lævam erant, a Gubernatore Urbis Vice-Camerario, ab Auditore Generali, & Theſaurario Cameræ Apoſtolicæ, a Protonotariis Apoſtolicis tam participantibus, quam illis, qui ſupranumerum ſunt, ab aliis Romanæ Curiæ Præſulibus, quibus ſumma Pontificis liberalitas honorem hunc eſt elargita, & a religioſorum Ordinum mendicantium Magiſtris, & Procuratoribus generalibus erant occupanda. A tergo parvi ſolii Pontificis, & retro oblationum menſas humiliores ſedes, & ipſæ ſtromatibus tectæ, Conſultoribus Sacrorum Rituum Congregationis erant aſſignatæ.

In media ipſius theatri area gradus ſeptem aſſurgebant, quibus lanea peripetaſmata rubri coloris erant impoſita: hic enim locus eſt Epiſcoporum Aſſiſtentium, Rotæ Auditorum, Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri, & Clericorum Cameræ, qui ſemper ad gradus

gradus Pontificii ſolii debent conſidere eo diſpoſiti ordine, ut gradus ſuperiores per Epiſcopos Aſſiſtentes, inferiores vero per Auditores Rotæ,Magiſtrum Saeri Palatii, & Clericos Cameræ occupentur: in horum graduum planitie duo alii gradus erant oloſerieo villoſo induti Cathedram Pontificiam aurea attalica veſte coopertam ſub umbella penſili ſuſtinentes, ex qua veluti in eminenti, & ſublimi loco poſitus BEATISSIMUS DOMINUS NOSTER ab infinita populi multitudine, quæ ad ſollemnia Canonizationis erat aceeſſura, poſſet undique conſpici, & contemplari.

Reliqua ipſius throni facies adeo elegans erat, venuſta, adeo ſplendeſcens ornatu, & gravitatem, majeſtatemque præſeferens, ut nihil ſupra. Stereobata ex vario picto venuſto marmore ſtylobatis aureatis ſubjiciebantur, quæ magnas paraſtatas aureis arabicis ornamentis excultas, ex quibus pueruli prominebant manu ſigna aliqua, quæ ſtemma Pontificium componunt, geſtantes, & aligeras cariatides regebant, quibus novi generis, & ornatus, aureo, & cælatura conſpicua capitula incumbebant: ſuper quæ nobilis abſis dives auro, multiſque ornamentis decora conſpiciebatur. Imminebat his omnibus elegans attici ordinis ornatus ex rite diſpoſitis marmoribus, quæ æreas roſas, florumque ſerta auro illita intermixta habebant, compoſitus: circa hunc attici ordinis ornatum plures Angelici Spiritus, quaſi de Canonizationis ſollemniis mirantes, lætanteſque, vivis expreſſi, pictique coloribus volitabant. Horum nonnulli inter medias ſplendeſcentes nubeculas circularem geſtabant tabulam, aureis ſignata litteris, ſequentia præſeferentem verba: *Nova ſidera fulgent*. Super hanc tabulam alter expanſis alis Angelus volitabat explicatam zonam præ manibus geſtans, in qua *in ſplendoribus Sanctorum* legebatur inſcriptum.

Surgebant inde in gyrum ſplendeſcentes nubes undique aureis radiis circumdatæ, in quarum medio Spiritus Veritatis Paraclytus, ex quo donorum omnium chariſmata proveniunt, ſub columbæ forma videbatur expreſſus. Ad throni latera initium ex ipſa gloria Domini ſumens, magnum, regiumque auro, argentoque contextum, paludamentum labebatur, quod ſenſim deſcendens, mollibuſque nexibus complicatum, a variis Angelis hic inde volitantibus leviter allevatum, totum fere theatri conſpectum conveſtiret. Ut decus, & ornamentum throno ipſi accederet, ſuper pretioſis ſtylobatis, aureis lineis, & lamellis diſcriminatis, ſigna magna auro onuſta, quæ Religionem, & Clementiam repræſentarent, ad latera ſtabant.

In poſtica ſolii parte parvum conſtructum fuerat cubiculum, ut commode PONTIFEX in illud poſſet recedere; erat enim ab omnium oculis remotum, quia ab ea ſtragula veſte, quæ poſt Pontificiam Cathedram erat, cooperiebatur: extra autem ipſius ſolii gradus, non longe ab Eminentiſſimorum Patrum ſubſelliis, alia duo parva cubicula oſtio, & ſera firmata, hinc inde pro eorumdem Eminentiſſimorum Patrum neceſſitatibus, etiam fuerant conſtituta.

A Religionis, & Clementiæ ſimulacris continua, & nunquam intermiſſa ſerie ad loculamenta uſque Veronicæ, & S. Elenæ inauratæ crates erant, quæ ligneas contignationes habebant intercluſas. Super has crates, quæ parvis paraſtatis erant diſcriminatæ, & diviſæ, faſtigia quædam turbinum inſtar, & ornatus aſſurgebant, quæ partes aliquas Pontificii gentilitii ſtemmatis auro illitas reprehesentarent, ſacramque thiaram, decuſſataſque claves exprimerent: neque deerant orbiculatæ tabulæ florum ſertis, palmarumque ramuſculis excultæ, in quibus nonnulla Sacrarum Paginarum verba, quæ Canonizationem propius ſpectarent, litteris fuerant conſignata: quæ ad dexteram erat throni Pontificii

CONGREGATE ILLI SANCTOS EJUS,

quæ ad ſiniſtram aderat

LUX ORTA EST JUSTIS ET RECTIS CORDE LÆTITIA,

inſcriptum habebant. In illa vero, quæ in

dextera laterali contignatione erat conſtituta, legebatur:

ADEPTI SUNT REPROMISSIONEM.

quæ autem ſiniſtræ contignationi incumbebat, hæc verba habebat expreſſa:

FACTI SUMUS LÆTANTES.

veſtes textiles damaſcenæ rubri coloris tæniis aureis diſtinctæ infra crates pendebant, tabulatumque omne cooperiebant.

Ut autem Capitulo Vaticano, nobilibus viris, ac matronis liberior, commodiorque ſacrum Canonizationis ritum ſpectandi eſſet poteſtas, in duobus loculamentis S. Andreæ Apoſtoli, & S. Longini, quæ adverſus auguſtum theatrum erant, duæ ſimiles contignationes fuerant erectæ.

Contignationes omnes congruis diſpertitæ repagulis hoc ordine ex PONTIFICIS præſcripto fuere diſtributæ. Sex BEATORUM Poſtulatoribus contignationes illæ, quæ propius throno Pontificio accedebant, fuere aſſignatæ: quæ his jungebantur ad dexteram, lævamque theatri partem Principum Oratoribus, licet commiſſum ſibi munus ex benigno SUMMI PONTIFICIS permiſſu publice adhuc non obirent, fuere conceſſæ; alteræ almæ Urbis Senatori Excellentiſſimo Domino Abundio Rezzonico SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI fratris filio, & Excellentiſſimæ Columnenſium familiæ fuere attributæ. Scholæ Pontificiæ cantorum pro odeo contignatio illa, quæ ad S. Elenæ loculamentum erat, fuit ſtatuta; quæ ad Veronicam aderat Magiſtro ſacri Hoſpitii attinebat. Capitulum Vaticanum ex contignatione penes loculamentum S. Andreæ Apoſtoli ſacrum ritum ſpectare debebat; cujus etiam contignationis pars, quæ a Capitulo Vaticano non occupabatur, una cum contignatione illa, quæ ad S. Longinum erat, urbanis, exteriſque matronis fuerat conſtituta.

Sex BEATORUM vexilla, quæ ſolent appendi in ipſo theatri ambitu, quo ſequitur ordine, videbantur diſpoſita. Vexillum B. JOANNIS CANTII ad dexteram erat theatri ſuper loculamentum, in quo ſtatua S. Benedicti eſt ſita, ad lævam autem ſuper S. Eliæ Prophetæ ſignum erat alterum B. JOSEPHI CALASANCTII, reliqua vero ex lapidibus proceſtriis, quæ in medio pilarum magni toli promioent, pendebant: ex eo enim, ubi ſanctiores reliquiæ aſſervantur, vexillum B. JOSEPHI A CUPERTINO conſpiciebatur: proceſtrio, quod ad S. Elenam eſt, illud B. HIERONYMI ÆMILIANI erat appenſum: ad S. Andream vexillum B. SERAPHINI AB ASCULO, ſeu A MONTE GRANARIO videbatur: ac tandem illud B. JOANNÆ FRANCISCÆ FREMIOT DE CHANTAL ſupra loculamentum S. Longini erat conſtitutum.

Altare princeps duobus ditiſſimis frontalibus opere aureo phrygio imagines ſex BEATORUM in medio, & ad oras ſtemma Pontificium inter plura ſerta, & manipulos florum exprimentibus, in quibus neſcio, an magis eſſet ſpectanda operis elegantia, vel auri, & argenti copia, erat exornatum: eique impoſita fuerant celeberrima Baſilicæ candelabra candelas arabice pictas ſuſtinentia. Confeſſio denique B. Petri, quæ lampadarum argentearum copia continuo reſplendet, argenteis candelabris maximas cereas faces regentibus, fuerat undique circumdata: ſed tempus eſt, ut ab his enarrandis ſuperſedeamus, cum noſtrarum virium minime ſit, ſplendorem, elegantiam regii hujus apparatus perfecte deſcribere; & ad interruptam Canonizationis hiſtoriam ſermonem convertamus.

Rite igitur omnibus ſic diſpoſitis, & paratis, quæ ad tantæ celebritatis decus, ornamentumque neceſſaria reputabantur, in Vaticanam Baſilicam convenere Joannes Baptiſta Rezzonico SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI fratris filius Pontificiæ domui Præfectus, Innocentius de Comitibus Sacræ Rotæ Auditor, qui perſonam ſuſtinebat Excellentiſſimi Michaelis Angeli de Comitibus Magiſtri Sacri Hoſpitii, Poli Ducis, ejus germani, qui valetudinis recuperandæ cauſſa Neapolim petierat, Gregorius Salviati Commiſſarius armorum, Vincentius Macedonius Sacrorum Rituum Congregatio-

Digitized by Google

tionis a Secretis, Marchio Joannes Chiſius Montorius Patritius Sanctissimi Domini Nostri Papæ Forerius major, Marchio Eugenius Paleotti militum Tribunus, D. Jodocus Ignatius Pfiffer Dux cuſtodiæ militum Helvetiorum, Cæremoniarum Apoſtolicarum Magiſtri duo, & Carolus Marchionni Romanus totius ornatus inventor, & fabricæ Vaticanæ Baſilicæ architectus: hi omnia diligenter ſpectarunt, conſideraveruntque attente, ne quid forte per imprudentiam deeſſet, vel minime ad rem fuiſſet conſtitutum, ſed cum quæque numeris omnibus abſoluta inveniſſent, nil aliud ſibi fore peragendum exiſtimarunt, quam ſpatium totum, locaque omnia inter cancellos reeluſa eo, quem ſuperius innuimus, ordine diſtribuere.

Cæremoniarum Pontificiarum Præfectus in ſcriptis præmonuit Duces equitum levis armaturæ, & cataphractorum quid per eorum milites factu opus eſſet ipſo mane Canonizationis; neque pariter commoneſacere omiſit R. P. D. Gregorium Salviati Commiſſarium armorum D. Jodocum Ignatium Pfiffer Ducem cuſtodiæ Helvetiorum, R. P. D. Innocentium de Comitibus, Fr. Miniatum Ricci arcis S. Angeli Viceeaſtellanum, & Joſephum Bargellini Curiæ Capitolinæ Fiſcalem, ut unuſquiſque horum, quod ſibi conveniret munus in Canonizationis die optime noſceret. Inſtructio autem hæc fuit.

„ Illuſtriſſimi, & Excellentiſſimi Domini Æmilius Altieri, & Cajetanus Sforza Ceſarini Capitanei cuſtodiarum Pontificiarum militum equeſtrium levis armaturæ mandent iiſdem militibus, ut die Jovis 16. currentis menſis Julii feſto Beatæ Mariæ de Monte Carmelo valde diluculo induant ſe indumentis ferreis, atque equis inſidentes, in aciem diſpoſiti maneant in platea S. Petri integro mane, ſclopulos exploſuri, poſt datum ſignum abſolutæ Canonizationis.

„ Illuſtriſſimus Dominus Marchio Gaſpar Orſini de Cavaleriis Capitaneus militum cataphractorum mandet iiſdem militibus, ut die Jovis 16. currentis menſis Julii feſto Beatæ Mariæ de Monte Carmelo ferreis indumentis veſtiti, atque equis inſidentes, enſe nudato ad plateam Baſilicæ Vaticanæ valde diluculo accedant, ibique in agmen directi, integro mane ſuſſiſtant ſclopulos diſploſuri, accepto ſigno expletæ Canonizationis.

„ Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Dominus Gregorius Salviati Commiſſarius generalis armorum mandet, ut die Jovis 16. currentis menſis Julii feſto Beatæ Mariæ de Monte Carmelo omnes militares copiæ pedeſtres valde diluculo ad forum Vaticanum conveniant, ubi viam Proceſſionis a porta majori Palatii Pontificii per periſtylium ad alterum periſtylium, indeque ad portam Baſilicæ, ac demum uſque ad prima ſepta Canonizationis theatri, baculis præpilatis armati ſtipent, & ſepiant, nec quemquam ſinant, præter proceſſuros in Supplicatione, ante ſe ſiſtere, vel per medium importune tranſire.

„ Illuſtriſſimus Dominus Jodocus Ignatius Pfiffer Capitaneus cuſtodiæ Helvetæ Sanctissimi præcipiat ſuis bombardariis, ut die Jovis 16 currentis menſis Julii feſto Beatæ Mariæ de Monte Carmelo circa horam 13., ubi primum audiverint tympanorum pulſum, ac buccinarum clangorem, omnia mortariola, & bombardas, quæ habent in platea Vaticana, conſueto more diſplodant. Inſuper mandet, ut prædicta die ſummo mane omnes ſui milites ferreis indumentis armati, partim januas laterales Baſilicæ, partim lignea ſepta, cancelluloſque theatri cuſtodiant, quos prorſus imperio Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Domini Innocentii de Comitibus loco Excellentiſſimi Domini Ducis de Comitibus Magiſtri ſacri Hoſpitii dimittat, partim denique Sanctissimo ad Baſilicam procedenti, de more inſerviant.

„ Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Dominus Innocentius de Comitibus loco Domini Ducis de Comitibus Magiſtri ſacri

„ Hoſpitii die Jovis 16. currentis menſis „ Julii feſto Beatæ Mariæ de Monte Carmelo ſummo mane in Baſilica Vaticana „ ſe conferat, detque operam, ut intra loca lignea undique cancellis clauſa nulli „ admittantur, niſi nobiles exteri, Urbis „ titulati, ac de ſpeciali gratia SANCTISSIMI intra ambitum proximiorem theatro Patres ex religioſis familiis BEATORUM canonizandorum juxta numerum eis præfinitum: intra vero theatri caveam neminem penitus admitti curet, præter habentes locum in cappella, Poſtulatores „ Canonizationis, ac Oblationum portitores.

„ Illuſtriſſimus Dominus Fr. Miniatus Ricci Vicecaſtellanus arcis S. Angeli mandet, ut die Jovis 16. currentis menſis Julii feſto Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, „ cantores ejuſdem arcis, tranſeuntibus per „ pontem Dominis Cardinalibus, muſicis „ inſtrumentis de more canant, ſuiſque „ bombardariis injungat, ut cum primum „ audierint exploſionem bombardarum militum Helvetiorum, ipſi pariter majora, „ & minora ejuſdem arcis tormenta bellica in plauſum Canonizationis explodant.

„ Dominus Fiſcalis Capitolinus mandet „ tubicinibus, & tympaniſtis omnibus S. P. „ Q. R., ut die Jovis 16. currentis menſis „ Julii feſto Beatæ Mariæ de Monte Carmelo hora decima cum tubis, & tympanis „ ad Baſilicam S. Petri contendant, ibique „ prope portam majorem conſiſtentes, ad „ cantum Hymni *Te Deum Laudamus* ſonent tubas, & percutiant tympana bilariter per integrum ſaltem horæ quadrantem. Præterea imperet eodem mane „ pulſari campanam Capitolinam per horam integram, cum primum ex arce S. „ Angeli auditus fuerit ſtrepitus bombardarum.

Ut autem rite, recteque de ſacris ritibus in Canonizatione peragendis, Eminentiſſimi Patres, aliique Præſules, qui tantæ celebritati intervenire debebant, optime eſſent inſtructi, ſequens ſchedula per Pontificios curſores a cæremoniarum Pontificiarum Præfecto ad eos omnes fuit tranſmiſſa.

INTIMATIO.

Per curſores facienda, domi quoque dimiſſa copia.

„ Feria quinta die 16. præſentis menſis Julii, anniverſaria Coronationis „ SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI CLEMENTIS „ PAPÆ XIII. recurrente memoria.

„ SUMMUS PONTIFEX hora undecima cum „ dimidio in Apoſtolici Vaticani Sacrarii „ aulam deſcendet, unde ſacris albis veſtibus indutus, ad ſacellum Sixtinum „ perget, initium ſacræ peragendæ actioni „ daturus, poſtmodum, ſupplicatione præeunte, e præfato ſacello in Baſilicam „ Vaticanam deferetur, Canonizationis „ ſollemnia expleturus, inter Sanctos, Deo „ inſpirante, BEATOS JOANNEM CANTIUM „ Presbyterum ſecularem, JOSEPHUM CALASANCTIUM Fundatorem Ordinis Clericorum Regularium Pauperum Matris „ Dei Scholarum piarum, JOSEPHUM A CUPERTINO Sacerdotem profeſſum Ordinis „ Minorum Conventualium S. Franciſci, „ HIERONYMUM ÆMILIANUM Fundatorem „ Clericorum Regularium Congregationis „ Somaſchæ, SERAPHINUM AB ASCULO Laicum profeſſum Ordinis Minorum S. Franciſci Capuccinorum, nec non BEATAM JOANNAM FRANCISCAM FREMIOT DE CHANTAL Fundatricem Ordinis monialium a „ Viſitatione Sanctæ Mariæ, adſcribendo.

„ Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi DD. „ Cardinales per viam Burgi Pii Palatium „ Vaticanum petent, & per ſcalam atrii, „ vulgo di Belvedere, ſuperius aſcendent.

„ Cappas rubeas conſueto in loco accipient, quibus in aula regia dimiſſis, „ veſtes ſacras albi coloris de more induent: „ nempe ſex Eminentiſſimi Cardinales Epiſcopi pluvialia: Presbyteri planetas: & „ Diaconi dalmaticas; ſicque amicti in ſupra enunciata cappella Sixtina adventum „ SANCTITATIS SUÆ præſtolabuntur.

„ SUM-

„ SUMMUS PONTIFEX in præfato ſacello, poſtquam Hymnum *Ave maris ſtella* intonuerit, & ſedem geſtatoriam conſcenderit, ac tres cereos e manibus Eminentiſſimi Domini Cardinalis Rezzonico Canonizationis Procuratoris acceperit, ſupplicabundo ritu, minorem ex cereis ſiniſtra deferens, præeuntibus Eminentiſſimis Patribus, dextera manu accenſum cereum geſtantibus, in Baſilicam Vaticanam evehetur.

„ Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi DD. Cardinales, omni comitatu penitus excluſo, cubiculi præfecto, & caudatario tantum utentur.

„ In Baſilica Vaticana Auguſtiſſimum Sacramentum publicæ venerationi expoſitum adorabunt: & inde ante principem aram preces effundent. Mox, SANCTISSIMO PATRI in ſublimi Pontificio ſolio compoſito, ei obedientiam unacum reliquis ſacris induti præſtabunt, ac ſacræ actioni ſollemnis Canonizationis antedictorum BEATORUM per SANCTITATEM SUAM explendæ, & Pontificali Miſſæ per eumdem SUMMUM PONTIFICEM ſubinde celebrandæ cum Homilia ſimul intererunt.

„ Pontificali Sacro peracto, indumenta ſacra omnes deponent, cappas reſument, & poſtquam PONTIFEX in tentorio ante ſacellum Pietatis ad hoc erecto, Pontificales veſtes dimiſerit, ipſi Eminentiſſimus Decanus Sacri Collegii nomine fauſta auſpicabitur; & PONTIFEX inde a Baſilica diſcedet, ſicut & Eminentiſſimi Patres, dimiſſis cappis, ad propria remigrabunt.

„ Decem & octo Eminentiſſimi DD. Cardinales Congregationi Sac. Rit. præpoſiti, antiquiores in unoquoque ordine, ſi fas erit, tripartito aſſumendi, Oblationes a duobus nobilibus eorum reſpective familiaribus talari veſte indutis delatas, reverenter SANCTITATI SUÆ, quum ritus feret, præſentabunt.

„ Feſtivi ignes, & luminaria, ut moris eſt, ſub nocte dierum 15. feriæ quartæ, & 16. feriæ quintæ fient; quæ in ſequutæ Canonizationis lætitiam protrahentur quoque ſub nocte feriæ ſextæ ſubſequentis.

„ Intimentur ideo omnes, & ſinguli Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi DD. Cardinales, Reverendiſſimi Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi in Urbe præſentes, tam Aſſiſtentes, quam non Aſſiſtentes, Abbates generales locum in Pontificia cappella habentes, ac Pœnitentiarii Baſilicæ Vaticanæ.

„ Intimentur pariter Gubernator Urbis Vice-Camerarius, Principes ſolii, Protonotarii Apoſtolici, Generales Ordinum Mendicantium, Conſervatores Urbis, Auditores Rotæ, Clerici Cameræ Apoſtolicæ, Votantes Signaturæ Juſtitiæ, Abbreviatores, utriuſque Signaturæ Referendarii, & Advocati Conſiſtoriales, ut omnes ſub eamdem horam in prædictum Sixtinum Vaticani ſacellum expedite conveniant.

„ Epiſcopi Aſſiſtentes, & non Aſſiſtentes, ac Abbates generales cum pluvialibus, albi coloris, & mitra alba ſimplici ex lino.

„ Pœnitentiarii cum planetis albis, & birretis.

„ Protonotarii Apoſtolici cum cappis.

„ Reliqui Prælati, nempe Auditores Rotæ, Clerici Cameræ, Votantes Signaturæ Juſtitiæ, Abbreviatores, & Referendarii cum rocchettis, & ſuperpelliceis.

„ Advocati Conſiſtoriales cum veſtibus violaceis, atque capitiis.

De Mandato SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PAPÆ.

I. Archiep. Athen. Ap. Cærem. Præfectus.

Decem & octo S. R. E. Cardinales, qui Poſtulatorum nomine Oblationes PONTIFICI exhibere debebant, fuere præmoniti, ut nomen, cognomenque duorum nobilium aulicorum, qui toga induti, eiſdem in offerendis Oblationibus inſervirent, ad R. P. D. Innocentium de Comitibus, qui veluti Magiſtrum

giſtrum ſacri Hoſpitii ſe gerebat, in ſcriptis mitterent.

Eñio, & Rñio Signore.

„ ESſendo determinata la SANTITA' DI
„ NOSTRO SIGNORE CLEMENTE PAPA
„ XIII. di eſeguire nella Baſilica Vaticana
„ la ſolenne Canonizazione de' BEATI GIO-
„ VANNI CANZIO Sacerdote Secolare; GIU-
„ SEPPE CALASANZIO Fondatore dell'Ordine
„ de'Chierici Regolari de'Poveri della Ma-
„ dre di Dio delle Scuole Pie; GIUSEPPE DA
„ COPERTINO Sacerdote profeſſo dell' Ordi-
„ ne de'Minori Conventuali di S. Franceſco;
„ GIROLAMO EMILIANO Fondatore de'Chie-
„ rici Regolari della Congregazione Somaſ-
„ cà; SERAFINO DA ASCOLI Laico profeſ-
„ ſo dell'Ordine de'Minori di S. Franceſco
„ de'Capuccini; e della BEATA GIOVANNA
„ FRANCESCA FREMIOT DI CHANTAL Fonda-
„ trice dell'Ordine delle Monache, dette
„ della Viſitazione di Santa Maria, la mat-
„ tina di Giovedì ſedici del preſente me-
„ ſe di Luglio, giorno, in cui ricorre l' an-
„ niverſaria feſtiva memoria della ſua Co-
„ ronazione, ſi degnerà l' Eminenza Voſtra
„ traſmettere qualche giorno prima al Si-
„ gnor Duca di Poli, Maeſtro del Sagro Oſ-
„ pizio, i nomi, e cognomi di due de' ſuoi
„ Gentiluomini, affinchè, ottenuti li ſoliti
„ biglietti dal medeſimo Signor Duca, poſ-
„ ſano per tempo in detta mattina, veſtiti
„ di abito talare, per mezzo di quelli eſ-
„ ſere introdotti nel luogo loro deſtinato in
„ vicinanaa delle oblazioni da preſentarſi al-
„ la SANTITA'SUA, per eſſere poi pronti ad
„ aſſiſtere all'Eminenza Voſtra nella delazio-
„ ne delle accennate Oblazioni.

Sacrorum Rituum Congregationis Suffragatores, quos Conſultores vocant, ad hæc ſollemnia ſic evocati ſuere.

Reverendiſſimo Padre.

„ DOvendo per ordine della SANTITA'
„ DI NOSTRO SIONORE CLEMENTE PA-
„ PA XIII. V. P. Reverendiſſima interve-
„ nire con gl'altri Conſultori della Sagra
„ Congregazione de Riti alla ſolenne Cano-
„ nizazione de BEATI GIOVANNI CANZIO,
„ GIUSEPPE CALASANZIO, GIUSEPPE DA CO-
„ PERTINO, GIROLAMO EMILIANO, SERA-
„ FINO DA ASCOLI, e della BEATA GIOVAN-
„ NA FRANCESCA FREMIOT DI CHANTAL,
„ che la SANTITA' SUA eſeguirà la mattina
„ di Giovedì ſedici del preſente meſe di Lu-
„ glio, giorno, in cui ricorre l'anniverſa-
„ ria feſtiva memoria della ſua Coronazio-
„ ne, ſi troverà alle ore dieci e mezza in
„ punto ſuori de cancelli della cappella Si-
„ ſtina del Palazzo Apoſtolico Vaticano, di
„ dove ſarà avviſato per portarſi (eſcluſo il
„ proprio compagno) in Proceſſione, ſe-
„ condo il metodo dalla medeſima SANTI-
„ TA' SUA preſcritto, alla Baſilica Vati-
„ cana.

Pridie Idus Julii ex PONTIFICIS præſcripto, pecunia, quæ ſingulis annis, dum feſtiva dies, qua SUMMUS ECCLESIÆ PRINCEPS ſacra thiara extitit redimitus, maxima agitur celebritate, in plebem ſolet diſpertiri, ne pervigilio Canonizationis iis, quæ diſponenda, parandaque erant, vilis plebecula eſſet impedimento, ſuit publice diſtributa. Eademque die conſueto privato cultu ad Eccleſiam Clericorum Regularium miniſtrantium infirmis, ut ſacras exuvias S. Camilli de Lellis veneraretur, primæ enim veſperæ illius feſtus celebrabantur, BEATISSIMUS PATER venit, devotaſque preces ad altare, ubi Sancti corpus requieſcit, ſudit, deindeque curru conſcenſo, eodemque ſtipatus comitatu ad Vaticanum proceſſit; Baſilicamque ingreſſus, ante Euchariſtiam, & Beati Petri Confeſſionem diu in preces ſtetit, indeque theatrum ipſum Canonizationis, univerſamque navem principem luſtrans, artificum induſtriam, Poſtulatorum diligentiam, ac magnificentiam, operiſque elegantiam proſpexit ſimul, ac comprobavit.

Illuxit tandem dies XVII. Kalendas Auguſti, dies lætitiæ, & jubilationis, qua ſancta habitatio Syon exultabat, laudabatque, quia magnus in medio ſui Sanctus Iſrael, & præ

gau-

gaudio, ac lætitia cantabat Domino canticum novum, & laudem ejus ab extremis terræ urbanus populus, & peregrinus cujuſcumque ordinis, & conditionis, vel ad ampliſſimum templum, vel ad periſtylia, per quæ Supplicatio incedere debebat, frequentia ſumma undique accurrebat. Helvetii milites ferreis thoracibus, & galeis induti, ſecuribuſque haſtatis muniti, theatrum ipſum Canonizationis, ejuſque cancellos occuparant. Altera urbanorum militum manus baculis præpilatis inſtructa; templum, viamque omnem, quam ſupplicantes tenere debebant, munierat, ne circumfuſa populi multitudo ſupplicantibus eſſet impedimenti. Levis armaturæ equites galeis muniti, loricis ſago impoſitis, haſtaſque præ manibus habentes, ac equites loricati, evaginatis gladiis, in medio fori ſeſe in aciem diſpoſuerant.

Quia autem ſtatutum erat, ut Supplicatio a porta ferrea diſcedens ex uno periſtylio ad alterum periſtylium veniret, ut inde templum peteret, hinc eam viam, quæ a fronte ad frontem quadrigemini periſtylii ſub dio eſt, & aperta, Poſtulatores præaltis trabibus in terram defixis, velis ſericis, ac aureis tæniolis circumdatis, ne ſolaribus radiis afficeretur, extenſis ex canape telis omnem velaverant. Duo cæremoniarum Magiſtri curam ſibi ſumpſere, ut Eminentiſſimis Patribus, Patriarchis, & Epiſcopis, ſtatim ac Sixtinum eſſent ſacellum ingreſſi, per Clericos Acolythos Pontificiæ cappellæ quadrilibres, ceteris autem Romanæ Curiæ Præſulibus trilibres cereos traderent. Poſtulatores vero ex ligneo ſuggeſtu, qui conſtitutus erat ſub porticu a læva exeuntium per ferream portam in periſtylium, ceteris omnibus, qui ſupplicabundi incederent, ardentes cereos majores, minoreſve ſecundum perſonarum dignitatem, deferendos tribuerent.

Congregatis omnibus, qui ad tam ſollemnem fuerant Supplicationem evocati, cæremoniarum Pontificiarum Magiſtri eam hoc ordine dirigere cœperunt.

Omnium primum veniebant pueri Hoſpitii Apoſtolici S. Michaelis, hinc orphani, & alumni collegii Salviati, tum Patres Tertii Ordinis S. Franciſci Recollectorum Galli ex cœnobio S. Mariæ Miraculorum in capite hippodromi, hinc Eremitæ excalceati Ordinis S. Auguſtini, Capuccini, Mercenarii Ordinis B. Mariæ Redemptionis captivorum, qui apud S. Adrianum in foro boario ſunt conſtituti: hos ſequebantur Patres S. Onuphrii Ordinis Eremitarum S. Hieronymi Congregationis B. Petri de Piſis, Minimi S. Franciſci de Paula, Fratres Terti Ordinis S. Franciſci, Minores Conventuales Baſilicæ SS. XII. Apoſtolorum, Obſervantes, qui apud S. Mariam de Aracæli degunt, ſimul cum iis, quos Reformatos vocant: hinc Patres cœnobii S. Mariæ de Populo Ordinis S. Auguſtini Congregationis obſervantiæ Longobardiæ; tum incedebant Eremitæ ceteri ejuſdem Ordinis ex cœnobio S. Auguſtini, deinde Carmelitæ Congregationis Mantuanæ, qui in regione Tranſtiberim templo S. Chryſogoni inſerviunt, & Carmelitæ alii, qui cœnobia S. Mariæ Tranſpontinæ, S. Martini in Montibus, Sanctique Juliani in Exquiliis incolunt, tum Eremitæ Montis Senarii Ordinis Servorum B. Mariæ, ac tandem Patres Ordinis Prædicatorum: quæ omnes Mendicantium Regulares familiæ ſub propriis Crucibus, veluti triumphalibus vexillis incedentes, invicem diſcriminabantur.

Statim propriis etiam diſtincti, & diviſi Crucibus omnes Monachorum Ordines veniebant; incedebant primi Monachi S. Hieronymi Longobardiæ apud S. Alexium in Aventino monte; tum Canonici Regulares Sanctiſſimi Salvatoris Ordinis S. Auguſtini apud S. Petrum ad Vincula in Exquilinis; Monachi Montis Oliveti Ordinis S. Benedicti apud S. Mariam novam in foro boario; Monachi Congregationis Cæleſtinorum apud S. Euſebium ad Cimbrum; poſt hos veniebant omnes Monachi Ordinis Ciſtercienſis, tum Congregationis Reformatæ S. Bernardi ad Thermas, & apud S. Pudentianam ad radices montis Viminalis, quam Congregationis Hetruriæ ex Monaſterio SS. Vincentii, & Anaſtaſii ad aquas Salvias,

& Con-

& Congregationis Longobardiæ ad S. Crucem in Jeruſalem: hos omnes comitabantur Monachi Congregationis Vallis Umbroſæ Ordinis S. Benedicti apud S. Praxedem, tum Camaldulenſes Ordinis pariter S. Benedicti apud S. Gregorium ad clivum Scauri: deinde Monachi Caſſinenſes, quibus cura Baſilicæ S. Pauli extra Urbis mœnia in via Oſtienſi eſt demandata, ac tandem Canonici Regulares Lateranenſes Ordinis S. Auguſtini apud S. Mariam de Pace.

Clerus deinde ſecularis Crucem inter Acolythos duos ceroſtratas portantes, hac methodo ſequebatur: videlicet alumni ſeminarii Romani, Rectores Parochiarum Urbis, & Vicarii perpetui albis ſtolis, ut a reliquo Clero diſcernerentur, exornati, inde Canonici Collegiatarum Urbis, ſcilicet S. Hieronymi Illiricorum, S. Anaſtaſiæ, SS. Celſi, & Juliani, S. Angeli in foro piſcium, S. Euſtachii, S. Mariæ in Via lata, S. Nicolai in carcere Tulliano, S. Marci, & S. Mariæ ad Martyres, quorum agmen Cleri Camerarius ſuperpelliceo indutus, & horario exornatus claudebat.

Poſt Cleri Camerarium ſtatim papillionibus, tintinnabulis, Crucibuſque præeuntibus, Capitula Collegiatarum inſignium, & trium Baſilicarum Patriarchalium conſequebantur: primum nempe S. Mariæ in Coſmedin, tum Capitula S. Mariæ Tranſtiberim, & S. Laurentii in Damaſo una ſimul incedentia, ſecundum inter ſe initam conventionem: denique conſequebantur conſpicua Capitula S. Mariæ Majoris, S. Petri in Vaticano, & S. Joannis Lateranenſis. Miniſtri civiles, & Eccleſiaſtici Tribunalis Eminentiſſimi Vicarii, qui una cum R. P. D. Dominico Jordano Patriarcha Antiocheno Urbis Viceſgerente, & R. P. D. Franciſco Maria Cioja ejuſdem Eminentiſſimi Vicarii in civilibus Locumtenente, extra portam ferream conſederant, ut ſi quæ forte jurgia,& contentiones orirentur, auctoritate ſua componerent, & ipſi Lateranenſe Capitulum ſunt proſecuti. Bini deinde Sacrorum Rituum Congregationis Suffragatores, quos uſitatiori vocabulo Conſultores nominant, ſecundum eorum in ſuffragiis ferendis antiquitatem, procedebant, ſic tamen diſpoſiti, ut qui inter Romanæ Curiæ Præſides erant adnumerati, vel Epiſcopali charactere inſigniti, ultimum, digvioremque locum obtinerent.

Nobiliſſima ſex Beatorum vexilla haſtis auro illitis innixa, laciniatis coronis aureo opere phrygio excultis condecorata, ſtatim poſt Sacrorum Rituum Congregationis Conſultores deferebantur: vexilla hæc in antica parte Beatorum imagines Cœlum verſus tendentes graphice, venuſteque excellentium pictorum manu habebant expreſſas, in poſtica vero aliquod eorumdem Beatorum illuſtre facinus pictum exhibebant.

Primum vexillum, quod Confratres Sanctiſſimi Sudarii Pedamontanæ nationis deferebant,erat B.Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal: ante ipſum vexillum equites ſex Pedamontani talari veſte, ac ſuperpelliceo induti, ardentia ſuſtinebant intorticia, ac alii quatuor pariter equites eodem circumamicti ornatu oblongos ſericos, aureoſque funes, qui ex ſuperiori tranſverſo vexilli ligno deſcendentes, valido erant adjumento illis, qui vexillum ipſum ſuſtinebant, moderabantur.

Confratres Societatis Stigmatum S.Franciſci unacum Confratribus fabrorum cœmentariorum vexillum B. Seraphini ab Asculo, ſeu de Monte Granario, qui & ipſe cœmentariam exercuerat artem, aſportabant. Decem ex prioribus Capuccinorum Patribus ſuperpellieeo contecti & funes, & intortitia regebant.

Tertio loco B. Hieronymi Æmiliani vexillum a Confratribus Societatis S. Angeli Cuſtodis ferebatur: intortitia, & funes Somaſchenſes Patres geſtabant.

Tum Confratres Societatis S. Antonii Patavini vexillum B. Josephi a Cupertino regebant: funes moderabantur, intortitiaque præ manibus habebant præcipui Conventualium familiæ Patres.

Poſt veniebat B. Josephi Calasanctii vexillum, quod Confratres Sanctiſſimæ Trinita-

nitatis, Stigmatum S. Franciſci, & illi, qui pro animabus in Purgatorio degentibus preces continuo fundentes, Suffragii nuncupantur, quia eiſdem ſodalitiis Baatus nomen dederat, per vices ſuſtinebant; ſunes,& intortitia Patres Scholarum piarum ſerebant.

Ultimo tandem, ac digniori loco a Confratribus Eccleſiæ S. Nicolai, quæ a nobili Incoronatorum ſamilia nomen habet, vexillum B. Joannis Cantii portabatur. Nobiles Poloni talari veſte, & ſuperpelliceo ornati ardentia intortitia geſtabant, ſericoſque regebant ſunes.

Jam omnes, qui ſupplicantium in more inceſſerant, præter Collegiatarum inſignium, & Baſiliearum Sanctæ Mariæ Majoris, & Sancti Joannis in Laterano Capitula, quæ Baſilicam ſuerant ingreſſa, a porta ferrea uſque ad ampliſſimam porticum hinc inde per univerſum gyrum, quem Pontifex ambire debebat, in aleam diſpoſiti, ejus præſtolabantur adventum, cum Beatissimus Dominus Noster per ſecretiores gradus in aulam, quæ Apoſtolico adjacet ſacrario, deſcendit, ad quam Antonius Caſali almæ Urbis Gubernator cappa indutus, Laurentius Comeſtabilis Columna, & Urbis Conſervatores cum Priore capitum regionum, ut ipſum advenientem exciperent, ſe contulerant. Pontifex poſtquam magna ſalda in intimo ejuſdem ſacrarii cubiculo fuit præcinctus, ad lectum paramentorum venit, & ab Eminentiſſimis Dominis Alexandro Albani, & Nereo Corſini, ex Diaconorum Cardinalium antiquioribus, qui diaconalibus veſtibus induti eo ſe contulerant, ſtatim ſacris indumentis, quæ Acolythi, Votantes ſcilicet Signaturæ, porrigebant, excultus fuit, & ornatus, amictu videlicet, alba, cingulo, & ſtola aureo opere phrygio ſplendeſcente, quæ ſicuti ceteras ſacras veſtes, aliaque omnia, quæ rei divinæ, & ſacro Canonizationis ritui inſervire debebant, ære ſuo Poſtulatores comparaverant. Cardinalis Feroni, qui ex præſentibus Presbyteris ſenior erat, acerram Pontifici obtulit, qui ſtatim ac thus injecit in thuribulum, magno, & ampliſſimo pluviali ſuit circumamictus, cui ad pectus pretioſis gemmis, & margaritis excultum aderat ſormale, quod rationale etiam, & pectorale dicitur; tum in ſignum imperii ſacra thiara redimitus, præcedente Cruce, quam inter candelabra ſeptem Carolus Origo Sacræ Rotæ Auditor geſtabat, ad ſacellum Sixti PP. IV. ſe contulit, in quo cum Eminentiſſimis Patribus Epiſcopi omnes, qui Romæ aderant, ceterique Romanæ Curiæ Præſules fuerant coadunati.

Ut Pontifex eſt ingreſſus, in circumſtantes omnes ſignum Crucis produxit, & ad faldiſtorium, quod ante gradus altaris erat conſtitutum, depoſito regno, in genua procubuit, breveſque profundens preces, in pedes ſtatim ſtetit, & ex libro, quem duobus Epiſcopis Aſſiſtentibus coadjuvantibus Sereniſſimus Cardinalis Dux Eboracenſis regebat, Hymnum *Ave maris ſtella* intonuit, ac in genua ſtatim denuo provolutus permanſit uſque dum ſcholæ Pontificiæ cantores tres ſubſequentes verſiculos ſuavi cantu fuere modulati. Tunc iterum ſurgens, mitra redimitus, ſe in geſtatoria ſella majeſtate ſumma, quæ Ecclesiæ Maximum Principem, & Pastorem decet, compoſuit. Ubi primum Pontifex conſederat, Eminentiſſimus Carolus Rezzonicus ejuſdem Sanctissimi Domini Nostri fratris filius, qui ut ſuperius obſervavimus, in Procuratorem Canonizationis electus fuerat, & conſtitutus, duos magnos cereos, tertiumque parvulum mire, ac venuſte arabice pictos, & auro condecoratos Poſtulatorum nomine eidem Sanctissimo Patri obtulit, qui minorem cereum, cui velum ſericum ad excipiendas liquentis ceræ guttas, ne manum offenderent, eleganter fuerat circumligatum, ut per Supplicationem geſtaret, aſſumens, unum ex majoribus ante ipſum deferendum dedit Excellentiſſimo Laurentio Comeſtabili Columna, qui ſolus ex ſolii Principibus ibidem adſtabat.

Sed operæ pretium eſt, ut interruptam Supplicationis deſcriptionem iterum reaſſumamus. Primi, poſt Beatorum vexilla

bini lanea toga rubri coloris cum laneo capitio ſupra ſcapulas inverſo, & uncinulo ante pectus colligato induti, Scutiferi Papæ incedebant: tum Religioſorum Ordinum qui in Pontificias cappellas admittuntur, Procuratores generales: ſequebantur inde Cubicularii extra cameram, qui ſimilem Scutiferorum longam togam habebant, ſed capitium tenuiſſimo ſerico rubro coopertum circa collum, & per humeros rite diſpoſitum geſtabant: veniebant inde eadem circumamicti toga Cappellani communes, & intimi, quorum ſex pretioſiſſimas thiaras & mitras Pontificias perlis, margaritis, aliiſque pretioſis lapillis onuſtas deferebant: poſt hos Procurator Fiſcalis, & Commiſſarius Cameræ incedebant: his proximi erant Advocati Conſiſtoriales violaceas veſtes cum capitio præſeferentes: ſequebantur deinde Cubicularii honoris, & intimi ſolita rubea veſte circumamicti: tum cantorum ſchola Hymnum *Ave maris ſtella* continuo canens incedebat.

Statim a cantorum ſchola veniebant rocchetto, & ſuperpelliceo exornati tres Patriarchalium Baſilicarum Canonici in utraque Signatura Referendarii, qui Subdiaconi, Diaconi, & Presbyteri aſſiſtentis officia in Pontificiis cappellis ſuſtinent: ſuccedebant Abbreviatores de Parco majore, Signaturæ Juſtitiæ Votantes Acolythi Apoſtolici: Clerici Cameræ, & Sacræ Rotæ Auditores, quorum junior ad ſiniſtram habebat Reverendiſſimum Patrem Thomam Auguſtinum Ricchini Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtrum: inde cum mitra, & regno levioris ponderis, quibus frequenter in ſacris actionibus utitur SUMMUS PONTIFEX, ſequebantur duo intimi ſacelli SANCTITATIS SUÆ Cappellani: tum Acolythus Apoſtolicus motans thuribulum veniebat, poſt quem duobus Magiſtris oſtiariis ſtipatus, inter ſeptem Acolythos totidem candelabra geſtantes, ſacris ſubdiaconalibus veſtibus indutus ſequebatur cum Cruce R. P. D. Carolus Origo Sacræ Rotæ Auditor: primus a Cruce inter alumnos collegii Græci, qui Epiſtolam, & Evangelium Græco idiomate in Pontificia Miſſa debebant cantare, pretioſis ſubdiaconalibus veſtibus exornatus incedebat R. P. D. Joannes Cornarus, & ipſe Rotæ Auditor, qui Subdiaconi officium in Pontificali Miſſa erat expleturus: tum videbantur Pœnitentiarii Vaticanæ Baſilicæ albis caſulis cooperti, ante quos pueruli duo, in eorum officii, & poteſtatis ſignum, oblongas ferulas inter florum ſerta geſtabant: ſubibant poſtea Abates uſum mitræ habentes, quibus in Pontificiis cappellis locus eſt conſtitutus, & Epiſcopi omnes, qui Romæ aderant, tum illi, qui Pontificio ſolio adſiſtere debent, tum etiam illi, quibus hujuſmodi honor minime eſt attributus, omnes pluviali albo, ac mitra ex textili lino conflata, vel proprio nationis ſuæ, & ritus ſacro indumento circumamicti: progrediebantur inde Eminentiſſimi Patres ſacris induti veſtibus, mitriſque albis ex textili damaſceno ſerico redimiti: populi Romani Conſervatores, & Prior capitum regionum aureis togis cooperti poſt ſacrum Senatum veniebant: ſequebantur inde R. P. D. Antonius Caſali almæ Urbis Gubernator, & Laurentius Comeſtabilis Columna magnum ardentem cereum, quem a PONTIFICE acceperat, deferens: demum veniebant duo antiquiores Diaconi Cardinales Alexander Albani, & Nereus Corſini, qui in medium habebant Andream Nigronum Diaconum Cardinalem pretioſis indumentis contectum, qui Evangelium in Miſſa decantare debebat.

Poſt hanc ſollemnem pompam BEATISSIMUS DOMINUS NOSTER ſublimi in ſella compoſitus, cereum ardentem ſiniſtra manu ſuſtinens, ſub ex textili auro umbella, quam octo haſtis argento perfuſis innixam totidem Referendarii Signaturæ ſuſtinebant, humeris octo circumpedum rubro ſago indutorum gravitate ſumma, & majeſtate, quæ venerationem ſimul & compunctionem in intuentibus progigneret, vehebatur: ad latera ſellæ Pontificiæ erant octo e Pontificia ſchola cantores, qui Hymnum *Ave maris ſtella* modulabantur; & inter Proceres, & Dynaſtas aderant duo intimi Cubicularii, qui ad majorem majeſtatem,

& di-

& dignitatem flabella pavonica ſuſtinebant: ſtatim poſt Pontifieem inter ejus Intimos Cubieularios veniebat Bartholomæus Olivazzi Sacræ Rotæ Auditor eum linea vitta e collo pendente, ut mitram, quando illam Pontifex deponeret, exeiperet: tandem ineedebant R. P. D. Franciſeus de Ilcio Auditor generalis Cameræ, Joannes Angelus Braſchi Theſaurarius generalis, Joannes Baptiſta Rezzonieus Sanetissimi Domini Nostri fratris filius Pontifieiæ domui Præfectus, ac Protonotarii omnes, poſt quos Mendieantium Ordinum Generales ſequebantur: agmen tamen omne elaudebant Excellentiſſimi Æmilius Altieri, & Cajetanus Ceſarini Duces equitum levis armaturæ cum ſuis militibus,& Marehio Gaſpar Orſini de Cavaleriis cum militibus cataphractis.

Sie inter confluentis, jubilantis, & præ gaudio geſtientis infinitam populi multitudinem vectus, ad ampliſſimam Vaticanæ Baſilicæ porticum Pontifex pervenit, ubi a Capitulo Vaticano cum hymnis, & canticis jubilationis ſuit exceptus, Antiphonam enim *Tu es Petrus* ſeſtivis concentibus, & voeibus ejuſdem Baſilicæ muſici præeinebant. Inter lætas has, feſtivaſque voees Pontifex auguſtiſſimam ingreſſus Baſilicam ſacrum, regiumque apparatum eonſiderans, ſtatim ei viſum eſt videre cæleſtem urbem Jeruſalem deſcendentem de Cælo a Deo paratam, ſieut ſponſam ornatam viro ſuo, quam ob rem ſpirituali, ac inexplieabili gaudio affectus, piiſſimo populo, qui immenſam illam, & maximam Baſilicam ſere repleverat, benedictionem deatera manu eſt impertitus, uſque dum ad ſacellum Sanctiſſimæ Trinitatis perveniens, ubi auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum palam erat expoſitum, ut illud veneraretur, e ſella deſcendit, & mitra depoſita, diu in oratione permanſit.

Preeibus abſolutis, mitra iterum redimitus, ſellam eonſeendit, & in aream theatri Canonizationis eſt perductus, ubi Beatiſſimum Apoſtolorum Principem veneraturus, ad faldiſtorium in genua proeubuit, ac tandem in pedes erectus, producto in adſtantes omnes ſigno Crueis, ſublime gloriæ ſuæ ſolium petiit, in quo ſe componens, ſtatim ad dexteræ manus oſeulum, quam ſub auriphrygio pluvialis detinebat, Eminentiſſimos omnes Patres admiſit; tum Epiſcopos omnes & Aſſiſtentes, & non Aſſiſtentes exeepit, qui ejus genu deoſeulabantur; ac tandem Abatibus, & Pœnitentiariis Baſilicæ pedem oſeulandum præbuit.

Hoc venerationis, & obedientiæ officio rite præſtito, cum omnes loeis ſibi conſtitutis eonſediſſent, Dominus Joannes Baptiſta Lizzani cæremoniarum Magiſter de numero participantium ante Pontificii ſolii gradus Eminentiſſimum Carolum Rezzonieum Sanctissimi Domini Nostri fratris filium in Procuratorem Canonizationis conſtitutum, cui ad lævam aderat Advocatus Philippus Durani, ut ipſius nomine effieacem orationem ad Pontifieem haberet pro expetita Canonizatione obtinenda, perduxit. Ut ad ſolium Eminentiſſimus Dominus pervenit, caput inelinans, Pontificem eſt veneratus, & Advocatus genibus nixus per hæc verba inſtanter Patrem Beatissimum rogavit.

Beatissime Pater:

„ Reverendiſſimus Dominus Cardinalis „ Carolus Rezzonieus hie præſens „ inſtanter petit per Sanetitatem Vestram catalogo Sanctorum Domini Noſtri „ Jeſu Chriſti adſeribi, & tamquam Sanctos „ ab omnibus Chriſtifidelibus pronuneiari „ venerandos B. Joannem Cantium Presby„ terum ſeeularem, B. Josephum Calasan„ ctium Clericorum Regularium Scholarum „ piarum Fundatorem, B. Josephum a Cu„ pertino Ordinis Minorum Conventua„ lium, B. Hieronymum Æmilianum Cle„ ricorum Regularium Congregationis So„ maſchæ Fundatorem, B. Seraphinum „ ab Asculo Ordinis Minorum Capuecino„ rum, & B. Joannam Franeiseam Fre„ miot de Chantal Ordinis monialium „ Viſitationis S. Mariæ Fundatrieem.

Tum Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Domi-

Dominus Michael Angelus Giacomelli Archiepiſcopus Chalcedonenſis, Epiſtolarum ad Principes a Secretis, qui pluviali circumamictus in planitie ſolii ſtabat, nomine SANCTITATIS SUÆ ſic Advocato ſupplicanti reſponſum dedit.

„ LÆtiſſimum & ſpirituali gaudio ſuperabundantem animum gerit SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER, quod expectatiſſimus hic tandem illuxit dies, cum BEATIS JOANNI CANTIO, JOSEPHO CALASANCTIO, JOSEPHO A CUPERTINO, HIERONYMO ÆMILIANO, SERAPHINO AB ASCULO, & JOANNÆ FRANCISCÆ FREMIOT DE CHANTAL Sanctorum honores, & cultum conſtituit ſollemni ritu decernere. Jam præſto ſunt omnia, quæ ad triumphalem hujuſmodi ſollemnitatem parari oportebat. Univerſa collucet facibus nobiliſſima toto terrarum orbe Baſilica; quo ſplendore ad illius lucem quodammodo rapimur contemplandam, qui dat [1] ſolem in lumine diei; renident parietes ſacrorum ornamentorum pulchritudine & copia, & ſpiritum pietatis, bonumque circum undique ſpirant odorem; uno verbo magnificentiſſimus hic apparatus injicere videtur cogitationem ſanctæ civitatis illius Jeruſalem novæ, quam vidit Beatiſſimus [2] Joannes deſcendentem de Cælo a Deo, paratam ſicut ſponſam ornatam viro ſuo. Adeſt Sacer S.R.E. Senatus: adeſt piiſſimorum Epiſcoporum, & Antiſtitum cœtus; adeſt fidelium frequentiſſimus populus; qui omnes his BEATIS flagitare nunc videntur ab Apoſtolica Sede ſublimem illum, maximeque excelſum, ac plane divinum honorem, qui cum fluxis omnibus hujus mundi, & caducis honoribus ne conferri quidem poteſt, & ad triumphantis Jeruſalem præcipue pertinet beatiſſimam gloriam. Sed ab eo, qui eſt Eccleſiæ Caput viſibile, & Cæli claves a Chriſto Jeſu accepit, ſervos aliquos Dei, qui in Domino obdormierint, Sanctos eſſe decerni; ac propterea dignos eſſe, quorum in honorem toto terrarum orbe altaria, & templa erigantur; anniverſarii dies feſti celebrentur; quorum corpora, quæ fuerunt vivum Spiritus Sancti templum, in excelſo ponantur loco; Reliquiæ venerationi exhibeantur; eorum itidem in honorem tremendum peragatur Miſſæ ſacrificium, ipſi denique fideli populo proponantur ad venerationem, invocationem, & patrocinium; hæc omnia maximum quiddam efficiunt, quod rerum humanarum conditionem infinito ſuperat intervallo, & maximum Dei poſtulat adjumentum. Quamobrem SANCTISSIMUS PATER cenſet nunc potiſſimum thronum gratiæ in humilitate cordis per flagrantiſſimas preces adeundum, ut Sanctiſſimæ Dei Genitricis, ſemperque Virginis Mariæ, & Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, omniumque Sanctorum meritis, & interceſſione, actio hæc inter graviſſimas, quæ in Eccleſia Dei peraguntur, tot, tantiſque de cauſſis numeranda pie, ſancteque, benedicente Domino, perficiatur.

Quo percepto reſponſo, Cardinalis Rezzonicus ad locum, unde diſceſſerat, eſt reverſus. PONTIFEX ſurgens e ſella, ad faldiſtorium, quod in planitie ſolii Clerici cappellæ tunc conſtituerant, adhuc mitra redimitus, in genua eſt provolutus, & duo Pontificiæ ſcholæ cantores, qui ita a cornu Epiſtolæ genuflexerant, ut cornu Evangelii ſpectarent, Litanias Sanctorum, ceteris alternatim reſpondentibus, cecinere uſque dum ab Agno Dei, qui tollit peccata mundi vocem, miſericordiamque precarentur.

Statim poſt Litanias omnes ſurrexere, & præ manibus, ut antea, ardentes cereos ſuſtinentes, ſuis ſe compoſuere ſedibus, etenim tantum illi, qui ad gradus Pontificii ſolii erant, in pedes ſtabant. Tunc iterum Eminentiſſimus Rezzonicus una cum Conſiſtorialis aulæ Advocato ad intimos ſolii gradus

1 *Jerem.* 31. 35.

2 *Apocal.* 21. 2.

dus acceſſit, ut efficaciores preces Pontifici exhiberet: Advocatus autem Sanctissimo Ecclesiæ Patri, qui in ſublimi Petri cathedra erat conſtitutus, inſtantius ſic orationem direxit.

Beatissime Pater.

„ Reverendiſſimus Dominus Cardinalis „ Carolus Rezzonicus hic præſens in„ ſtanter, & inſtantius petit per Sanctita„ tem Vestram catalogo Sanctorum D. N. „ Jeſu Chriſti adſcribi, & tamquam Sanctos „ ab omnibus Chriſtifidelibus pronunciari ve„ nerandos B. Joannem Cantium Presby„ terum ſecularem, B. Josephum Calasan„ ctium Clericorum Regularium Schola„ rum piarum Fundatorem, B. Josephum a „ Cupertino Ordinis Minorum Conven„ tualium, B. Hieronymum Æmilianum „ Clericorum Regularium Congregationis „ Somaſchæ Fundatorem, B. Seraphinum „ ab Asculo Ordinis Minorum Capuccino„ rum, & B. Joannam Franciscam Fre„ miot de Chantal Ordinis monialium „ Viſitationis S. Mariæ Fundatricem.

Ad has preces hunc in modum Chalcedonenſis Archiepiſcopus nomine Pontificis reſpondit.

„ Tantam ſui ſpeciem offert Sanctissimi „ Patris animo hujus actionis, quæ mox „ auctore Deo peragetur, magnitudo, & „ gravitas, ut Sanctitas Sua cenſeat ite„ ratis precibus ſumma cordis humilitate „ Spiritum eſſe invocandum, ex quo uno, „ luminis æque, ac ſanctitatis fonte, licet ve„ ra & ſancta haurire conſilia.

Cum hæc Chalcedonenſis Archiepiſcopus pronunciaſſet, Cardinalis, & Advocatus e ſolio receſſere. Pontifex mitra depoſita, genua ad faldiſtorium flexit: Cardinalis Nereus Corſini, qui a ſiniſtris Pontificis ſtabat, elata voce omnes, qui in gyrum poſiti erant, ut preces ad Deum fundentes divinum lumen in tanto negocio, & præſens auxilium expoſtularent, monuit dicens *orate*: ſic præmoniti, omnes in genua devoluti precibus perſeveravere intenti uſque dum Alexander Cardinalis Albani, qui ad dexteram Pontificis erat conſtitutus, omnium primus in pedes erectus, clamavit *levate*. Pontifex ſtatim ex oratione ſurgens, cum librum ante ipſum, coadjuvantibus Epiſcopus Aſſiſtentibus, Sereniſſimus Cardinalis Dux Eboracenſis ſuſtineret, candelamque alter Epiſcopus Aſſiſtens porrigeret, Hymnum *Veni Sancte Spiritus* præcinuit, & in genua iterum ſe proſtravit, donec tres ſubſequentes verſiculos cantores abſolverent. Tunc enim mitra denuo redimitus, ſuam ſedem petiit, ubi depoſita mitra in pedes ſtetit, quoad Hymnus eſſet per cantores expletus: quo ad finem perducto, & ante ſolii gradus duobus Acolythis Signaturæ Votantibus cum ceroſtatis conſiſtentibus, quum duo cantores *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur* cecinissent, univerſaque ſchola, *& renovabis faciem terræ* reſpondente; illico clara, & ſonora voce Pontifex ex libro orationem hanc præcinuit, dicens:

Oremus.

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illuſtratione docuiſti, da nobis in eodem ſpiritu recta ſapere, & de ejus ſemper conſolatione gaudere. Per Chriſtum Dominum Noſtrum.

Reſpondentibus cantoribus *Amen*, Pontifex in ſua ſede denuo ſe compoſuit, ac tertium Eminentiſſimus Rezzonicus, ut per Advocatum inſtantiſſime Beatorum Canonizationem efflagitaret, ad eum venit: verba, quibus Advocatus eſt uſus, ſequentia fuere.

Beatissime Pater.

„ Reverendiſſimus Dominus Cardinalis „ Carolus Rezzonico hic præſens in„ ſtanter, inſtantius, & inſtantiſſime petit „ per Sanctitatem Vestram catalogo San„ cto-

„ ctorum Domini Noſtri Jeſu Chriſti adſcribi, & tamquam Sanctos ab omnibus Chriſtifidelibus pronunciari venerandos B. JOANNEM CANTIUM Presbyterum ſecularem, B. JOSEPHUM CALASANCTIUM Clericorum Regularium Scholarum piarum Fundatorem, B. JOSEPHUM A CUPERTINO Ordinis Minorum Conventualium, B. HIERONYMUM ÆMILIANUM Clericorum Regularium Congregationis Somaſchæ Fundatorem, B. SERAPHINUM AB ASCULO Ordinis Minorum Capuccinorum, & B. JOANNAM FRANCISCAM FREMIOT DE CHANTAL Ordinis monialium Viſitationis S. Mariæ Fundatricem.

Supplicanti ſic PONTIFICIS nomine Archiepiſcopus Chalcedonenſis verba fecit.

„ QUod placere luminum Patri exiſtimat SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER, ſolemni denique Apoſtolico decreto mox edendo BEATOS JOANNEM CANTIUM, JOSEPHUM CALASANCTIUM, JOSEPHUM A CUPERTINO, HIERONYMUM ÆMILIANUM, & SERAPHINUM AB ASCULO in Sanctorum Confeſſorum non Pontificum referet, & BEATAM JOANNAM FRANCISCAM FREMIOT DE CHANTAL in Sanctarum nec virginum, nec martyrum album adſcribet ad omnipotentis Dei gloriam, Catholicæ Fidei decus & incrementum, & eorumdem Beatorum honorem, quorum memoria deinceps in univerſa Eccleſia habebitur ſemper in laudibus.

His dictis, Archiepiſcopus Chalcedonenſis inter Aſſiſtentes Epiſcopos receſſit: omnes, qui in ſacro auguſtoque circumſedebant conſeſſu, in pedes ſtetere: tunc SUMMUS ECCLESIÆ PASTOR, & PATER, divinarum rerum ſupremus Antiſtes, & moderator in eminenti Petri cathedra, veluti in alta ſpecula conſtitutus, divina ſibi a Domino tradita, acceptaque poteſtate per ſequentem definitivam ſententiam BEATOS JOANNEM CANTIUM, JOSEPHUM CALASANCTIUM, JOSEPHUM A CUPERTINO, HIERONYMUM ÆMILIANUM, SERAPHINUM AB ASCULO, ſeu a MONTE GRANARIO, & B. JOANNAM FRANCISCAM FREMIOT DE CHANTAL Sanctorum catalogo adſcripſit, quam ſententiam ex libro ſibi per Epiſcopos Aſſiſtentes oblato ſonora voce perlegit.

AD honorem Sanctæ, & Individuæ Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicæ, & Chriſtianæ Religionis augumentum auctoritate Domini Noſtri Jeſu Chriſti, Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtra; matura deliberatione præhabita, & divina ope ſæpius implorata, ac de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in Urbe exiſtentium conſilio; BEATOS JOANNEM CANTIUM, JOSEPHUM CALASANCTIUM, JOSEPHUM A CUPERTINO, HIERONYMUM ÆMILIANUM, SERAPHINUM AB ASCULO Confeſſores, & JOANNAM FRANCISCAM FREMIOT DE CHANTAL Sanctos, & Sanctam eſſe decernimus, & definimus, ac Sanctorum catalogo adſcribimus: ſtatuentes ab Eccleſia univerſali eorum memoriam quolibet anno die eorum natali, nempe JOANNIS die vigeſimaquarta Decembris, JOSEPHI CALASANCTII vigeſimaſeptima Auguſti, JOSEPHI A CUPERTINO decimaoctava Septembris, HIERONYMI octava Februarii, SERAPHINI duodecima Octobris inter Sanctos Confeſſores non Pontifices, & JOANNÆ FRANCISCÆ vigeſimaprima Auguſti inter ſanctas nec

nec virgines, nec martyres pia devotione recoli debere: in nomine Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Vix Sententiam Pontifex protulerat, quum Advocatus ipſam libenti, ac hilari animo ab Eminentiſſimo Rezzonico excipi, acceptarique eidem declaravit, humillimas inſuper addens preces, ne gravaretur dare in mandatis, ut de tanta ſollemnitate Apoſtolicæ litteræ exararentur.

Beatissime Pater.

„ IDem Reverendiſſimus Dominus Cardinalis Carolus Rezzonico hic præſens acceptat pronunciationem a Sanctitate Vestra factam, eidemque gratias immortales agit, ac enixe ſupplicat, ut Sanctitas Vestra ſuper Canonizatione eadem litteras Apoſtolicas dignetur decernere.

Efflagitanti benignas aures Pontifex præbens, per verbum *decernimus* reſponſum dedit.

Eminentiſſimus Rezzonicus tunc ſolium aſcendens manum, & genu Pontificis reverenter exoſculans, ad Cardinalium ſubſellia, ut proprio conſideret loco, eſt reverſus. Advocatus vero, poſtquam de genu humiliter Patrem Beatissimum eſt veneratus, Protonotarios Apoſtolicos, qui in conſeſſu aderant, ut publicum de ſollemnitate Canonizationis conficerent Inſtrumentum, rogavit per hæc verba.

„ ROgantur omnes Protonotarii, & Notarii hic præſentes, ut ſuper hujuſmodi ſollemni Canonizationis actu unum, vel plura, publicum, ſeu publica, Inſtrumentum, vel Inſtrumenta conficiant ad perpetuam rei memoriam.

R. P. D. Joannes Andreas Arcbetti Protonotariorum Apoſtolicorum ſenior nomine collegarum omnium *conficiemus* reſpondit, in cujus rei teſtimonium familiares Papæ, qui circa ſolium aderant, appellans, dixit *vobis teſtibus*, ac domum reverſus, rem omnem ſuis tabulis conſignavit.

Pontifex e ſede ſurrexit, & mitra depoſita, ut immortali, & inviſibili Deo grates debitas devoto corde redderet, Hymnum *Te Deum laudamus* præcinuit, quem cantorum ſchola ad finem uſque eſt modulata.

Ut hujuſmodi laudationis Hymnum Pontifex intonuit, & cæremoniarum Magiſter ſignum dedit, ſtatim Excellentiſſimi Ducis Poli Magiſtri Sacri Hoſpitii tubæ feſtivæ cecinere; hinc undique tubæ Romani populi clangere, tympana ſtrepere, tormenta bellica reboare ſunt audita; ac omnes Eccleſiarum Urbis campanæ per horam integram feſtivo ſonitu quati, pulſarique cœperunt: quamobrem Romanus populus lætitia geſtiens, cæleſtique perfuſus gaudio, dum novorum Sanctorum patrocinium implorabat, Summo Ecclesiæ Pastori, ſuoque Principi, ac Patri dilectiſſimo & multos annos, & felicitatem maximam precabatur.

Hymnum cantores compleverant, cum Alexander Diaconus Cardinalis Albani ad dexteram Pontificis conſtitutus, canens dixit ℣. *Orate pro nobis* Sancti Joannes, Joseph Calasancti, Joseph a Cupertino, Hieronyme, Seraphine, & Joanna Francisca: cantores autem reſpondere ℟. *Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti*.

Acolythi interim cum ceroſtatis ad imos gradus Pontificii ſolii venerant: Sereniſſimus Cardinalis Dux Eboracenſis librum miniſtrantibus Epiſcopis Aſſiſtentibus regebat, unde Pontifex novorum Sanctorum præſidium, & juvamen omnium primus ſollemni ritu imploraturus, orationem hanc feriali cantu recitavit.

Oremus.

M*Agnificantes Domine clementiam tuam ſuppliciter exoramus, ut qui nos hodie Sanctorum tuorum* Joannis, Josephi Calasanctii, Josephi a Cupertino, Hieronymi,

NYMI, SERAPHINI, & JOANNÆ FRANCISCÆ *glorificatione lætificas, illorum etiam præſidio ſalvet ſemper, & munias. Per Chriſtum Dominum Noſtrum.*

Reſpondentibus Cantoribus *Amen*, Andreas Negroni Cardinalis Diaconus, qui Evangelium in Miſſa ſollemniter erat cantaturus, e ſupremo altaris principis gradu, in quo tempore totius ſacri ritus Canonizationis conſederat, cœremoniarum præeunte Magiſtro, diſceſſit, & ad planitiem ſolii Pontificii ſe contulit, ſiſtenſque ad ſiniſtram PONTIFICIS, qui in pedes ſtabat, ad eum converſus, paullumque inclinatus, novis SANCTORUM nominibus interpoſitis, ad populi expiationem obtinendam confeſſionem emiſit.

C*Onfiteor Deo omnipotenti, Beatæ Mariæ ſemper Virgini, B. Michaeli Archangelo, B. Joanni Baptiſtæ, Sanctis Apoſtolis Petro, & Paulo*, BEATIS JOANNI, JOSEPHO CALASANCTIO, JOSEPHO A CUPERTINO, HIERONYMO, SERAPHINO, & JOANNÆ FRANCISCÆ, *omnibus Sanctis*, & TIBI PATER, *quia peccavi nimis cogitatione, verbo, & opere, mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa: ideo precor Beatam Mariam ſemper Virginem, B. Michaelem Archangelum, B. Joannem Baptiſtam, Sanctos Apoſtolos Petrum, & Paulum*, BEATOS JOANNEM, JOSEPHUM CALASANCTIUM, JOSEPHUM A CUPERTINO, HIERONYMUM, SERAPHINUM, & JOANNAM FRANCISCAM, *omnes Sanctos*, & TE PATER, *orare pro me ad Dominum Deum noſtrum.*

Dum Cardinalis confeſſionem canebat, R.P. D. Joannes Cornarus Rotæ Auditor, qui Subdiaconi officium gerens, Epiſtolam erat cantaturus, & inter Subdiaconum, & Diaconum Græcos ad imos gradus altaris principis conſtitutus, actioni omni interfuerat, Papalem Crucem ſuſtinens ante ſolii Pontificii gradus ſtetit, tunc SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER adhuc in pedes erectus, populum in cantu abſolvit, eique benedixit, dicens.

P*Recibus, & meritis Beatæ Mariæ ſemper Virginis, Beati Michaelis Arcangeli, Beati Joannis Baptiſtæ, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli*, BEATORUM JOANNIS, JOSEPHI CALASANCTII, JOSEPHI A CUPERTINO, HIERONYMI, SERAPHINI, & JOANNÆ FRANCISCÆ, *& omnium Sanctorum miſereatur veſtri Omnipotens Deus, & dimiſſis peccatis veſtris, perducat vos ad vitam æternam.* ℟. *Amen.*

Indulgentiam, abſolutionem, & remiſſionem peccatorum veſtrorum tribuat vobis omnipotens, & miſericors Dominus. ℟. *Amen.*

Et benedictio Dei Omnipotentis Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ Sancti deſcendat ſuper vos, & maneat ſemper. ℟. *Amen.*

Sic finem ſollemnis Canonizationis actio habuit, minime enim eſt neceſſe ad hoc ut in Sanctorum catalogum BEATI referantur, rem divinam per SUMMUM PONTIFICEM expleri, quum in antiquis, recentioribuſque monumentis plura Romanorum Pontificum occurrant exempla, qui BEATOS in Sanctorum albo adſcripſere, Sacrum autem nequaquam celebrarunt. Verum BEATISSIMUS DOMINUS NOSTER nullis unquam fractus laboribus, ſed ſummo ſtudio ſacris, religioſiſque rebus ſemper occupatus, & intentus, Miſſarum ſollemnia ſupra corpus B. Petri voluit celebrare.

Deſcendens igitur ex auguſtiſſimo throno, ut ſacras veſtes ad Sacrificium offerendum acciperet, ad parvum ſolium ſe contulit, in quo quum paullum ſediſſet, illico in pedes erectus, ſubmiſſa voce *Pater*, & *Ave* recitavit, & dextera ſignum Crucis efformans, horam tertiam inchoavit, dicens: *Deus in adjutorium* &c., proſequentibus Pontificiæ cappellæ cantoribus, qui dum primum Pſalmum intonuere, ſedit SUMMUS PONTIFEX, ut preces, quæ Miſſæ præmitti ſolent, recitaret: ſandalia, & caligas indueret: poſt Reſponſorium tertiæ denuo ſine mitra ſtans, quum Acolythi ante infimum ſolii gradum ceroſtatas detuliſſent, orationem de cathedra S. Petri cecinit: manus deinde lavit, & coadjuvante Andrea Diacono Cardinali Nigrono, qui Evangelium in Miſſa erat cantaturus, ſacris pretioſiſſimis indumentis ad Sacrificium

fuit

fuit circumamictus, & a Sereniſſimo Cardinali Duce Eboracenſe annulum accepit. Tunc thure in thuribulum immiſſo, præcedente Cruce inter candelabra ſeptem, ad altare proceſſit, & cum ad oris, & pectoris oſcula tres noviſſimos Presbyteros Cardinales, qui accedenti ad altare occurrerant, excepiſſet, Confeſſionem explevit, thus ſuper aram obtulit, & ſublime ſolium repetiit, ut conſuetis ritibus, ac cæremoniis, quas ſervare SUMMUS PONTIFEX ſolet, Sacrum abſolveret.

Cæremonias autem, quas in Sacro peragendo SUMMUS PONTIFEX adhibet, exponere hic loci nequaquam viſum eſt opportunum, quia apprime deſcriptæ, & adnotatæ inveniuntur in Cæremoniali Romano [1], nec aliquid peculiare, atque notatu dignum in Miſſa, quæ poſt Canonizationis ſollemnia celebratur, occurrit, præter orationes novorum Sanctorum collectæ diei unica concluſione conjunctas, Homiliam poſt Evangelium a BEATISSIMO PATRE, & DOMINO NOSTRO habitam, & Oblationes, quas eidem dum cantorum ſchola Offertorium canebat, Poſtulatores præſentarunt.

Orationes vero, Collecta, Secreta, & Poſtcommuoio hæc fuere.

ORATIO.

Deus qui hodierna die Sanctorum tuorum JOANNIS, JOSEPHI A MATRE DEI, JOSEPHI A CUPERTINO, HIERONYMI, SERAPHINI, *&* JOANNÆ FRANCISCÆ *ſollemni glorificatione Eccleſiam tuam nova cumulaſti lætitia, concede propitius, ut eorum virtutes, ac merita nova ſint fidelibus tuis protectionis ſubſidia, atque imitationis exempla. Per &c.*

SECRETA.

Oblata tibi Domine munera in exaltatione Sanctorum tuorum JOANNIS, JOSEPHI A MATRE DEI, JOSEPHI A CUPERTINO, HIERONYMI, SERAPHINI, *&* JOANNÆ FRANCISCÆ *accepta reddantur, eorumque concede ſuffragiis, ut aucto interceſſorum numero, augeantur ſalutis noſtræ præſidia.*

POSTCOMMUNIO.

Per divina myſteria, quæ in honorem Sanctorum tuorum JOANNIS, JOSEPHI A MATRE DEI, JOSEPHI A CUPERTINO, HIERONYMI, SERAPHINI, *&* JOANNÆ FRANCISCÆ *celebravimus, Domine, humiliter petimus, ut quos hodierna ſollemnitate veneramur in terris, eorum ſocietate fruamur in Cælis. Per &c.*

Decantato Evangelio tum latino, tum Græco idiomate, SUMMUS PONTIFEX, quem ſtantem ſine mitra Sereniſſimus Cardinalis Dux Eboracenſis fuerat thure veneratus, in Petri cathedra, mitra denuo redimitus, conſedit, atque ad circumſtantes Fratres, omneſque Cleri ordines eleganter, ac venuſte talem habuit ſermonem.

NUllam exiſtimamus eſſe nobis lætandi cauſſam juſtiorem, Venerabiles Fratres, dilecti Filii, quam cum omnium communis Mater Eccleſia circumdata apparet Sanctorum ſobole filiorum, quos ipſa per regenerationis lavacrum felici genuit partu, ſollicita, & diligenti cura doctrinæ lacte nutrivit, & poſt exactam in ſanctitate, & juſtitia, veræque pietatis ſtudio eorum ætatem, Deo omnium Patri redditos, gloria illos & honore coronatos, & ſuper opera manuum Domini conſtitutos lætabunda nobis oſtentat. Sed quamvis Matri pariter ac filiis ſit hæc cauſſa lætandi juſtiſſima, tamen majus accedet gaudium exultationis conſortio, ſi

1 *Lib. 2. ſect. 1. cap. 14.*

quæ illi in chriſtianæ vitæ ſemita impreſſere veſtigia, nos a Domino peregrinantes diligenter, & impigre confectemur. Et ſpiritale quidem iter ejuſmodi ſatis Evangelica lectio, quam modo audivimus, reſeravit, dummodo quæ noſtris auribus ingeſta ſunt verba, mentis quoque intellectu comprehendamus.

Audiſtis præclaram Apoſtolorum Principis confeſſionem: audiſtis præconium, quo ipſa veritas illum commendavit, beatumque prædicavit. Cum enim ille Domino de ſe roganti, quem eſſe diceret, reſpondiſſet: TU [1] ES CHRISTUS FILIUS DEI VIVI: ſubjecit Dominus: BEATUS ES SIMON BAR-JONA, QUIA CARO, ET SANGUIS NON REVELAVIT TIBI, SED PATER MEUS, QUI IN CÆLIS EST. Hæc eſt illa confeſſio, quæ petræ firmitatem accepit, ut nullis impulſibus quateretur; quæ tanta divinitus ſoliditate munita eſt, ut eam neque hæretica unquam corrumpere pravitas, nec pagana potuerit ſuperare perfidia; quæ erutos mundo inſerit Cælo; & portæ inferi adverſus eam prævalere non poſſunt. Hanc vero præclariſſimam confeſſionem, quæ Cæli quoque ſecreta tranſcendit, ut quæ liganda, vel ſolvenda accipit in terris, ligata, vel ſoluta maneant in Cælis, non caro, aut ſanguis revelat, ſed Beatiſſimo Petro cæleſtis luminum Pater inſpirat. De illa igitur, quam Deus inhabitat [2], inacceſſibili luce demiſſo divinitus radio tactus, & illuſtratus eſt animus Petri, unde accepit quod ipſe crederet, & quo credentes in Jeſu Chriſto informaret, neque ea ſolum [3] millia credentium inſtrueret, quibus a primo Sancti Spiritus illapſu Eccleſiam fœcundatam accepimus, ſed omnes deinde, qui fuerunt, qui ſunt, eruntque diſcipuli Crucis in omni terra, quò Jeſu Chriſti Evangelium, & Apoſtolicæ vocis ſonus pervaſerit. In univerſa enim Eccleſia quotidie Petrus dicit: TU [4] ES CHRISTUS FILIUS DEI VIVI; & omnis lingua, quæ confitetur Jeſum, magiſterio hujus vocis imbuitur. Quamobrem non de carne, aut ſanguine, ſed de ſpiritu in omni loco Eccleſiæ, quos Deo pariat, concipit filios ad veram, & æternam vitam, quæ eſt, ut cognoſcant [5] Patrem Deum verum, & quem miſit Jeſum Chriſtum. Sed Chriſtum Dominum non revelat caro, & ſanguis, ſed ejus Pater, qui in Cælis eſt. Itaque Eccleſiæ filii in Chriſto facti nova [6] creatura, non ſecundum carnem, quæ non [7] prodeſt quidquam, ſed ſecundum ſpiritum, qui vivificat, vivunt in operibus [8] bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulent.

Hujuſmodi ſex filios non ex ſanguinibus, ſed ex Deo natos hodie proponit Eccleſia & ad exemplum,

& ad

1 *Matth.* 14. 16.
2 *I. Timoth.* 6. 16.
3 *Act.* 11.
4 *Matth.* 14. 16.
5 *Joann.* 17. 3.
6 *II. Corinth.* 5. 17.
7 *Joann.* 6. 64.
8 *Epheſ.* 11. 10.

& ad præſidium. Ab illis ſpirituali unctione perfuſis Sancta Mater abunde habet, quod in oram veſtimenti ejus deſcendat, hoc eſt in ceteros minores filios ſuos vel boni odoris & fragrantiæ ad laudem, vel pinguedinis ad imitationem latiſſime diffundatur. Eos præterea ungit hodie Dominus [1] oleo lætitiæ præ participibus ſuis, cum exultantibus Angelorum choris, & triumphantibus Eccleſiæ concentibus reſpondet veſtibus lætitiæ induta terreſtris filia Sion.

Exultemus & nos, Venerabiles Fratres, dilecti Filii, ſollemnemque diem in conſpectu altaris Domini celebremus. Sed noſtra erit lætitia ſupernis triumphantium choris, & laboranti adhuc in terris Eccleſiæ acceptior, atque jucundior, ſi quod in his Cœlitibus hodie rationabilibus veneramur obſequiis, etiam noſtris actionibus æmulemur. Nos igitur habentes [2] eumdem ſpiritum Fidei, eumdem Patrem Deum, eumdem mediatorem [3] Dei, & hominum Chriſtum Jeſum, qui clamat: ESTOTE [4] PERFECTI SICUT ET PATER VESTER CÆLESTIS PERFECTUS EST: quemadmodum portavimus terreni [5] patris imaginem, portemus nunc & imaginem Patris Cæleſtis: illudque animo defixum habeamus, quod, ut ait Apoſtolus, caro, & ſanguis [6] regnum Dei poſſidere non poſſunt, neque corruptio incorruptelam poſſidebit; ſed ſi ſpiritu facta carnis mortificaverimus [7], vivemus æternam illam vitam, quam hi ſex, quorum celebramus hodie triumphum, ſunt aſſequuti, carnem [8] ſuam crucifigendo cum vitiis, & concupiſcentiis.

Nec ad exemplum tantum hos ſanctos viros nobis proponit Eccleſia, ſed etiam, ut modo dicebamus, ad præſidium; ut qui fuerunt in hac mortali vita communis tribulationis ſocii, ſint etiam noſtri corrogatores auxilii. Nam in magnis, quibus humana conditio coarctatur anguſtiis, ad obtinendam Dei miſericordiam, Chriſtianæ Fidei ſacramentum, & majorum nobis conſignata doctrina prodeſſe nobis tradit ad ſalutem, quæ illi præſtantur legitima obſequia ad honorem. Potens eſt quidem Deus ſalvare populum ſuum, & nullo intercedente de laqueo mortis eruere, atque iis, qui in ærumnarum tenebris jacent, novæ proſperitatis lumen accendere: ſed honorificare gaudet amicos ſuos, ut qui propriis peccatis deprimimur, eorum meritis, & interceſſionibus ſublevemur. Tunc vero Deus Sanctos ſuos magis glorificat, eorumque principatum confortat, cum illi emenſi mortalis vitæ curriculum, ante faciem ejus pro nobis aſſiſtunt viri glorioſi, nequaquam viæ, quam inſtiterunt imme-

1 *Hebr. 1. 9.*
2 *II. Corinth. 4. 13.*
3 *I. Timoth. 2. 5.*
4 *Matth. 5. 48.*
5 *I. Corinth. 15.49.*
6 *Ibid. 5. 50.*
7 *Rom. 8. 13.*
8 *Galat. 5. 24.*

mores, nec comites, quos in ea reliquerunt obliti. Quare ſi propter decem, quos reperiſſet [1] homines juſtos, quinque civitatibus peccatricibus Deus pepercíſſet, & ſi Paulo uni animas donavit eorum, qui cum eo navigabant, ducentas [2] ſeptuaginta quinque, & propter Moyſen ſervum ſuum univerſæ Hebræorum genti veniam tribuit: ET DIXIT [3] UT DISPERDERET EOS; SI NON MOYSES ELECTUS STETISSET IN CONFRACTIONE IN CONSPECTU EJUS, ET AVERTERET IRAM EJUS, NE DISPERDERET EOS: quidni expectemus a Domino miſericordiam in tempore opportuno propter SEX SANCTOS SUOS, qui approximant ad eum, modo levemus manus puras ad Cælum, nec ſinamus vitam noſtram ſordeſcere maculis, dum illos honoramus, quos ad tantam gloriam ſtola provexit, vel perpetuo ſervatæ, vel jugi pœnitentia reparatæ juſtitiæ.

Itaque benedictus es Domine miſericors & miſerator, qui feciſti, ut novos apud te Patronos quæreremus. Reſpice quæſumus Eccleſiam tuam tam multis nunc circumventam periculis: ne diſpergas [4] miſericordiam tuam a nobis propter JOANNEM CANTIUM dilectum tuum, & JOSEPHUM CALASANCTIUM, itidemque JOSEPHUM A CUPERTINO ſervos tuos; & propter HIERONYMUM, SERAPHINUM, & JOANNAM FRANCISCAM electos tuos. Facito, ut per eorum merita novo ſemper ſimili fœtu Eccleſia multiplicetur; & ſicut eos Spiritu Sancto tuo repleviſti, ita de eodem Spiritu repleamur, & Sancti Paracliti gratia roboremur per Jeſum Chriſtum Filium tuum Dominum noſtrum, cui pariter ac tibi, & eidem Sancto Spiritui ſit gloria, honor, adoratio, & imperium in perpetuas æternitates.

Summa animi voluptate, pietate, ac religione omnes, qui in Sacro Conſeſſu aderant BEATISSIMUM PATREM diſſerentem audierunt. Homilia tamen ad finem perducta, Andreas Diaconus Cardinalis Negroni e ſuperiori altaris principis gradu diſcedens, in planitiem Pontificii ſolii venit, & Confeſſionem reverenter emiſit, dicens: *Confiteor &c.*, eo recedente, Sereniſſimus Dux Eboraceenſis Cardinalis Epiſcopus Aſſiſtens Indulgentias a SANCTITATE SUA expoſtulavit his verbis: *Indulgentias*, BEATISSIME PATER: quumque PONTIFEX *conſuetas hujus actionis* reſpondiſſet, ſtatim ad populum converſus eas alta voce hac formula evulgavit.

„ SANCTISSIMUS IN CHRISTO PATER, ET
„ DOMINUS NOSTER, DOMINUS CLEMENS
„ divina providentia PAPA XIII. dat, &
„ concedit omnibus hic præſentibus Indul-
„ gentiam plenariam: viſitantibus autem
„ quotannis ſepulcra SANCTORUM JOANNIS,
„ JOSEPHI CALASANCTII, JOSEPHI A CUPER-
„ TINO, HIERONYMI, SERAPHINI, & JO-
„ ANNÆ FRANCISCÆ, die eorum natalitio
„ ſeptem annorum, & totidem quadrage-
„ narum in forma Eccleſiæ conſueta: roga-
„ te igitur Deum pro felici ſtatu SANCTI-
„ TATIS SUÆ, & Sanctæ Matris Eccleſiæ.

Publi-

1 *Geneſ.* 18. 32. 2 *Act.* 27. 37. 3 *Pſal.* 105. 23. 4 *Pſal.* 88. 34.

Publicata per Sereniſſimum Cardinalem Epiſcopum Aſſiſtentem Indulgentia, BEATISSIMUS PATER, ac DOMINUS NOSTER benedictionem ſacro Conſeſſui, & univerſo populo benigniſſime eſt impertitus: Symbolum deinde præcinuit, quod in pedes erectus cum duobus Diaconis Cardinalibus Aſſiſtentibus ſecreto eſt proſequutus: ſedit deinde uſque dum cantores idem Symbolum abſolverent: quo ad finem perducto, in pedes iterum ſtetit, conſuetis verbis Clerum, ac populum ſalutavit, dicens *Dominus vobiſcum*, Offertorium perlegit, ac denuo in ſolio ſe compoſuit, ut a Poſtulatoribus Oblationes, quæ jam ſupra deſignatis menſis eleganter fuerant diſpoſitæ, exciperet.

Ordo autem in hiſce Oblationibus PATRI SANCTISSIMO præſentandis ſervatus, ſequens fuit. Inter quatuor ſervientes armorum argenteas clavas geſtantes, præcedebat Dominus Joannes Baptiſta Valeriani, & Dominus Joannes Baptiſta Lizzani cæremoniarum Magiſtri e numero participantium: ſequebantur inde duo nobiles aulici Eminentiſſimi Caroli Alberti Guidoboni Cavalchini Epiſcopi Oſtienſis, & Veliterni Sacri Collegii Decani, talari veſte induti, qui ſuppoſita linea mappula, duos magnos cereos ponderis ſexaginta librarum arabice pictos, & auro illitos, effigie S. JOANNIS CANTII, & ſtemmate Pontificio condecoratos deferebant, poſt quos ſtatim ipſe Dominus Cardinalis Cavalchini, cui a ſiniſtris erat Eminentiſſimus Dominus Cardinalis Carolus Rezzonicus Tituli S. Clementis, & S. R. E. Camerarius SANCTISSIMI PATRIS NOSTRI fratris filius, in Procuratorem Canonizationis conſtitutus, veniebat: ſubſequebantur Comes Michael Soltyk Cathedralis Cracovienſis Primicerius, & Comes Mathias Pruſcbi Canonicus Leopolitanus Rector Eccleſiæ S. Stanislai nationis Polonæ in Urbe, quorum primus minorem cereum librarum duodecim eodem pacto pictum, deauratumque, alter caniſtrum auro, ſplendide illitum, cui duæ turtures incluſæ erant præ manibus geſtabant: cum duobus magnis panibus auro, & argento refertis ſtemma Pontificium ex opere anaglypho habentibus nobiles famuli Eminentiſſimi Joſephi Mariæ Feroni Tituli S. Cæciliæ incedebant, quibus proximus erat ipſe Cardinalis Feroni: tum Comites Wenceslaus Sierachoſchi, & Timothæus Gorzenſcbi Canonici Cracovienſes parvum cereum, & columbas duas in argentato caniſtro portabant: tandem Eminentiſſimus Alexander Albani S. Mariæ in Via lata Diaconus Cardinalis ſequebatur, cui præibant nobiles aulici cum doliolis auro, argentoque coopertis, ac demum ultimo loco veniebant Comes Antonius Veniuſcbi Canonicus Poſnanienſis, & R. Antonius Zolegioſchi Canonicus Cracovienſis, & Cauſſæ S. JOANNIS CANTII Poſtulator: primus parvum gerebat cereum, alter caniſtrum incluſas habens varii generis aviculas.

Cum ſervientes armorum ad imum ſolii Pontificii gradum perveniſſent, relicto ante ipſum PONTIFICEM congruo intervallo levorſum, deſtrorſumque æque partiti in genua ſe projecerunt: Cardinales Cavalchini, & Rezzonico reverenter PATREM BEATISSIMUM venerantes, ad ejus dexteram venerunt, tum Eminentiſſimus Cavalchini primum ſuper magnos cereos, quos ejus nobiles aulici attulerant oſcula figens, eoſdem PONTIFICI MAXIMO, qui manum dexteram ſuper eis apponebat veneratione ſumma obtulit, deinde manum, & genu illius pari obſequio oſculatus, ad propriam ſedem ſtatim eſt reverſus. Cardinalis Rezzonicus penes PONTIFICEM conſtitit, ut tamquam Canonizationis Procurator cereos minores, & caniſtra eidem offerret; tum eadem methodo, eiſdemque cæremoniis Cardinales Feroni, & Albani panes, & doliola exhibuere, & propria ſibi conſtituta loca denuo occuparunt: qui autem Oblationes detulerant, antequam e ſolio diſcederent, debito cultu, & obſequio SANCTITATIS SUÆ pedem ſunt deoſculati.

Ad alteram Oblationem pro S. JOSEPHO CALASANCTIO, quam direxit Canonicus Franciſcus Manganoni alter cæremoniarum Magiſter, fuere ſelecti Eminentiſſimi Cardinales Fridericus Marcellus Lantes Epiſcopus Portuenſis, ac S. Rufinæ, Fr. Laurentius Gan-

Ganganelli Tituli SS. XII. Apoſtolorum Presbyter, & Nereus Corſini Diaconus S. Euſtachii; Reverendiſſimus Pater Joſeph Maria Giuria a S. Joanne Baptiſta Præpoſitus generalis Scholarum piarum, Pater Leonardus Targioni a Conceptione, Pater Ildephonſus Tarditi a S. Carolo, Pater Antonius Sini a Conceptione, Pater Jonas Hulini a S. Thoma Aquinate Aſſiſtentes generales, & P. Cajetanus Davini a S. Agnete Procurator generalis, & Cauſſæ S. JOSEPHI CALASANCTII Poſtulator.

Tertiam S. JOSEPHI A CUPERTINO, præeunte Domino Luca Verdiani Baſilicæ Vaticanæ Beneficiato pariter cæremoniarum Magiſtro, attulerunt Eminentiſſimi Cardinales Joannes Franciſcus Albani Epiſcopus Sabinenſis, Marcus Antonius Columna Tituli S. Mariæ de Pace Presbyter, & Flavius Chiſius S. Mariæ in Porticu Diaconus; Reverendiſſimus Pater Fr. Dominicus Andreas Roſſi Miniſter generalis Ordinis Minorum Conventualium S. Franciſci, Pater Fr. Hyacinthus Barberius Procurator generalis, Pater Fr. Michael Angelus Angelini cœnobii SS. XII. Apoſtolorum Guardianus, Pater Fr. Aloyſius Marroni Socius Ordinis, & Aſſiſtens generalis, Pater Fr. Dominicus Peſcatori Ordinis a Secretis, & generalis Aſſiſtens, & Pater Fr. Seraphinus Pagni Cauſſæ S. JOSEPHI A CUPERTINO Poſtulator.

Pro S. HIERONYMO ÆMILIANO quartam Oblationem, aſſiſtente D. Alexandro Mariani cæremoniarum Magiſtro ſupranumerum, peregerunt Sereniſſimus, & Eminentiſſimus Dominus Benedictus Maria Clemens Cardinalis Dux Eboracenſis Epiſcopus Tuſculanus, & Eminentiſſimi Cardinales Joannes Carolus Boſchi Tituli SS. Joannis, & Pauli Presbyter Major Pænitentiarius, & Aloyſius Torregiani Diaconus S. Agathæ Gothorum: Reverendiſſimi Patres D. Antonius Paniza Præpoſitus generalis Congregationis Somaſchæ, & D. Joannes Petrus Riva Cauſſæ S. HIERONYMI ÆMILIANI Poſtulator, & Procurator generalis, & admodum Reverendi Patres D. Joannes Franciſcus Nicolai Præpoſitus SS. Nicolai, & Blaſii ad Ceſarinos, & D. Antonius de Lugo Rector collegii Clementini, & Reverendiſſimi Patres D. Joſeph Bettoni Sacrorum Rituum Congregationis Conſultor, & D. Marcus Antonius de Comitibus Indulgentiarum, & ſacrarum Reliquiarum Congregationis Conſultor.

Præeunte D. Marcello Amici altero cæremoniarum Magiſtro ſupranumerum quintam Oblationem pro S. SERAPHINO AB ASCULO, ſeu A MONTE GRANARIO aſportarunt Eminentiſſimi Cardinales Fabritius Serbellonus Epiſcopus Albanenſis, Ludovicus Calini Tituli S. Anaſtaſiæ Presbyter, & Andreas Corſini S. Angeli in Foro piſcium Diaconus, & Reverendiſſimi Patres Fr. Joſeph Maria a Savorniano Vicarius generalis Ordinis Minorum Capuccinorum Sancti Franciſci, Fr. Amatus de Lambal, Fr. Bernardinus a Mutina, Fr. Philippus a Civitate Nova, Fr. Gherardus de Radceſpurgo Definitores generales, & Admodum Reverendus Pater Fr. Nicolaus a Lagonegro Cauſſæ S. SERAPHINI Poſtulator.

In ſexta pro S. JOANNA FRANCISCA FREMIOT DE CHANTAL, rem omnem dirigente D. Joſepho Dini cœremoniarum Magiſtro ſupranumerum SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI a cubiculo honoris, & Congregationis Cœremonialis a Secretis, adfuerunt Eminentiſſimi Cardinales Joannes Franciſcus Stuppanius Epiſcopus Præneſtinus, Antonius Branciforte Tituli S. Mariæ in Via Presbyter, & Benedictus Veterani SS. Coſmæ, & Damiani Diaconus, & Reverendiſſimus Pater Fauſtus Marone Scholarum piarum Cauſſæ S. JOANNÆ FRANCISCÆ Poſtulator, & Congregationis Sacrorum Rituum Conſultor, & Reverendus Dominus Joſeph Milliery, Eques Cæſar Maſſa Saluzzo, Dominus Jacobus Reineri, Comes Lupi, & Eques Ambroſius Piccardi, qui ad hoc munus fuerunt ſelecti utpote ex Pedemontana natione.

Oblationibus perceptis BEATISSIMUS DOMINUS NOSTER manus lavit, ac ad altare proceſſit, ut ſacra myſteria conficeret: Pace data, ex altari iterum deſcendens, in ſolio ſe compoſuit, ut communionem ſollemni, & peculiari Pontificis Romani ritu ſumeret.

Sa-

Sacro deinde in altari expleto, & benedictione populo elargita, pallium ſuper ipſum altare depoſuit, ac in geſtatoria ſella conſedit: tunc Sereniſsimus, & Eminentiſsimus Cardinalis Dux Eboracenſis Vaticanæ Baſilicæ Archipresbyter cum Reverendiſsimis Dominis Jacobo Vettori, & Marco Antonio Marcolini Canonicis, & ſacrario Baſilicæ Præfectis in marſupio ex textili aureo ſecundum antiquam receptam conſuetudinem quinque & viginti denarios ſigno veterum Pontificum impreſſos in Presbyterium his verbis obtulit: BEATISSIME PATER, *Capitulum, & Canonici hujus ſacroſanctæ Baſilicæ* SANCTITATI VESTRÆ *conſuetum offerunt Presbyterium pro Miſſa bene cantata*.

Poſt hæc SANCTISSIMUS PATER, præeuntibus Eminentiſſimis Cardinalibus, qui ſacras depoſuerant veſtes, rubeiſque ſeſe induerant cappis, ſella geſtatoria vectus, ad ſacellum Pietatis venit, in quo ſacris ſe exuit indumentis. Tunc Eminentiſſimus Dominus Carolus Albertus Guidobonus Cavalchini Epiſcopus Oſtienſis, & Veliternus Sacri Collegii Decanus, ipſius Sacri Collegii nomine, quia anniverſaria recurrebat dies, qua PONTIFEX BEATISSIMUS ſacra fuerat thiara redimitus, ad bonum, & felicitatem totius Chriſtianæ Reipublicæ, neſtoreos annos, ſalutem, incolumitatemque eidem precatus eſt.

Remanet igitur, ut nos etiam donorum omnium chariſmata SUMMO PRINCIPI, ET ECCLESIÆ PASTORI in ſecula apprecemur, & ingentes, maximaſque gratias Deo Patri per Filium ejus Redemptorem noſtrum Jeſu agamus, quia noviſſimis hiſce diebus, quibus multorum caritas refrigeſcit, in novis SANCTIS JOANNE CANTIO, JOSEPHO CALASANCTIO, JOSEPHO A CUPERTINO, HIERONYMO ÆMILIANO, SERAPHINO AB ASCULO, ſeu A MONTE GRANARIO, & JOANNA FRANCISCA FREMIOT DE CHANTAL illuſtria nobis dedit ad imitandum exempla virtutum, & per rectam mandatorum Dei ſemitam incedentes, non ſolum eorumdem Sanctorum virtutes in nos exprimere, verum etiam rationabile obſequium per orationes, & preces eiſdem continuo exhibere curemus, ut in hujuſce mortalis vitæ graviſſimis tempeſtatibus ipſorum opem, & patrocinium præſens experiamur: etenim ut S. Leonis Magni [1] verbis utar: ſicut, & nos experti ſumus, & noſtri probavere majores, credimus, atque confidimus inter omnes labores iſtius vitæ, ad obtinendam miſericordiam Dei, ſemper nos ſpecialium patronorum orationibus adjuvandos, ut quantum propriis peccatis deprimimur, tantum eorumdem meritis erigamur.

LITE-

1 *Serm.* 80.

LITERÆ DECRETALES
SUPER
CANONIZATIONE
B. JOANNIS CANTII

Presbyteri Secularis, & in Univerſitate Academiæ Cracovienſis Sacræ Theologiæ Doctoris, & Profeſſoris.

CLEMENS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

ECcleſiam ſuam Deus veluti munitiſſimam quamdam arcem ita inſtruxit, ut mille clypei pendeant ex ea, omnis armatura fortium; clypei autem, atque arma ejuſmodi ſunt zelus, & ſcientia Doctorum, qui ſanam doctrinam, vel e cathedra, vel e ſuggeſtu tradendam ſuſcipiunt, eamdemque, ut facile in animos influat, integritate morum, & vitæ ſanctitate commendant. Nimirum ad Eccleſiam tuendam, ne portæ inferi prævaleant adverſus eam, neque doctrina ſatis habet auctoritatis ſine ſanctitate, & ſanctitas majus habet roboris cum doctrina conjuncta. Samaritanis impedire conantibus ne Iſraelitæ reduces e captivitate Hieroſolymæ disjecta mœnia reficerent, ii, quibus inſtauratio commiſſa erat, una manu faciebant opus, altera tenebant gladium: atque hos quidem imitati ſunt quovis tempore, & quotidie imitantur egregii Doctores, quos ſubinde Deus excitat, in iis præſertim regionibus, quæ ab Eccleſiæ hoſtibus, cujuſmodi ſunt hæretici, atquæ ſchiſmatici, tamquam a Samaritis quibuſdam Hieroſolymæ infenſis, & contumaciter adverſantibus circumvallantur. Porro inter ejuſmodi egregios viros doctrina, & ſanctitate præſtantes, qui facerent ſimul, & docerent, atque Orthodoxam fidem ab hiſce adverſariis nequiſſimis oppugnatam defenderent, dignum certe qui numeretur in paucis BEATUM JOANNEM CANTIUM fuiſſe nemo ambiget, qui eumdem noverit in Cracovienſi academia puriſſimo hauſtam e fonte ſcientiam tradidiſſe, quum per ea tempora in aliis non longe diſſitis regionibus hæreſes, & ſchiſmata graſſarentur: & ſanctiorem morum diſciplinam, quam concionando e ſuggeſtu explicare populo ſatagebat, humilitate, caſtimonia, miſericordia, corporis afflictatione, ceteriſque integerrimi Sacerdotis, & ſtrenui operarii virtutibus confirmaſſe. Itaque non modo illius academiæ Profeſſoribus ornamentum, ac decus addidit ſingulare, ſed exemplum etiam mirifice profuturum reliquit ceteris omnibus, qui in ſimili munere verſantur, ut perfecti doctoris obire munus impigre ſtudeant, & ſcientiam Sanctorum ſimul cum aliis facultatibus, quæ velut ancillæ illi ſubſerviant, ad unius Dei laudem, & gloriam docere omni ſtudio, atque ope nitantur. Ipſe interea BEATUS JOANNES decoratam olim ſuis virtutibus academiam propitius ab alto reſpicere nunquam deſinet, & inclytam nationem ſuam Orthodoxæ Romanæ Fidei non modo cultricem egregiam, ſed validam etiam propugnatricem perenni ſuo patrocinio fovebit, ac proteget. Quocirca cum BEATUS JOANNES CANTIUS ſcientiæ ſtudium ad unius

Dei

Dei laudem, & gloriam referens, lucerna extiterit in Eccleſia Dei ardens, & lucens nec minus editis poſt mortem miraculis, quam in vita virtutibus coruſcaverit; nos proinde, poſt eam, quam rei gravitas poſtulabat, accuratam, ac diuturnam virtutum, & miraculorum diſcuſſionem, adhibitis in conſilium Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, nec non Patriarchis, plurimiſque Archiepiſcopis, & Epiſcopis in Urbe congregatis, atque in primis Patre luminum pie, atque humiliter invocato, eumdem Beatum Joannem Sanctorum in numerum referendum, atque in Eccleſia Dei venerandum, & colendum eſſe decernimus, definimus, & declaramus.

In Oppido Kentii Cracovienſis Diœceſis Beatus Joannes Cantius ex illuſtribus conſulari genere, & chriſtiana pietate parentibus natus eſt die Junii xxiv. anno ſupra milleſimum tercenteſimo nonageſimo ſeptimo, ſedulam educationem cum indole egregia conjunctam ſecuta eſt, ut aſſolet, innocentia ſingularis, atque ea morum gravitas, ut virum quodammodo in puero mirari liceret. Artibus iis, quibus pueritia ad humanitatem informari ſolet, ſatis excultus, ad Cracovienſem academiam, non ita pridem fundatam, miſſus eſt, ut philoſophicas, ac theologicas facultates addiſceret. Et quidem in iis ingenii acumine, & laboris patientia præ ceteris tantum profecit, ut in Philoſophia eximium honoris gradum, in Theologia doctoris, non lauream modo, ſed munus etiam aſſequeretur. Id autem munus, & ex cathedra, & e ſacris roſtris ita obibat, ut auditorum animis cum pura, ſinceraque doctrina ſtudium pietatis, & religionis inſereret. Atque hæc quidem doctrinæ ſinceritas Romanæ Eccleſiæ plane conſentiens, eo pluris facienda erat, quod per ea tempora præſentiſſimum veluti pharmacum erat adverſus errorum, atque hereſum luem, quæ Hollandiæ, Brittanniæ, & Germaniæ ſcholas infecerat. Porro tantæ illius, tum doctrinæ, tum vitæ integritas præclaro ſigno divinitus oſtenſa eſt. Quum enim exorto Cracoviæ incendio flammæ in immenſum excreſcentes ita ferperent, ut univerſa mox civitas abſumenda videretur, effuſus in preces Joannes, quandoquidem in humana vi ſpes nulla jam erat, virum ſibi maturum ævo, aſpectu venerandum, Sanctum Stanislaum Cracovienſem Epiſcopum eſſe opinio fuit, adſtantem vidit, ex eoque intellexit, incendium ultra non proceſſurum: ceterum moneret cives, ut a flagitiis deſiſterent: ſi ſecus ſaxint pœnas imminere longe graviores. Verum, cum cives prædictionis immemores, ad ingenium, & priſtinos mores rediiſſent, excitatum rurſus incendium civitatem magna ex parte conſumpſit. Sacris Myſteriis quotidie Joannes tanto animi ardore, atque inde emicante pietatis ſpecie operari ſolebat, ut iis, qui aderant, ſummam erga rem divinam venerationem ingereret. Quod quum adverſarius humani generis ferre non poſſet, quadam die hirundinis aſſumpta ſpecie, templum circumvolitans adſtantium mentes turbare, atque alio avertere conabatur. Itaque, ut omnes viderent quod divinitus ipſe noverat apprehenſam avem ad terram allidit. Ibi autem illa in colubrum verſa horrifico ſybilo ex oculis confeſtim ſeſe ſubduxit. Religioni, qua res divinas tractabat, humilitas adjuncta erat, qua ſibi vileſcens, nemini unquam, tametſi ſcientia omnium facile princeps, præferebat ſeſe, quin etiam ſperni ſe ab omnibus, ac deſpici optabat; tantum aberat, ut obtrectantes ſibi, quod aliquando evenit, ſuique contemptores parum æquo animo ferret. Quæ cauſſa etiam fuit, cur delatos ſibi honores declinaturus, vilis, atque egeni hominis habitu, longas pedeſtri ſemper itinere, ſemel ad ſancta Palæſtinæ loca, quater ad ſancta Apoſtolorum limina peregrinationes ſuſciperet. Humilitatis comes erat rara quædam, ac puero digna ſimplicitas: itaque in factis ejus, ac dictis nihil ſubdolum, nihil fictum: quod clauſum habebat in pectore, hoc in lingua promptum habebat. Hujus autem eximiæ ſinceritatis, quam nemo non noſſet, illud ſane ſpecimen fuit plane admirandum. In latrones inciderat, qui poſt

 ereptam

ereptam, quam in erumena gerebat peeuniam, num quæ alia ſupereſſet, interrogarunt. Negat ipſe quidquam reliqui eſſe: at mox reminiſeens aureos quoſdam in veſte ſubſutos habere, revoeatis latronibus, illos etiam, qui animo exeiderant, offerebat. Tam inuſitata ſineeritas perditorum quoque animos flexit. Itaque obſtupeſacti peeunia, quam abſtulerant, ſtatim reddita, veniam ſceleris poſeunt, illius ſe precibus commendant, utrumque ſacile impetrant a ſancto viro.

Parœciam ſibi delatam aliquandiu diligentiſſime adminiſtravit; ſed quamvis Paſtoris quæ ſunt officia ſedulo expleret, pro ea qua erat metieuloſa eonſcientia, ratus negotium eſſe periculi plenum, dimiſit, & conſuetum in eollegio docendi munus repetere tutius exiſtimavit. Abſtinentiæ deditus, poſt adeptam Theologiæ lauream, carnes nunquam eomedit. Cæterum eibus illi parciſſimus, erebra jejunia, flagrorum frequens, perpetuus eilicii uſus, ſomnus brevis admodum nuda ſuper humo, in ſenectute dumtaxat urſina pelle ſubſtrata. Caſtitatem proinde, tum animi, tum corporis illibatam ſervavit; illiuſque argumentum item & præmium fuit candidum ſertum, quo illum Deipara Virgo eum puero Jeſu ſeſe conſpieiendam exhibens, tanquam eximium clientem ſuum decoravit. A peccato abhorruit quam qui maxime. Leves noxas ita deflebat, ut gravium reus eriminum videretur. Si quam ſorte e verbis ſuis, dum vera loquitur, ortam in aliis offenſionem ſuſpicaretur, antequam ad aram aeeederet, ſupplex veniam, non tam ſui, quam alieni erroris petebat, quum eontra, quæ ſibi ab aliis ingerebantur eonvicia, & probra, æquo, & miti animo ferret. Jamvero miſericordiæ in proximos nullum ferme officium fuit, quod non amantiſſime obiret. Afflictos in ſpem erigere, mœrentes alloquio ſolari, peregrinos excipere, eareeribus incluſos viſitare, pauperes quotannis coemptis veſtibus operire ſollemni illi erat, ita quidem, ut oecurrenti per viam mendico, qui nudis pedibus incedebat, detraheret ſibi ealeeos, ut nuditatem illius operiret, ſuam ipſe interea eontegens pallio tamdiu dum ſe domum reeiperet. Die naſcenti Domino ſacra, dum ad Eeeleſiam pergit, pauperem nactus ſuper nive rigentem gelu, lamentabili ſubſidium poſcentis voce commotus, ſua illum veſte contexit, quam tamen mox domum reverſus ſuo in eubieulo divinitus reperit. Ex hae JOANNIS in pauperes caritate, in Craeovienſe collegium pia & laudabilis, quæ ad hane uſque diem manet eonſuetudo, inducta eſt, ut illius Profeſſores unum aliquem quotidie pauperem eommuni ſecum prandio adhiberent, perinde quaſi in illius perſona Chriſtum ipſum convivam habeant. Hanc autem tam egregiam animi affectionem, qua pius Sacerdos nullam proximorum ealamitatem alienam ab ſe putabat, inſigni miraeulo Deus eomprobavit. Quum enim ancilla quædam ob ſitulam, quam lacte plenam gerebat, lapſam e manibus, & eonfractam gemeret, quod heræ objurgationes timeret, JOANNES miſeratione ductus, collectis fragmentis, & coagmentatis, priſtinæ integritati reddidit, fuſis ad Deum preeibus, iiſdemque mox aquam, qua ſitulam impleri juſſit, in lae eommutavit.

Chriſtum Dominum pro ſalute noſtra tam dira atque infanda perpeſſum, & meditabatur aſſidue, & flagrantiſſime redamabat: quem quidem amorem, ut ſimul ineenderet, & expleret, ad memoranda Chriſti tormentis loca Hieroſolymam pedibus iter ſuſcepit. Ibi autem diei vix poteſt, quam reverenter, quam pie, quam ardenter, non ſine gemitu, & lacrymis monumenta Servatoris noſtri maxime inſignia perluſtraret. Nec vero tenere ſe potuit, quin Turearum impietatem, ae perfidiam argueret, & Chriſtianæ Religionis veritatem liberrime prædiearet; præelare ſecum agi exiſtimans, ſi ob eam rem vitam, quod maxime optabat, profundere contigiſſet. Ante imagioem Crucifixi Domini ipſas prope noctes orando inſumebat, atque in longas non ſemel ecſtaſes rapiebatur. Per diem vero, poſtquam ſuo munere perfunctus eſſet, e lyeeo ſtatim re-

cta

ďta in templum, ubi ante Chriſtum in Euchariſtia latentem contemplationes, ac preces diu protrahebat. Omnino unus in corde, unus in ore Deus erat. Hunc autem pium animi ardorem ut ſoveret in dies, atque augeret, cum ſanďtis quibuſdam viris, qui per id tempus virtute florebant, verſari, & colloqui geſtiebat, & quæ in illis ſumma erant ſuſpiciens æmulabatur.

Sed ſatis jam in vinea Domini operarius impiger laboraverat. Tempus aderat mercedis accipiendæ: itaque e languore corporis præſentiens JOANNES mortem haud procul abeſſe, in eo totus fuit, ut ad felicem ſe exitum compararet, ac primum miſericordia in pauperes, in quos quidquid domi ſupererat, erogavit; divinam ſibi miſericordiam magis magiſque conciliavit, tum Confeſſione ſacramentali, ſi quæ erant conſcientiæ labes abſterſit, & ſanďtiſſimo Chriſti corpore refeďtus leďto decubuit. Ingraveſcens morbus, non metum, ſed ſpem afferebat. Nihil enim optabat magis, quam ut quantocius ab exilio migraret ad patriam. Divino tandem viatico roboratus, poſt ſalutaria monita, quibus collegas ad omnia chriſtianæ virtutis, ac præcipue caritatis officia inflammavit, ad quos anhelabat, Chriſti Jeſu amplexus feliciter evolavit die XXIV. Decembris anno reparatæ ſalutis MCCCCLXXIII. cum annum ageret ſeptuageſimum ſextum.

Sanďti viri corpus cives Cracovienſes ad Eccleſiam delatum magno æque mœrore, atque honore ſunt proſequuti, ac tum præſertim, quum illius ſanďtitas, tametſi ſatis perſpeďta, clarius cœpit miraculis explendeſcere. Veneratio præterea major acceſſit ex odore quodam ſuaviſſimo, quem centum triginta poſt annos a beato ejuſdem obitu, recluſa urna ſepulcrali efflavit, cujus rei teſtes fide digni extiterunt. Porro purpuream CANTII veſtem, Reverendam vocant, religioſe aſſervatam, induere ſolet quiſquis Philoſophiæ recens Decanus, ſollemne dicit jusjurandum, ut unacum veſte videlicet tanti olim magiſtri, mores quoquo modo, & virtutem induat.

Percrebeſcens de ſanďtitate, & miraculis fama Epiſcopum Cracovienſem impulit, ut Proceſſum de utriſque conficeret, eoque rite diſcuſſo, fa. me. Urbanus PP. VIII. Prædeceſſor noſter negotium commiſit Congregationi Sacrorum Rituum, illud præcipiens, ut, omiſſa generali, ſpecialem dumtaxat quæſtionem inſtitueret, quod cum ſaďtum non eſſet, Cauſſa ſiluit ad annum uſque MDCLXVI., quo tandem ſel. record. Alexandri PP. VII. etiam Prædeceſſoris noſtri juſſu, prævio Rituum Congregationis conſilio, Cauſſa iterum traďtari cœpit, ſed propter edita diďti Urbani Prædeceſſoris decreta, neceſſe fuit expediri litteras remiſſoriales ad conficiendum Proceſſum ſuper cultu immemorabili BEATI VIRI, per quem videlicet ab Urbani decretis fieret exceptio. Hujuſmodi autem cultus approbatio in eadem Congregatione prodiit die XX. Maji MDCLXXVI.. Expeditis ſubinde novis litteris remiſſorialibus pro inſtituenda quæſtione ſpeciali, inter hæc Prædeceſſor quoque noſter ven. me. Innocentius XI. die XXVII. Septembris anni MDCLXXX. Poloniæ Regis votis indulſit, ut anniverſaria die B. JOANNIS Officium, & Miſſa ſub ritu duplici in urbe Cracoviæ, atque in univerſo Poloniæ Regno recitari, ac celebrari poſſet: quæ tamen B. JOANNIS veneranda memoria per Sacrorum Rituum Congregationem paullo poſt juſtis de cauſſis tranſlata fuit ad diem XIX. Oďtobris. Sub hæc abſoluto Proceſſu ſpecialis inquiſitionis, validoque comperto, quum ſcripta quædam in Proceſſu compulſata BEATO JOANNI CANTIO falſo tribuerentur, eadem Rituum Congregatio declaravit die XVII. Septembris MDCCXXX., non conſtare, quod opera in Proceſſu Apoſtolico compulſata BEATO attributa, eſſent ipſius BEATI; ideo procedi poſſe ad ulteriora. Die poſtea IV. Julii MDCCXXXIII. eadem Congregatio virtutum heroicarum excellentiam aſſeruit, atque approbavit.

Inter hæc BEATUS JOANNES eleďtus fuit in Compatronum principalem Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Lithuaniæ, eamque eleďtionem ipſa Rituum Congregatio ratam

habuit die XVI. Februarii MDCCXXXVII. conceſſo præterea Officio ſub ritu duplici primæ claſſis cum octava, ac die XXXI. Martii MDCCXXXIX. oratione, & lectionibus propriis ſecundi nocturni de eodem probatis.

Porro ventum eſt ad examen duorum miraculorum, quæ B. JOANNIS interceſſione divinitus patrata ferebantur, & primum quidem illa in Generali Congregatione die III. menſis Auguſti anni MDCCXLV. coram fel. record. Benedicto XIV., deinde in particulari coram nobis die XXII. Aprilis ſuperioris anni perpenſa fuere: & quamvis omnium ſuffragantium vota in affirmantem ſententiam convenirent; nihil tamen nobis ſtatuendum viſum fuit, donec ſuper aliis miraculis coram nobis in ſimili Generali Congregatione examinandis communes animi ſenſus percepiſſemus. Quum igitur die II. menſis Decembris ejuſdem anni MDCCLXVI. ſuper novis miraculis ſimilis Generalis Congregatio coram nobis coacta fuiſſet, quamquam cunctis ſuffragiis digna omnino viſa eſſent, quæ probarentur, nihilominus ad divinam implorandam opem, & ſupernæ gratiæ lumen, eorum approbationem ad Kalendas Januarii menſis proxime elapſi diſtulimus. Quæ quidem dies Circumciſioni Dominicæ, & auguſtiſſimo Jeſu nomini conſecrata ad eam rem maxime opportuna videbatur. Quatuor autem ex propoſitis miraculis in tertio genere probavimus, & hæc ſunt.

Primum, inſtantanea ſanatio pueri Sebaſtiani Luzark a tranſmiſſa vitio parentum & confirmata phthiſi. Alterum, ſubita ſanatio puellæ Heduigis Paskowna ab acuta febri cum integra, atque abſoluta virium inſtauratione. Tertium, impetrata momento temporis ſanatio Mariæ Gawlikæ ob gravem pernicioſam febrem in extremum vitæ diſcrimen adductæ. Quartum, ſubita, & perfecta ſanatio Antonii Olexowic a grandi, & profundo ulcere, quod a jugulo ad fauces uſque perductum, præter tendines, & majora vaſa, nihil intactum reliquerat, & fœtidiſſima ſanie ſcatebat cum dejectione alimentorum e parte gutturis perforata. His autem accedit unum in ſecundo genere; ejuſmodi eſt: mercium in flumen Sola prolapſarum, & procul aquarum impetu, & vi raptarum, ad locum, ubi demerſæ fuerant, adverſo flumine regreſſus.

Quæ cum ita ſe haberent, nos, fuſis ad Deum precibus, ut menti noſtræ neceſſaria ab eo lux affulgeret, tandem die II. Februarii vertentis anni, quæ dies Purificatæ Virgini Deiparæ ſacra eſt, decretum Canonizationis BEATI JOANNIS CANTII quandocumque peragendæ pronunciavimus.

Cumque alias Chriſtiani Principes, quamplureſque Epiſcopi, & Poloniæ Regni Proceres BEATI JOANNIS Canonizationem peroptantes, communibus votis, & poſtulationibus apud Prædeceſſores noſtros inſtitiſſent, atque etiamnum apud nos cariſſimus in Chriſto filius noſter Stanislaus Auguſtus Poloniæ Rex Illuſtris, & dilecti quoque filii ejuſdem Regni Magnates, præſertim Eccleſiaſtici, Cracovienſis Senatus, & Academiæ ejuſdem civitatis Collegæ omnes, & Profeſſores iteratis precibus inſtarent, ut ultimam denique ſententiam ferremus ſuper tantopere optata beati viri Canonizatione; ut more, inſtitutoque Prædeceſſorum noſtrorum tanti momenti rem pararemus, univerſi primum collegii eorumdem Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium in Conſiſtorio ſecreto die XXVII. Aprilis proxime elapſi coram nobis congregatorum conſilium audiendum duximus: iiſque poſtquam de ſerie totius Cauſſæ ad plenum inſtructi fuerant, adhortantibus nos ad illius abſolutionem, nedum probantibus, nihil amplius cunctandum rati, Venerabiles Fratres, Archiepiſcopos, & Epiſcopos, non modo propinquiores, ſed remotiores etiam per Italiam degentes, ad Urbem convocandos curavimus, ut nobis de BEATI JOANNIS CANTII, necnon BEATORUM JOSEPHI CALASANCTII A MATRE DEI, JOSEPHI A CUPERTINO, HIERONYMI ÆMILIANI, SERAPHINI A MONTE GRANARIO AB ASCULO denominati, & JOANNÆ FRANCISCÆ FREMIOT

DE

de Chantal ſollemni Canonizatione, quam ſibi Deus inſpiraſſet, ſententiam declararent.

Præterea, ut eximiæ Beati Joannis virtutes, & probata miracula, nec non in totius Cauſſæ diſcuſſione adhibitæ cautiones notæ omnibus fierent, narrationem illarum ex authenticis documentis hauſtam, & diligenter in compendium redactam, typiſque vulgatam Patribus omnibus ſuffragaturis exhiberi mandavimus. Mox indicto coram nobis Conſiſtorio publico die vii. Maji vertentis anni, & adſtante univerſo Eccleſiaſticorum ordinum, & collegiorum cœtu, præcepimus, ut dilectus filius Alexander Litta noſtræ conſiſtorialis aulæ Advocatus virtutes, & miracula Beati Joannis oretenus palam exponeret. Demum convocatis die prima Junii proxime præteriti in Conſiſtorio ſemipublico eiſdem S.R.E. Cardinalibus, necnon Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, qui in Urbe convenerant, ab iis quæſivimus, an ad Beati Joannis Cantii Canonizationem deveniri poſſe cenſerent. Ipſi tunc ſumma animorum conſenſione, pluribus, gravibuſque rationibus in affirmativam ſententiam ire comperti ſunt. Quocirca a dilectis quoque filiis Apoſtolicæ Sedis Notariis publica inſtrumenta confici, & ſuffragiorum ipſorum exempla a ſingulis ſubſcripta in tabularium Eccleſiæ Romanæ inferri mandavimus.

Ut autem a Deo Optimo Maximo, quid ei placitum eſſet dilucide agnoſceremus, publicas quoque orationes, & dies generalis jejunii per Urbem indiximus, & tres Patriarchales Baſilicas deſignavimus, in quibus Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum publice fidelium adorationi per triduum exponi juſſimus, omnes hortando, ut poſtquam ſacramentali Confeſſione expiati, & Chriſti corpore refecti fuiſſent, in una ſaltem ex dictis Baſilicis Omnipotentem Deum ad impetrandum nobis ſpiritum ſapientiæ, & intellectus, quo duce, manifeſta fieret illius voluntas, nobiſcum precarentur, indulgentia ad id plenaria, & peccatorum remiſſione conceſſa. Nos quoque ipſi, præter eas, quas privatim fuderamus aſſiduas, & plenas humilis fiduciæ preces, publicas quoque in tribus deſignatis Baſilicis addendas curavimus, in quo quidem non ſine tenero quodam pietatis ſenſu, atque animi noſtri in Domino exultatione ſpectavimus, quanta eſſet Romani hujus populi religio, ac pietas, cum ex omni conditione, atque ordine ad eaſdem Baſilicas conveniſſent, ac ſua de ſollemniori cultu Beatis decernendo, vel tacentes, præfervida vota depromerent.

Demum hac die ſacra Beatiſſimæ Virgini Mariæ de Monte Carmelo, qua die Coronationis noſtræ annua redeunt ſollemnia, in Baſilica Principis Apoſtolorum ſplendide, & magnifice ornata, ad quam, ſervata ſupplicationis publicæ forma, nos præceſſerunt omnes Cleri ſecularis, & regularis Ordines, & Miniſtrorum Romanæ Curiæ Collegia, una cum Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, necnon Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis; priuſquam immaculatam Hoſtiam ſollemni novæ legis ſacrificio Omnipotenti Deo offerremus; inſtante iterum, iterumque dilecto filio noſtro Carolo Tituli Sancti Clementis S. R. E. Presbytero Cardinali Rezzonico nuncupato ejuſdem S. R. E. Camerario, ad Canonizationem impetrandam Procuratore conſtituto; decantatis ſacris Eccleſiæ precibus, ut Deiparæ Virginis, Angelorum, & Sanctorum omnium cum Chriſto regnantium intereeſſione, divinam opem imploraremus, ac Paraclyto Spiritu cum gemitibus, ut adeſſet invocato, ad honorem Sanctæ, & Individuæ Trinitatis, ad exaltationem Fideî Catholicæ, & Chriſtianæ Religionis augmentum, auctoritate Domini Noſtri Jeſu Chriſti, Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & Apoſtolicæ auctoritatis plenitudine, ac de Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in Urbe exiſtentium conſilio, & aſſenſu, ipſum Beatum Joannem Cantium Sacerdotem ſecularem unacum Beatis Joſepho Calasanctio a

Ma-

MATRE DEI, JOSEPHO A CUPERTINO, HIERONYMO ÆMILIANI, SERAPHINO A MONTE GRANARIO AB ASCULO denominato, & JOANNA FRANCISCA FREMIOT DE CHANTAL; Sanctum eſſe decrevimus, definivimus, ac Sanctorum catalogo adſcripſimus, illumque ab univerſis Chriſtifidelibus, tamquam vere Sanctum, religioſo cultu honorari mandavimus, prout etiam tenore præſentium definimus, decernimus, & declaramus: ſtatuentes, & concedentes, ut ab univerſali Eccleſia in ejus honorem Eccleſiæ, & altaria, in quibus Sacrificia Deo offerantur ædificari, & conſecrari, & ſingulis annis præſcripta die XIX. menſis Octobris ipſius SANCTI JOANNIS CANTII inter Sanctos confeſſores ab Eccleſia memoria recoli poſſit. Eademque auctoritate omnibus chriſtifidelibus, qui eadem die annis ſingulis ad ſepulcrum, in quo corpus ejuſdem SANCTI JOANNIS requieſcit, viſitandum acceſſerint, perpetuo ſeptem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis pœnitentiis miſericorditer in Domino in forma Eccleſiæ conſueta relaxamus.

Sub hæc Æternum Patrem, Regemque gloriæ Chriſtum Dominum Patris ſempiterni Filium, & Sanctum Paraclytum Spiritum, unum Deum, ac Dominum cum debita gratiarum actione venerati, omnibuſque Chriſtifidelibus ibi præſentibus plenaria peccatorum remiſſione, & indulgentia conceſſa, ſupra Beati Petri Confeſſionem ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium ſollemniter celebravimus, facta eorumdem Sanctorum ſpeciali commemoratione.

Ceterum, ſi inter illuſtres, quibus vera Eccleſia dignoſcitur, notas, non poſtrema eſt divinitus patefacta, & teſtata ſanctitas eorum, qui e quovis ordine, & ſtatu in illa floruerunt; æquum omnino, & pietati conſentaneum eſt, ut gratias Deo Patri per Chriſtum Jeſum agamus, quod illi placuerit ex eo theſauro, unde quotidie profert nova, & vetera, tot, ac tantas gratiæ ſuæ divitias in S. JOANNEM CANTIUM effundere, eaſque deinde ad ornamentum, ac decus Eccleſiæ ſuæ palam facere per miracula, quæ ad ſollemnem tam inſignis SERVI SUI Canonizationem viam, atque aditum aperuerunt. Eſt præterea quod gratulemur inclytæ Polonicæ nationi, quæ, cum pietati præ ceteris maxime addicta ſit, non poteſt certe non ſummo exultare gaudio, quod in tanta rerum perturbatione, tantoque religionis diſcrimine, novum hoc ſibi præſidium acceſſerit, quo egregia, & generoſa ſuorum indoles magis magiſque nullis perterrefacta periculis, Romanam Fidem adverſus finitimos, tum hæreticos, tum ſchiſmaticos, & arcte retineat, & fortiter, ut ſemper magna cum laude præſtitit, ad ſanguinem uſque tueatur. Academia vero Cracovienſis in hunc olim alumnum, nunc Patronum ſuum, quoties oculos defiget, defiget autem quotidie, propoſitum ſibi præclariſſimum videbit exemplar, unde illius magiſtri, & doctores, & bene docere, & recte facere diſcant; dum JOANNES defunctus adhuc loquitur, atque ad omne virtutis officium hortatur.

Quoniam vero, hiſce omnibus de more peractis, idem Carolus Cardinalis, & Procurator deſignatus, a nobis, quo par erat obſequio poſtulavit, ut Apoſtolicas noſtras litteras in geſtorum omnium perenne monumentum decerneremus; nos petitioni perquam libenter annuentes, præſentes noſtras litteras edi, & palam fieri demandavimus: ſtatuentes earumdem exemplis etiam impreſſis ab aliquo ex Notariis publicis ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eamdem prorſus fidem ab omnibus adhiberi, quæ ipſis originalibus litteris adhiberetur, ſi exhibitæ, vel oſtenſæ forent.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc noſtræ definitionis, decreti, adſcriptionis, mandati, ſtatuti, conceſſionis, relaxationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire; ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum

datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ MDCCLXVII. decimoſeptimo Kalendas Auguſti, Pontificatus Noſtri anno decimo.

✠ Ego Clemens Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.



✠ *Ego C. A. Epiſcopus Oſtien. & Veliternen. Card. Cavalchini Sacri Collegii Decanus.*

✠ *Ego F. M. Epiſcopus Portuen. & S. Rufinæ Card. Lantes.*

✠ *Ego J. F. Epiſcopus Sabinen. Card. Albani.*

✠ *Ego H. Epiſcopus Tuſculan. Card. Dux Eboracenſis S. R. E. Vicecancellarius.*

✠ *Ego F. Epiſcopus Albanen. Cardinalis Serbellonus.*

✠ *Ego J. F. Epiſcopus Præneſtin. Cardin. Stuppanius.*

✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠

✠ *Ego C. Tit. S. Clementis Presbyter Card. Rezzonico S. R. E. Camerarius.*

✠

✠ *Ego F. M. Tit. Sancti Sylveſtri in Capite Presbyter Cardinalis de Rubeis.*

✠
✠

✠ *Ego J. M. Tit. S. Alexii Presbyter Card. Caſtelli.*

✠ *Ego C. Tit. Sancti Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis Elephantutius.*

✠ *Ego P. H. Tit. SS.mæ Trinitatis in Monte Pincio Presbyter Card. Gugliemi.*

✠ *Ego P. P. Tit. S. Stephani in Monte Cœlio Presbyter Card. de Comitibus.*

✠

✠ *Ego Fr. L. Baſilicæ Sanctorum XII. Apoſtolorum Presb. Card. Ganganelli.*

✠ *Ego M. A. Tit. Sanctæ Mariæ de Pace Presbyter Cardinalis Columna.*

✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠

✠ *Ego S. Tit. S. Joannis ante Portam Latinam Presbyter Card. Buonaccorſi.*

✠

✠ *Ego*

✠ *Ego J.C.Tit. SS.Joannis, & Pauli Presbyter Card. Boſchi* Major *Pœnitentiarius.*

✠ *Ego L.Tit.S. Anaſtaſiæ Presbyter Card. Calinus.*

✠

✠ *Ego A.Tit. Sanctæ Mariæ in Via Presbyter Cardinalis Columna Branciforti.*

✠

✠

✠ *Ego P.Tit.S.Mariæ Tranſtiberim Presbyter Cardinalis Pamphilius.*

✠

✠ *Ego Ph. M. Tit. S. Chryſogoni Presbyter Card. Pirellius.*

✠

✠

✠

✠

✠

✠ *Ego A. Sanctæ Mariæ in ViaLata Prior Diaconorum Cardinalis Albanus.*

✠ *Ego N. S. Euſtachii Diaconus Cardinalis Corſinius.*

✠ *Ego D. Sanctæ Mariæ ad Martyres Diaconus Card. Urſinus.*

✠ *Ego Fl. Sanctæ Mariæ in Porticu Diaconus Card. Chiſius.*

✠ *Ego A. M. Sanctæ Agathæ ad Suburam Diaconus Card. Torrigiani.*

✠

✠ *Ego J.C.Sancti Cæſarei Diaconus Cardin. Caracciolus de Sancto Bono.*

✠ *Ego N. Sancti Georgii in Velabro Diaconus Card. Perrelli.*

✠ *Ego A. Sancti Angeli in Foro Piſcium Diaconus Cardinalis Corſinius.*

✠ *Ego A. Sanctorum Viti, & Modeſti Diaconus Cardinalis Nigronus.*

✠ *Ego Æ.S.Sancti Adriani Diaconus Cardinalis Piccolomineus.*

✠ *Ego X. Sanctæ Mariæ de Scala Diaconus Card. Canale.*

✠ *Ego B.Sanctorum Coſmæ, & Damiani Diaconus Cardinalis Veterani.*

✠

C. Card. Pro-Datarius. A. Card. Nigronius.

VISA
De Curia J. Manaſſei.

L. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.
Regiſtrata in Secretaria Brevium.

LITERÆ DECRETALES

SUPER

CANONIZATIONE

B. JOSEPHI CALASANCTII

A MATRE DEI

Fundatoris Ordinis Clericorum Regularium
Scholarum Piarum.

CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

ADmirabilis ſane Omnipotentis Dei providentia, tum in conſtituenda, tum in ſarta tectaque ſervanda Eccleſia, quam Chriſtus acquiſivit ſanguine ſuo, jam inde ab ejus primordio ad hanc uſque diem illuſtribus, & præclariſſimis, ut ab omnibus facile conſpici poſſent, ſeſe prodidit argumentis. Per omnes enim ætates benigniſſimus Deus homines in ea ſanctiſſimos excitavit, qui ſtudio alienæ ſalutis incenſi, juvandis quoquomodo fidelibus adlaborarent. Quum autem cujuslibet ætatis homines ſanctorum virorum ſtudio, atque opera indigeant, ne ignorantiæ tenebris obcæcati, meliora non videant, vel etiam ſi videant, a concupiſcentia ſua abſtracti, & illecti deteriora ſequantur; tenera profecto, & puerilis ætas ſingularem quamdam, & præcipuam curam requirit, ne ſibi relicta atque inculta, voluptatum lenocinio, paulatim ad vitia defluat, ſenſus quippe & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua. Quapropter tametſi Chriſtus Dominus omnes promiſcue ad ſe accedentes humaniſſime exciperet, pueros tamen eximio quodam amore complectens, ſinite, inquit, parvulos venire ad me. Noviſſime vero cum rediturus ad Patrem Beato Apoſtolo Petro, quem Vicarium in terris ſuum conſtituerat, Eccleſiam ſibi cariſſimam regendam, & paſcendam committeret, oves quidem, per quas adulti intelliguntur, non amplius quam ſemel, agnos vero, quibus pueri deſignantur, ſemel, atque iterum commendavit.

Itaque quum B. Joseph Calasanctius a Matre Dei genere, doctrina, virtute præſtans, ſecum animo reputaret in optima puerorum inſtitutione ſpem Reipublicæ Chriſtianæ certiſſimam poſitam eſſe, & pueros videret, inopes præſertim, atque infimæ ſortis, propterea quod idonea, & ſingulari diſciplina carerent, velut agnos ſine paſtore hac illac errabundos, & vagos facile ad vitia deflectere, pro eo, quo flagrabat, alienæ ſalutis ſtudio hanc ſibi, deſpicabilem forte apud homines, apud Deum vero glorioſam provinciam depoſcens, ad eoſdem, a teneris uſque annis litteris, ac pietate informandos animum appulit. Et primo quidem ſua, atque aliorum ab ſe conductorum opera uſus eſt ad id muneris, in quo nimirum caritas ſimul, atque humilitas mutuam ſibi operam dabant. At proceſſu temporis reputans pium iſtud opus defuncto ſibi ſuperſtes eſſe non poſſe; novum in Eccleſia Dei Regularem Ordinem excogitavit, ſapienter, & per ſummam patientiam inſtituit, cujus labore atque induſtria, quod ſancte ipſe & utiliter inchoaſſet,

in omne deinceps tempus maneret. Quot autem, quantoſque labores exhauſerit, ut cogitata perficeret, quam conſtanti animo aſpera quæque toleraverit, quam præclara denique virtutum omnium, cunctis quidem fidelibus, ſed ſuis potiſſimum filiis monumenta reliquerit, dici vix poteſt.

Quapropter quum bonorum operum auctor idem, & largiſſimus remunerator Deus, qui BEATUM hunc ſervum ſuum tot, & tam præclaris virtutibus decoravit, eaſdem ſubinde, editis per ipſius ſervi ſui invocationem miraculis, oſtendere, & palam facere dignatus fuerit, nos idcirco virtutum, & miraculorum examine habito perquam diligenti, in conſilium adſcitis Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, auditis etiam Patriarchis, & pluribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis in Urbe congregatis: ac Divino Spiritu humiliter invocato, eumdem B. JOSEPHUM Sanctorum numero adſcribimus, atque eo, qui domeſticos Dei decet, in cæleſti curia honore, & cultu proſequendum eſſe ſtatuimus, & declaramus.

BEATUS igitur hic Servus Dei Peraltæ Salis Aragoniæ oppido non incelebri, anno à reparata ſalute MDLVI. parentibus natus eſt antiqua nobilitate clariſſimis. Jam inde a teneris annis ſuavitate morum, lenitate, patientia, precandi ſtudio, cultu Deiparæ ſingulari, qualis futurus eſſet haud obſcure indicavit. Grandiuſcula mox ætate pueros munuſculis ad ſeſe alliciens, avocare a vitiis, ad virtutem impellere, ad Dei cultum hortari ſolebat, ut proinde ſancti apud omnes nomen, & famam adeptus, inſtituendo ab ſe Ordini proludere quodammodo videretur. Humaniorum artium doctrina ſatis jam excultus ad præſtantiores Juriſprudentiæ, ac Theologiæ facultates animum appulit, atque in iis quidem nulli ſecundus; innocentia vero, caſtimonia, integritate morum ſupra ceteros eminebat. Quod enim tempus plerique adoleſcentum ludis, atque otio, religionis ille, ac pietatis officiis impertiebat. Solitudinis ſtudioſus continebat ſe domi, niſi vel ad templum pietas, quod frequens erat, vel neceſſitudo, ſtudiorumque communio ad æqualium quandoque conſuetudinem, & colloquium vocaret. Neque vero in illo aut modeſtiæ comitas, aut comitati modeſtia officiebat. Largiſſima erat in eo erga inopes, atque egenos miſericordia. Ardor animi erga res divinas, præſertim cum ad Sacra Myſteria, uti crebro ſolebat, accederet, ita ex vultu ipſo atque ore emicabat, ut in admirationem ſui oculos intuentium raperet. Pudor autem prorſus in eo ſingularis, ut vel in tenera adhuc ætate, morbo licet urgente, nemini unquam, ne matri quidem corpuſculi ipſius partem ullam adſpicere nudam licuerit.

Ilerdæ non alia utique, quam eximiæ ſuæ commendatione virtutis, cunctis quum magiſtrorum, tum condiſcipulorum ſuffragiis, univerſæ ſtudioſæ juventuti præfectus; ac princeps renunciatus, ejuſmodi honore, ac munere ſic functus eſt, ut qua voce, qua exemplo (quod quidem ſuaviſſimum, idemque efficaciſſimum monendi genus eſt) ſegnes ad ſtudia, diſſidentes ad concordiam, improbos ad virtutem adhortaretur. Et quidem induſtriæ ſuæ fructum tulit, quem maxime optarat. Alia enim jam facies extitit juventutis in ſcholis, in templis, in noſocomiis, ut propterea qui tam præclare meritum de ſcholis JOSEPHUM ſuſciperent, eumdem veluti delapſum e Cœlo Angelum venerarentur.

Itaque coram eo nemo erat, qui impudenter dicere aliquid, vel indecore facere auderet. Tam ſpectatam virtutem, ac præſertim animi caſtimoniam teterrimus humani generis hoſtis ferre non poterat. Itaque ad eam labefactandam uſus eſt impudentia nobilis cujuſdam fœminæ, quam JOSEPHUS veterem ſuæ cum familia illius neceſſitudinem retinens, inviſere ſubinde conſueverat. Sed caſtiſſimus juvenis blandientis fœminæ illecebras tanta animi exhorreſcentis conſtantia eluſit, ac reſpuit, ut non ſatis haberet, quod e domo illa tamquam ex infami ſcopulo ſeſe proripuiſſet; niſi etiam ex Urbe ipſa, uti præſtitit, alio demigraret, ut alterius magis, vel famæ, vel pu-

dici-

dicitiæ, quam caſtimoniæ ſuæ periculum declinaret. Poſt gratias igitur impenſe actas Deiparæ, cujus tam præſentem in eo diſcrimine opem expertus erat, inſtaurato etiam virginitatis voto, ſtatim Complutum profectus eſt, ubi novum innoxio quantumvis corpori ciliciis, inedia, vigiliis bellum indixit.

Peracto denique ſtudiorum curriculo, laurea donatus, tametſi nondum ſacris majoribus initiatus ab Epiſcopo Jaccæ ſocius laborum adſcitus eſt, non ſine magna Diœceſis utilitate. Jamvero mortuo fratre ſine liberis, a parente in ſpem familiæ deſtinatus ad nuptias, morbo interveniente periculoſo atque ancipiti, ab iis ſeſe expedivit. Quum enim ad mortem decumberet, in eo temporis articulo facile a parente JOSEPHUS obtinuit, ut, ſi convaleſceret, cœlibem agere vitam liceret. Itaque præter omnem opinionem recuperata valetudine ſacrorum ordinum ſuſceptione, ut primum potuit, totum ſe Deo mancipavit. Neque vero diu licuit JOSEPHO ſibi uni vacare. Cognita enim illius pietas, ſapientia, integritas fecit, ut a pluribus Epiſcopis in Paſtoralis ſollicitudinis partem advocaretur. Quibus ille quidem non mediocri laborum fructu operam egregie navavit, præſertim in Urgellenſi Diœceſi, quum commiſſum ſibi peculiaris aſperrimorum locorum viſitationis munus expleret. Multa ſibi relata in melius, multa proviſa prudenter, magnis propterea exhauſtis laboribus, atque adeo non ſemel adito vitæ periculo. Barcinonem deinde Regia miſſus auctoritate ſciſſam in factiones duas civitatem, atque in mutuas mox cædes fœdiſſime ruituram, quod optare magis, quam ſperare cives poſſent, ad concordiam, & pacem conſilio, & fuſis ad Deum precibus revocavit. Caritatis hoc & prudentiæ; illud animi demiſſionis fuit, quod, ut paratos ſibi honores deſugeret, oculis, atque aſpectui plaudentium ſibi civium ſeſe ſubducens, Urgellam ſtatim reverſus eſt, a qua tamen majus quoddam humilitati ſuæ inſtare ab Rege periculum ſuſpicatus, ob rem tantam jam pervulgatam, haud ita multo poſt proficiſcens ætatis ſuæ anno ſecundo ſupra trigeſimum Romam, quo divinitus vocabatur, ſe contulit.

Vitam in Urbe JOSEPHUS abſconditam cogitabat: ſed a Cardinali Columna, qui præſtantiam illius ab Epiſcopo Urgellenſi cognoverat, in aulam ſuam adſcitus eſt, ut ſibi Theologus a ſtudiis, ac fratris filio præterea optimæ ſpei adoleſcentulo morum magiſter eſſet. Verum non is erat JOSEPHUS, qui aulæ honoribus caperetur, cum non ſemel dignitates ampliſſimas repudiaverit. Illud enim ſibi propoſuerat jamdudum, ut Deo maxime, & proximorum ſaluti inſerviret. Itaque, ut ampla laborum, & meritorum ſeges ſuppeteret, quinque ſe celeberrimis Romæ ſodalitatibus adſcribi voluit, earumque ſanctiſſimas leges ſublevandis pauperibus, inviſendis ægris, erudiendis agreſtibus, ac plebeis, tam ſedulo, ac naviter obſervabat, ut incenſo ſuo ſtudio ceteros omnes ad eadem caritatis officia inflammaret. Graſſante per Urbem lue, hic enim vero, ſi unquam antea, quid chriſtiana caritas poſſit, maxime oſtendit. Nullum enim ab eo erga ægros, & pauperes officium defuit. Qua quidem in re miſericordiæ, atque humilitatis aſſidua erat exercitatio. Talis namque ac tantus vir, onuſtum cibariis, ac pharmacis aſellum per vias agere, & cum Sancto Camillo de Lellis, cui ſe ſocium addiderat, ad egentium, atque ægrotantium domos deferre nequaquam erubeſcebat. Neque vero cum juvandis proximis tantum temporis impertiret; ſpatium illi deerat ad ea, quæ cultus Dei ſunt, obeunda. Etenim ut præter cetera, quæ ſibi propoſuerat, religionis officia, ſeptem Urbis Eccleſias, quod a multis jam annis ſollemne habebat, inviſeret, e nocturna quiete partem ſibi maximam detrahebat.

Sed majus profecto aliquid, quod non ad Urbem modo, ſed ad Chriſtianam Rempublicam pertineret, JOSEPHUS aggreſſus eſt. Quum enim vir æternæ proximorum ſalutis maxime ſtudioſus videret pueros, præſertim infimæ ſortis, neceſſaria inſtructione carere; qua ex re cum inſcitia paſſim vitia inoleſcerent,

rent, primo quidem ſumptu ſuo magiſtros quæſivit, qui pueros, præeunte ipſo, ac pauperrimos ſibi depoſcente, primis litterarum, ac chriſtianæ doctrinæ elementis imbuerent. Sed quum id ad tempus dumtaxat, & paucis profuturum intelligeret, novum quoddam inſtitutum meditatus eſt, cujus opera aſſidua illa caritatis in edocendis adoleſcentibus exercitatio perpetua maneret: quod quidem inſtitutum, cum peculiarem potiſſimum profiteatur curam circa puerorum eruditionem, adeo ab omnibus commendari, & expeti cœpit, ut ipſe JOSEPH adhuc vivens in ſeptem Provincias late per Orbem diffuſas, benedicente Domino, propagatum conſpexerit.

Sed quam multas, quamque acerbas ob eam rem a domeſticis ipſis, nedum ab aliis injurias, calumniaſque pertulerit, haud facile dictu eſt. Illud ſit inſtar omnium quod felicis recordationis Benedictus XIV. Prædeceſſor noſter, ut perhibent, aſpera quæque atque indigna; quæ Servo Dei ad extremam uſque ætatem ſubeunda fuerunt, animo reputans; JOSEPHUM Jobum alterum appellare non dubitavit. Hujuſmodi autem incredibilis patientia, atque animi æquitas tunc maxime enituit, cum ex infanda calumniatoris nequiſſimi delatione comprehenſus, ac tota ſpectante Urbe, ſatellitum manu ſtipatus, ad carceres perductus fuit, ut hominibus quidem ludibrio, Angelis vero admirationi eſſet, & gaudio. Etenim mitiſſimo atque humillimo viro, qui ſtatim compertus innocens, ut impactæ calumniæ labes abſtergeretur, ſummo cum honore cunctis plaudentibus domum reductus eſt, expetendum id magis viſum fuit, quam dolendum. Illud utique dolendum maxime, atque acerbum accidit, quod vineam ab ſe tanto labore, ac ſtudio plantatam, quæque palmites ſuos longe lateque extenderat, diſſipatam jam, atque a ſingulari fero pene exterminatam conſpexit.

Attamen in his etiam rerum aſperitatibus ne veſtigium quidem de gradu conſtantiæ dejectus, oſtendit quam vere ſcriptum ſit: Juſtum non contriſtare quidquid acciderit. Contumeliis enim, & conviciis laceſſitus impudentiſſimis, ita ſe gerebat, ut iis delectari videretur. Obtrectatoribus ſuis, quos coercere facile potuiſſet, non aliam rependit vicem, quam quæ a Chriſto præſcripta eſt, ut bene ſcilicet precaretur iis, a quibus injuriam acceperat. Sed & Deus ipſi tam admirabili patientiæ cœleſtem aliquam vel in terris mercedem rependit. Deiparam enim cum puero Jeſu videre meruit ſibi, & commiſſis ſuæ diſciplinæ adoleſcentulis benedicentem. Illius modo vultus inter orandum, modo corpus totum, dum Sacris operatur, cœleſti lumine circumfuſum, atque e terra ſublime conſpectum eſt. Illum in cubiculo preces fundentem Beatiſſima Virgo adſpectu, alloquioque ſuo recreavit. Dono præterea prophetiæ non caruit, qua vel futura prædiceret, vel arcana cordium penetraret. Abſentibus invocatus præſto erat. Filiis ſuis pariter longo licet intervallo disjunctis aderat, ut vel moneret, ſiquid forte deliquiſſent, vel parantibus ad eum ſcribere in ipſo articulo temporis reſponderet. Ejus item contactus ægrotantibus ſalutaris erat, præſentia dæmonibus formidoloſa.

Sed jam ſuprema dies aderat, qua JOSEPHUS ejuſdem præſcius, poſt labores tam multos, poſt tam longas ærumnas ſempiterna quiete, ac beatitudine potiretur. Itaque correptus morbo, quem medici levem, & ultimum ipſe affirmabat, chriſtianarum virtutum, earumque maxime, quæ id tempus poſceret, in occurſum Domini parare ſe impenſe ſtudebat. Morbi autem vim non patientia modo ipſius, atque animi æquitas, ſed etiam Beatiſſimæ Virginis, aliorumque Cœlitum viſiones ſuaviſſimæ leniebant. Inter eas porro illa utique jucundiſſima, qua eadem Dei Mater ſeſe illi conſpiciendam dedit, complurium, qui religioſæ illius diſciplinæ alumni fuerant numero comitata. Alia præterea viſione Servum ſuum Deipara cum Sanctiſſimo Filio ſuo recreavit, pollicita inſuper fore ut Ordo ab ipſo inſti-

Digitized by Google

inſtitutus, de quo ſollicitus erat, ne forte interiret, protegente ſe refloreſceret. Quod quidem, cum ad erigendos in ſpem ſuos magnopere pertineret, exiſtimavit ſe ſalva modeſtia poſſe id eiſdem palam facere, atque adeo debere. Sanctiſſimo deinde corporis Chriſti viatico roboratus, quatuor e ſuis alumnis in Vaticanum mittendos duxit: duos quidem, qui Sancti Apoſtolorum Principis æneam ſtatuam venerati pium illius pedibus oſculum darent, ceu teſtem Catholicæ Romanæ Fidei, in qua emori, uti vixerat, JOSEPHUS optabat: alios vero duos, qui a Summo Pontifice Chriſti Vicario plenam culpæ omnis, ac pœnæ remiſſionem, ipſius nomine peterent, atque impetrarent. Sacra demum Unctione munitus, lacrymas inter, ac preces ſuorum, ſublatis ad Cœlum oculis, & pendentis e Cruce Chriſti imaginem oſculatus, poſt invocationem ſuaviſſimi Jeſu nominis ter iteratam, ſui compos, & ſenſibus valens, pacatiſſimum Conditori ſuo ſpiritum reddidit, octavo Kalendas Septembris anni Domini MDCXLVIII. Illud autem ſane admirabile, quod e tam cari parentis obitu non mœror, ut aſſolet, ſed inuſitata quædam lætitia filiorum ipſius animos repente occupavit, manantibus jam præ gaudio lacrymis, quas antea dolor expreſſerat. Defuncti corpus majeſtatem quamdam præſeferens rapiebat oculos, ſuavemque, ac cæleſtem utique odorem efflabat. Jamvero virginalis illius eximii pudoris etiamſi alia nulla, dum inter mortales ageret, indicia extarent, illud unum ſatis abundeque foret, quod mortuus edidit plane admirandum. Quum enim cadaver, detracto ut ablui poſſet indusio, nudatum eſſet, manus illius dextera, nullo alterius impulſu, ſtatim partes eas cooperuit, quas verecundia conſpicere vetat: atque ut evidentius adhuc tam ſingulare pudoris ſtudium appareret, dimota per eos, qui aderant, mortui dextera, ſiniſtra pariter nemine impellente ad partes eas obtegendas dexteræ vicem ſupplevit.

Jamvero cum SERVI DEI corpus ad Sacram Ædem Sancti Pantaleonis afferetur, quadriennis puer: En Sanctus inclamavit, ore lactenti, en Sanctus advenit. Magnus deinde concurſus totius ferme Urbis ad funus illius celebrandum, præſertim poſt miracula, quæ complura ſtatim patrari per invocationem SERVI DEI cœpta ſunt. Quæ cum ad aures felicis recordationis Innocentii Papæ X. Prædeceſſoris noſtri perveniſſent, tum ipſius, tum Cardinalis in Urbe, ejuſque diſtrictu Vicarii nomine Religioſis ipſius filiis, qui ſpectatores, ac teſtes extiterant, demandata cura eſt, ut ea fideliter, atque accurate perſcriberentur, ad eorum deinde, quorum intereſt, examen debitum revocanda. Quum autem novis in dies miraculis SERVI DEI ſanctitas coruſcaret, ejuſque fama increbeſceret, Cardinalis primum in Urbe Vicarii, Apoſtolica deinde auctoritate cœptum eſt agi de virtutum illius excellentia. Quæ quidem cum in Congregatione S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpoſita, communi Patrum judicio ad heroicum gradum pertigiſſe conſtaret, ſanctæ memoriæ Benedictus XIII. Prædeceſſor noſter eorumdem judicium decreto ſuo confirmavit die octava Septembris MDCCXXVIII. In miracula deinde auctoritate Apoſtolica per tres Epiſcopos inquiſitum, iiſque rite in acta relatis, ac duobus ex illis Patrum ſuffragio dignis probatu compertis, ejuſdem memoriæ Benedictus XIV. noſter item Prædeceſſor, conſulto multis precibus Deo, Patrum judicium, accepta divinitus auctoritate, ratum habuit, atque approbavit die Maji decima anni MDCCXLVIII.

Ac primum quidem miraculum patratum eſt in Margarita Tanteri virgine Florentina, quæ decenni aneuriſmata in ultimum vitæ diſcrimen adducta, poſt imploratam JOSEPHI opem, puncto temporis integram valetudinem recuperavit. Miraculum alterum conſpectum eſt in Chriſtina Cecceberina virgine ex eadem itidem civitate moniali, inter eas, quæ Capuccinæ vocantur. Hæc enim per ſeptennium variis ſimul mor-

morbis implicita, ut immobilis jam citra ſpem ullam decumberet, opitulante JOSEPHO, perfecte atque integre, divinitus repente convaluit. Quum igitur de JOSEPHI virtutum heroica excellentia, & perſpicua miraculorum nota ſatis abundeque conſtaret, laudatus Benedictus XIV. nihil amplius cunctandum ratus, die VII. Auguſti anni ejuſdem MDCCXLVIII. datis Apoſtolicis litteris, JOSEPHUM Beatorum faſtis adſcripſit.

Sed novis ſubinde cæleſtibus ſignis, ſervi ſui ſanctitatem Deo declarante, ut reliqui ſummi honores JOSEPHO decerni poſſent, auctoritate Apoſtolica de recentioribus, quæ ferebantur per eumdem patrata miracula, quæſtio de more inſtituta eſt, qua feliciter expleta, duo potiſſimum præ ceteris Patrum Sacrorum Rituum Congregationi præpoſitorum calculo probatu digna, ſunt habita, & nos ipſi probavimus die XXV. Maji MDCCLXVI. Ac primum quidem editum eſt in Maria Conſtantia Caminati Genuenſi virgine moniali in Monaſterio Ordinis Sanctæ Claræ extra mœnia civitatis Tuderti. Phthiſim illa jamdudum paterna in domo contraxerat, quam aliquandiu diſſimulatam celare amplius non potuit. Per undecim ipſos annos, aſſidua febris deteriora in diem ſymptomata tertium morbi illius gradum clare indicantia; ſcirrhus in jecore duro extrinſecus, & late fuſo tumore ſe pandens, aliaque exinde ſubnaſcentia morborum genera eo jam ægram adduxerant, ut pelle dumtaxat atque oſſibus nulla præterea corporis parte conſtare videretur. Itaque non ſemel extremo Sacramentorum ſubſidio munita, nihil jam aliud appetiri poterat, quam ut e conſumpto corpore anima demigraret. Sed deſperatam humanitus valetudinem pia monialis per BEATUM JOSEPHUM divinitus eſt conſecuta. Quum enim brevi, quam morbus in lectulo ſineret, novemdiali prece illius ſe patrocinio commendaſſet, die ipſa, quæ nona & poſtrema erat inſtitutæ precationis, placide conſopita, & ſomno, quod nunquam antea contigerat, diu producto, morbi vim omnem diſcuſſam ſenſit. Eodem tempore color vultui, vires corpori redditæ, quodque magis utique mirandum fuit, caro non modo reſtituta, ſed ea viſa eſt addita, quæ fortaſſe nunquam extiterat. Neque vero integra tantum fuit valetudo, ſed etiam perpetua.

Altera ſuperans naturæ vim ſanatio contigit Vincentiæ Buada Valentinæ. Hæc enim tres vel quatuor annos nata, ex gravi lapſu; dum per ludum ab imprudenti quopiam jactatur in aera, & excipitur, luxatis aliquot ſpinalis medullæ vertebris, gravibus primum morbis, perfecta dein comprehenſa fuit paralyſi, ita quidem, ut crura ob intercluſos ſucci vitalis meatus, arida jam, ac pene lignea motum & ſenſum omnem amiſiſſent. Converſa igitur puella ad cœleſtem opem, quandoquidem in humanis remediis nulla jam reliqua ſpes erat, novemdiali obſequio BEATI JOSEPHI auxilium implorat. Eo peracto, nondum tamen compos voti facta erat: ſed patre admonente, brevi adhuc fuſa prece, ea ipſa die, momento temporis motum, ſenſum, & quod mirandum eſt magis, carnem recuperavit.

Poſt hæc ejuſdem Congregationis generalis die XXIII. menſis Septembris anni proximi elapſi, coram nobis habitæ conſilium audivimus, an juxta conſultiſſimas leges a Prædeceſſoribus noſtris ipſi Congregationi præſcriptas, tuto ad BEATI JOSEPHI Canonizationem procedi poſſet, & quamvis in ea ſuffragium ferentes unanimi conſenſu id aſſirmaverint, nihilominus, ut accuratius cauſſam perpenderemus, precibuſque eum noſtris, tum aliorum in re tanti momenti divinum promereremur auxilium, nonniſi die XII. ſubſequentis menſis Octobris decretum, quo ad ſollemnem BEATI JOSEPHI Canonizationem ſervatis ſervandis, quandocumque procedi poſſet, edi juſſimus.

Interim vero cariſſimus in Chriſto filius noſter Carolus Hiſpaniarum Rex Catholicus, ut hoc decretum ad effectum perduceretur, ſe ſummopere optare nobis ſignificavit: ac dilecti filii Ordinis Clericorum Regularium Scholarum piarum Superiores proprio, & cunctorum illius Profeſſorum nomine aſſiduas nobis preces porrigebant humillimas, ut

ut eum, a quo Divini Numinis afflatu leges exemplo ſuo confirmatas acceperant, ſupremo tandem cultu decoratum conſpicerent, & venerarentur.

Ut itaque quod ſupererat, ad Sacrorum Canonum normam, & juxta venerabilia eorumdem Prædeceſſorum noſtrorum inſtituta perficeremus, univerſi primum Collegii Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium conſilium exquiſivimus in Conſiſtorio ſecreto die xxvii. Aprilis proxime præteriti habito, in quo nos ipſi ſummam virtutum, & miraculorum Beati Josephi, necnon ſeriem eorum omnium, quæ in ejus cauſſa geſta fuerant, ipſis expoſuimus, cunctiſque adſentientibus, ut ad ſupremam graviſſimo huic negotio manum imponendam progrederemur, quamplures Venerabiles Fratres, Archiepiſcopos, & Epiſcopos ex univerſa ferme Italia in Urbem accivimus, eos quoque, antequam definitivam ſententiam ferremus, in conſilium adhibituri.

Hi omnes cauſſam totam perdidicerunt, tum ex peroratione in Conſiſtorio publico die vii. menſis Maji proxime præteriti coram nobis habita a dilecto filio Hieronymo Tozzi noſtræ Conſiſtorialis aulæ Advocato, tum ex plena, accurataque relatione geſtorum, & virtutum Beati Josephi, cum miraculis e tabulario ſæpedictæ Congregationis Sacrorum Rituum deſumpta, quæ typis impreſſa ſingulis tradita fuit.

Coacto propterea die prima proxime etiam elapſi menſis Junii ſemipublico Conſiſtorio, in quo præter eorumdem Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Collegium, omnes itidem Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi, qui hac ipſa de cauſſa in Urbe aderant, ſeſſionem habuere, factaque omnibus dicendæ ſententiæ poteſtate, ſpectabilem hujuſmodi Conſacerdotum coronam ſumma conſenſione audivimus ad Beati Josephi Canonizationem nos adhortantem. Qua de re omnium ſuffragia proprio ſingulorum chirographo ſubſcripta colligi, & in tabularium Romanæ Eccleſiæ referri juſſimus: mandantes præterea dilectis filiis Sedis Apoſtolicæ Notariis, ut ſuper ſollemni actu publica inſtrumenta conficerent.

Indicta deinde ad perficiendum Canonizationis actum hodierna die, qua ſollemnia Coronationis noſtræ recurrunt, poſtquam ſuperiori hebdomada per triduum omnes Chriſtifideles ad jejunium hortati fueramus, tribus Patriarchalibus Baſilicis deſignatis cum plenariæ Indulgentiæ conceſſione, ut ad impetrandum Divini Spiritus lumen fideles ipſi ſuas noſtris adderent preces. Hac demum die congregatis in Vaticano omnibus utriuſque Cleri ordinibus, & Curiæ, ac aulæ noſtræ Proceribus, præcipue vero Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ſollemni ſupplicatione Divinam Majeſtatem exorantes ad Baſilicam Principis Apoſtolorum proceſſimus. Ibi autem eum dilectus filius noſter Carolus Tituli S. Clementis S.R.E. Presbyter Cardinalis Rezzonico nuncupatus ejuſdem S. R. E. Camerarius, pro Canonizatione impetranda Procurator deſignatus enixa Chriſtianorum Principum, Antiſtitum, Capitulorum, Eccleſiarum, Magiſtratuumque, ac totius Ordinis Clericorum Regularium Scholarum piarum vota, atque preces nobis obtulerit pro ſollemni Canonizatione ipſius Beati Josephi, ac etiam Beatorum Joannis Cantii, Josephi a Cupertino, Hieronymi Æmiliani, Seraphini a Monte Granario, ab Asculo denominati, & Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal, noſque ſemel, iterum, ac tertio rogaverit, ut exoptatam dudum ſententiam pronunciantes, commune gaudium expleremus. Ideo nos implorato prius univerſæ cœleſtis Curiæ præſidio, & advocato cum gemitibus Paraclyto Spiritu, eoque ſic inſpirante, ad honorem Sanctæ, & Individuæ Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicæ, & Chriſtianæ Religionis augmentum, auctoritate Domini Noſtri Jeſu Chriſti, Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtra, B. Josephum Calasanctium a Matre Dei Ordinis Clericorum Regularium Scholarum piarum Fundatorem, omni chriſtianarum virtutum genere orna-

ornatum, de re chriſtiana optime meritum, cœleſtium donorum copia, & miraculorum gloria præluſtrem, Sanctum eſſe definiendo pronunciavimus, & una cum prædictis Joanne Cantio, Joſepho a Cupertino, Hieronymo Æmiliani, Seraphino a Monte Granario, ab Asculo denominato, & Joanna Franciſca Fremiot de Chantal Sanctorum Eccleſiæ faſtis adſcripſimus. Decernentes, juxta Benedicti XIV. prædeceſſoris præfati litteras, ipſius Sancti Joſephi Calaſanctii memoriam ſexto Kalendas Septembris, qua nimirum die illius corpus tumulo demandatum fuit, in univerſa Eccleſia quotannis recolendam eſſe, ac ritu debito celebrandam. Ac omnibus Chriſtifidelibus, qui in Eccleſia Sancti Pantaleonis de Urbe noſtra, ubi Sancti Joſephi mortales exuviæ coluntur, eadem deſignata die religioſe accedent, ac Deum Optimum Maximum juxta noſtram, & piæ matris Eccleſiæ mentem precati fuerint, Indulgentiam ſeptem annorum, & totidem quadragenarum perpetuo in forma Eccleſiæ conſueta conceſſimus.

Mox decantato pro debita gratiarum actione laudis, & confeſſionis Hymno, ad aram Baſilicæ maximam ſupra Sacratiſſi nam Principis Apoſtolorum Confeſſionem incruentam ſalutis humani generis hoſtiam oblaturi reverenter acceſſimus, & facta eorumdem Sanctorum ſpeciali commemoratione poſt Evangelicam lectionem a Diaconibus latina, & græca lingua decantatam, juſta & Sancta exultatione ſpiritus ſenſimus nos impelli, ut venerabilem Sacerdotum coronam, & populum univerſum, quem religionis ſtudium, atque Apoſtolicæ Sedis reverentia non ex Urbe modo, ſed ex longinquis etiam regionibus attraxerat; ad eorumdem Sanctorum virtutes imitandas, & patrocinium promerendum, paterno affectu breviter adhortari, & accendere conaremur. Denique inexhauſti Eccleſiæ theſauri divitias in eos, qui adſtabant fideles veluti effundentes, plenariam omnium peccatorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino conceſſimus.

In hac autem tum noſtra, tum populi totius fidelis juſtiſſima exultatione noſtræ huic Urbi dilectiſſimæ alia profecto quædam peculiaris eſt cauſſa, cur non modo S. Joſepho, ſed etiam ſibi magnopere gratularetur. Solatium eſt enim non parvi utique faciendum, quod venerabile Joſephi corpus apud nos extat, quaſi amoris erga nos ſui perenne pignus, & monumentum. Nam etſi ubique Terrarum Cœlites clientibus ſuis opem impertiant, ibi tamen & uberius id, & frequentius præſtare ſolent, ubi corpore hoc eſt aliqua ſui parte adhuc reſident. Ad Joſephi ergo tumulum in anguſtiis, in periculis, in rebus dubiis quiſque accedat, per hæc præſertim tam plena ærumnis, & calamitatibus tempora, nec dubitet, quin cum ex iis, quæ paſſus eſt, tam multa, tam aſpera, patientiam didicit in terris agens; regnantem modo glorioſum in ſupernis ædibus pium erga ſe, & propitium experiatur.

Quoniam vero poſt prolatam a nobis Canonizationis ſententiam, ab eodem Cardinali Procuratore nobis humiliter ſupplicatum fuit, ut ſuper præmiſſis omnibus Apoſtolicas litteras perpetuo valituras decernere, & edere dignaremur; ideo nos juſtiſſimæ annuentes petitioni, præſentium tenore omnia & ſingula præmiſſa confirmamus, roboramus, atque iterum ſtatuimus, decernimus; atque univerſæ Catholicæ Eccleſiæ denunciamus mandantes, ut earumdem præſentium exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides ab omnibus habeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc noſtræ definitionis, decreti, adſcriptionis, mandati, ſtatuti, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire; ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Da-

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDCCLXVII. decimoſeptimo Kalendas Auguſti, Pontificatus Noſtri anno decimo.

✠ Ego Clemens Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.



✠ *Ego C. A. Epiſcopus Oſtien. & Veliternen. Card. Cavalchini Sacri Collegii Decanus.*

✠ *Ego F. M. Epiſcopus Portuen. & S. Rufinæ Card. Lantes.*

✠ *Ego J. F. Epiſcopus Sabinen. Card. Albani.*

✠ *Ego H. Epiſcopus Tuſculan. Card. Dux Eboracenſis S. R. E. Vicecancellarius.*

✠ *Ego F. Epiſcopus Albanen. Cardinalis Serbellonus.*

✠ *Ego J. F. Epiſcopus Præneſtin. Cardin. Stuppanius.*

✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠

✠ *Ego C. Tit. S. Clementis Presbyter Card. Rezzonico S. R. E. Camerarius.*

✠

✠ *Ego F. M. Tit. Sancti Sylveſtri in Capite Presbyter Cardinalis de Rubeis.*

✠
✠

✠ *Ego J. M. Tit. S. Alexii Presbyter Card. Caſtelli.*

✠ *Ego C. Tit. Sancti Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis Elephantutius.*

✠ *Ego P. H. Tit. SS̃mæ Trinitatis in Monte Pincio Presbyter Card. Gugliemi.*

✠ *Ego P. P. Tit. S. Stephani in Monte Cœlio Presbyter Card. de Comitibus.*

✠

✠ *Ego Fr. L. Baſilicæ Sanctorum XII. Apoſtolorum Presb. Card. Ganganelli.*

✠ *Ego M. A. Tit. Sanctæ Mariæ de Pace Presbyter Cardinalis Columna.*

✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠

✠ *Ego S. Tit. S. Joannis ante Portam Latinam Presbyter Card. Buonaccorſi.*

✠

✠ *Ego J.C.Tit. SS.Joannis, & Pauli Presbyter Card. Boſchi Major Pænitentiarius.*

✠ *Ego L.Tit,S. Anaſtaſiæ Presbyter Card. Calinus.*

✠

✠ *Ego A.Tit. Sanctæ Mariæ in Via Presbyter Cardinalis Columna Branciforti.*

✠

✠

✠ *Ego P.Tit.S.Mariæ Tranſtiberim Presbyter Cardinalis Pamphilius.*

✠

✠ *Ego Ph. M. Tit. S. Chryſogoni Presbyter Card. Pirellius.*

✠

✠

✠

✠

✠

✠ *Ego A. Sanctæ Mariæ in ViaLata Prior Diaconorum Cardinalis Albanus.*

✠ *Ego N. S. Euſtachii Diaconus Cardinalis Corſinius.*

✠ *Ego D. Sanctæ Mariæ ad Martyres Diaconus Card. Urſinus.*

✠ *Ego Fl. Sanctæ Mariæ in Porticu Diaconus Card. Chiſius.*

✠ *Ego A. M. Sanctæ Agathæ ad Suburam Diaconus Card. Torrigiani.*

✠

✠ *Ego J.C.Sancti Cæſarei Diaconus Cardin. Caracciolus de Sancto Bono.*

✠ *Ego N. Sancti Georgii in Velabro Diaconus Card. Perrelli.*

✠ *Ego A. Sancti Angeli in Foro Piſcium Diaconus Cardinalis Corſinius.*

✠ *Ego A. Sanctorum Viti, & Modeſti Diaconus Cardinalis Nigronus.*

✠ *Ego Æ.S.Sancti Adriani Diaconus Cardinalis Piccolomineus.*

✠ *Ego X. Sanctæ Mariæ de Scala Diaconus Card. Canale.*

✠ *Ego B.Sanctorum Coſmæ, & Damiani Diaconus Cardinalis Veterani.*

✠

C. Card. Pro-Datarius. A. Card. Nigronus.

VISA
De Curia J. Manaſſei.

L. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.
Regiſtrata in Secretaria Brevium.

LIT-

LITERÆ DECRETALES
SUPER
CANONIZATIONE
B. JOSEPHI A CUPERTINO

Sacerdotis profeſſi Ordinis Minorum S. Franciſci Conventualium.

CLEMENS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

ASCendens Chriſtus in altum dedit dona hominibus, amoris ſui ſcilicet pignora, ac triumphalis ſuæ monumenta victoriæ. Id autem non modo tunc oſtendit, quum ex hac terra diſcedens gloria, & honore coronatus, utpote Rex virtutum in Cælum rediit, ſed etiam per omnes deinceps ætates benigniſſime præſtitit, atque ad conſummationem uſque ſeculi, pro ſua in homines perpetua caritate, ac munificentia præſtabit: ſed nimirum, ſi Dominus dives eſt in omnes, qui invocant illum, in electos utique quoſdam ſervos ſuos, qui in ſimplicitate ambulant, atque in toto corde exquirunt eum, divitias ſui erga illos amoris effundit: idque tum ut eos glorificet, qui glorificare ipſum unice ſtudent, tum ut per eos Eccleſia ſua tamquam Regina veſtitu induta deaurato, àc tam multiplici cæleſtium chariſmatum, ac donorum varietate circumamicta, facile a quovis cognoſci poſſit, & magis magiſquę refulgeat. Hanc autem ipſam cæleſtium chariſmatum menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſuperfluentem, ſi unquam in aliis, non poſſumus certe non admirari, ac ſuſpicere in BEATO JOSEPHO A CUPERTINO ex Ordine Fratrum Minorum Sancti Franciſci Conventualium nuncupatorum, quem ſuperiori ætate bonorum omnium largitor Deus Eccleſiæ dedit, ut in eo diſceremus non eſſe nos terræ hujus cives, ſed hoſpites, ac peregrinos, noſtramque proinde in Cælis converſationem eſſe oportere. Hoc ille nempe quamdiu vixit, non tam verbis, quam re ipſa pulcherrime docuit, quum terram veluti dedignatus, frequentes, ac prope quotidianas ecſtaſes patiens ſublimis in aera ferretur, ac modo exultabundus celerrimo impetu circumvolans, choreas veluti duceret, modo alios quoque ſecum ſublime raperet, ſuamque illam, quam induiſſe videbatur, glorioſam agilitatis dotem communicaret, ita prorſus, ut medius quidam viatores inter, & comprehenſores homo eſſe haud immerito credi poſſet. Quod autem BEATUS JOSEPHUS tam frequenter, tam facile ſublimis aſcenderet, quid eſt, niſi quod deſcendebat in ſe demiſſiſſima humilitate, qua ſperni ſe, ac deſpici, non modo ferebat æquo animo, ſed etiam gaudebat? Quod vero, ubi erat impetus ſpiritus, eo & corpus expers veluti ponderis agillime ſequeretur, quid eſt, niſi quod corpus ipſum inuſitata quadam, ac propemodum nimia aſperitate in ſervitutem redigere ſatagebat? Quæ quidem, atque alia id genus BEATI JOSEPHI ſanctitatis documenta in ea, quam exhibemus, tametſi brevi narratione melius patebunt.

Quocirca cum is, qui ſuſcitat de pulvere egenum, BEATUM JOSEPHUM iam eximiis in vita donis, ac virtutibus, tam præclaris poſt mortem ſignis, ac miraculis illuſtraverit, ut dubitari non poſſit, quin inter Superos cum Deo regnet, cujus converſatio, cum inter mortales ageret, ſemper in Cælis fuit. Nos propterea, qui Chriſti vices, licet indigni, gerimus, habito prius diligenti virtutum, & miraculorum ejus examine, de conſilio Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, necnon accedente ſuffragio Patriarcharum, ac plurimorum Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in Romana Curia congregatorum, & quod potiſſimum eſt, implorató ſæpius Divini Spiritus auxilio, & lumine, eumdem BEATUM JOSEPHUM candelabro imponimus, ut luceat omnibus, qui in domo ſunt, eique honorem, & cultum, qui Sanctis cum Chriſto regnantibus exhibetur, tribuendum eſſe decernimus.

Sub initium ſeculi a reparata ſalute XVII. Cupertini, oppido in Salentinis Neritonenſis Diœceſis, parentes humiles ſortitus, ac pios; in ſtabulo, quo repentinus pavor matrem compulerat, editus in lucem fuit. A teneris uſque annis pietatem coluit, defixis in Cælum oculis, & labris hiantibus inter orandum, quod quidem futuræ poſt in adulta ætate altiſſimæ contemplationis vel iudicium eſſet, vel potius initium. A gravi morbo Deiparæ Virginis ope liberatus, ad Beati Franciſci ſepta tranſire conſtituit. Repulſam paſſus a Fratribus Conventualibus, quos primum adierat; ab iis, quos Capuccinos vocant, exceptus eſt, ſed acerbior deinde fuit ejectio. Nam poſt aliquot tyrocinii menſes, tamquam ineptus ad Inſtituti munia habitus, ad ſuos redire coactus eſt. Dure acceptus a patruo, qui in Conventualium Ordine concionator erat, durius a matre, religioſæ vitæ conſilium non abjecit. Ad Conventuales iterum confugiens tandem obtinuit, ut laicorum miniſteriis addiceretur. Sed in noviſſimo loco libentiſſime recumbentem, juſſit illum Dominus ſuperius aſcendere. Patribus enim, qui per triennium præclaram JOSEPHI, & majora in dies pollicentem virtutem ſuſpexerant, viſum eſt illum referre inter Clericos. Longo ipſi, atque improbo labore cum rudi, atque hebeti ingenio luctandum fuit, ut ſacros libros, ſi minus intelligere, at legere ſaltem apte, ac diſtincte diſceret. Poſt ſollemnia vota ſacerdotio initiatus, Divinæ Hoſtiæ primitias obtulit eo religionis intimo ſenſu, ut præſentem ibi Chriſti perſonam, non tam credere, quam cernere videretur, novumque ſibi ex eo tempore perfectius vitæ genus ordiendum proponeret. Ergo in cœnobio de Cryptula, cui fuerat adſcriptus, ita per decennium vixit, ut ſolitaria maxime loca adamaret, aſperrime in corpus ſæviret, & coram ſuperiore ſola contentus extima tunica, rebus omnibus abdicatis, ad Crucifixi pedes procumbens, vere illud uſurpare poſſet: Ecce, Domine, propter te omnia dimiſi: tu modo ſis mihi omne bonum. Sed tam rigidæ paupertatis preſſus anguſtiis, ut conſumpta jam veſte, novam ſibi unde quæreret, non videret; ad piam erga Deum fiduciam abjiciendam ſollicitatus ab humanæ ſalutis hoſte, nullius præterea cæleſtis ſolatii rore in animum defluente recreatus, ac nimio proinde mœrore confectus, per biennium in camino humiliationis, velut in fornace perſtitit, & in humilitate ſua patientiam habuit. Denique, cum converſus ad Deum in eas voces erumperet: Ut quid, Deus, dereliquiſti me; SERVUM SUUM benigniſſimus Dominus mœrore, & luctu confici paſſus non eſt. Itaque Religioſus quidam ignotus, Angelo, ut opinio fuit, ea ub ſpecie apparente, ac ſtatim ex oculis ſubducente ſe, nova illi tunica allata mœrentem erexit, afflictumque recreavit. Ad omnimodam rerum externarum abdicationem aſperrimam corporis macerationem adjunxit. Cura illi major animum jejunio, quam cibo corpus reficere. Interdictis ſibi, non carne modo, & lacticiniis, ſed pane etiam, & vino per longum tempus, inſipidis leguminibus, atque amariſſimis herbis libenter veſci, quin etiam certos quoſdam dies ſine ullo prorſus cibo tranſigere, ſola Euchariſtiæ divina dape ſatis, abundeque re-

refectus. Ad hæc ciliciis, catenis, laminis ferreis, flagris ita ſe laniabat, ut nudatum aliquando juſsu Præſidis ipſius corpus adſpici ſine horrore non poſſet; tam fœde lacerati artus erant, & ſanie manantes. Verſabatur nempe ei diu, noctuque ante oculos, defixuſque erat in animo penitus Chriſtus Jeſus, qui ad mortificatiooem ipſius in corpore ſuo circumferendam exſtimulabat: quæ itidem cauſſa fuit, cur complura variis in locis humanæ ſalutis ſigna ſtatuenda curaret. Qua in re illud prorſus mirabile accidit, quod Crucem quamdam immanis ponderis, quæ ſimul adhibitis multorum viribus dimoveri vix poterat, unus ipſe prodigioſo volatu facillime ſuſtulit, atque ubi deſtinaverat, attonitis præ ſtupore, qui aderant, collocavit. Ejuſmodi autem cum volatu ecſtaſes ita crebræ, & mirabiles in eo fuere, ut patruum, & majorum noſtrorum memoria nemo fortaſſe facile inveniatur, qui earumdem vel frequentia, vel magnitudine JOSEPHUM æquiparet. In celebrioribus numeratur ea, cujus recol.mem. Urbanus Papa VIII. Prædeceſſor noſter ſpectator, & teſtis fuit; alia item in noſtra patriarchali Baſilica Aſſiſienſi, cum depictam in fornice Deiparæ Virginis Mariæ imaginem conſpicatus, ſtatim ad eam propius venerandam octodecim e terra palmis ſublatus advolavit. Neque vero minus illuſtris illa, qua in ſacello novitiorum feſto die Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ, quod ille myſterium eximie colebat, Præſidem amplexus, ac ſecum trahens in aera paulliſper, & mox dimittens, ipſe altius aſcendit, Mariam iterum iterumque pulchram inclamans. Huic volatui geminus eſt, qui accidit in conſpectu Ædis Lauretanæ, quam item ingredientium, & egredientium Angelorum frequentia ſtipatam eminus vidit. Hæc autem, aliaque id genus, quum adeo crebra eſſent, ut ſacris functionibus, ſive in choro, ſive in Eccleſia officere videreotur; Præſidibus viſum fuit JOSEPHUM in abdita loca a conſpectu, & conſortio hominum ſegregare. Sed hæc, & ſimilia, quæ longum nimis eſſet ſingula recenſere, mirari fideles poſſunt, non aſſequi, atque imitari. Meliora igitur virtutum charismata JOSEPHUS exhibet ad æmulandum. Ac primum quidem obedientiam, quæ ceteras omnes virtutes animo inſerit, inſertaſque cuſtodit. Hujus ille ita ſtudioſus erat, ut ne in minima quidem re ab ejus præſcripto diſcederet, ſolitus idcirco dicere, obedientiæ regendum ſe tradidiſſe veluti cæcum, quem catulus circumducit. Illud autem in hoc genere prorſus mirabile, quod, quum alienato a ſenſibus animo, ſive clamores ederent, ſive excuterent ipſum, ſive etiam adurerent, nihil quidquam ſentiret, una Præſidis vox, tametſi non audita, viſionem abrumpens, ſtatim eum ab ecſtaſi revocabat. Atque huic ſane tam inſigni obedientiæ tribuenda eſt perpetua JOSEPHI tranquillitas, atque idem ſemper vultus, eademque frons tot inter, ac tantas viciſſitudines, dum vel Moderatorum Ordinis, vel Sacræ Inquiſitionis juſſu hac illac errare, ac per triennium etiam ablegatus a ſuis, apud Fratres Capuccinos verſari cogitur. Quod quidem divino conſilio factum eſſe non dubitamus, ut illius ſanctitas, & progreſsus in dies majores faceret, & plures ad exemplum teſtes, ac ſpectatores haberet. Obedicotiæ humilitas non impar extitit, qua fiebat, ut objurgationes, & proba æquiſſimo ferret animo, & ecſtaſes quandoquidem diſſimulare non poterat, infirmitatis, torporis, ſomnolentiæ nomioe obtegere conaretur. Paupertatem adamavit ita, ut perfectum io eo Franciſci filium facile quivis poſſet agnoſcere. Quocirca moriturus vere affirmare potuit, nihil apud ſeſe, quod ſuperiori reſignaret, ac redderet inveniri. Paupertatem excipit patientia; multa enim indigna ab hominibus; multa diu a dœmonibus dura perpeſſus eſt, invictus ſemper, ac ſimilis ſui, pari conſtantia fuit in ariditatibus ac deſolationibus, ut ajunt, ſpiritus perferendis. Caſtitatem vero, tametſi diuturna per dœmones blandiſſima quæque objicientes pugna tentatam, integram ſemper, atque incontamioatam ſervavit. Hujus autem indicium erat non dubium, tum ſuaviſſimus odor, quem rebus etiam ab ſe contactis afflabat, tum horror quidam ſingularis obſcæni flagitii, ut homines eo deturpatos

tos dignoſceret, atque ad abluendam, ut ipſe loqui ſolebat, ſpurcam atramento faciem adhortaretur. Hoc vero tam egregiæ caſtitatis donum, tametſi tribui magna ex parte poſſit ſeveriſſimæ ſenſuum cuſtodiæ, & corporis, cui nunquam pepercit aſperrimis per dies, noctesque macerationibus: Deiparæ tamen Mariæ Virginis, quam ille veluti matrem unice diligebat, atque ab aliis diligendam ſummo ſtudio curabat, patrocinio, & clientelæ potiſſimum, acceptum referendum eſſe non dubitamus. Neque vero illud ſolum, ſed cetera omnia dona, quæ Deus in ipſum tam larga congeſſit manu, a Beatiſſimæ Virginis cultu repetenda eſſe ducebat. Itaque Maria in corde, Maria in ore ſemper illi erat. Quum autem Beatiſſima Virgo pulchræ dilectionis mater ſit, & vocetur, JOSEPHUS non modo ipſam ſuaviſſime redamare, ſed imitari etiam ſtudebat in proximis diligendis. Erga ærumnoſos miſericors, erga ægros ſedulus, erga periclitantes opitulator. Pro ſceleſtis, atque improbis, quorum ſæpiſſime occulta flagitia detegens paterne corripuit, corporis ſui afflictationes, Deo quaſi piacularem hoſtiam offerebat. Quin etiam eodem caritatis inſtinctu pro hæreticorum converſione, non ſine magna corporis afflictatione, Deum deprecatus, ex iis nonnullos ad Catholicæ Eccleſiæ communionem revocavit. Comis præterea, feſtivus, hilaris illud in ore habebat, caritate qui præditus ſit, eum, tametſi neſciat, divitem eſſe. Qua quidem ipſe adeo excellebat, ut ex iis, quas affert Apoſtolus caritatis notas, nullam in ipſo requireres. Atque id ipſum ferme dicere licet de iis, quæ gratiæ gratis datæ vocantur, quaſque divina liberalitas ſervis ſuis impertiri conſuevit. Non illi prophetia defuit, non cordium perſcrutatio, non curatio ægritudinum, non miraculorum facultas, non denique, quod magis mirandum fuit, ſapientiæ donum, quo abditiſſima Theologiæ dogmata homo plane rudis, ac pene idiota perſpicue explicabat.

Sed annum jam ſexageſimum primum agenti SERVO DEI tempus aderat, quo in Auximano cœnobio, quemadmodum ipſe prædixerat, ab altiſſima quidem, ſed abſtractiva ad intuitivam Dei contemplationem evocaretur. Itaque correptus febri, quæ menſem, eoque amplius tenuit, quum quinta poſt die, quæ dies erat Aſſumptæ in Cælum Virgini dicata, Sacrum ultimum ad aram feciſſet, editis ſubinde, præcipue quum mors in propinquo eſſet, præclaris patientiæ, humilitatis, pietatis, fidei, fiduciæ, caritatis actibus, divina Euchariſtia refectus, ſacra Unctione roboratus; per idemque tempus raptus, atque ecſtaſes ſuaviſſimas paſſus, hilari animo, ridenti ore, vultu cæleſti luce perfuſo, ad Deum, quem unice quæſierat, e corporis vinculis evolavit XVIII. Kalend. Octobris anno ſalutis MDCLXIII.

Statim vero, nec dum tumulato corpore, ac multo magis proceſſu temporis ſupernaturalibus ſignis Deus SERVI SUI gloriam teſtatam facere cœpit. Quæ cauſſa fuit, cur biennio poſt de JOSEPHO Beatis adnumerando ageretur. Quocirca tribus ob eam rem per Epiſcopos Neritonenſem, Aſſiſiatem, Auximanum confectis proceſſibus, quibus alter acceſſit ex auctoritate Apoſtolica; eorumdem ſinceritate, atque integritate perſpecta, Prædeceſſor noſter Innocentius XI. ven. mem., qui JOSEPHI adhuc inter mortales agentis ſanctimoniam exploraverat, beatificationis illius Cauſſam Sacrorum Rituum cœtui commiſit. Satis longo poſt intervallo, tribus, quæ præire ſolent, habitis in eadem Congregatione Comitiis, quibus tum virtutum excellentia, tum miraculorum veritas ad exactam trutinam revocaretur; tandem Clemens XII. die XV. menſis Auguſti anno MDCCXXXV. declaravit conſtare de SERVI DEI virtutibus in gradu heroico. Quod vero ad miracula pertinet, Prædeceſſor etiam noſter Benedictus XIV. duo præ ceteris inſignia decreto ſuo comprobavit die IV. Octobris MDCCLII. Primum autem ex iis editum fuit in puero duodenni Stephano de Matthæis, qui ex ictu lapidis vulnerata, ac diſciſſa dexteri oculi pupilla; unde factum erat, ut exhauſtis humoribus, oculique proinde orbita introrſus depreſſa, videndi facultatem amitteret; quum ad BEATUM JOSEPHUM confugiens, ſepulcro ejus læſi luminis palpebram admoviſſet, ipſiſſimo temporis puncto oculum integrum, ve-

nu-

Digitized by Google

nuſtum, atque ad viſum aptiſſimum recuperavit. Alterum vero patratum fuit in Victorio de Matthæis parente pueri, de quo dictum eſt. Hic enim, quum per annos ſerme ſex alterum genu ex humorum, qui obduraverant, confluxu enormiter intumuiſset, ut ingredi, procumbere in genu, nonniſi ægre admodum poſset, quàm humanitus deſperatam nunquam tentaverat, in BEATI JOSEPHI ope, ac præſidio ſanitatem invenit. Vix namque affecto genu connixus eſt in ſuppedaneo altaris, JOSEPHI adhuc ex longo ibi precandi uſu veſtigia præferente, quum tumore omni ſublato, ſtatim incolume, atque expeditum ad motum genu perſenſit. Itaque idem Benedictus peculiares ob cauſsas compendiariam inſiſtens viam, litteras Apoſtolicas Beatificationis expediri juſsit ſub die xx. Februarii anni MDCCLIII., quibus publicatis in Baſilica Vaticana, ſollemnes Beatificationis ejuſdem cæremoniæ peractæ ſunt.

Cum JOSEPHO eſſet indulta veneratio, omnipotens Dominus per nova ſigna de augendo SERVI SUI cultu manifeſtam ſuam oſtendere dignatus eſt voluntatem. Propterea que alii tres Proceſsus Apoſtolica auctoritate ſuper novis miraculis conſtructi ſuere; iiſque Congregationis Sacris Ritibus præpoſitæ judicio exhibitis: poſtquam & proceſsuum validitas, & miraculorum veritas in Congregationibus antepræparatoria die XVIII. Septembris MDCCLXIV., & præparatoria die x. Decembris MDCCLXV. perquam diligenter expenſa fuit; Generalem coram nobis Congregationem die XXIII. Septembris anni proxime præteriti coegimus, in qua Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, ac dilectorum filiorum Conſultorum ſuffragia excepimus. Sed, ut maturius hac de re deliberaremus, ac noſtris, & aliorum precibus divinum a Patre luminum auxilium imploraremus, die XII. Octobris proxime præteriti de tribus ſequentibus miraculis per interceſſionem BEATI JOSEPHI a Deo patratis conſtare decretum edi, atque in acta referri juſſimus.

Primum miraculum compertum eſt in Maria Magdalena Panzironi die XXXI. Octobris MDCCLIII.. Scyrrhoſus tumor in ore ſtomachi prægrandis, ac durus pene inſtar lapidis eo miſeram adduxerat, ut motu, colore, pulſu, loquela ſenſim deficientibus, deſperata a medicis valetudine juſta illi funebria pararentur. Sed implorata, prout in illo pene ultimo agone potuit, BEATI JOSEPHI ope, hujuſque & reliquia digitis puellæ inſerta, & imagine mortifero tumori admota, ſtatim convaluit, ac veſpera ipſa, qua id contigerat, nullo alterius adminiculo ſurrexit e lectulo, ac cetera, quæ ſani, ac vegeti ſolent, munia obivit.

Altera naturæ vires exſuperans ſanatio contigit in cælibe fœmina Benedicta Pierangelini die XVIII. Januarii anno MDCCLVI.. Quum enim duæ polypoſæ moles vaſis cordis adhærentes præpedito liberiore ſanguinis curſu, per ſexdecim annos male illam habuiſſent, ut creberrima egeret phlebotomia, atque in præſocationis, & mortis diſcrimine identidem verſaretur; ad extremum, morbo per dies quindecim ingraveſcente cum lethalibus paroxyſmis, ſacris, quæ morituros ad felicem exitum juvant, myſteriis munienda fuit. Sub hæc nihilominus in ſpem erecta BEATUM JOSEPHUM animo invocans, præſentiſſimum ejus auxilium experta eſt. Applicata enim pectori ſacra illius reliquia graviſſimo quidem paroxyſmo corripitur, ſed tamen hunc ægra ad valetudinem evaſurum interius quodammodo perſentiſcere videbatur. Tum a chirurgo conſueta ſanguinis miſſione facta, quam abnuente medico, Benedicta petierat, ex inciſa vena, quam ſalvatellam vocant, polypoſæ illæ duæ carnoſæ ſubſtantiæ moles mirifice prodeuntes, multiplici ſupernæ virtutis miraculo, ſanam illam, ac ſoſpitem momento temporis reliquerunt.

Miraculo tertio, quod ſupra numerum vocant, ſanitati inſtantaneæ donatus eſt Bernardinus Senogallieſe mulio. Huic herpes in ulcus evaſerat ſæviſſimo quodam humore manans, qui & carnes ſcinderet, & pannos ipſos eroderet. Tum ab inguine ulcus ad genu perductum, gradiendi facultate intercepta, dolores præterea ciebat maximos, ut nullam quietis partim capere liceret.

ceret. In tanto diſcrimine, quum pia illius uxor ad BEATI JOSEPHI opem enixe implorandam in Eccleſiam ſe contuliſſet, ut mariti in doloris lecto decumbentis precibus & ſuas adderet; inter hæc BEATUS ipſe JOSEPHUS coram ægro ſe ſiſtit, atque illum ad recitandas ſecum Beatiſſimæ Mariæ Virginis litanias adhortatur. JOSEPHO igitur præeunte, reſpondente ægro ad ſingulas ſalutationes, ubi ad eam deventum eſt, qua Deipara ſalus infirmorum vocatur, repente ſimul cum viſione morbus omnis abſceſſit. Bernardinus e lecto proſiliens expedito gradu pergit ad templum, impenſas liberatori ſuo gratias acturus, & poſtera die ſuo mulionis miniſterio ſe reddit valens, ac vigens.

Approbatione miraculorum ſequuta, aliam Congregationem itidem generalem die XXVII. Januarii proxime elapſi coram nobis indiximus, ejuſque exquiſivimus conſilium, an more, inſtitutoque laudabili ipſius Congregationis, & juxta opportunas Prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutiones tuto ad BEATI JOSEPHI Canonizationem procedi poſſet: Patres omnes in ea ſuffragium ferentes unanimi ſenſu, & validis rationum momentis omnia, quæ in hujuſmodi Cauſa deſiderari poſſunt, ſatis abundeque ſuppetere ſunt arbitrati. Verum nos ab ea die divinum noſtris, & aliorum precibus implorantes lumen; die feſto Purificationis Beatæ Mariæ Virginis decretum, quod ad ſollemnem BEATI JOSEPHI Canonizationem procedi poſſet, edidimus.

Quoniam autem alias aliqui Chriſtiani Principes, & Præſules Eccleſiarum B. JOSEPHI Canonizationem peroptantes communibus votis, & poſtulationibus apud Prædeceſſores noſtros, & nos inſtiterant, & præclarus Ordo Fratrum Minorum Sancti Franciſci Conventualium nuncupatorum aſſidue aliorum poſtulationibus, & ſuas demiſſiſſimas adjungere non deſinebat, ut tandem ſupremam ſententiam ferremus. Nos idcirco compendium vitæ, virtutum, & miraculorum BEATI VIRI, ex iis, quæ Sacrorum Rituum Congregatio prævio ſevero examine admiſit, complectens, typiſque vulgatum ſingulis Venerabilibus Fratribus noſtris S.R.E. Cardinalibus diſtribui curavimus, ac ſubinde die XXVII. menſis Aprilis proxime præteriti ſecretum indiximus Conſiſtorium, in quo iiſdem S.R.E. Cardinalibus ſumma virtutum, & miraculorum BEATI JOSEPHI expoſita, eorum conſilium exquiſivimus, an ad ſollemnem hujus admirabilis viri Canonizationem eſſet procedendum. Cumque libentiſſime eorumdem Cardinalium animi ſenſus audiviſſemus oretenus affirmantium, id ipſis placere: ut adhuc in hac re maturius procederemus, Venerabiles etiam Fratres noſtros, Archiepiſcopos, & Epiſcopos in Italia degentes de hoc conſilio certiores fieri curavimus, eoſque hortati fuimus, ut ad Urbem accederent, nobiſque in re tanti momenti adeſſent: eos quoque per idem compendium typis vulgatum de Cauſſæ totius ſerie, atque virtutibus, & miraculis BEATI JOSEPHI ad plenum edoceri curavimus, & publico coram nobis die VII. nuper elapſi menſis Maji, habito Conſiſtorio, cui præter S. R. E. Cardinales, Patriarchæ quoque, Archiepiſcopi, & Epiſcopi in Urbe congregati interfuere, in illo de mandato noſtro dilectus filius Philippus Durani Conſiſtorialis aulæ noſtræ Advocatus dilucida oratione integram Cauſſam expoſuit.

Hiſce itaque præmiſſis, aliud die XV. menſis Junii ſubſequentis coegimus Conſiſtorium, in quo præter eoſdem S. R. E. Cardinales, & Patriarchas, Archiepiſcopos, & Epiſcopos, etiam noſtros, & Sedis Apoſtolicæ Notarios, Prothonotarios nuncupatos, ac duos ſeniores ex Cauſſarum Palatii noſtri Apoſtolici Auditoribus adſtare mandavimus. In eo ſiquidem nos ipſi verba fecimus, omneſque rogavimus, ut ſenſum ſuum aperirent, an Sancti cultus, & honos B. JOSEPHO jure ac merito a nobis decerni poſſet. Cumque univerſi ſumma conſenſione B. JOSEPHI Canonizationem probarent, & ſinguli benedicentes Domino BEATUM JOSEPHUM inter Sanctos numerandum eſſe reſponderent, nos prolatorum ſuffragiorum exempla a ſingulis ſubſcripta colligi, & in tabularium S. R. E. inferri, atque ab Apoſtolicæ Sedis Notariis publicum ea de re inſtrumentum confici mandavimus.

Publi-

Publicas deinde orationes, & dies generalis jejunii per Urbem indiximus, & tres Patriarchales Baſilicas deſignavimus, in quibus ſanctiſsimum Chriſti corpus publicæ venerationi per triduum exponi juſſimus, omnes Chriſtifideles hortando, ut omnipotentem Dominum nobiſcum precantes ſpiritum ſapientiæ, & intellectus nobis impertiretur, quo duce, quid ei placitum eſset dignoſceremus.

Hiſce omnibus rite abſolutis, quæ ex Sacris Conſtitutionibus, Romanæque Eccleſiæ conſuetudine peragenda erant, hac die demum Beatæ Mariæ Virgini de Monte Carmelo nuncupatæ dicata, qua a felicis recordationis Gregorio Papa IX. etiam Prædeceſsore noſtro Beatum Franciſcum ejuſdem Ordinis Minorum Fundatorem Sanctorum canoni adſcriptum fuiſse perhibetur, & qua decimus inchoatur annus a peracta Coronatione noſtra; in Baſilica Principis Apoſtolorum ſplendide, ac magnifice ornata, ad quam ſervata ſupplicationis publicæ forma nos præceſſerunt omnes Cleri ſecularis, & regularis Ordines, & Miniſtrorum Romanæ Curiæ Collegia, unacum Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, necnon Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis; priuſquam immaculatam hoſtiam ſollemni novæ legis ſacrificio omnipotenti Deo offerremus, inſtante iterum iterumque dilecto filio noſtro Carolo Tituli Sancti Clementis S.R.E. Presbytero Cardinali Rezzonico nuncupato, ejuſdem S. R. E. Camerario, ad Canonizationem impetrandam Procuratore conſtituto, decantatis ſacris Eccleſiæ precibus, ut Deiparæ Virginis, Angelorum, & Sanctorum omnium cum Chriſto regnantium intereeſſione divinam opem imploraremus, ac Paraclyto Spiritu cum gemitibus, ut adeſſet, invocato; ad honorem Sanctæ, & Individuæ Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicæ, & chriſtianæ religionis augmentum, auctoritate Domini Noſtri Jeſu Chriſti, Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & Apoſtolicæ auctoritatis plenitudine, ac de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in Urbe exiſtentium conſilio, & aſſenſu ipſum BEATUM JOSEPHUM A CUPERTINO Sacerdotem Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Conventualium nuncupatorum expreſſe profeſſum, unacum BEATIS JOANNE CANTIO, JOSEPHO CALASANCTIO A MATRE DEI, HIERONYMO ÆMILIANO, SERAPHINO A MONTE GRANARIO, AB ASCULO denominato, & JOANNA FRANCISCA FREMIOT DE CHANTAL Sanctum eſſe decrevimus, definivimus, ac Sanctorum catalogo adſcripſimus, illumque ab univerſis Chriſtifidelibus, tamquam vere ſanctum, religioſo cultu honorari mandavimus, prout etiam tenore præſentium definimus, decernimus, & declaramus: ſtatuentes, & concedentes, ut ab univerſali Eccleſia in ejus honorem Eccleſiæ, & altaria, in quibus ſacrificia Deo offerantur, ædificari, & conſecrari, & ſingulis annis die a Benedicto Prædeceſſore præfato in litteris illius beatificationis præſcripto, nempe decima octava Septembris ipſius SANCTI JOSEPHI A CUPERTINO inter Sanctos Confeſſores ab Eccleſia memoria recoli poſſit. Eademque auctoritate omnibus Chriſtifidelibus, qui eadem die annis ſingulis ad ſepulcrum, in quo corpus ejuſdem SANCTI JOSEPHI requieſcit, viſitandum acceſſerint, perpetuo ſeptem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis pænitentiis, miſericorditer in Domino in forma Eccleſiæ conſueta relaxamus.

Sub hæc Æternum Patrem, Regemque gloriæ Chriſtum Dominum Patris ſempiterni Filium, & Sanctum Paraclytum Spiritum, unum Deum, ac Dominum, cum debita gratiarum actione venerati, omnibuſque Chriſtifidelibus ibi præſentibus plenaria peccatorum remiſſione, & indulgentia conceſſa; ſupra Beati Petri Confeſſionem ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium ſollemniter celebravimus facta eorumdem Sanctorum ſpeciali commemoratione.

Laudum igitur, & gratiarum debita Omnipotenti Deo præconia referamus, qui novis ſemper Eccleſiam ſuam & exemplis inſtruit,

ſtruit, & decorat ornamentis; ita quidem, ut in BEATUM JOSEPHUM intuentes, videant hæretici, & reſipiſcant, vel fracti pudore contabeſcant, dum Religionis Orthodoxæ tàm perſpicuas notas agnoſcunt. Videant præcipue Catholici, & imitari ſtudeant quod celebrare delectat: quod ſi SANCTI JOSEPHI raptus, atque ecſtaſes aſſequi in noſtra non eſt poteſtate, ſed in Dei imperſcrutabili voluntate, qui dividit ſingulis, prout vult; illud tamen profecto conari & poſſumus, & debemus, ut avulſo a terrenis animo, corpore quidem peregrini ſimus, atque advenæ, ſpiritu vero cives Sanctorum, & domeſtici Dei. Flagrantiſſimus illius erga Deum amor vim ſuam vel in corpus exeruit, perinde quaſi in anteceſſum agilitatis dotem induiſſet. Nobis illud ſatis ſit, ut per pias, & crebras divinarum rerum meditationes mens expedita, atque alacris ad Cœlum aſſurgat.

Quoniam vero, hiſce omnibus de more peractis, idem Carolus Cardinalis, & Procurator deſignatus, a nobis, quo par erat obſequio, poſtulavit, ut Apoſtolicas noſtras litteras in geſtorum omnium perenne monumentum decerneremus; nos petitioni perquam libenter annuentes, præſentes noſtras litteras edi, & palam fieri demandavimus: ſtatuentes earumdem exemplis etiam impreſſis, ab aliquo ex Notariis publicis ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eamdem prorſus fidem ab omnibus adhiberi, quæ ipſis originalibus litteris adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc noſtræ definitionis, decreti, adſcriptionis, mandati, ſtatuti, conceſſionis, relaxationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire; ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDCCLXVII. decimoſeptimo Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri anno decimo.

✠ Ego Clemens Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.



✠ *Ego C. A. Epiſcopus Oſtien. & Veliternen. Card. Cavalchini Sacri Collegii Decanus.*

✠ *Ego F. M. Epiſcopus Portuen. & S. Rufinæ Card. Lantes.*

✠ *Ego J. F. Epiſcopus Sabinen. Card. Albani.*

✠ *Ego H. Epiſcopus Tuſculan. Card. Dux Eboracenſis S. R. E. Vicecancellarius.*

✠ *Ego*

✠ *Ego F. Epiſcopus Albanen. Cardinalis Serbellonus.*

✠ *Ego J. F. Epiſcopus Praneſtin. Cardin. Stuppanius.*

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠ *Ego C. Tit. S. Clementis Presbyter Card. Rezzonico S.R.E. Camerarius.*

✠

✠ *Ego F. M. Tit. Sancti Sylveſtri in Capite Presbyter Cardinalis de Rubeis.*

✠

✠

✠ *Ego J. M. Tit. S. Alexii Presbyter Card. Caſtelli.*

✠ *Ego C. Tit. Sancti Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis Elephantutius.*

✠ *Ego P. H. Tit. SSmæ Trinitatis in Monte Pincio Presbyter Card. Gagliemi.*

✠ *Ego P. P. Tit. S. Stephani in Monte Cœlio Presbyter Card. de Cômitibus.*

✠

✠ *Ego Fr. L. Baſilicæ Sanctorum XII. Apoſtolorum Presb. Card. Ganganelli.*

✠ *Ego M. A. Tit. Sanctæ Mariæ de Pace Presbyter Cardinalis Columna.*

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠ *Ego S. Tit. S. Joannis ante Portam Latinam Presbyter Card. Buonaccorſi.*

✠

✠ *Ego J. C. Tit. SS. Joannis, & Pauli Presbyter Card. Boſchi Major Pœnitentiarius.*

✠ *Ego L. Tit. S. Anaſtaſiæ Presbyter Card: Calinus.*

✠

✠ *Ego A. Tit. Sanctæ Mariæ in Via Presbyter Cardinalis Columna Branciforti.*

✠

✠

✠ *Ego P. Tit. S. Mariæ Transtiberim Presbyter Cardinalis Pamphilius.*

✠

✠ *Ego Ph. M. Tit. S. Chryſogoni Presbyter Card. Pirellius.*

✠

✠

✠

✠

✠

✠ *Ego A. Sanctæ Mariæ in Via Lata Prior Diaconorum Cardinalis Albanus.*

✠ *Ego N. S. Euſtachii Diaconus Cardinalis Corſinius.*

✠ *Ego D. Sanctæ Mariæ ad Martyres Diaconus Card. Urſinus.*

✠ *Ego Fl. Sanctæ Mariæ in Portica Diaconus Card. Chiſius.*

✠ *Ego A. M. Sanctæ Agathæ ad Subaram Diaconus Card. Torrigiani.*

✠

✠ *Ego J. C. Sancti Cæſarei Diaconus Cardin. Caracciolus de Sancto Bono.*

✠ *Ego N. Sancti Georgii in Velabro Diaconus Card. Perrelli.*

✠ *Ego A. Sancti Angeli in Foro Piſcium Diaconus Cardinalis Corſinius.*

✠ *Ego A. Sanctorum Viti, & Modeſti Diaconus Cardinalis Nigronus.*

✠ *Ego Æ. S. Sancti Adriani Diaconus Cardinalis Piccolomineus.*

✠ *Ego X. Sanctæ Mariæ de Scala Diaconus Card. Canale.*

✠ *Ego B. Sanctorum Coſmæ, & Damiani Diaconus Cardinalis Veterani.*

✠

C. Card. Pro-Datarius.

A. Card. Nigronus.

VISA

De Curia J. Manaſſei.

L. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

LIT-

LITERÆ DECRETALES
SUPER
CANONIZATIONE
B. HIERONYMI ÆMILIANI

Fundatoris Clericorum Regularium
Congregationis Somaſchæ.

CLEMENS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

SAnctitas, quæ nuſquam alibi, quam in civitate Domini virtutum, hoc eſt in Catholica Romana Eccleſia, reperiri poteſt, quæque proinde una eſt e notis ad eam dignoſcendam maxime illuſtribus; quamquam virtutes omnes communi nexas vinculo complectatur; multiformis tamen Dei gratia ita voluntates ſervorum ſuorum afficit, ac diſponit, ut aliam alii virtutem potiſſimum conſectentur, in eaque çolenda, atque exercenda maxime excellant. Inde enim oritur mirifica illa varietas, qua ſtella a ſtella differt in claritate, atque ut diverſæ hominum conditiones, atque indoles ſuum quæque habeant apprime accomodatum ad imitandum exemplar. Quum autem benigniſſimus Deus Patrem ſe miſericordiarum eſſe, & vocari gaudeat, & miſericordiæ operibus ſummopere delectetur; ob eam rem homines ſubinde virtutis hujus exercitationi ſingulari quodam modo addictos in Eccleſia ſua ſibi delegit, qui viri miſericordiæ forent, & variis mortalium calamitatibus ſublevandis ſe totos impenderent. Itaque, cum inter alias hujus vitæ calamitates non poſtremo loco numeranda videatur orbitas puerorum, qui vel altero, vel utroque parente carent, divinæ utique providentiæ fuit e ſervorum ſuorum numero aliquos ad hoc potiſſimum eligere, ut præcipuam ejuſmodi puerorum curam gererent, iiſdemque non modo de victu, & cultu, ſed etiam de recta inſtitutione, atque educatione proſpicerent. Quocirca omnipotentis Dei providentia dedit Eccleſiæ ſuæ B. Hieronymum Æmilianum, qui hoc ipſum orphanos educandi munus ſibi depoſceret, & clariſſimo quamvis genere ortus, atque in ſplendidiſſimis rei pacificæ, & militaris muneribus magna cum laude verſatus, ut id præſtaret, ad quod divinitus vocabatur, ad infima quæque, & abjectiſſima in oculis hominum miniſteria deſcendere non erubeſceret. Quandoquidem igitur ſanctitatis omnis fons, & origo divina bonitas, quæ novos ſemper in Eccleſia ſuſcitat imitatores caritatis, & miſericordiæ ſuæ, his præcipue virtutibus B. Hieronymum Æmilianum ornavit, atque ad eas ipſas chriſtiano populo commendandas miraculorum etiam teſtimonium addidit valde perſpicuum; nos propterea utriſque ad trutinam diu multumque revocatis, de conſilio Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, accedente etiam judicio Patriarcharum, & plurimorum Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in Curia congregatorum, & ſuper hæc ſuperno lumine Spiritus Sancti implorato, eumdem B. Hieronymum Æmilianum Sanctorum

faſtis

faſtis adſcribimus, atque eo, qui Sanctis in Cœleſti ſede regnantibus exhibetur, cultu proſequendum, & venerandum eſſe pronunciamus, atque decernimus.

E parentibus patricia nobilitate clariſſimis ortum habuit BEATUS HIERONYMUS ÆMILIANUS, vulgo Mlani, anno a Virginis partu MCCCCLXXXI.. In hoc, quod gratia poſſit efficere ad quamlibet indolem in melius mutandam, luculenter ſane perſpectum eſt. Ingentes ille, ſive a natura, ſive a majorum exemplo ſpiritus hauſerat, ob eamque rem ad arcem quamdam, quæ acri hoſtium obſidione premebatur, tuendam perquam idoneus eſt viſus, ſed propugnatorum paucitas tametſi virtute HIERONYMI diu ſuſtentata, numerum, & vim longe majorem hoſtium non tulit. Victus itaque, atque in carcerem ab hoſte detruſus, manicisque, & compedibus, & catenis revinctus, quod diutius tam exiguo cum numero militum reſtitiſſet, conſtantiæ ſuæ pœnas dare coactus fuit. Sed quo immitiorem hoſtem, eo benigniores in ſeſe Cœlites expertus eſt. Dum enim ferox ingenio juvenis infortunio manſueſactus, atque humanarum rerum inſtabilitatem edoctus, ad maximam poſt Jesum ſpem noſtram Deiparam Virginem confugit, votoque ſe obſtringit celeberrimæ cujuſdam ſacræ ædis Tarviſinæ pie, ſancteque inviſendæ, ſi præſentem ejuſdem opem in tanto diſcrimine experiretur; fuſas ex animo incenſas preces miſericordiæ Mater exaudit, eique ſuis ipſa manibus vincla ſolvit, & claves carceris tradit. Ille catenas, & ſaxum, quo ad collum appenſo pronum ad terram caput demittere cogeretur, omnia ſecum aſportat. Tum Virgine pariter adjutrice oſtia carceris reſerans, e ſquallente cuſtodia ſe proripit. Sed quum per medios hoſtes incedendum eſſet, novo iterum favore Virginis ipſum benigniter manu ducentis impune pergens, magna cum animi alacritate eo, quo ſtatuerat, recta ſe contulit; ibi ad aram auguſtæ Servatricis ſuæ provolutus, manantibus præ gaudio lacrymis, corde magis, quam ore gratias eidem agens quantas poterat maximas, catenas, manicas, compedes, globum ſaxcum, quæ hodieque viſuntur, omnia ibi depoſuit redditæ ſibi per Virginem monumenta libertatis. Venetias inde revertens, longe alius ac inde diſceſſerat, decretos ſibi a Republica honores aſpernatus, per annos octo vitam in urbe ipſa ſolitariam, atque ab hominum conſortio remotam egit, utl liberius Dei cultui, & filiorum fratris educationi operam daret. Verum bis incluſa ſeptis HIERONYMI caritas diutius ſe continere non potuit; urgente etenim Venetiis magna annonæ penuria, ac dira contagione graſſante, illius miſericordia, pravo pudore poſthabito, palam prodiit. Strata paſſim per vias eorum, quos fames, morbuſve conſecerat, corpora noctu ſuis ipſe humeris aſportans, inſepulta jacere non patiebatur. Interdiu vero vagantes per compita, & cibum, veſtem, tectum quærentes pueros convocare, & in conductam ab ſe domum recipere. Aucto inopum, & miſerorum numero, in illius pectore augeſcebat & caritas, in pueros præſertim orbos parentibus. Quamobrem divendita domeſtica ſupellectili ſatis ampla ad eoſdem alendos; ſtipem præterea pro illis per urbem corrogare tanto genere natus nequaquam erubeſcebat. Sed cura potiſſimum in eo erat, ut eoſdem chriſtianis dogmatibus erudiret, & bonis moribus informaret. Ad hæc ne adultis deeſſet quo ipſi ſibi victum quærerent, mechanicam ut quiſque artem addiſceret proſpiciens, in poſterum ſatagebat. Nuſquam tamen HIERONYMI caritas præclarius ſui ſpecimen dedit, quam laborantes impetigine, aliiſque idgenus fœditatibus pueros, velut ſedula mater, ſua ipſe manu curabat, & quandoque, ut refugientem ejuſmodi officia naturam vinceret, matris quoque amorem exſuperans, manantibus ſanie illorum ulceribus os admovebat. Venetiis tanta ſe caritas continere non potuit. Quocirca in vicinas excurrens inſulas collectos ibi orphanos, atque egenos pueros duabus in domibus collocat; quos tamen deinde tranſtulit in hoſpitale incurabilium, cujus a Præſidibus oblatam adminiſtrationem libenter ſuſceperat. Veronæ pariter, & Brixiæ domum orphanis, ac leges conſtituit. Bergomum inde eodem conſilio quum pergeret,

ret, metentes in agris operarios nactus, curvam & ipſe falcem ad opus arripit, blandeque ſe inſinuans in agreſtium animos rerum divinarum ignaros docet quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem, atque a cantionibus prophanis, & minus pudicis abſterritos ad pias, & ſanctas Chriſtianorum preces decantandas hortatur. Ut vero in eam urbem venit, idem pietatis opus aggreſſus facile ad effectum perduxit, idemque pariter, quod Venetiis præbuit virtutis ſpecimen ſingulare. Id autem multo clarius tum cœpit eſſe, quum deficientibus die quadam obſoniis, HIERONYMI cum pueris ornatis precibus factum eſt, ut ingredientes triclinium parata ibi divinitus fercula pluſquam ſuffectura invenirent. Fuit & illud in ea civitate perutile æque ac difficile caritatis ejuſdem opus, quod publicas in perniciem civium mulieres lucri Deo fecit, atque ad pœnitentiam adductas,præſcriptis ab ſe legibus vitam acturas ſeptis incluſit. Sed quum frequenti barbarorum incurſione multa in finitimas regiones vitia irrepſiſſent, ſtudio animarum exſtimulante, iis remedium parare quoquomodo conſtituit. Delectis itaque ex numero orphanorum, quos pietate, atque intelligentia maxime idoneos duceret, pagos, & villas cum iis circumiens, præeunte ſalutifero Crucis inſigni,populos undequaque ad ſe convocabat. Tum docere quæ ad fidem pertinent, ponere ante oculos parata fontibus ſempiterna ſupplicia, abſterrere a vitiis, ad pœnitentiam impellere, hæc, & id genus alia erant, in quibus ſermo ejus ſimplex, & planus, ſed magno cum ardore animi verſabatur. Novocomi poſt peragrata, quæ circum oppida erant, pari ſedulitate duas orphanorum domos, & familias conſtituit, iiſdemque viros præficit ſuo ſpiritu imbutos, quos ſibi ſocios adjunxerat. Ipſe Bergomatum valle iterum perluſtrata in pagum Venetæ ditionis, Somaſcha denominatum,qui locus ad pœnitentiam propter aſperitatem, ad contemplationem propter ſolitudinem, ad ſalutem animarum propter rudium populorum inſcitiam opportunus præ cæteris viſus eſt, ſe recepit, & inibi domicilium ſibi, ac ſedem, in qua diutius, libentiuſque degeret, locavit, ac ſtatuit. Huc igitur advocans laborum ſuorum ſocios, pias illis leges præſcribit, quibus & ſociorum ipſorum, & puerorum inſtitutio contineretur. Ex eo autem loco factum eſt nomen Congregationi Clericorum Regularium, quam HIERONYMUS divino conſilio ad Chriſtianæ Reipublicæ utilitatem inſtituit. Mediolani deinde repudiatæ ingenti pecunia,quam Dux ad experimentum ſanctimoniæ dono miſerat, facile auxilium ab illo impetravit, ac domum, ubi orphanos collocaret. Hic autem, ſi unquam alibi, caritati ipſius ſatis ampla meritorum ſeges oblata eſt. Quum enim per id tempus in magna illa urbe lues vix ulli parcens fœdiſſime graſſaretur, HIERONYMUS frequenti mortis imagine nihil territus, inviſendis ægris, ſublevandis pauperibus, ad pietatem, ac pœnitentiam omnibus cohortandis præſto aderat. Caritatis autem tam alacris præmium, utique exiſtimandum, & miraculi loco merito habendum videtur, quod ex orphanis, & miniſtris non paucis orphanotrophii nemo unus fuerit in tam multorum civium interitu deſideratus. Quibus ex rebus increbeſcente fama HIERONYMI ſanctitatis factum eſt, ut complures, & quidem e nobilibus, atque opulentis familiis, illius Inſtitutum amplecterentur, & veſtigiis inſiſterent. Papiæ itidem domo excipiendis orphanis conſtituta, Somaſchæ denuo ſe reddidit, ubi illud plane memorabile, quod, quum fratres duo ex diro inter ſe diſſidio conviciis, non ſibi modo, ſed Deo etiam contumelioſis certarent, cum nihil monitis, atque obteſtationibus profeciſſet; ingeſto demum ſibi in os cœno, ut pro eorum noxa aliquam vindici Deo pœnam exſolveret; ad poſcendam a Deo veniam, & mutuam inter ſe concordiam renovandam adegit. In montis, qui Somaſchæ imminet vertice humilem ſibi, & ſuis caſam parat, architectus idem & faber, & bajulus: huic parvum addit tugurium in medio clivo aptum ægrotantibus valetudinarium; opportunum item propter propinquitatem degentibus Somaſchæ orphanis quotidie reviſendis locum. Deerat hic aquæ: ſed fuſis ad Deum precibus fontem eli-

elicit e vicina rupe non ſitientibus modo, ſed ægris etiam ſalutarem. Signo Crucis lupos in ſugam vertit: eodem ſanat repente ruricolam, qui grave ſibi, dum ligna ſcindit, vulnus inflixerat. Panem item, & vinum multiplicat. Hæc ille, atque alia mira patrabat, quæ tamen ipſe, qua erat humilitate, puerorum innocentiæ, & pietati tribuere ſolebat. Beatiſſimæ Virginis Mariæ cultui addictus quam qui maxime, eumdem & aliis inſtillare, atque inſerere ſtudebat ſedulo. Multo etiam magis ejuſdem erga Divinam Eucbariſtiam, & Sacramentum Pœnitentiæ religio, & pietas eluxit. Pedeſtri itinere Venetias rediens hoſpitalia viſitat. Tum Veronæ, Brixiæ, Bergomi aliquandiu ſubſtitit, caritate, & paupertate ubique ſimilis ſui. Illi Bergomenſis eivitas orborum parentibus pucrorum, ac puellarum domos; illi reſipiſcentium mulierum ſeptum, & Capuccinorum cœnobium accepta refert. Denique poſt petitam ab Epiſcopo Teatino, qui Veronæ tunc diverſabatur, beuedictionem ultimam Somaſcbam revertitur. Ibi vero, propinquæ mortis præſcius, ſi unquam antea, ſolitariam, atque aſperam vitam inſtiuuit; flagris, inedia, ſiti, ſomno breviſſimo, eoque oudo ſuper lapide corpus affli-ctat. Spiritum vero diurnæ, ac nocturnæ, orationis pabulo alit, ac reficit. Sed profecto, qui addictam ſemper caritatis operibus vitam duxerat, non aliter utique, quam inter eadem caritatis officia finire vitam decebat. Cum igitur Somaſcham lues infeſtaret, quid valeat incenſus amor in proximum tunc maxime oſtendit. Dici vix poteſt, quot, quantoſque labores exhauſerit, dum peſtifero morbo correptos inviſit, dum morientibus quoquomodo ſubvenire nititur, dum mortuos ſuis ipſe humeris tumulandos exportat; neque vero unquam deſtitit, niſi poſtquam eodem & ipſe morbo implicitus eſt, pulcherrima caritatis victima moriturus. Ad mortem ergo decumbens, ſuos, atque externos piis, ſanctiſque monitis adhortatus; atque extremo Sacramentorum præſidio munitus, hilari animo, ſereno vultu, poſt iterata ſuaviter dulciſſima Jeſu, & Mariæ nomina acceptiſſimum Conditori, & Servatori ſuo ſpiritum reddidit die Februarii octava anno MOXXXVII.. Ad corpus demortui, quem tamquam patrem omnes habuerant, frequens e finitimis pagis concurſus factus eſt populorum, quibus ut copia fieret illius venerandi, ad plures dies differri ſepulturam oportuit. Sanctus autem, ut baberetur, & vocaretur HIERONYMUS, edita ante, & poſt obitum ſuperna ſigna ſuadebant. Illud conſtat Sanctum Carolum Borromæum, quum eo veniſſet illius oſſibus ſuavi ſeſe odore prodentibus thuris honorem tribuiſſe. Præter miracula quædam ab Auditorio Cauſſarum Palatii Apoſtolici, prout ea ferebant tempora, anno MOCXXX. apud fel. record. Urbanum PP. VIII. Prædeceſſorem noſtrum commendata, alia relata fuerunt in acta proceſſus ex Apoſtolica auctoritate Somaſchæ peracti anno MDCLXXVIII.

Porro virtutum HIERONYMI præſtantiam in gradu heroico, auditis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, qui ſacris Ritibus præſunt, & Conſultorum ſuffragiis, declaravit Clemens XII. etiam Prædeceſſor noſter decreto ſuo die XXV. Auguſti MDCCXXXVII. edito. Jam vero quod attinet ad miracula HIERONYMI interceſſione a Deo patrata, per quæ ad Beatificationem aperiretur via, ejuſdem recordationis Benedictus XIV. Prædeceſſor quoque noſter duo præ cæteris per decretum die XXIII. Aprilis MDCCXLVII. approbatu digna comperit. Primum quidem in Hieronyma Durighella Venetiis anno MDCCXXXVII., quæ quum babituali morbo ſcorbutico, atque inde ortis malignis ulceribus, diris convulſionibus, aliiſque deterrimis ſymptomatibus laboraret per annos complures, quorum quatuor extremos lecto affixa miſerandum in modum tranſegerat, invocato HIERONYMO ſtatim convaluit. Sanatio altera inſtantanea ſupra vires naturæ contigit anno MOCCXXXVIII. in puero ſepteuni Antonio Blauchini ab inſanabili morbo comitiali, qui ab incunabilis uſque ſæpiſſime diebus ſingulis male illum habuerat. Sub hæc

idem

idem Benedictus Prædeceſſor die v. Auguſti anni MDCCXLVII. tuto ad Beatificationem deveniri poſſe pronunciavit. Quod quidem decretum effectum habuit die XXII. ſubſequentis menſis Septembris editis litteris illius Beatificationis, cujus ſacræ cæremoniæ in Vaticana Baſilica die XXIX. ipſius menſis peractæ ſunt.

Quum vero alia deinde miracula ad Canonizationem viam ſternere viderentur, novi auctoritate Apoſtolica Proceſſus confecti ſunt, quorum validitas primum ab ipſa Congregatione die VII. Maji MDCCLXIII., deinde vero a nobis die XIV. ejuſdem menſis probata fuit. Comperta itaque Proceſſuum validitate, cœptum eſt agi de miraculis ipſis in ſpecie, & poſt coactas Congregationes, antepræparatoriam V. Februarii MDCCLXV., præparatoriam vero IV. Martii MDCCLXVI. In Comitiis denique generalibus coram nobis habitis die XIII. Maji ejuſdem anni, duo miracula mox adſcribenda digna ſunt habita, quæ probarentur. Verum nos, ſumpto adhuc ad invocandum Patrem luminum ſpatio, die tandem menſis ejuſdem Maji XXV. conſtare de duobus miraculis pronunciavimus. Miracula autem hæc ſunt. Primum contigit in ſorore Maria Geſualda Pocobella menſe Junii MDCCXLVIII. ſupra naturæ vires B. HIERONYMI interceſſione ſanata, cum ex peſſimo ulceroſo humore in tarſo ſiniſtri pedis caro, & oſſa computruiſſent. Alterum naturæ vim ſupergrediens per ejuſdem BEATI opem ſanatio cum ſubita virium redintegratione menſe Aprili MDCCLIV. perſpecta eſt in Eliſabetha Zandanillia, quam colica nephritica, aliæque pravæ affectiones in extremum vitæ diſcrimen adduxerant. Propoſito ſub hæc dubio in Congregatione Generali habita coram nobis die XXIII. Septembris MDCCLXVI.: an ſtante approbatione duorum miraculorum ad ſollemnem BEATI HIERONYMI ÆMILIANI Canonizationem tuto procedi poſſet; nos tametſi Cardinales, & Conſultores in affirmantem ſententiam convenientes audiviſſemus, ante decreti editionem faciendum duximus, ut iterum, iterumque fuſis precibus Deum conſuleremus; denec tandem die XII. Octobris anni proximi præteriti Canonizationis BEATI HIERONYMI ÆMILIANI quandocumque faciendæ decretum edi, & in acta Sacræ Congregationis Rituum referri mandavimus.

Hoc edito decreto, preces, quas Apoſtolicæ Sedi aliqui Chriſtiani Principes, & præcipue dilecti filii, nobiles viri, Dux, & Reſpublica Venetiarum ab hujus cauſſæ exordio obtulerant, nobis iterum exhibitæ fuere, Congregatio vero dilectorum filiorum Clericorum Regularium de Somaſcha nuncupata aſſidue aliorum poſtulationibus & ſuas demiſſiſſimas preces adiicere non deſinebat, ut peroptatam Canonizationis ſententiam ferremus. Nos idcirco prius univerſo S. R. E. Cardinalium Collegio compendium vitæ, virtutum, & miraculorum BEATI HIERONYMI, ex iis, quæ Sacrorum Rituum Congregatio, habito diligenti examine, probavit, depromptum, & impreſſum diſtribui juſſimus, mox ſecretum die XXVII. Aprilis vertentis anni indiximus Conſiſtorium, atque in eo poſtquam ſumma virtutum, & miraculorum BEATI HIERONYMI ipſis S. R. E. Cardinalibus expoſita fuit; nos ipſi eos alloquuti, ſingulorum conſilium exquiſivimus, an ad ſollemnem Canonizationem eſset procedendum BEATI VIRI, qui inter heroicas virtutes, quas in ejus animum divina indidit gratia, ſingulari excelluit in proximum caritate, cui exercendæ præſertim erga pauperes orphanos, & humano præſidio deſtitutos, ſtudium omne contulit ſuum; cumque eorumdem Cardinalium animi ſenſus, id ſibi placere affirmantium, ingenti cum animi noſtri lætitia audiviſſemus; ut adhuc in hac re tutius, & juxta laudabilem Apoſtolicæ Sedis conſuetudinem procederemus, Venerabiles etiam Fratres noſtros Archiepiſcopos, & Epiſcopos in Italia degentes, de conſilio noſtro commonefaciendos curavimus, itemque adhortandos, ut ad Urbem intra præſtitutum tempus venientes in tam gravi negotio ſuffragiis ſuis, & precibus adjuvarent. Ejuſdem compendii exempla illis tradi juſſimus, utque de totius cauſæ B. HIERONYMI ſerie, atque de virtutibus, & mira-

 culis

culis ab Apoſtolica Sede approbatis cumulatius erudirentur; publicum coram nobis die IX. menſis Maji proxime elapſi Conſiſtorium convocavimus, cui præter S. R. E. Cardinales, Patriarchæ quoque, Archiepiſcopi, & Epiſcopi in Urbe congregati interfuere, atque in illo, impetrata a nobis venia, dilectus filius Julius Cæſar Fagnani Conſiſtorialis aulæ noſtræ Advocatus pro ejuſdem Beati Hieronymi Canonizatione gravi, & ornato ſermone peroravit. Nos vero ob rei gravitatem eoſdem Cardinales, Patriarchas, Archiepiſcopos, & Epiſcopos ibidem præſentes magnopere hortati fuimus, ut jejuniis, & orationibus inſtarent apud eum, qui dat omnibus affluenter, & non improperat.

Poſt hæc, Conſiſtorio ſemipublico die XV. nuper elapſi menſis Junii indicto, præter eoſdem Cardinales, & Patriarchas, Archiepiſcopos, & Epiſcopos, etiam noſtros, & Sedis Apoſtolicæ notarios, duoſque antiquiores ex cauſſarum Palatii Apoſtolici Auditoribus intereſſe juſſimus. Ibi autem nos univerſos, qui convenerant, alloquuti, ſingulorum ſuffragium exquiſivimus, an Sancti cultum, & honorem Beato Hieronymo tribui oporteret: cumque omnes, gravibus allatis cauſſis, Beati Viri Canonizationem non modo probarent, ſed juſtum id, atque æquum cenſerent, perjucunda nobis fuit illorum in idem placitum mira conſenſio.

Verumtamen, ad implorandam uberius Dei miſericordiam, qui mitteret nobis auxilium de ſancto triduanum in Urbe jejunium indiximus, & tres Patriarchales Baſilicas deſignavimus, in quibus Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum per totidem dies publicæ venerationi exponeretur, omneſque Chriſtifideles hortati fuimus, ut ſacramentali peccatorum Confeſſione expiati, & Chriſti corpore refecti, jejuniis, & orationibus Omnipotentem Dominum nobiſcum una obſecrarent, ut ſedium ſuarum aſſiſtricem ſapientiam nobis impertiretur, cujus affulgente luce, quid ei placitum eſſet, dignoſceremus, indulgentia ad id, & plena peccatorum remiſſione conceſſa. Nos itaque præter diurnas, & aſſiduas humilique fiducia effuſas privatas preces, ad eaſdem Baſilicas viſitandas tribus deſignatis diebus reverenter acceſſimus, atque non ſine animi noſtri ſancta exultatione ſpectavimus confluentem ad eas ſumma cum religione totius fere Romani populi multitudinem, & ſua de Beatis in Sanctorum numerum cooptandis vota, vultu ipſo, atque oculis præferentem.

Hac die denique Beatiſſimæ Virgini Mariæ de Monte Carmelo dicata, qua Coronationis noſtræ recurrunt ſollemnia, ad Baſilicam Principis Apoſtolorum ſplendide, & magnifice ornatam, ſervata ſupplicationis publicæ forma, & præcedentibus omnibus Cleri ſecularis, & regularis Ordinibus, & Miniſtrorum Romanæ Curiæ Collegiis, unacum Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis perreximus. Atque ubi ad Confeſſionem Beatri Petri ventum eſt, antequam ſacris ſollemnibus operaremur, poſtulante ſemel, atque iterum dilecto filio noſtro Carolo Tituli Sancti Clementis S. R. E. Presbytero Cardinali Rezzonico nuncupato ejuſdem S. R. E. Camerario, ad Canonizationem impetrandam Procuratore conſtituto, decantatæ fuere ſacræ Eccleſiæ preces, ut Deiparæ Virginis, Angelorum, & Sanctorum omnium cum Chriſto regnantium interceſſione divinum nobis adeſſet auxilium. Tum Paraclyto Spiritu cum gemitibus invocato, ad honorem Sanctæ, & Individuæ Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicæ, & Chriſtianæ Religionis augumentum, auctoritate Domini Noſtri Jeſu Chriſti, Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & Apoſtolicæ noſtræ auctoritatis plenitudine, ac de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in Urbe congregatorum conſilio, & aſſenſu, ipſum Beatum Hieronymum Æmilianum Fundatorem Congregationis Clericorum Regularium de Somaſcha denominatæ, unacum Beatis Joanne Cantio, Joſepho Calaſanctio a Matre Dei, Joſepho a Cupertino, Sera-

phi-

phino a Monte Granario, ab Asculo denominato, & Joanna Francisca Fremiot de Chantal, Sanctum eſſe decrevimus, ac Sanctorum catalogo adſcripſimus, illumque ab univerſis Chriſtifidelibus, tamquam vere Sanctum, religioſo cultu honorari mandavimus, prout etiam tenore præſentium definimus, decernimus, & declaramus: ſtatuentes, & concedentes, ut ab univerſali Eccleſia in ejus honorem Eccleſiæ, & altaria, in quibus Sacrificia Deo offerantur ædificari, & conſecrari, & ſingulis annis die octava menſis Februarii ipſius Sancti Hieronymi Æmiliani inter Sanctos Confeſſores ab Eccleſia memoria recoli poſſit. Eademque auctoritate omnibus Chriſtifidelibus, qui eadem die annis ſingulis ad ſepulcrum, in quo corpus ejuſdem Sancti Hieronymi conditum ſervatur, viſitandum acceſſerint, perpetuo ſeptem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis pœnitentiis miſericorditer in Domino in forma Eccleſiæ conſueta relaxavimus.

Mox decantato pro debita gratiarum actione laudis, & confeſſionis hymno, omnibuſque Chriſtifidelibus, qui ad tantam celebritatem confluxerant, plena peccatorum remiſſione, & indulgentia conceſſa, ſupra Beatiſſimi Apoſtolorum Principis Confeſſionem, ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium ſollemniter celebravimus, facta eorumdem Sanctorum ſpeciali commemoratione.

Jam vero, ſi omnino decet laudare Dominum in Sanctis ejus, in Beato utique Hieronymo peculiarem quamdam habemus rationem, cur id præſtare debeamus; etenim quum Chriſtianæ, & Catholicæ Religionis inſigne quoddam, ac veluti teſſeram Chriſtus Jeſus mutua in caritate conſtituerit; hæc profecto teſſera, hoc inſigne, in quo vere divini Præceptoris diſcipuli cognoſcantur, tum in aliis quolibet tempore, tum in Sancto Hieronymo præſertim enituit, ita quidem ut ad ſimilitudinem Dei, qui Pater dicitur orphanorum, maxime accedere videretur. Qua quidem in re, & Catholicam Eccleſiam novi Ordinis inſtitutione illuſtriorem reddidit, & evangelicæ pietatis cultoribus exemplum reliquit, quo ſcilicet in miſericordia erga pauperes exercenda ad Patrem miſericordiarum imitandum excitarentur. Dum igitur Eccleſiam ipſam novis in diem ſplendoribus coruſcare gaudemus, ad eos illuminandos, qui in tenebris, & in umbra mortis ſedent, illud ſimul curare omni ſtudio debemus, ut quæ in Eccleſia quotidie inſtaurantur exempla virtutum, non fruſtra nobis propoſita eſſe videantur.


Hic autem prætermittere illud non poſſumus, ut Venetæ urbi, in qua natos nos eſſe gloriamur, magnopere in Domino gratulemur. Etenim, ſi præclarum eſt ei cives habuiſſe per omnes ætates, tum pacificis, tum militaribus artibus memorandos, longe utique præclarius eidem eſſe fatendum eſt, quod viros ſanctos habuerit, quos heroica chriſtiana virtus inter Superos collocavit, quique, ut olim in terris, ſic multo magis in Cœlis patriæ ſint præſidium & decus.

His igitur omnibus peractis, cum idem Carolus Cardinalis, & Procurator deſignatus a nobis obſequenter petierit, ut Apoſtolicas noſtras litteras in geſtorum omnium perenne monumentum decerneremus. Nos petitioni perquam libenter annuentes, præſentes noſtras litteras edi, & palam fieri demandavimus: ſtatuentes earumdem exemplis etiam impreſſis, ab aliquo ex Notariis publicis ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eamdem prorſus fidem ab omnibus adhiberi, quæ ipſis originalibus litteris adhiberetur, ſi exhibitæ, vel oſtenſæ forent.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc noſtræ definitionis, decreti, adſcriptionis, mandati, ſtatuti, conceſſionis, relaxationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire; ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDCCLXVII. decimoſeptimo Kalendas Auguſti, Pontificatus Noſtri anno decimo.

✠ Ego Clemens Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.



✠ *Ego C. A. Epiſcopus Oſtien. & Veliternen. Card. Cavolebini Sacri Collegii Decanus.*

✠ *Ego F. M. Epiſcopus Portuen. & S. Rufinæ Card. Lantes.*

✠ *Ego J. F. Epiſcopus Sabinen. Card. Albani.*

✠ *Ego H. Epiſcopus Tuſculan. Card. Dux Eboracenſis S. R. E. Viceecancellarius.*

✠ *Ego F. Epiſcopus Albonen. Cardinalis Serbellonus.*

✠ *Ego J. F. Epiſcopus Prænestin. Cardin. Stuppanius.*

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠ *Ego C. Tit. S. Clementis Presbyter Card. Rezzonico S. R. E. Camerarius.*

✠

✠ *Ego F. M. Tit. Sancti Sylveſtri in Capite Presbyter Cardinalis de Rubeis.*

✠

✠

✠ *Ego J. M. Tit. S. Alexii Presbyter Card. Caſtelli.*

✠ *Ego C. Tit. Sancti Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis Elephantutius.*

✠ *Ego P. H. Tit. SS.mæ Trinitatis in Monte Pincio Presbyter Card. Guglieni.*

✠ *Ego P. P. Tit. S. Stephani in Monte Cœlio Presbyter Card. de Comitibus.*

✠

✠ *Ego Fr. L. Baſilicæ Sanctorum XII. Apoſtolorum Presb. Card. Ganganelli.*

✠ *Ego M. A. Tit. Sanctæ Mariæ de Pace Presbyter Cardinalis Columna.*

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠ *Ego S. Tit. S. Joannis ante Portam Latinam Presbyter Card. Buonaccorſi.*

✠

✠ *Ego*

✠ *Ego J.C.Tit. SS.Joannis,& Pauli Presbyter Card. Boſchi Major Pœnitentiarius.*

✠ *Ego L.Tit.S. Anaſtaſiæ Presbyter Card. Calinus.*

✠

✠ *Ego A.Tit. Sanctæ Mariæ in Via Presbyter Cardinalis Columna Branciforti.*

✠

✠

✠ *Ego P.Tit.S.Mariæ Transſtiberim Presbyter Cardinalis Pamphilius.*

✠

✠ *Ego Ph. M. Tit. S. Chryſogoni Presbyter Card. Pirellius.*

✠

✠

✠

✠

✠

✠ *Ego A. Sanctæ Mariæ in ViaLata Prior Diaconorum Cardinalis Albanus.*

✠ *Ego N. S. Euſtachii Diaconus Cardinalis Corſinius.*

✠ *Ego D. Sanctæ Mariæ ad Martyres Diaconus Card. Urſinus.*

✠ *Ego Fl. Sanctæ Mariæ in Portico Diaconus Card. Chiſius.*

✠ *Ego A. M. Sanctæ Agathæ ad Suburam Diaconus Card. Torrigiani.*

✠

✠ *Ego J.C.Sancti Cæſarei Diaconus Cardin. Caraccialus de Sancta Bono.*

✠ *Ego N. Sancti Georgii in Velabro Diaconus Card. Perrelli.*

✠ *Ego A. Sancti Angeli in Foro Piſcium Diaconus Cardinalis Corſinius.*

✠ *Ego A. Sanctorum Viti, & Modeſti Diaconus Cardinalis Nigronus.*

✠ *Ego Æ.S.Sancti Adriani Diaconus Cardinalis Piccolomineus.*

✠ *Ego X. Sanctæ Mariæ de Scala Diaconus Card. Canale.*

✠ *Ego B.Sanctorum Coſmæ, & Damiani Diaconus Cardinalis Veterani.*

✠

C. Card. Pro-Datarius. A. Card. Nigronus.

VISA

De Curia J. Manaſſei.

L. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

LIT-

LITERÆ DECRETALES
SUPER
CANONIZATIONE
BEATI SERAPHINI
A MONTE GRANARIO, AB ASCULO
DENOMINATI

Laici profeſſi Ordinis Minorum S. Franciſci Capuccinorum.

CLEMENS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

PRetioſa illa ſuper omne aurum, & argentum, ac Regnis ipſis, & Sedibus præoptanda ſapientia, qua nimirum docemur, caduca omnia deſpicienda, & non quæ ſuper terram, ſed quæ ſurſum ſunt quærere, & ſapere, tametſi nullam reſpuat indolem, ac diverſis hominum ingeniis æque ſe communicet, cæleſtiaque chariſmata, quibus affluit, libentiſſime largiatur: in rudes tamen homines, atque idiotas gaudet aliquando ſeſe uberius effundere, ut ſeçuli hujus ſapientes, quos nempe ſcientia inflat, confundat, ac de ſapientia ſua inaniter gloriantes humiliet. Idcirco fons veræ ſapientiæ Verbum Dei Chriſtus Jeſus, qui revelare ſe dixit abſcondita a conſtitutione mundi, exultans olim in ſpiritu ad eum, cujus Unigenitus eſt, converſus; confiteor, inquit, Tibi Pater Domine, Rex Cæli, & terræ, quia abſcondiſti hæc a ſapientibus, & prudentibus, & revelaſti ea parvulis: atque id quidem in Catholica Romana Eccleſia ab ejus exordio, ad hanc uſque diem ſemper videre licuit, apparuitque luculenter, quam vere de ſapientiæ auctore ſcriptum ſit, & cum ſimplicibus ſermocinatio ejus. Mirum vero in modum noviſſime, ſuperiori ſcilicet ſeculo luculentiſſime perſpectum fuit in Beato Seraphino a Monte Granario aa Asculo denominato, Laico profeſſo Ordinis Minorum S. Franciſci Capuccinorum nuncupatorum, qui rudis, & litterarum omnium expers, cum neque legere noſſet, neque ſcribere, litteratos tamen ipſos, atque eruditos longó poſt ſe intervallo reliquit, utpote qui ex libro illo ſcripto intus & foris, hoc eſt Chriſto Jeſu, docibilis Dei hauſerat tantum coeleſtis doctrinæ, ut inter præcipuos Divini Præceptoris diſcipulos propter ſupereminentem ſcientiæ caritatem numerandus eſſe videatur.

Cum itaque pauper hic apud homines tam dives fuerit apud Deum gratia, & virtutibus, atque ad majorem his laudem, & celebritatem conciliandam evidens acceſſerit teſtimonium per miracula, quæ Omnipotens Deus Beati hujus servi sui interceſſione patrare dignatus eſt, nos, nulla re prætermiſſa, quæ in tam gravi cauſſa ſervari ſolet, de conſilio & aſsenſu Venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium, necnon Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in Romana Curia frequenti numero congregatorum, implorata iterum, iterumque Dei ope, eumdem Beatum Seraphinum utpote Civem cæleſtis Hieruſalem publico in Eccleſia cultu proſequendum eſſe declaramus, & in Sanctorum numerum referendum decernimus.

Seraphinus in oppido Montis Granarii Fir-

Firmanæ Diœceſis natus eſt anno reparatæ ſalutis MDXL. parentes babuit humiles quidem genere, ſed honeſtos, ac pios. In baptiſmo nomen illi inditum Felix. Pia & ſedula matris optimæ diſciplina probe inſtitutus ab ineunte ætate proferre cœpit futuræ ſanctitatis indicia. A puerorum oblectamentis, & pravorum ſodalium conſuetudine alienus, nihil ferme puerile habuit, præter innocentiam. Aſſiduus in templis erat; ac præterea ad intentius orandum loca ſæpe abdita acquirebat. A Villico, cui operam ſuam locaverat, demandata armenti cuſtodia impedimento non erat, quin conſueta pietatis officia diligentiſſime obiret. Secretiorem namque ſylvarum ſolitudinem quærens, ibi de genu fervidas ad Deum preces fundebat, eaſdemque mox a brevi veſpertina cœna diu multumque iterabat. Domum a fratre poſt parentis obitum revocatus, ut in cæmentaria arte ſibi eſſet adjutor, atque ab effero illius ingenio aſpera quæque perpeſſus Felix inhumani fratris convicia, verbera, mallei etiam crudeles ictus æquo, diu, atque invicto animo tulit. Neque vero fratris aſperitas, & laborioſæ artis exercitatio dimovere illum potuit ab eo, quod ſibi propoſuerat, ut tribus in hebdomadam diebus jejunaret, ac pia precatione animum per id maxime tempus, quod ceteri laborum ſocii reficiendo per cibum corpori dabant. Quam accepta Deo eſſet SERVI SUI pietas, inſigni ſane miraculo patefactum eſt. Quum enim Deiparæ Virginis, cujus ſe in fidem, & clientelam tradiderat, Sacram Lauretanam Ædem inviſeret, Potentiæ flumen ex aquarum redundantia intumeſcens, quod nemo ſociorum trajicere auſus erat, ipſe, obſtupeſcentibus qui aderant, ſemel, atque iterum ſicco veſtigio tranſivit. Ex audita lectione de divini judicii ſeveritate tanto metu, ac terrore perculſus eſt, ut de vita eremitica cogitaret. Sed meliore deinde conſilio rigidum Capuccinorum inſtitutum ſtatuit amplecti, quod quidem non ſine iteratis precibus, & lacrymis tandem obtinuit. Voti compos, SERAPHINI nomine aſſumpto, in tyrocinio ita ſe geſſit, ut peracto anno probationis, in ſacrum illum Ordinem cooptaretur omnium ſuffragiis. Novum inde atque ardentius perfectionis evangelicæ ſtudium in ejus pectore efferbuit. Itaque ſeverioris illius inſtituti leges omnes, quamdiu vixit, ita obſervavit, ut diligentiam mirarentur omnes, pauci admodum imitari ſe poſſe confiderent. Benignus erga omnes, lenis, affabilis; ſuperioribus vero ita obſequens, ac dicto audiens erat, nullum ut munus, quantumvis arduum, ac laboris plenum defugeret, nihil cunctaretur, nihil perquireret, in id unum intentus, ſcilicet ut imperata quæ fuerant, ea ſequeretur.

Paupertatem vero ita adamavit, ut ab iis etiam, quibus carere vix poſſumus, abſtineret. Cellulam perpetuo habitavit obſcuram, humilem, ſquallidam, duro lectulo, vili ſcamno, nulla ſupellectili inſtructam. Veſtis illi nonniſi obſoleta, ac detrita; eadem, & in ceteris rebus, quæ corpori operiendo deſerviunt, extrema paupertas. Jamvero ea erat vitæ innocentia, ut nullo ſe unquam crimine obſtrinxerit, quin etiam a levibus quoque noxiis, itaut in ſacra exomologeſi nihil ferme, quod expiandum eſſet, afferret. Quidquid enim voluntati Dei conſentaneum non eſſet, non modo cogitare, ſed ne audire quidem fas eſſe ducebat. Diebus fere ſingulis Eucharistico ſe pane reficere, & Sacrificiis, quotquot poterat, adeſſe, ac miniſtrare, protenſis in formam crucis manibus, ſollemne habuit. Inexplebile orationis erat ſtudium, ut diurnas plerumque, ac nocturnas horas in ea conſumeret. Ceterum, excepto trium dumtaxat horarum ſpatio, quod quieti corporis negare non poterat, reliquum tempus omne, vel rerum divinarum contemplationi, vel piis precationibus impendebat.

Quum in re qualibet aliquod Dei veſtigium agnoſceret, inde fiebat, ut ubi eſſet, quidquid ageret, ad contemplationem rerum cæleſtium facile raperetur, atque tum etiam oraret, cum aliud agere videbatur. De Chriſti Domini cruciatibus quotidiana meditatio ita animum afficiebat, ut de ea ſine lacrymis nec cogitare, nec loqui, neque audire loquentem poſſet. Tanta in Deum caritate

fere-

ſerebatur, ut pro illius gloria mortem oppetere vehementer optaret. Itaque Superiorem ſupplex adiit, a quo poteſtas ſibi fieret, in regiones ſe barbaras conferendi, ut incenſam apud eas martyrii ſitim expleret. Caritati erga Deum gemina erat, & erga proximos caritas. Quocirca errantes corrigere, avocare a vitiis, ad virtutem impellere, qua monitis, qua precibus, qua etiam obiurgationibus conabatur. Nec vero fruſtra. Multi enim a perdita vivendi ratione ad bonam frugem redacti, multi a ſeculi vanitate, & mundi periculis ad ſecurius religioſæ vitæ inſtitutum illius opera traducti ſunt. Aleas e ludentium manibus non ſemel extorſit. Inteſtina, atque inveterata inter Aſculanos cives odia, & diſſidia homo ut erat humili loco, nullis litteris, profeſſione laicus extinxit. Tantum illi auctoritatis a ſanctitate perſpecta. De miſeratione ejus in pauperes, atque egenos illud vere dici poteſt, quod ore pallente, jejuniis, fame torquebatur aliena, ita quidem ut aliorum memor, immemor ſui dimidio in diem pane victitans, quod reliquum erat, cum integro fere obſonio in pauperes erogaret. Quin etiam eo proceſſit, ut in quadam annonæ difficultate, ex illo ipſo dimidio pane alteram adhuc partem detraheret, qua eſurientibus quoquomodo poterat ſubveniret. Contigit aliquando, ut a Præſide reprehenſus, quod pro numero pauperum pane non ſuffecturo, olera ex horto diſtribuiſſet, bono illum animo eſſe juberet: neque propterea enim defuturam religioſæ familiæ olerum copiam, quæ ſatis foret. Quod quidem eventu non caruit. Succiſis enim pridie germinibus, alia ſubinde mane ſatis abundeque ſuccreſcere conſpiciebantur. Illud autem mirandum magis, quod quum horti pars quædam exigua eidem a Præſide peculiaritee in uſum pauperum attributa eſſet, plus ea fructuum, quam reliquæ, tametſi longe majores, & multo diligentius excultæ partes, afferret.

Neque vero in uoo, aut aliero calamitatis genere SERAPHINI miſericors indoles ſe continebat. Careeribus enim detentos inviſere, ſedulo ad patientiam hortari, & quidquid ſolatii poſſet, afferre conſueverat. Mœrentes præterea ſolari ſuaviter, ærumnis preſſos in ſpem erigere, ægris inſervire, aſſidere lectulo, bene monere, viliſſima quæque ad eos ſublevandos miniſteria obire, hæc illi dulcis cura, jucundaque exercitatio. Jam vero qui tam leni, & benigno erga alios ingenio erat, juvat nunc videre quam durus, atque acerbus in ſeſe fuerit. Aſperis contextum ſetis cilicium, velut alteram veſtem, quam nunquam exueret, ad nudam carnem perpetuo adhibuit. Confecto e clavorum acumioibus flagro utebatur ad quotidiauam corporis lanicoam, qua fiebat, ut copioſus e laceris membris ſanguis deflueret. Sandaliis inferne omni ex parte detritis, cum nudi pedes eelinquerentur, pellis nonnunquam derumpebatur, cui ille malo dum acu diruptam pellem conſuit, acriori longe malo, ac dolore medicinam faciebat. Fuit aliquando, cum noctes ipſas inſomnes traduceret. Ceterum breviſſimam illam, quam ſupra diximus, trium tantummodo horarum quietem noo aliter feſſis membris, quam vel ſedens, vel capite ad ſcamnum eeclinato indulgeret.

Diris ejuſmodi cruciatibus abſtinentiam addidit ſingularem, crebra & longa ſui ordinis jejunia ſervare, quaſi loco ille deliciarum habuiſſet. Itaque illud adjecit, ut exigua etiam veſpertina refectione perpetuo abſtineret, & tres hebdomadæ dies pane dumtaxat, & aqua tranſigeret; quod quidem inediæ genus jam inde ab adoleſcentia tolerare conſueverat. Reliquis autem diebus ad partem panis exiguam nihil obſonii adhibebat, unica, eademque inſuavi, quæque ſociis etiam pridie ſuperfuiſſet, cinere nonnunquam conſperſa, pulte contentus. Atque inde ortum habuiſſe cenſendus eſt malus ille habitus corporis, ex quo fiebat, ut ſanguinem mingeret. Inter has maeerati corporis aſperitates, adjuncta præſertim oculorum cuſtodia, ſecurior in dies, & vividior caſtitas effloreſcebat, quam nulla unquam labe inquinatam, nullaque, vel earo admodum, ut fertur, corporis, aut mentis pugna tentatam ſervavit.

Jamvero ſi caſtimoniæ cuſtos eſt humilitas, hæc in co tam alte radices egerat, ut

quin-

quamvis alieno judicio Sanctus, ſceleſtiſſimus omnium, ac nequiſſimus eſſet ſuo. Laudis humanæ fugitans, contemptus ſui appetens quam qui maxime. Cujus quidem rei, hæc duo perridicula ſint argumento. Prandere aliquando juſſus apud nobilem civem, alias ab Aſculano Epiſcopo Cardinali, utrobique ita ſe geſſit, ut ludum, & riſum tamquam incomptus, & ruſticus de ſe præberet. Ibi enim ad liquidæ pultis eſum fuſcinula uſus eſt: hic ovum ſorbens de induſtria in barbam effudit. Patientia porro in eo admirabilis plane fuit, tum in fratris, quæ dicta ſunt, verberibus, & conviciis, tum in iis pene quotidianis mulctis, ac pœnis, quæ a Religioſis Præſidibus infligi ſolebant. Ab aliis enim ob ingenii tarditatem duriter, ne dicam immaniter, ab aliis ad experimentum virtutis ſevere; ac rigide multabatur. Atque hæc quidem initio turbarunt hominem, ſed implorata poſtea Dei ope confirmatus, aſpera quæque ita ferebat, ut ea beneficii loco duceret, & manus, pedeſque illis, qui quoquomodo multaſſent, oſcularetur.

Par fuit in eo lenitas, & manſuetudo, qua illatas ſive ab externis, ſive a domeſticis etiam injurias æquiſſimo animo tulit, impacta ab nequiſſimo homine alapha, apprehenſa a domeſtico per contumeliam barba, atque aliquot pilis evulſis, nullum omnino SERAPHINUS perturbati animi ſignum dedit. Sed illud longe præclarius. Cum enim protervus quidam, atque impudens, mali dæmonis inſtinctu, nudum illius caput plumbea lamina tam graviter percuſſiſſet, ut SERVUS DEI præ dolore animo linqueretur, ac pene exanimis humi procumberet, ſtatim ac redditus ſibi fuit, ridenti vultu, ac leniſſimis verbis percuſſori, quaſi optime de ſe merito, fauſta illi omnia a Domino precatus eſt. Ad injurias hominum acceſſit & alia a dæmone haud minus dira vexatio. Modo enim protrahere pedibus, dum ille oraret, modo ſublime elatum conari ad terram allidere, modo ſæviſſimis plagis ægrum illius, & confectum corpus male multare conſueverat. Quas tamen ille moleſtias, ac teterrimas infeſtationes ita deſpiciebat, ut adverſarii nequiſſimi increparet ignaviam, atque ad ſæviendum acrius acueret. Qua quidem animi magnitudine dæmon adeo victus, & fractus eſt, ut ejus deinde præſentiam ipſam reformidaret, atque ab obſeſſis corporibus eo adventante diffugeret.

Tantam virtutum præſtantiam cæleſtibus donis Deus inornatam eſſe noluit: itaque ſervum ſuum ſuperno lumine, quo futura recte prædiceret, & cordium ſecreta penetraret, plurimis etiam raptibus, ac mentis ab uſu ſenſuum alienationibus inſignivit. Pluribus quoque etiam, graviſſimis morbis laborantibus, adhibito a SERAPHINO ſanctiſſimo Crucis ſigno, ſanitas reſtituta fuit. Quocirca confluentium ægrorum ad Montis Granarii cœnobium tanta erat multitudo, ut in iis fauſta precatione ſanandis non ſemel dies tota SERAPHINO abiret. Accedebat e tumultuoſa gentium frequentia cœnobitis illis moleſtia non levis. Itaque parum abfuit, quin Præſes factam SERVO DEI poteſtatem divinitus patrandi prodigia ex obedientia coërceret. Sed ad vitandam moleſtiam ſatis viſum eſt, ſi SERAPHINUS in Aſculi cœnobium demigraret.

Tam multis igitur, ac tam præclaris virtutibus, ac donis cæleſtibus cumulatus apud omnes non vulgares modo, ſed etiam ſummos, ac præſtantes viros ſanctitatis nomen, & famam adeptus eſt. Illum conſulere, illius ſe precibus commendare, incedenti per viam non ſolum deoſculari veſtes, ſed etiam præſcindere.

Sed jam dies aderat, qua ſanctitas tam excellens aliis longe illuſtrioribus in Cælo honoribus decoraretur. Gravem pectoris affectionem e corporis maceratione contractam, qua quodam veluti jaculo confodiebatur diu ille diſſimulaverat. Sed cum magis magiſque ingraveſceret, optatiſſimam ſibi ex ea mortem inſtare ſuperno etiam lumine intelligens, poſtulavit, ut Sanctiſſimæ Euchariſtiæ viatico muniretur. Abnuebant medicus, & ſodales, quod morbi gravitas nondum ſe prodebat, præſertim cum æger nec ureretur febri, nec lectulo decumbere co-

gereretur, ſed iteratis precibus obſiſti non potuit. Sanctiſſimum igitur Chriſti corpus allatum eſt; quod quidem quo ille animi ſenſu, quo amoris æſtu perceperit, Angeli magis, quam homines intelligere potuerunt. Poſtulat ſubinde, ut Oleo ſacro inungatur. Quod pariter cum præproperum Fratribus videretur, affirmat ille quod in præſens negligerent, ſatis feſtinanter paullo poſt omnino facturos. Itaque poſt fervidas per horam de genu in lectulo fuſas preces, ſublatis ad Cælum oculis Deum obſecrat, ut quandoquidem ſodales ſe loquentem non audiebant, divinis ipſius vocibus auſcultantes ſanctum ad ſe Oleum afferrent. Precationem hanc deliquium animi ſtatim ſecutum eſt cum pallore vultus, aliiſque defecturæ mox vitæ ſignis, quibus videlicet ſodales admoniti, expetita illum unctione propere munierunt. Itaque ad servi Dei ſolatium cum nihil reſtaret aliud, placido vultu in conventu ſui Ordinis civitatis Aſculi ſanctiſſimam Deo animam reddidit.

Porro cœnobii cuſtos veritus (quod aſſolet in Sanctorum hominum funere) tumultuoſam confluentis populi multitudinem, nullo edito campani æris ſigno, servi Dei pretioſam mortem occulere cogitarat tamdiu dum juſta illi ſollemnia de more perſolverentur. Sed divinitus factum eſt, ut puerorum voce per urbem Seraphini obitus vulgaretur. Quod cives cum audiviſſent, ad cœnobium omnes accurrere, servi Dei corpus exoſculari, veſtes tertio, atque iterum ſuperinductas præſcindere, pilos auferre, præcidere ungues, quin etiam nec corpori parcere, niſi adhibitis decem cuſtodibus cautum eſſet, ne ſanctum cadaver ab imprudenti multitudine diſcerperetur. Venerationem auxit non mediocrem ſuaviſſimus odor, quem molle, ac flexibile corpus efflabat, donec lignea capſa oloſerico intus conveſtita incluſum peculiari tumulo, ſeniorlbus urbis ita jubentibus, mandatum fuit.

Memoriam, quam moriens reliquit ſui nominis ſempiternam, ſtatim teſtatæ ſunt quamplures ejus imagines tum impreſſæ, tum pictæ, ac duæ potiſſimum, quarum altera in ædibus Magiſtratus, altera ad tumulum, quod ea ætate licebat, poſita fuit. Concurſus inde ad ſepulcrum, non a propinquis modo, ſed etiam a diſſitis locis augeſcebat in dies, prout nova ſubinde, invocato servi Dei nomine, beneficia impertita populorum frequentiam excitabant; ita quidem ut cum votivis tabellis in pariete ſpatium deficeret, auferendæ fuerint veteres, ut novis fieret locus. Anno deinde Domini mdcx. Aſculanorum civium precibus piæ mem. Paulus V. Prædeceſſor noſter annuit, ut ad Beati viri ſepulcrum accenſa lampas venerationis publicæ teſtis eſſet perpetua. Civium pietatem æquavit ſedulitas Præſulis Aſculani in cognitione cauſſæ ſuper fama ſanctitatis, virtutibus, & miraculis servi Dei; cum igitur proceſſum, quem informativum vocant, expleviſſet, res in tunc exiſtentium S. R. E. Cardinalium Congregatione Sacris Ritibus præpoſita delata fuit, ac ad trutinam revocata, atque, ut ea ferebant tempora, die vii. Junii mdcxxv. impertita fuit facultas ſpecialiter in cauſſa inquirendi. Itaque, auctoritate Apoſtolica, nova cauſſæ cognitio inſtituta, atque in acta relata, ſiluit tamen ad annum uſque mdcciv. Sed quum ex decretis interea a ven. mem. Innocentio XI. etiam Prædeceſſore noſtro confirmatis, ad proſequendam rem neceſſaria eſſet nova reſumendæ cauſſæ commiſſio, non ante id obtineri contigit, quam ſub recol. mem. Clemente XI. pariter Prædeceſſore noſtro ad annum mdccxii. Probato deinde cultu, qui, Pontifice annuente, beato viro exhibitus fuerat, & caſu exeepto a decretis recol. mem. Urbani VIII. itidem Prædeceſſoris noſtri, tandem fel. recor. Benedictus XIII. ſimiliter Prædeceſſor noſter anno mdccxxvi. peculiari Cardinalium, qui Sacris Ritibus præſunt, Congregationi negotium dedit, ut de servi Dei virtutibus examen inſtitueret.

Inter hæc ab eodem Pontifice, menſe Auguſto illius anni, facultas conceſſa eſt, ut Seraphini corpus a veteri ſacello ad alterum recens extructum, ad ejus honorem pro-

proprie dicatum publice tranſferretur. Sed anno demum MDCCXXIX. auctior fuit & SERVO DEI cultus, & cultoribus ejus lætitia; tunc ſcilicet, quum laudatus Pontifex benigne indulſit, ut ab univerſo Ordine Minorum Sancti Franciſci, atque a Clero præterea tum civitatis, & Diœceſis Aſculanæ, tum oppidi Montis Granarii Officium ſub ritu duplici quotannis recitaretur, & Miſſa ad honorem BEATI VIRI celebraretur die XII. Octobris, die ſcilicet, qua ejuſdem fortunati obitus annua memoria recurrebat.

Juſſu deinde Clementis XII. itidem Prædeceſſoris noſtri, qui, Benedicto Prædeceſſore vita functo, proxime ſucceſſerat, a peculiari, quem diximus Cardinalium conſeſſu BEATI SERAPHINI virtutum inquiſitio ad ordinariam Sacrorum Rituum Congregationem revocata, cum probationibus, ut ajunt, directis inniteretur, tandem factum eſt, ut ratæ haberentur, ac probarentur.

Abſoluta denique inquiſitione, ſeu proceſſu Apoſtolico ſuper miraculis poſt indultam B. SERAPHINO venerationem a Deo patratis, & comperta die XVII. Septembris MDCCLXIII. Proceſſus validitate in ordinaria Sacrorum Rituum Congregatione, cujus decretum nos die XXIIII. ejuſdem menſis confirmavimus; ſubinde miraculis ipſis in Congregatione antepræparatoria die XXVII. Novembris MDCCLIV. examinatis, atque iterum in præparatoria Congregatione diei IX. Junii MDCCLXV. Poſtremo vero in generalibus Comitiis coram nobis die XXVIII. Januarii anni proxime exacti, ut moris eſt, perpenſis, atque diſcuſſis, duo ex illis in tertio genere IX. Martii ejuſdem anni, ad quam uſque diem divinam opem imploraturi, decretum diſtulimus, rite approbavimus.

Primum nempe inſtantaneæ ſanationis Januarii Ranalli a peſſimo ulceroſo tumore ſub ſiniſtram axillam, quo per plures jam menſes conflictatus fruſtrata diu chirurgorum induſtria, nonniſi ferro, aut igne curari poſſe videbatur.

Alterum vero perfectæ ſanationis a paralyſi ſiniſtræ manus, qua correptus fuerat Ugo Antonius Carletti, dum ſeptuageſimum quartum ageret ætatis annum, quod naturæ vi, ſeu humanæ artis ope nequaquam aſſequi potuiſſet.

His itaque duobus miraculis cognitis, & approbatis, illud definiendum ſupererat, an ad ſollemnem BEATI VIRI Canonizationem rite procedi poſſet, quod cum univerſi Patres unanimi ſuffragio aſſererent, nos Sancti Spiritus tum propriis, tum aliorum precibus implorato lumine, die XII. Octobris proxime præteriti decretum in camdem ſententiam edidimus.

Cumque dilecti filii civitatis noſtræ Aſculanæ Magiſtratus, & incolæ, ac religioſiſſimus Ordo dictorum Fratrum Sancti Franciſci Capuccinorum nuncupat. enixis precibus a nobis poſtularent, ut decretam BEATI VIRI Canonizationem tandem exequeremur, nos ut in hoc graviſſimo negotio juxta præſcriptam a Prædeceſſoribus noſtris agendi normam procederemus, univerſi primum Collegii eorumdem Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium in Conſiſtorio ſecreto die XXVII. Aprilis proxime elapſi coram nobis congregatorum ſententiam, atque conſilium exquiſivimus. Quibus poſt auditam a nobis geſtorum ſeriem, & BEATI VIRI præclara merita, ad legitimam cauſſæ hujus abſolutionem una voce nos adhortantibus, non viciniores modo, ſed remotiores per Italiam Venerabiles Fratres Archiepiſcopos, & Epiſcopos monendos curavimus, ut ad Urbem ſeſe conferrent, & nobis de BEATI SERAPHINI, necnon BEATORUM JOANNIS CANTII, JOSEPHI CALASANCTII A MATRE DEI, JOSEPHI A CUPERTINO, HIERONYMI ÆMILIANI, & JOANNÆ FRANCISCÆ FREMIOT DE CHANTAL ſollemni Canonizatione deliberantibus, conſiliorum etiam ſuorum ſuffragia, prout ſpiritus Dei ipſis ſuggeſſiſſet, exponerent.

Ut autem præclaræ BEATI SERAPHINI virtutes, & probata miracula, necnon in totius Cauſſæ diſcuſſione adhibitæ cautiones neminem laterent, indicto prius publico Conſiſtorio coram nobis, univerſoque

 Eccle-

Eccleſiaſticorum ordinum, & collegiorum conſeſſu, mandavimus inibi a dilecto filio Joſepho Aſcevolini noſtræ Conſiſtorialis aulæ Advocato virtutes, & miracula BEATI SERAPHINI oretenus palam exponi: integrum quoque, & exactum eorumdem compendium ex authenticis documentis fideliter collectum, typiſque impreſſum, omnibus ſuffragium laturis, exhibendum curavimus. Demum convocatos die x. labentis menſis Julii in Conſiſtorio ſemipublico præfatos S. R. E. Cardinales, necnon Patriarchas, Archiepiſcopos, & Epiſcopos, qui jam in Urbem convenerant, ab iis quæſivimus, an ad BEATI SERAPHINI Canonizationem deveniendum eſſe cenſerent. Ipſi vero, uno omnes ore, pluribus, gravibuſque rationibus in affirmativam ſententiam ire comperti ſunt. Noſque a dilectis quoque filiis Apoſtolicæ Sedis Notariis publica Inſtrumenta confici, ac præterea ſuffragiorum ipſorum exempla, a ſingulis ſubſcripta, in tabularium Eccleſiæ Romanæ referri mandavimus.

Reliquum erat, ut a Patre luminum, quid ei placitum eſſet edoceremur. Indicto propterea per totam Urbem triduano jejunio, in tribus Patriarchalibus Baſilicis Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum publice adorandum exponi mandavimus, omnibuſque Chriſtifidelibus vere pœnitentibus & confeſſis, ſacraque communione refectis, unam ſaltem ex dictis Baſilicis viſitantibus, atque in ea, ad implorandam in tanto negotio divinam opem plenariam peccatorum indulgentiam elargiti fuimus, Humillimas quoque noſtras, & diuturnas fudimus Omnipotenti Deo preces, donec hac die Beatiſſimæ Mariæ Virgini de Monte Carmelo ſacra, ad quam ſcilicet, cum Omnipotenti Deo placuit nos immerentes ad Beati Petri Cathedram evehere, ſollemnia Coronationis noſtræ diximus; generalis ſupplicationis ritu ad Baſilicam S. Petri in Vaticano, ut moris eſt, procedentes, unacum omnibus prædictis, cæteriſque Romanæ Curiæ, & noſtræ aulæ Prælatis, univerſoque Clero ſeculari, & regulari, & frequentiſſimo populo divinam opem invocantibus, auditis iterum per dilectum Filium noſtrum Carolum, Tituli Sancti Clementis S. R. E. Presbyterum Cardinalem Rezzonico nuncupatum, ejuſdem S.R.E. Camerarium, Poſtulationum pro Canonizatione impetranda Procuratorem, enixis precibus, poſt ſacros hymnos, litanias, aliaſque preces de more decantatas, ad laudem & gloriam Sanctæ, & Individuæ Trinitatis, ad Fidei Catholicæ exaltationem, & Chriſtianæ Religionis augmentum, auctoritate Domini Noſtri Jeſu Chriſti, Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtra, & de præmiſſorum omnium Venerabilium Fratrum noſtrorum conſilio, & aſſenſu prædictum SERAPHINUM A MONTE GRANARIO AB ASCULO denominatum, Laicum Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capuccinorum nuncupatorum, expreſſe profeſſum, de cujus vita pie ſancteque traducta, & de virtutibus in gradu heroico, ac miraculis, ejus interceſſione, a Domino patratis pleniſſime conſtabat, & conſtat, Sanctum eſſe definiendo pronunciavimus, & pro Sancto ab omnibus habendum, atque colendum ediximus in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, omnibuſque Chriſtifidelibus, qui ſingulis annis die XII. Octobris vere pœnitentes, & confeſſi Eccleſiam conventus dicti Ordinis in civitate Aſculana, ubi ipſius Sancti corpus religioſe aſſervatur, devote viſitaverint, ſeptem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, vel aliis debitis pœnitentiis eadem auctoritate in perpetuum miſericorditer relaxamus. Denique in obſequium Omnipotentis Dei decantato laudis, & Confeſſionis hymno, incruentam ſalutis noſtræ hoſtiam ad altare Confeſſionis Beatiſſimi Petri in ſpiritu humilitatis obtulimus cum commemoratione ipſius SANCTI SERAPHINI: necnon SANCTORUM JOANNIS CANTII, JOSEPHI CALASANCTII A MATRE DEI, JOSEPHI A CUPERTINO, HIERONYMI ÆMILIANI, & JOANNÆ FRANCISCÆ FREMIOT DE CHANTAL, quos pariter Sanctorum albo rite adſcripſimus, omnibuſque, qui aderant, ple-

nariam peccatorum indulgentiam elargiti fuimus.

Quum autem gratias Omnipotenti Deo egimus, quod inter cetera nobis, quamvis immerentibus, collata beneficia, illud etiam datum fuerit, ut BEATUM SERAPHINUM Sanctorum numero adſcriptum definiremus, gaviſi pariter fuimus in Domino, eique benediximus, qui, Eccleſiam ſuam perpetua defenſione cuſtodiens, manifeſte oſtendit e quolibet perſonarum ordine Sanctos exoriri perfectionis eximiæ; eorumque præclaris exemplis ſubinde propoſitis Chriſtianæ Fidei cultores admonet, ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat.

Quoniam vero poſt prolatam a nobis, ut præfertur, hujuſmodi Canonizationis, & adſcriptionis ſententiam ab eodem Carolo Cardinali, & Procuratore nobis humiliter ſupplicatum fuit, ut ſuper præmiſſis omnibus Apoſtolicas litteras perpetuo valituras edere dignaremur; nos juſtiſſimæ petitioni annuentes præſentium litterarum tenore, atque ex certa ſcientia, & Apoſtolicæ auctoritatis noſtræ plenitudine omnia & ſingula præmiſſa confirmamus, roboramus, atque iterum ſancimus, ac decernimus, univerſæque Eccleſiæ denunciamus; mandantes, ut earumdem præſentium tranſumptis, ſive exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides ab omnibus habeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi exhibitæ forent, vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc noſtræ definitionis, decreti, adſcriptionis, mandati, ſtatuti, conceſſionis, relaxationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire; ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDCCLXVII. decimoſeptimo Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri anno decimo.

✠ Ego Clemens Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.



✠ *Ego C. A. Epiſcopus Oſtien. & Veliternen. Card. Cavalchini Sacri Collegii Decanus.*

✠ *Ego F. M. Epiſcopus Portuen. & S. Rufinæ Card. Lantes.*

✠ *Ego J. F. Epiſcopus Sabinen. Card. Albani.*

✠ *Ego H. Epiſcopus Tuſculan. Card. Dux Eboracenſis S. R. E. Vicecancellarius.*

✠ *Ego*

Digitized by Google

✠ Ego F. Epiſcopus Albanen. Cardinalis Serbellonus.

✠ Ego J. F. Epiſcopus Præneſtin. Cardin. Stuppanius.

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠ Ego C. Tit. S. Clementis Presbyter Card. Rezzonico S.R.E. Camerarius.

✠

✠ Ego F. M. Tit. Sancti Sylveſtri in Capite Presbyter Cardinalis de Rubeis.

✠

✠

✠ Ego J. M. Tit. S. Alexii Presbyter Card. Caſtelli.

✠ Ego C. Tit. Sancti Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis Elephantutius.

✠ Ego P. H. Tit. SSmæ Trinitatis in Monte Pincio Presbyter Card. Gugliemi.

✠ Ego P. P. Tit. S. Stephani in Monte Cœlio Presbyter Card. de Comitibus.

✠

✠ Ego Fr. L. Baſilicæ Sanctorum XII. Apoſtolorum Presb. Card. Ganganelli.

✠ Ego M. A. Tit. Sanctæ Mariæ de Pace Presbyter Cardinalis Columna.

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠ Ego S. Tit. S. Joannis ante Portam Latinam Presbyter Card. Buonaccorſi.

✠

✠ Ego J. C. Tit. SS. Joannis, & Pauli Presbyter Card. Boſchi Major Pœnitentiarius.

✠ Ego L. Tit. S. Anaſtaſiæ Presbyter Card. Calinus.

✠

✠ Ego A. Tit. Sanctæ Mariæ in Via Presbyter Cardinalis Columna Brantiforti.

✠

✠

✠ Ego P. Tit. S. Mariæ Tranſtiberim Presbyter Cardinalis Pamphilius.

✠

✠ Ego Ph. M. Tit. S. Chryſogoni Presbyter Card. Pirellius.

✠

✠

✠

✠

✠

✠ Ego A. Sanctæ Mariæ in Via Lata Prior Diaconorum Cardinalis Albanus.

✠ Ego N. S. Euſtachii Diaconus Cardinalis Corſinius.

✠ Ego D. Sanctæ Mariæ ad Martyres Diaconus Card. Urſinus.

✠ Ego Fl. Sanctæ Mariæ in Porticu Diaconus Card. Chiſius.

✠ Ego A. M. Sanctæ Agathæ ad Suburam Diaconus Card. Torrigiani.

✠

✠ Ego J. C. Sancti Cæſarei Diaconus Cardin. Caracciolus de Sancto Bonō.

✠ Ego N. Sancti Georgii in Velabro Diaconus Card. Perrelli.

✠ Ego A. Sancti Angeli in Foro Piſcium Diaconus Cardinalis Corſinius.

✠ Ego A. Sanctorum Viti, & Modeſti Diaconus Cardinalis Nigronus.

✠ Ego Æ. S. Sancti Adriani Diaconus Cardinalis Piccolomineus.

✠ Ego

✠ *Ego X. Sanctæ Mariæ de Scala Diaconus Card. Canale.*

✠ *Ego B. Sanctorum Coſmæ, & Damiani Diaconus Cardinalis Veterani.*

✠

C. Card. Pro-Datarius.

A. Card. Nigronus.

VISA

De Curia J. Manaſſci.

L. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

LIT-

Digitized by Google

LITERÆ DECRETALES
SUPER
CANONIZATIONE
B. JOANNÆ FRANCISCÆ
FREMIOT DE CHANTAL
Fundatricis Ordinis Viſitationis Sanctæ Mariæ.

CLEMENS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
Ad perpetuam rei memoriam.

FOrtitudo,& decor indumentum militantis Eccleſiæ, admirabili ſane divinæ providentiæ conſilio, quemadmodum ſe prodidit in Juditha, in Debora, in matre ſeptem Machabæorum, & ſiquæ aliæ extiterunt ſimiles harum, quæ fœmineæ cogitationi maſculinum animum inſeruerunt; ita & poſt Chriſti Salvatoris adventum elucet maxime, non modo in iis fœminis, quæ pro chriſtiana religinne per tyrannos, & carnifices mactari meruerunt, ſed in illis etiam, quæ ipſæ ſe, perfecta ſui, rerumque omnium abdicatione, vivas hoſtias in odorem ſuavitatis immolaverunt. Hoc pacto nimirum, & Omnipotentis Dei gratiæ virtus per ea,quæ ignobilia, atque infirma ſunt mundi, ſplendidiſſime apparet, & Catholicæ Eccleſiæ, in qua unica ſalutis ſpes eſt, ſanctitudo, & veritas argumentis minime obſcuris pulcherrime confirmatur. Atque in hac profecto illuſtrium, ac fortium fœminarum claſſe collocandam, vel in primis eſſe BEATAM JOANNAM FRANCISCAM FREMIOT DE CHANTAL ſingularia illius ſtrenue geſta declarant. Illa enim materni veluti affectus immemor, ut Chriſto Jeſu, cujus adorandum nomen candente ferro pectori impreſſerat, totam ſeſe dicaret, per filium, quem unice diligebat, in oſtio domus ſtrato corpuſculo hærentem ad electum ſibi Cœleſtem Sponſum pergere non dubitavit, & voto ſe arduo, ac perdifficili obſtrinxit, ut ageret ea ſemper, quæ perfectiora eſſe intelligeret. Quæ quidem, atque alia id genus in ſubjecta ipſius vitæ compendiaria deſcriptione recognoſcere quivis facile poterit, tum ad Dei Omnipotentis laudem & gloriam, tum ad imitationem tam eximiæ, conſummatæque virtutis. Itaque quum ſingularis Dei benedictio beatam hanc famulam ſuam heroïcis virtutibus apprime inſignem, & conſequutis obitum ejus miraculis valde glorioſam reddiderit, ut iis potiſſimum fœminis, quæ ſe Deo dicaverunt, vel in ejuſmodi deliberatione verſantur, nova ſemper ſuppetant ad imitandum exempla; nos propterea poſt eam, quæ præmitti ſolet, tum virtutum illius, tum miraculorum ſeveram, ac ſedulam diſquiſitionem, adſcitis in conſilium Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, ac præterea Patriarchis, plurimiſque Archiepiſcopis, & Epiſcopis eamdem BEATAM JOANNAM FRANCISCAM publica totius Chriſtiani orbis veneratione dignam aſſerimus, & Sanctorum faſtis adſcribendam decernimus.

E clariſſimis parentibus, Divione in Burgun-

Google

gundia, JOANNA FRANCISCA FREMIOT DE CHANTAL ortum habuit. Piæ ſanctæque educationis fructum tulit, quem debuit, puellæ indoles ad virtutem nata. Catholicæ Religionis jam inde a teneris annis tanto erat incenſa ſtudio, ut quintum ætatis annum nondum excedens hæreticum quemdam adverſus veritatem Corporis Chriſti in Euchariſtia cavillantem ſapienter, atque animoſe redarguens, pudore ſuffunderet. Tentata doloſis artibus a vaferrima, quæ domi erat, muliere, innocentiam non ſine peculiari ope Deiparæ Virginis, quam deſunctæ genitricis loco matrem delegerat, incontaminatam ſervavit. Aliud quoque gravius fortaſſe periculum ejuſdem B. Virginis auxilio evaſit incolumis. Quum enim de connubio illius ageretur cum Equite nobili ſane, atque opulento, Deum JOANNA FRANCISCA per Matrem ejus Sanctiſſimam conſulens, Calviniana illum, tametſi diſſimulata, hæreſi infectum, Deo illuſtrante, cognovit; quo illa periculo ita commota eſt, ut vel recordationem illius refugeret animus, ac perhorreſceret. A ſorore, apud quam aliquandiu fuerat, patri reddita, ita ſe illi obſequentem, docilem, ſuavem, morigeram præbuit, ut nihil ſupra. Nihil in ea quod delicias, quod luxum, quod levitatem animi redoleret. Pietas in Deum, ac Deiparam eximia, ſummum precandi ſtudium, miſericordia in pauperes ſingularis. Voluntati ſuæ, qua libentius ad vitam cœlibem ferebatur, paternam præponens nobiliſſimo viro in temporalibus Domino DE CHANTAL nuptui ſe dari non recuſavit. Præclaræ illæ, quas ad matrimonium attulerat, virtutes magis magiſque in aliorum quoque utilitatem redundarunt. Clementer enim familiam regere, filios ſancte educare, virum ad pietatis ſuæ imitationem adducere, inviſere ægros, egentibus ſubvenire, ſubditis opitulari, Deo, & ſibi vacare, hæc illius erat vitæ ratio laborioſa ſemper, nunquam otioſa. Cujus quidem ſollicitudinis fructus erat ſumma in domo pax, ſumma tranquillitas.

Sed adverſæ res inciderunt, quibus tam præclara iſta in ſecundis virtus longe ſplendidior effulſit. Vulnerato enim inter venandum, & paulo poſt extincto viro, quem carum in primis habebat, caſum quidem acerbiſſimum dolenter tulit, ſed in eo conſilium Dei, qui totam ſibi depoſceret, animo reputans, ſanctiſſimæ illius voluntati acquievit, ac præterea ad aram Beatiſſimæ Virginis Deo, meliori utique Sponſo, votum nuncupans perpetuæ caſtitatis ſe obſtrinxit. Illi autem, qui viro ipſius, tametſi imprudens, lethale vulnus inflixerat, non modo veniam libenter indulſit, ſed in argumentum etiam peculiaris benevolentiæ, illius filium e ſacro fonte ſuſcepit. Qua quidem in re, æquiſſimo virtutum æſtimatore S. Franciſco Saleſio teſte, heroicæ perfectionis exemplum edidit plane admirandum.

Quum autem perfectius adhuc, atque excellentius meditaretur vitæ genus, rei familiaris ſarcina magna ex parte depoſita, mundi muliebris quidquid erat pretioſum, partim in levamen pauperum, partim in ornatum templorum convertit. Ad redigendum in ſervitutem corpus jejunia, cilicia, vigilias adhibet. Tempus omne religionis inter, ac miſericordiæ officia partitur. Demiſſionis, ac patientiæ neque illi occaſio, neque occaſioni ipſa defuit. Dici vix poteſt, quot, quantaſque ab ancilla injurias pertulerit. Summa erat prorſus, ac pene incredibilis in altera contumacia, in altera manſuetudo. Novis inter hæc oblatis a patre nuptiis conſtantiſſime recuſatis, ut propoſitum, quo totam ſe Deo mancipaverat, magis magiſque firmaret, pulcherrimo quidem, ſed aſperrimo invento, adorabile Jeſu nomen candente ferro pectori impreſſit. Tam ſtrenue in ſuſcepto evangelicæ perfectionis itinere progredienti datus eſt tandem, quem diuturnis a Deo precibus expetiverat, ſapientiſſimus item, & ſanctiſſimus conſcientiæ moderator Sanctus Franciſcus Saleſius, quem ut primum aſpexit, mutuo ſeſe agnoverunt, quum antea de facie non noſſent. Probante itaque tanto magiſtro, votum illud maxime arduum edidit, ſemper id exequendi, quod perfectius,

atque acceptius Deo eſſe intelligeret. Neque vero minus firma opus erat fortitudine animi, ut ea perficeret, quæ de novi Ordinis fundatione a Saleſii magiſterio didicerat. Multæ enim, & graves ſuperandæ fuerunt difficultates: quas inter fortaſſe illa maxima, quod quum filius ſtrato per januam corpore intercludere aditum matri tentaſset, ne Anneeium profectura, quo divinitus vocabatur, domo pedem efferret, ſtrenua mulier recogitans forte illud Hieronymi: per calcatum perge patrem: ſuper filium tranſiit, quem eximie earum habebat. Quid autem incenſa caritas poſſit efficere ſtatim apparuit. Saleſio enim veluti architecto prima jecit fundamenta Ordinis ſanctimonialium a Viſitatione Beatæ Mariæ Virginis nuncupati, quem, obnitente fruſtra dæmonum, & perverſorum hominum fraude, tametſi non ſine magnis exantlatis laboribus, multis ac diverſis in locis ita propagavit, ut quatuor ſupra octoginta monaſteria ipſius opera, & ſtudio fundata numerarentur. Hujus autem Ordinis inſtitutio, tametſi nihil aſperum, nihil auſterum præſeferat, dum tamen voluntati, atque humanis affectionibus nihil quidquam, quod libitum fuerit, indulget, rerumque omnium abdicationem, & omnimodam ſui abnegationem fortiter ſimul, & ſuaviter præcipit; ad perfectionem ſummam, quemadmodum Deo incrementum dante, ad hanc uſque diem non ſine animi noſtri jucunditate conſpicimus, mira quadam ratione perducit. Juſſu præterea Epiſcoporum alia non ſui Ordinis monaſteria viſitans, labentem in iis diſciplinam reſtituit. Ubi autem præſens voce non poterat, per litteras, quæ extant bene multæ, ſacris potiſſimum virginibus præſto erat. Mors deinde conſanguineorum, in iiſque filii dulciſſimi, ſed Franciſci Saleſii potiſſimum, a cujus nutu, conſiliiſque pendebat, virilem illius animum adeo non fregit, ut nihilo ſecius quam antea ardua quæque adoriri, ac perficere conaretur. Quibus rebus in eam ſapientiæ, & ſanctitatis opinionem apud omnes venit, ut ex ordine quovis, etiam Epiſcopali, Joannæ Franciscæ conſilia expeterent principes viri, ac Reges illius ſe precibus commendarent, & Sanctus ipſe Vincentius de Paulo inſtituti ſui leges eidem examinandas, & corrigendas traderet.

Tam excellens virtus, quæ quamvis per tot præclare geſta ſeſe prodiderat, majus tamen aliquid, quam quod exterius patebat, latere intus indicabat (ita quidem, ut Saleſio ipſi optimo rerum æſtimatori admirationi eſſet) ad eum perfectionis apicem pervenerat, ut matura jam Cœlo eſſet. Itaque quum Famula Dei Pariſiis rediens, quo juſſu Epiſcopi Gebennenſis, ab Anna Auſtriaca expetita, ſeſe contulerat, Molini in morbum ineidit, e quo inſtare ſibi ſupremam diem intelligens, Sacramenta Eccleſiæ pie ſancteque ſuſcepit. Epiſtolam mox dedit ad omnes ſui Ordinis alumnas, caritatis, & ſapientiæ plenam. Cunctis demum præſentibus, abſentibus, futuris etiam inſtituti ſui monialibus a Deo fauſta omnia precata fervidos inter fidei, ſpei, caritatis actus ad amplexum Sponſi ſui Cæleſtis, quem unice ſemper dilexerat, feliciter convolavit Idibus Decembris anni mdclxi. Eximiam Joannæ Franciscæ gloriam declaravit viſus a Sancto Vincentio de Paulo ſplendeſcens globus alteri mox adjunctus ſplendidiori, atque alius demum longe ſupra quam dici poteſt lucidiſſimus, qui utrumque ſibi commixtum exeepit. Intellexit enim ſuperno lumine perfuſus vir Dei, in primo illo globo Joannam Franciscam, in altero Sanctum Franciſcum Saleſium, in tertio vero Deum ipſum, qui lucem inhabitat inacceſſibilem, deſignari.

Tametſi autem de Joannæ Franciscæ ſanctimonia fama eſſet percelebris ex inaoi tamen opinione quadam, quod ante quinquageſimum annum inquiri de ea non liceret, factum eſt, ut tempus ad eam rem opportunius elaberetur: donec tandem anno mdccxv. cœptum eſt agi de illa in Beatorum numerum referenda. Inſtituto igitur ex eo tempore duplici examine, Epiſcopali ſcilicet, & Apoſtolico, atque utriuſque actis exhibitis, & approbatis in Congregatio-

gitione Sacrorum Rituum quæſtiones, quæ ſolent, habitæ ſunt. Teſtimonio deinde clarorum ſcriptorum, qui coævi erant Servæ Dei, ac potiſſimum S. Franciſci Saleſii, & S. Vincentii a Paulo, heroicas fuiſſe Joannæ Franciſcæ virtutes ſatis aperte probatum eſt. Sed quum teſtis illarum de viſu, tam longo poſt ab obitu illius intervallo, nemo unus reperiretur, ad rem expediendam felic. record. Benedictus XIV. Prædeceſſor noſter ſapienter præcepit, ut accederet adminiculum ex aliis duobus præter duo requiſita miraculis per invocationem Servæ Dei poſt mortem patratis.

Et quidem quatuor præ cæteris probatu digna reperta ſunt. Primum exhibuit Gabriella Angelica Morel, in monaſterio Viſitationis Abalonenſi Diœceſis Auguſtoduni, cui, quum Servæ Dei ſe commendaſſet, crus dexterum ſemipalmo brevius altero, ac pene ſucci, & caloris expers, ad omnimodam cum ſiniſtro æqualitatem redactum fuit.

Secundam divinitus factam ſanationem experta fuit Eliſabeth Dronier de la Perouſe profeſſa ejuſdem Ordinis Viſitationis in oppido de Saint Amour, quod eſt in Diœceſi Lugdunenſi; quæ ex diutini morbi vi ſemimortua, atque a medicis deſtituta, cum per tres menſes immobilis in lectulo decumberet, ad Beatam Joannam Franciscam confugiens, momento temporis ſoſpes, integra, & conſuetis omnibus miniſteriis apta e lecto proſiluit.

Tertium miraculum patratum eſt in Clara de Rubeis puella Romana, quæ contracta phthiſi eo deducta, ut munita extremo Sacramentorum præſidio jamjam moritura videretur, immo etiam aliquando haberetur pro mortua, ſed, quum propoſito ſibi dierum novem obſequio Beatæ Joannæ Franciscæ opem poſceret, a tertio, vel quarto uſque ad diem nonum, depulſa vi morbi, convaleſcens, colore, orexi, viribus redditis, domo egreſsa in conſpectum omnium prodierit.

Quarta miraculoſa ſanatio contigit Eugeniæ Trochon profeſsæ Ordinis Viſitationis in civitate Salmurienſi Andegavenſis Diœceſis. Hæc a quintodecimo ætatis anno graviſſimo per octo annos aſthmate pene præſocata, dein correpta paralyſi, quæ brachio, & cruri motum ademit, & magna ex parte ſenſum imminuit, poſt dies ferme quadraginta infeſtæ hujus ægritudinis, nulla adhibita medicorum ope, Beatæ Joannæ Franciscæ novendiali cultu ſeſe commendans, poſtrema nondum elapſa die, momento temporis affectorum membrorum motu reintegrato, ſana ſurgit, ac vigens, & munia facile repetit, quæ ſolebat.

Sed quintum etiam miraculum addendum duxit laudatus Prædeceſſor noſter Benedictus XIV., quod quidem quamvis ſatis teſtatum eſſet auctoritate Epiſcopi Aurelianenſis, quum tamen Sedis Apoſtolicæ auctoritate deſtitueretur, adeoque idoneum non eſſet, ut probata inter miracula referretur, idem Pontifex, hoc vitio ſublato, ratum habuit, & confirmavit. Sanatio porro ita ſe habuit. Suſanna Bienſait profeſſa Ordinis Viſitationis, ſcirrhoſo tumore non ſine acri dolore, & cruciatu viſcerum laborabat. Huc acceſſit paralyſis, quæ cruribus, quorum dexterum etiam ex atrophia exaruerat, motum omnem, & ſenſum penitus intercepit. Humanis itaque per menſes duos remediis abſtinens Beatæ Joannæ Franciscæ conſueta novem dierum prece implorat auxilium. Labente adhuc die nona, puncto temporis, motu, ſenſu, & carne præterea cruri arido reſtitutis, vivida, & vigens miniſteriis omnibus fungi potuit, quibus ceteræ moniales bene valentes, atque integræ fungebantur.

Quum itaque virtutibus, & miraculis auctoritate Apoſtolica confirmatis, nullum jam dubium ſupereſſet, quin ad formalem Servæ Dei Joannæ Franciscæ Beatificationem procedi poſſet, idem Benedictus Prædeceſſor die XIII. Novembr. anni Domini MDCCLI. per ſuas litteras in forma Brevis illi tamquam Beatæ cultum decrevit, Officio, & Miſſa quotannis die XXI. menſis Auguſti, qua ſollemnia coronationis ſuæ recurrebant, ad ejus honorem certis in locis conceſſa.

Nova poſt indultam JOANNÆ FRANCISCÆ venerationem miracula ſequuta ſunt, quæ manifeſtam de augendo eidem cultu voluntatem Dei declararunt. Quibus, cognita prius Proceſſuum validitate, in Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, quæ Sacris Ritibus præeſt, ad examen vocatis, atque diſcuſſis, ex aliis pluribus, quæ ferebantur, in generali ſimili Congregatione coram nobis die XXVIII. Januarii anni proxime præteriti coacta, duo hæc, quæ ſequuntur ſpeciali approbatione digna comperta ſunt, prout ex decreto noſtro die IX. ſubſequentis menſis Martii apparet.

Miraculum primum ejuſmodi eſt. Maria Droz ſanctimonialis in monaſterio Pontis Aurelii Biſuntinæ Diœceſis, Ordinis S. Bernardi, phthiſi laborans, tentatis fruſtra per triennium remediis ad eam depellendam, eo jam devenerat, ut ob vitiatos pulmones, morbumque, ut ajunt, jam confirmatum, indicia ferme omnia letalem exitum proderent mox imminentem, ac propterea medicorum judicio recuperandæ valetudinis ſpes nulla relinqueretur. Sed quæ ab humanis remediis obtineri non poterat, B. JOANNA FRANCISCA, cui monialis magna cum fiducia tametſi morti proxima ſe commendarat, peracta novemdiali ſupplicatione, momento temporis ei valetudinem reddidit, atque ita reddidit, ut nulla prorſus deplorati jam morbi veſtigia ſupereſſent.

Altera ſupra vires naturæ ſanatio contigit in paupercula quadam virgine, cui nomen Florida, ſive, ut Galli loquuntur, Fleuries Coing. Huic enim, dum in Lugdunenſi noſocomio imperitus chirurgus brachii dexteri venam incidit, atque ad eliciendum ſanguinem e foramine non fluentem acum ferream profundius immittit; læſo, aut ſciſſo, ut opinio fuit, bicipiti nervo, vel alio quopiam, protinus brachium intumuit, obriguitque ita, ut flecti nullo modo poſſet. Huic incommodo occurſum eſt forata miſeræ virgini non ſemel affecta parte, ſed eo factum eſt, ut brachii pars inferior contracta ſuperiori velut affixa cohæreret, itemque digiti in pugnum coacti palmam arctius premerent, ut proinde medium aliquid interponi oportuerit, ne palma digitorum unguibus læderetur. Per quinquennium infelix vitam traxit emortuo brachio, ſenſus quippe omnis, & motus, & nutritionis experte, donec Annecium profecta, ut ad B. JOANNÆ FRANCISCÆ tumulum, quod biennio ante eodem itinere fruſtra emenſo obtinere nequiverat, accederet, ubi ut primum expiata Sacramento pœnitentiæ, & ſanctiſſimo Chriſti corpore refecta, ac ſpei plena inutilem illam corporis partem B. JOANNÆ FRANCISCÆ admovit ſepulcro, protinus emortuum brachium revixit momento temporis, ſenſu, motu, carne, viribus reſtitutis.

His igitur rite approbatis, quum in eadem generali Sacrorum Rituum Congregatione die XXIII. Septembris ejuſdem anni habita, propoſita fuerit quæſtio, an tuto ad ſollemnem B. JOANNÆ FRANCISCÆ Canonizationem procedi poſſet, nemini dubium fuit, quin juxta conſtantem praxim Apoſtolicæ Sedis, & Prædeceſſorum noſtrorum, decreta omnia ad hujuſmodi effectum abunde ſuppeterent, nos vero decreti editionem, ut divinam imploraremus opem, differre voluimus, ſed demum die XII. Octobris proxime præteriti poſt fuſas ad Deum humillimas preces, eorum ſententiam ratam habentes: decretum protulimus de eadem Canonizatione ſervatis ſervandis quandocumque peragenda.

Quemadmodum autem alias claræ memoriæ Carolus VI. Romanorum Rex in Imperatorem electus, & Philippus V. Hiſpaniarum Rex Catholicus, ac Jacobus III. Rex Angliæ, aliique tunc in humanis agentes Chriſtiani Principes, Romanique Imperii Electores, ac plurimi Archiepiſcopi, & Epiſcopi, Comitia præterea Cleri Gallicani, Ordinumque aliorum Regularium Præſides, Capitula quoque Eccleſiarum, & civitatum Magiſtratus, præcipue vero claræ etiam memoriæ Victorius Amedeus dum viveret Sardiniæ Rex, datis propterea litteris apud Prædeceſſores noſtros, progreſſum Cauſſæ Canonizationis B. JOANNÆ FRANCISCÆ enixe poſcen-

poſcentibus: ita quoque cariſſimi in Chriſto filii noſtri Ludovicus Galliarum Rex Chriſtianiſſimus, & Carolus-Emanuel Sardiniæ Rex illuſtris, iteratis ob eam rem votis inſtare non deſierunt. Dilectæ vero in Chriſto filiæ inſtituti ab JOANNA FRANCISCA Ordinis alumnæ multo enixius aſſiduis, demiſſiſque precibus poſtulabant.

Quocirca viſum eſt nobis cum Venerabilibus etiam Fratribus noſtris ejuſdem S.R.E. Cardinalibus in Conſiſtorio ſecreto die XXVII. proxime præteriti menſis Aprilis habito, editum decretum exequutioni tandem eſſe mandandum: iiſdemque omnibus in affirmantem ſententiam convenientibus, venerabiles itidem Fratres noſtros Archiepiſcopos, & Epiſcopos ex tota ferme Italia ad graviſſimum hoc negocium advocavimus, eorumque judicio ſeriem Cauſſæ, atque omnia, quæ de virtutibus, & miraculis B. JOANNÆ FRANCISCÆ probata fuerant, tum oretenus in Conſiſtorio publico die IX. menſis Maji proxime elapſi coram nobis coacto, in quo dilectus filius Paulus Franciſcus Antamorus noſtræ Conſiſtorialis aulæ Advocatus in ipſius BEATÆ cauſſa peroravit, tum etiam in ſcriptis exponi mandavimus, tradita nempe ſingulis diſtincta geſtorum omnium relatione, ex authenticis documentis ipſius Congregationis religioſe deſumpta; quibus præmiſſis, aliud Conſiſtorium ſub die X. currentis menſis Julii convocavimus, in quo præter S.R.E. Cardinalium præfatorum Collegium, Patriarchas, Archiepiſcopos, & Epiſcopos in Romana Curia præſentes ſedere juſſimus, ut adſtantibus Apoſtolicæ Sedis Notariis, Prothonotariis nuncupatis, & duobus antiquioribus Cauſſarum Palatii noſtri Auditoribus, ſuper expetita B. JOANNÆ FRANCISCÆ Canonizatione ſententiam ſuam aperirent. Cumque omnes unanimes pro ſuprema ipſius BEATÆ glorificatione non aſſenſum modo validis rationibus roboratum, ſed enixa etiam ſtudia, & vota obtuliſſent, nos quidem ea de re ab Apoſtolicæ Sedis Notariis publica inſtrumenta confici, ac præterea prolatorum ſuffragiorum exempla a ſingulis ſubſcripta colligi, & in tabularium S. R. E. referri mandavimus. Priuſquam tamen ad ferendam tanti momenti ſententiam adduceremur, indictis per Urbem generalium jejuniorum diebus, deſignatiſque ad ſupplicationes tribus Patriarchalibus Urbis Baſilicis cum indulgentia ab iis conſequenda, qui ſuas cum noſtris obſecrationibus jungerent; publicas Eccleſiæ preces apud Deum Patrem luminum interponendas curavimus, ut ad dirigendos ſenſus noſtros juxta viam ſuam, gratiæ ſuæ opem, & auxilium nobis impertiretur.

Demum hac die Beatæ Mariæ Virgini de Monte Carmelo dicata, qua Coronationis noſtræ ſollemnia redeunt, ut ad impoſitum nobis graviſſimum ſupremi Pontificatus onus, quo valde premimur, ſuſtinendum, novos adhuc apud mediatorem Dei & hominum Jeſum Chriſtum, cujus vicarias vices gerimus in terris, interceſſores obtineremus; in Vaticana Baſilica, ad quam ſollemni ritu nos præceſſerunt omnes Cleri ſæcularis, & regularis Ordines, omnium Officialium Romanæ Curiæ Collegia cum S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, antequam Sacroſanctum Sacrificium ſollemniter celebraremus, exhibitis nobis iterum, iterumque a dilecto filio noſtro Carolo Tituli Sancti Clementis S. R. E. Presbytero Cardinali Rezzonico nuncupato ipſius S.R. E. Camerario, pro Canonizatione impetranda Procuratore conſtituto, Chriſtianorum Principum, Antiſtitum, & Capitulorum Eccleſiarum, Magiſtratuumque, ac Ordinis Viſitationis poſtulationibus, precibus, & votis pro ipſius BEATÆ JOANNÆ FRANCISCÆ, quemadmodum etiam pro BEATORUM JOANNIS CANTII, JOSEPHI CALASANCTII A MATRE DEI, JOSEPHI A CUPERTINO, HIERONYMI ÆMILIANI, & SERAPHINI A MONTE GRANARIO, AB ASCULO denominati, ſollemni Canonizatione; & implorata prius Cæleſtium Spirituum, & Sanctorum omnium interceſſione, atque ſpeciali hymno Paraclyto Spiritu invocato, ad honorem Sanctæ & Individuæ Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicæ, & Chriſtianæ Religionis augumentum, de conceſſa noſtræ humilitati Apoſtolicæ auctoritatis plenitudine, ipſam BEATAM JOANNAM FRANCISCAM FREMIOT

DE

de Chantal Ordinis Viſitationis Beatæ Mariæ Virginis nuncupati Fundatricem, omnibus evangelicis virtutibus cumulatiſſimam, & miraculorum teſtimonio glorioſam, unacum dictis Joanne Cantio, Joſepho Calasanctio, Joſepho a Cupertino, Hieronymo Æmiliano, & Seraphino a Monte Granario, ab Asculo denominato, Sanctam eſſe decrevimus, & definivimus, ac Sanctorum catalogo adſcripſimus, ejuſque memoriam, quam in ſubſequenti Miſſæ celebratione nos ipſi ſollemniter venerati ſumus, ab univerſa Eccleſia quotannis dicta die xxi. Auguſti religioſe coli mandavimus. Cunctis quoque Chriſtifidelibus, qui ad tantam celebritatem confluxerant, plenariam, iis vero, qui ſingulis annis prædicta die ad ejuſdem Sanctæ Joannæ Franciscæ corpus venerandum acceſſerint, ſeptem annorum, & totidem quadragenarum Indulgentiam in forma Eccleſiæ conſueta miſericorditer in Domino elargiti fuimus.

En igitur ſapientiſſimo Dei conſilio in una Sancta Joanna Francisca, non uni dumtaxat mulierum cœtui, ſed cujusvis illarum conditioni, ac numeris omnibus abſolutum exemplar. Habent hic virgines, habent nuptæ, habent viduæ, habent ſacræ Deo moniales quod admirentur, quod imitentur. Illa enim virginitatis cuſtos integerrima, ſi nuptiis conſenſit, non ſuæ, quæ illis adverſabatur, ſed paternæ obſecuta eſt voluntati. In matrimonio, non filios modo ad imitationem pietatis ſuæ, ſed virum etiam adducere ſedulo ſtuduit. Vidua porro ſanctius vitæ genus aggreſſa inſtituendo ab ſe Ordini egregie proluſit. Ubi vero ad altiora vocanti ſe Deo alacriter paruit; fundatis opera ſua monaſteriis tam multis, ac fundandis in poſterum, non tam optimis ab ſe conſtitutis legibus, quam pulcherrimis virtutum omnium operibus, ac monumentis, arduum ſimul, & ſuave ad evangelicam perfectionem iter oſtendit, atque explanavit.

Ut autem præmiſſa omnia ad univerſæ per orbem Eccleſiæ notitiam perducantur, eorumque memoria perpetuis futuris temporibus ad Dei gloriam, & fidelium exemplum perſeveret, nos eas præſentibus Apoſtolicis litteris complecti voluimus, mandantes eorum tranſumptis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis eamdem adhiberi fidem, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc noſtræ definitionis, decreti, adſcriptionis, mandati, ſtatuti, conceſſionis, relaxationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire; ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ mdcclxvii. decimoſeptimo Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri anno decimo.

✠ Ego Clemens Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.



✠ Ego

✠ *Ego C. A. Epiſcopus Oſtien. & Veliternen. Card. Cavalchini Sacri Collegii Decanus.*

✠ *Ego F. M. Epiſcopus Portuen. & S. Rufinæ Card. Lantes.*

✠ *Ego J. F. Epiſcopus Subinen. Card. Albani.*

✠ *Ego H. Epiſcopus Tuſculan. Card. Dux Eboracenſis S. R. E. Vicecancellarius.*

✠ *Ego F. Epiſcopus Albanen. Cardinalis Serbellonus.*

✠ *Ego J. F. Epiſcopus Præneſtin. Cardin. Stuppanius.*

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠ *Ego C. Tit. S. Clementis Presbyter Card. Rezzonico S. R. E. Camerarius.*

✠

✠ *Ego F. M. Tit. Sancti Sylveſtri in Capite Presbyter Cardinalis de Rubeis.*

✠

✠

✠ *Ego J. M. Tit. S. Alexii Presbyter Card. Caſtelli.*

✠ *Ego C. Tit. Sancti Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis Elephantutius.*

✠ *Ego P. H. Tit. SS.mæ Trinitatis in Monte Pincio Presbyter Card. Gugliemi.*

✠ *Ega P. P. Tit. S. Stephani in Monte Cœlio Presbyter Card. de Comitibus.*

✠

✠ *Ega Fr. L. Baſilicæ Sanctorum XII. Apoſtolorum Presb. Card. Ganganelli.*

✠ *Ego M. A. Tit. Sanctæ Mariæ de Pace Presbyter Cardinalis Columna.*

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠ *Ego S. Tit. S. Joannis ante Portam Latinam Presbyter Card. Buonaccorſi.*

✠

✠ *Ego J. C. Tit. SS. Joannis, & Pauli Presbyter Card. Boſchi* Major *Pœnitentiarius.*

✠ *Ego L. Tit. S. Anaſtaſiæ Presbyter Card. Calinus.*

✠

✠ *Ego A. Tit. Sanctæ Mariæ in Via Presbyter Cardinalis Columna Branciforti.*

✠

✠

✠ *Ego P. Tit. S. Mariæ Transtiberim Presbyter Cardinalis Pamphilius.*

✠

✠ *Ego Ph. M. Tit. S. Chryſogoni Presbyter Card. Pirellius.*

✠

✠

✠

✠

✠

✠ *Ega A. Sanctæ Mariæ in Via Lata Prior Diaconorum Cardinalis Albanus.*

✠ *Ego N. S. Euſtachii Diaconus Cardinalis Corſinius.*

✠ *Ego D. Sanctæ Mariæ ad Martyres Diaconus Card. Urſinus.*

✠ *Ego Fl. Sanctæ Mariæ in Portica Diaconus Card. Chiſius.*

✠ *Ego A. M. Sanctæ Agathæ ad Suburam Diaconus Card. Torrigiani.*

✠

✠ *Ego J. C. Sancti Cæſarei Diaconus Cardin. Caracciolus de Sancto Bono.*

✠ *Ego*

✠ *Ego N. Sancti Georgii in Velabro Diaconus Card. Perrelli.*

✠ *Ego A. Sancti Angeli in Foro Piſcium Diaconus Cardinalis Corſinius.*

✠ *Ego A. Sanctorum Viti, & Modeſti Diaconus Cardinalis Nigronus.*

✠ *Ego Æ.S.Sancti Adriani Diaconus Cardinalis Piccolomineus.*

✠ *Ego X. Sanctæ Mariæ de Scala Diaconus Card. Canale.*

✠ *Ego B.Sanctorum Coſmæ, & Damiani Diaconus Cardinalis Veterani.*

✠

C. Card. Pro-Datarius.

A. Card. Nigronus.

VISA

De Curia J. Manaſſei.

L. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

ACTA

Digitized by Google

ACTA
BEATIFICATIONUM
SERVORUM DEI
GREGORII BARBADICI
S. R. E. Presbyteri Cardinalis Epiſcopi Patavini,
SIMONIS DE ROXAS
Sacerdotis profeſſi Ordinis Fratrum Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum,
ET
BERNARDI A CORLEONE
Laici profeſſi Ordinis Minorum S. Franciſci Capuccinorum.
CUM
SOLLEMNIIS EORUMDEM BEATIFICATIONUM
IN BASILICA VATICANA.

Digitized by Google

Digitized by Google

ACTA BEATIFICATIONIS
VEN. SERVI DEI
GREGORII BARBADICI
S. R. E. Presbyteri Cardinalis, & Epiſcopi Patavini.

Inculto licet calamo ea omnia, quæ in ſex Beatorum Cauſſis, qui ad ſublime Canonizationis faſtigium per Sanctissimum Dominum Nostrum Clementem Papam XIII. fuere evecti, acta, factaque ſunt exponere non omiſimus, id præcipuum operam dantes, ut curam, diligentiam, vigilantiam, & ſtudium ab eodem in hoc cæteroquin graviſſimo negocio expediendo adhibitum apprime innoteſceret: verum, ut uno, ac juſto volumine, ea omnia præ oculis lectores habeant, quæ idem Summus Antistes religioſis, & divinis rebus occupatus ſemper, & intentus, ut beatitatis honores tribus Venerabilibus Dei Servis Gregorio Barbadico S. R. E. Presbytero Cardinali, & Epiſcopo Patavino: Simoni de Roxas Sacerdoti profeſſo Ordinis Fratrum Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis captivorum, & Fratri Bernardo a Corleone Laico profeſſo Ordinis Minorum S. Franciſci Capuccinorum attribueret, geſſit, & eſt aggreſſus, operæ pretium exiſtimavimus fore, coronidis loco harum Beatificationum acta brevi, & exacta narratione complecti.

Primo loco nobis ſe offert Cauſſa Vener. Servi Dei Gregorii Barbadici Presbyteri Cardinalis Epiſcopi Patavini, ex cujus prænobili gente maternum genus ducit Beatissimus Dominus Noster Clemens PP. XIII. Longum, & arduum opus, ac dura eſſet provincia, ſi hujus præclari viri Venetæ Reipublicæ illuſtris gloria, Eccleſiaſtici Ordinis conſpicuum decus, Epiſcoporum irreprehenſibilis imago, Sacri Cardinalium Senatus lumen maximum, & ornamentum laudes recenſere vellemus, ſi maximam, vel incredibilem famam, ſive ſanctitatis rumorem, qui ſtatim ac ex hac mortali vita XIV. Kalendas Julii MDCXCVII. Gregorius deceſſit, per ora omnium, & voces cœpit evulgari, conaremur deſcribere; ſatius proinde ea omnia ſilentio præterire, & obvolvere ducimus opportunum, quam leviter attingere, & brevitate ipſa obſcurare, & obnubilare potius, quam in ſuo lumine, & ſplendore conſtituere. Id eo libentius præſtamus, quia omnium doctiſſimorum virorum manibus verſantur *de vita, & rebus geſtis B. Gregorii Barbadici Epiſcopi Patavini libri tres*, quos latino idiomate eleganter, venuſte, & ſumma puritate ſermonis conſcriptos, Beatissimo Domino Nostro dicavit, & typographicis formis penes fratres Salvionos Romæ MDCCLXI. excuſit vir clariſſimus, & doctiſſimus, quem honoris cauſſa nomino, Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius Ordinis Prædicatorum, Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

Quia autem doctus vir ad ſui Operis calcem ſumma elegantia, & diligentia ea omnia complexus eſt, quæ in Cauſſa Ven. Gregorii, ut eidem honores Beatis debiti decernerentur, fuerant peracta, ideo, ne actum agere videamur, iiſdem, quibus ipſe uſus eſt verbis, rem omnem non dubitamus exponere.

„ Ut adhuc in terris agente Gregorio
„ Barbadico ſanctitatis ejus fama
„ longe lateque pervagata fuerat, ita & mul-
„ to magis novis accedentibus poſt ejus obi-

 „ tum

„ tum patratis ipſius ope miraculis aucta, „ & propagata eſt. Quare ne adhuc viventium hominum ad fidem de rebus ab eo „ geſtis, virtutibus, atque prodigiis poſteritati faciendam teſtimonia interireot, „ æquiſſimum, opportunum que viſum eſt illius gloriæ ſtudioſis publicum, ac legitimum inſtitui de viri ſanctitate judicium, „ Patavinorum primum, tum Bergomenſium „ hæc omnium, qua privata, qua publica „ in GREGORIUM ſtudia, ac vota fuere. „ Quare civitatis utriuſque cives Epiſcopum „ adiere ſuum, ut publicas more, inſtitutoque Eccleſiæ ea de re tabulas confici „ vellet, atque juberet. Id enim optimo, „ ſanctiſſimoque Paſtori ſuo deberi jure meritoque putarunt, qui præter vitæ innocentiam, & ſanctitatem, egregiis curis, atque laboribus perutilem eorum ſaluti operam impendiſſet, atque innumeris utramque Eccleſiam beneficiis cumulaſſet. Ad „ publicas itaque tabulas cum de GREGORII „ geſtis, atque virtutibus, tum de nullo ei „ poſt mortem tributo cultu Patavii, ac Bergomi deventum eſt. Publicæ item tabulæ „ auctoritate, ut ajunt, ordinaria inſtitutæ „ Romæ, Venetiis, Florentiæ, Mediolani, „ Mutinæ, ac Beneventi, riteque confectæ „ ad Apoſtolicam Sedem tranſmiſſæ ſunt. „ Additæ ſupplices ad Clementem XI. P. M. „ multorum epiſtolæ numero CCCLVII., uno „ deinde volumine exceptæ, atque vulgatæ, „ quibus ſummi Reges, ac Principes, S.R.E. „ Cardinales, Eccleſiarum Antiſtites, & „ Capitula, omnes fere Regularium Ordinum Præſides generales, publicæ academiæ, Magiſtratus, & collegia certatim, „ votis inſtabant ac precibus, ut cæleſtes „ GREGORIO honores ſupremo Eccleſiæ judicio deferrentur.

„ Exhibita ſacræ Rituum Congregationi „ acta omnia rite aperta, ac lecta ſunt „ die 11. Julii anno 1716. tum Cauſſæ Relator ab Innocentio XIII. P. M. deſignatus fuit Cardinalis Zondedarius, qui Theologos nonnullos cognitores, cenſoreſque „ adhibuit operum, ſcriptorumque Ven. „ GREGORII, in quibus eum nihil reprehendendum offendiſſent, eadem Sacra „ Congregatio die 3. Julii 1723. *nihil obſtare* pronunciavit *ad Cauſſæ proſecutionem*. „ Eodem anno die 11. Decembris a laudato „ Pontifice manu propria ſignata eſt introductionis Cauſſæ Commiſſio, atque inſequentis anni 1724. die 15. Julii. *de cultu* „ *Servo Dei non exhibito conſtare*, reſpondit „ eadem Congregatio, quod quidem reſponſum auctoritate ſua firmavit Benedictus XIII. Innocentii ſucceſſor.

„ Interea cum duo de triginta ab obitu „ GREGORII annis humidiore loco, quo primum conditum fuerat, ejus corpus jacere animadverterent Patavini, magno fortaſſe ſacri pignoris detrimento; augeretur præterea in dies miraculorum, & „ populi ad ſepulcrum frequentia, ſuarum „ eſſe partium duxerunt in locum ſicciorem „ illud transferre, ac ſepulcro nobiliore reponere. Id ne Cauſſæ obeſſe poſſet, quæſita, atque ad faciendum impetrata Sacræ Congregationis facultate, quæ conſilium probavit die 23. Septembris 1724. „ dummodo ſervaretur in omnibus ritus, ac „ forma a Fidei Promotore tradenda; opus „ quantocyus curatum, atque perfectum eſt. „ Indicta enim translationis die convenere „ ad ſepulcrum conſtituti judices, medici, „ chirurgi, ac teſtes coram Joanne Franciſco Cardinali Barbadico Epiſcopo Patavino Ven. GREGORII fratris filio, tum „ crutæ, apertæque arcæ, quibus incluſum „ cadaver fuerat, quod ingenti omnium admiratione integrum prorſus, atque incorruptum, omni ex parte flexibile, ac mortis, temporiſque injuriarum expers divinitus conſervatum repertum eſt. Agnovere prodigium quotquot ſpectaculo interfuerant, & laudavere Deum excelſum, „ qui non dedit Sanctum ſuum videre corruptionem. Poſt hæc ne leviter quidem „ violatum, ſed integrum uti repertum fuerat, accurate clauſum loco digniore collocatum eſt, poſito ex marmore ad tumulum hoc rei monumento.

D. O. M.

D. O. M.
CORPUS
VENERABILIS SERVI DEI
GREGORII S. R. E. CARDINALIS BARBADICI
EPISCOPI PATAVINI
E SEPULCHRO
QUO XXVIII. ANTE ANNIS CONDITUM FUERAT
PRÆVIO DECRETO SAC. RITUUM CONGREGAT.
APPROBATO A SS. D. N. BENEDICTO XIII. P. M.
JOH. FRANCISCUS S. R. E. CARDINALIS BARBADICUS
EPISCOPUS PATAVINUS
FRATRIS FILIUS
HUC TRANSTULIT
ANNO MDCCXXV. MENSE MAJO DIE XXVI.

„ Romæ interea conficiebatur Proceſſus, „ ut vocant, Apoſtolicus *ſuper fama ſanctitatis in genere*, qui cum abſolutus, & obſignatus Sacræ Congregationi eſſet exhibitus die 15. Septembris, „ ipſius decreto reſeratus, & lectus eſt. „ Alii quoque Apoſtolica auctoritate Proceſſus *in ſpecie* ejuſdem Congregationis „ juſſu Patavii, Bergomi, ac Venetiis inſtituti ſunt, atque ab eadem Sacra Congregatione approbati die 20. Julii 1734.

„ Nova deinde in memoratis urbibus „ ejuſdem Sacræ Congregationis juſſu nonnullarum epiſtolarum, ac MSS. Ven. Gregorii inſtituta eſt perquiſitio, quæ ad „ Theologorum examen deducta ſunt, eorumque relatione facta a Cardinali Gentili, Sacra Congregatio die 7. Maji 1746. „ reſpondit: *Procedi poſſe ad ulteriora, reſervato jure D. Promotori opponendi ſuis loco, & tempore*. Volumina quoque „ familiarium epiſtolarum, quas a prima „ ætate ad mortem uſque ad multos dederat Gregorius, ad examen vocata cenſuram omnem evaſere, eodemque Cardinali referente, Sacra Congregatio reſcripſit „ die 20. Julii 1748: *Procedi poſſe ad ulteriora*.

„ His itaque præmiſſis, riteque diſpoſitis, poſt prævias, ut vocant, Antepræparatorias, ac Præparatorias Congregationes ſuper examine cum theologalium, „ tum Cardinalium virtutum Ven. Servi „ Dei, quarum prima apud Eminentiſſimum Galli Cauſſæ Relatorem habita „ eſt die 29. Martii anni 1757., altera in „ Palatio Apoſtolico Quirinali die 26. Septembris anni 1758., convocata demum „ poſtrema generali coram SS. D. N. Clemente PP. XIII. die 30. Januarii 1759. „ hoc decretum editum eſt.

DECRETUM.

Veneta, ſeu Patavina Beatificationis, & Canonizationis Ven. Servi Dei Gregorii Cardinalis Barbadici Epiſcopi Bergomenſis, poſtea Patavini,

SUPER DUBIO.

An conſtet de virtutibus Theologalibus Fide, Spe, & Caritate in Deum, & proximum, necnon de Cardinalibus Prudentia, Juſtitia, Fortitudine, & Temperantia, earumque annexis in gradu heroico in caſu, & ad effectum, de quo agitur?

„ Propoſita a Reverendiſſimo Cardinali „ Gallo Ponente in Congregatione generali Sac. Rituum habita die 30. Januarii „ 1759. coram Sanctissimo D. N. Clemente XIII, Cauſſa Veneta, ſeu Patavina Ven. Ser-

,, Servi Dei Gregorii Barbadici S. R. E.
,, Cardinalis, & Epiſcopi Patavini, in eaque
,, diſcuſſo dubio: an conſtet &c. ut ſupra,
,, Sanctitas Sua, auditis Reverendiſſimo-
,, rum Sac. Rit. Congregationi præpoſitorum,
,, necnon Conſultorum ſuffragiis, qui unani-
,, mi conſenſu conſtare de ejus virtutibus in
,, gradu heroico cenſuerunt, nihil tum de-
,, cernens, ad eum, qui operatur virtutes in
,, nobis, tam ſuis, quam aliorum precibus
,, confugit, humiliter deprecando, ut notum
,, ei faceret ſacramentum voluntatis ſuæ. Hac
,, vero die 8. Februarii, qua B. Hieronymi
,, Æmiliani Ven. Gregorii concivis in terris
,, ſollemnis commemoratio agitur, peractis
,, ſacroſanctis myſteriis, Sanctitas Sua co-
,, ram ſe advocavit Reverendiſſimos DD. Car-
,, dinales Tamburinum Sac. Congregationis
,, Præfectum, Gallum Cauſſæ Relatorem, nec
,, non R. P. Benedictum Veterani Promotorem
,, Fidei, meque Secretarium, & decretum
,, hujuſmodi edi, & inter acta Sac. Congre-
,, gationis referri mandavit, nempe *conſtare*
,, *de virtutibus Ven. Servi Dei* Gregorii
,, Barbadici *Cardinalis, & Epiſcopi Pata-*
,, *vini in gradu heroico in caſu, & ad effe-*
,, *ctum, de quo agitur*. Hac die 8. Februa-
,, rii 1759.

D. F. Card. Tamburinus Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

M. Mareſeſcus Sac. Rit. Congr. Secret.

,, Approbatis virtutibus, miraculorum
,, examen, judiciumque inſtitutum eſt,
,, eorum videlicet, quæ Gregorii ope,
,, ejuſque interceſſione poſtquam is e vivis
,, exceſſit a D. O. M. patrata ſunt. Qua-
,, propter in Congregatione Antepræpara-
,, toria coacta die 26. Februarii anni mdcclx.,
,, ac deinde altera Præparatoria habita die
,, 2. Septembris ejuſdem anni quæſitum, ac
,, diſceptatum eſt: *An, & de quibus mira-*
,, *culis conſtet in caſu, & ad effectum, de*
,, *quo agitur*: duo autem, quæ mox indi-
,, cabimus e quatuor propoſitis, atque diſ-
,, cuſſis, tamquam certa, atque indubitata
,, miracula unanimi Patrum ſententia judica-
,, ta ſunt. In Generali demum Congregatio-
,, ne coram Sanctitate Sua convocata
,, die 10. Januarii mdcclxi., inſtaurato eo-
,, rumdem miraculorum examine, pleno
,, ſuffragantium non tam conſenſu, quam
,, plauſu eadem miracula approbata ſunt,
,, religioſum tamen ducens Sanctissimus
,, Pontifex rem maturius perpendere, &
,, pro cauſſæ gravitate uberius a Deo lumen
,, poſcere, ac præſtolari, mentem ſuam de-
,, clarare diſtulit ad diem octavam Februa-
,, rii proxime inſequentis, in qua decretum
,, hoc tulit, ac promulgari mandavit.

DECRETUM

Veneta, ſeu Patavina Beatificationis, & Canonizationis Venerabilis servi Dei Gregorii Cardinalis Barbadici, Epiſcopi Bergomen., poſtea Patavini.

SUPER DUBIO.

An, & de quibus Miraculis conſtet in caſu, & ad effectum, de quo agitur?

,, Mirabilis in Sanctis Deus, & inqui-
,, rentibus ſe remunerator cum ſan-
,, ctitatem fidelis ſervi ſui Gregorii Cardi-
,, nalis Barbadici confirmare dignatus fue-
,, rit miraculis poſt ipſius obitum ad ejuſdem
,, interceſſionem patratis; hinc poſtquam
,, Sanctissimus Dominus Noster Clemens
,, PP. XIII., ſervatis de more ſervandis,
,, dicti Ven. servi Dei heroicas virtutes ap-
,, probavit ſollemni edito decreto die 8. Fe-
,, bruarii anni 1759., inſtitutum fuit eo-
,, rumdem miraculorum examen in Congre-
,, gationibus primum Antepræparatoria, &
,, Præparatoria habitis diebus 26. Februarii,
,, & 2. Septembris anni 1760., & deinde in
,, Congregatione Generali coram eodem
,, SS. Domino Nostro coacta die 20. mox
,, elapſi menſis Januarii, in qua a Reve-
,, rendiſſimo Cardinali Gallo Cauſſæ Rela-
,, tore propoſito dubio: *An, & de quibus*
,, *miraculis conſtet in caſu, & ad effectum,*
,, *de quo agitur*; licet ſuffragia Reveren-
,, diſſi-

„ diſſimorum Cardinalium, necnon Conſul-
„ torum concordia fuerint in miraculo ad-
„ ſcribendis duabus ſanationibus interceſ-
„ ſione dicti SERVI DEI ſecutis, primo, &
„ tertio loco a Poſtulatoribus propoſitis, ni-
„ hilotamenminus SANCTITAS SUA judicii
„ declarationem tunc diſtulit, ut in graviſ-
„ ſimo hoc negocio tam ſuis, quam alio-
„ rum precibus opem a Deo imploraret,
„ & Divino lumine mens ejus illuſtraretur.

„ Hac vero die, in qua Dominicæ pri-
„ mæ Quadrageſimæ ſollemnia recoluntur,
„ eadem SANCTITAS SUA poſt peractum ſa-
„ croſanctum Miſſæ ſacrificium, accitis co-
„ ram ſe Reverendiſſimis Cardinalibus Gal-
„ lo Cauſſæ Relatore, & Tamburino Sac.
„ Rituum Congregationis Præfecto, necnon
„ R. P. D Cajetano Forti Fidei Promotore,
„ meque infraſcripto Secretario, divino ite-
„ rum implorato præſidio, decrevit: ex
„ quatuor miraculis, quæ propoſita fuerunt,
„ tamquam a Deo patrata interceſſione
„ dicti SERVI DEI, *conſtare de duobus in ter-*
„ *tio genere*, nimirum de primo, *inſtan-*
„ *taneæ* ſcilicet, *& perfectæ ſanationis*
„ *Sororis Nicoloſæ Cinetti monialis con-*
„ *verſæ in Monaſterio S. Annæ Patavii* Or-
„ *dinis S. Benedicti a lethali vulnere ca-*
„ *piti inflicto a ſaxo eximiæ magnitudinis*
„ *e faſtigio turris campanariæ delapſo:*
„ & de tertio, nempe *inſtantaneæ & per-*
„ *fectæ ſanationis puellæ Luciæ Caſotto*
„ *ab inveterata gangræna, quæ dexterum*
„ *ejus brachium a cubitu ad humerum exe-*
„ *derat, eamque ad ultimum vitæ diſcri-*
„ *men adduxerat* in caſu, & ad effectum,
„ de quo agitur.

„ Et hujuſmodi decretum in acta Sac.
„ Rituum Congregationis referri, & publi-
„ cari mandavit. Hac die 8. Februarii an-
„ ni 1761.

D. F. Card. Tamburinus Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

J. M. de Lerma Sac. Rit. Congr. Secretarius.

„ His rite abſolutis, nihil jam reliquum
„ eſſe videbatur, ut Beatorum faſtis GRE-
„ GORIUS adjungeretur. Sed veteris diſci-
„ plinæ retinendæ cauſſa SANCTISSIMUS PON-
„ TIFEX diſcuti voluit: *An ſtante appro-*
„ *batione virtutum, & duorum miracu-*
„ *lorum tuto deveniri poſſet ad ipſius Ven.*
„ *Servi Dei Beatificationem?* Cui quidem
„ dubio coram ſe propoſito in generali Sa-
„ crorum Rituum Congregatione die 7. Ju-
„ lii MDCCLXI., cum ſuffragiis omnibus re-
„ ſponſum fuerit: *Poſſe a* SANCTITATE SUA
„ *tuto procedi*, ipſa anniverſaria Corona-
„ tionis ſuæ die 16. Julii 1761. ſequens
„ tulit.

DECRETUM

Veneta, ſeu Patavina Beatificationis, ſeu Canonizationis Venerabilis SERVI DEI GREGORII CARDINALIS BARBADICI Epiſcopi prius Bergomen., poſtea Patavini.

SUPER DUBIO.

An, ſtante approbatione duorum miraculorum, tuto procedi poſſit ad ſollemnem ipſius Venerabilis SERVI DEI *Beatificationem.*

„ POſtquam Ven. DEI SERVUS GREGORIUS
„ CARDINALIS BARBADICUS diſſolutis
„ corporei carceris vinculis, ad cœleſtem
„ patriam evolavit, maxima ſanctimoniæ
„ fama, plures instructi fuerunt Proceſſus
„ auctoritate primum ordinaria, deindeque
„ Apoſtolica ſuper illius ſanctitate, virtuti-
„ bus, & miraculis. Cumque poſtmodum,
„ iis omnibus diligenter perpenſis, quæ ex
„ præſcripto Apoſtolicæ Sedis in arduo Bea-
„ tificationis judicio accurate diſcutienda
„ erant, propoſitum fuerit examen heroi-
„ carum virtutum ejuſdem SERVI DEI in Con-
„ gregationibus Antepræparatoria, Præpara-
„ toria, & demum Generali habita coram
„ SS. DOMINO NOSTRO CLEMENTE PP. XIII.
„ die 30. Januarii 1759., eadem SANCTI-
„ TAS SUA die 8. Februarii ejuſdem anni,
„ qua Beati Hieronymi Æmiliani Venera-
„ bilis GREGORII concivis ſollemnis comme-
„ mora-

Digitized by Google

„ moratio agebatur, declaravit: *Conſtare* „ *de virtutibus Theologalibus, & Cardi-* „ *nalibus, aliiſque adnexis in gradu heroi-* „ *co in caſu, & ad effectum &c.* In earum- „ dem autem virtutum examine dilucide ex „ actis conſtitit, quam egregia evangeli- „ cæ perfectionis ſpecimina ediderit in vi- „ nea Domini bonus hic Paſtor ſemper ex- „ cubans, ſemper operoſus, & diu, noctu- „ que cuſtodiens vigilias ſuper gregem ſuum. „ Fuit in eo humanarum rerum admirabilis „ contemptus, mira prorſus, & inexplebi- „ lis ad pauperes fovendos, alendoſque ca- „ ritas, ardentiſſimum divini honoris, ac „ religionis propagandæ ſtudium, in Ec- „ cleſiaſtica diſciplina reſtituenda indefeſſus „ labor, in pravis moribus extirpandis aſſi- „ dua vigilantia, in Epiſcopalis cathedræ „ auctoritate, juribuſque tuendis robur in- „ victum. Diœceſim litteris, ac pietate ex- „ cultam voluit, quam magnis licet incom- „ modis, ſuæque valetudinis diſpendio, fre- „ quenter inviſere ſolebat, prædicans ubi- „ que verbum Dei, arguens, obſecrans, „ increpans in omni patientia, & doctrina: „ ſeque ſemper exhibuit perfectum, ſan- „ ctumque, qualem decet eſſe Epiſcopum, „ & ſanctiſſimi Mediolanenſis Antiſtitis Ca- „ roli Borromæi, quem ſibi ad imitandum „ propoſuerat, imaginem ad vivum in ſe „ expreſſit.

„ Cum tantam vero ſanctitatem confir- „ matam voluerit Omnipotens poſt ejus obi- „ tum teſtimonio miraculorum, eorum exa- „ men, præmiſſis Congregationibus Ante- „ præparatoria, & Præparatoria, propoſi- „ tum fuit die 20. Januarii præſentis anni „ 1761. in Congregatione Generali habita „ coram SANCTITATE SUA, quæ die 8. ſe- „ quentis menſis Februarii, in qua Domi- „ nicæ primæ Quadrageſimæ ſollemnia reco- „ lebantur, duo ex illis in tertio genere „ approbavit, videlicet primum: *Inſtan-* „ *taneæ, & perfectæ ſanationis Nicolaſæ* „ *Cinetti monialis converſæ in Monaſterio* „ *S. Annæ Patavii Ordinis S. Benedicti a* „ *letali vulnere capiti inflicto a ſaxo exi-* „ *miæ magnitudinis e faſtigio turris cam-* „ *panariæ delapſo*: & tertium nempe: *In-* „ *ſtantaneæ, & perfectæ ſanationis puellæ* „ *Luciæ Caſotto ab inveterata gangræna,* „ *quæ dexterum ejus brachium a cubito ad* „ *humerum exederat, eamque ad ultimum* „ *vitæ diſcrimen adduxerat*.

„ Tandem in Congregatione Generali coa- „ cta coram SANCTITATE SUA die 7. præſen- „ tis menſis Julii propoſito per Reverendiſ- „ ſimum Cardinalem Galli Cauſſæ Relatorem „ dubio: *An, ſtante approbatione duorum* „ *miraculorum, tuto procedi poſſit ad ſolle-* „ *mnem ipſius Venerabilis* SERVI DEI *Bea-* „ *tificationem*: licet omnes unanimi ſenſu „ affirmative reſcribendum cenſuerint, at- „ tamen SANCTITAS SUA, reſponſo tunc di- „ lato ad divinam opem in tam difficili ju- „ dicio diuturnis precibus implorandam, hac „ die anniverſaria Coronationis ſuæ poſt ob- „ latum ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium, ac- „ citis coram ſe Reverendiſſimis Cardina- „ libus Galli Cauſſæ Relatore, Spinelli Epi- „ ſcopo Oſtienſi, ac Sac. Collegii Decano, „ & Torregiani, necnon R. P. Cajetano For- „ ti Fidei Promotore (ſi quid ulterius ha- „ beret opponendum) meque infraſcripto „ Secretario, ad majorem Dei gloriam, & „ Eccleſiæ quidem univerſæ, præſertim tum „ ordinis Epiſcopalis, quem tanta cum lau- „ de SERVUS DEI profeſſus eſt, tum dignitatis „ Cardinalitiæ, cujus decus fuit, & orna- „ mentum, præſens decretum Beatificatio- „ nis Ven. GREGORII CARDINALIS BARBADI- „ CI per litteras in forma Brevis, & conſue- „ tis cum indultis ſollemni ritu celebrandæ „ in Baſilica Vaticana die in iiſdem litteris „ deſignata, expediri, & publicari manda- „ vit. Hac die decimaſexta Julii 1761.

D. F. Card. Tamburinus Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

J. M. de Lerma Sac. Rit. Congreg. Secretarius.

Omnibus igitur, ut ſumma puritate ſermonis vir clariſſimus Ricchinius deſcripſit, rite, recteque diſpoſitis, quum nil difficultatis, nil impedimenti adeſſet, quin beatitatis honores illico Ven. GREGORIO BARBADICO tribuerentur, BEATISSIMUS DO-

MINUS

minus Noster per ſuas litteras iii. Idus Septembris in forma Brevis datas benigne indulſit, ut obſequium, & cultus quod Beatis præſtari ſolet, & viro huic tam præclaro, tamque illuſtri, & virtutum omnium genere exculto publice in Vaticana redderentur Baſilica: eique ſollemnitati xii. Kalendas Octobris diem conſtituit.

CLEMENS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

„ Inter aſſiduas tribulationum anguſtias, „ quibus Catholica angitur, & vexatur „ Eccleſia, & juges lacrymas, quibus animarum quotidie miſere pereuntium jacturam deplorat, ſuperna Dei bonitas moerorem piæ matris ſolari, & lacrymas abſtergere non deſinit triumphis filiorum ſuorum, qui carnis ſpretis illecebris, diabolicis ſuperatis inſidiis, & terroribus ſeculi conculcatis, præclaram de ſeipſis, de mundo, de infernali hoſte victoriam retulerunt. Ex horum numero fuit memoria noſtra Dei servus Gregorius Cardinalis Barbadicus, cujus eximiam peractæ vitæ ſanctitatem, dum adhuc in minoribus eſſemus, ſingulari ſemper veneratione proſequuti ſumus; aſſumpti poſtea in Cardinalium Collegium, & Eccleſiæ Patavinæ præfecti ejus ſanctiſſima opera, quæ in virtute Domini fortiter geſſit, cum illuſtria adhuc ibi ſupereſſent eorum veſtigia, & monumenta, proplus, & quaſi noſtris ipſis oculis inſpeximus, & admirati ſumus. Quare, cum ad B. Petri cathedram imperſcrutabili divinæ clementiæ conſilio immerentes, & inviti evecti fuerimus, & eum ſub Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris diligenter ſervatis omnibus, quæ juxta Eccleſiaſticos canones, & Apoſtolicas conſtitutiones ſervanda erant, cauſſa servi Dei cœleſti incepta auxilio, ſecundo curſu progrederetur, & felicem, Deo annuente, ominaretur exitum, Apoſtolicæ noſtræ ſervitutis officium eſſe duximus, tantum virtutis lumen amplius latere minime pati; ſed ſupra candelabrum ponere, „ ut luceat omnibus, qui in domo Dei ſunt, & præcipue Eccleſiarum Paſtoribus, ut in cuſtodiendo Dominico grege eximia ante oculos habeant exempla virtutum, quibus ſectandis armentur ad pugnam, coroneotur ad gloriam.

„ Is enim claris parentibus ortus, nobilitatem generis virtutum præſtantia ſuperavit, Clericali militiæ adſcriptus, per omnes Eccleſiaſticos ordinum gradus, humilis, & modeſtus, & quales Dei Sacerdotes eſſe decet, ad ſublimem Epiſcopatus, & deinde Cardinalatus honorem aſcendit, & exemplo divini Magiſtri, qui, ne Rex fieret, ſe abſcondit, Cardinalibus in Apoſtolicis comitiis conſpirantibus, vim quodammodo fecit, non ut Pontifex fieret, ſed ne Pontificatum coactus acciperet. In Paſtorali autem munere obeundo Sanctum Carolum Borromæum ſibi imitandum propoſuit, ejuſque virtutes in ſe mirabiliter expreſſit. Nam in omnibus ſe exhibuit ſicut Dei Miniſtrum; in ſolandis miſeris impigrum, in ſublevandis egenis munificum, in promovenda Chriſtiana catecheſi ſollicitum, in inſtituendo, erudiendoque Clero eximium, in revocandis errantibus anxium, in tolerandis injuriis mitem, in demerendis inimicis ſingularem, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in caritate non ficta. Hac enim divina virtute incenſus, mundanis omnibus, & vita ipſa pro gloria Dei, & ſalute animarum contempta, cœleſtia cupiens, & terrena faſtidiens bonus Paſtor ovibus ſuis in ſemita Domini, in via ſalutis præivit. Itaque bono certamine decertato, curſu conſummato, & fide ſervata, mercedem laborum ſuorum, & coronam juſtitiæ a Principe paſtorum relaturus, mortalibus relictis exuviis, migravit in Cœlum.

„ Cum itaque mature, diligenterque diſcuſſis, atque perpenſis per Congregationem Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præ-

Digitized by Google

„ poſitorum, Proceſſibus de Apoſtolicæ Sedis licentia confectis ſuper vitæ ſanctitate, & virtutibus tam theologicis, quam moralibus in gradu heroico, quibus idem SERVUS DEI GREGORIUS Cardinalis BARBADICUS Epiſcopus prius Bergomenſis, poſtea Patavinus multipliciter claruiſſe, necnon miraculis, quæ ad ejus interceſſionem, & ad manifeſtandam hominibus ipſius ſanctitatem a Deo patrata fuiſſe aſſerebantur, eadem Congregatio coram nobis conſtituta, auditis etiam Conſultorum ſuffragiis, uno ſpiritu, unaque voce cenſuerit poſſe, quandocumque nobis videretur, prædictum SERVUM DEI BEATUM declarari cum ſolitis indultis.

„ Hinc eſt, quod nos piis, atque enixis cariſſimorum in Chriſto filiorum noſtrorum Regum, aliorumque ſublimium Catholicorum Principum, & potiſſimum dilectorum nobis filiorum nobilium virorum Ducis, & Reipublicæ Venetorum, necnon quamplurium ex venerabilibus fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & dilectis filiis Capitulis, & Canonicis Metropolitanarum, & Cathedralium Eccleſiarum, tum etiam Generalium Præſidum Ordinum Regularium, publicarum academiarum, collegiorum, aliorumque Eccleſiaſticorum, & ſecularium cœtuum ſupplicationibus Sedi Apoſtolicæ, & nobis humiliter porrectis inclinati, de memoratæ Congregationis Cardinalium conſilio, & aſſenſu auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ad majorem Dei gloriam, & Eccleſiæ quidem univerſæ, præſertim tum ordinis Epiſcopalis, in quo tanta cum laude SERVUS DEI ſe geſſit, tum dignitatis Cardinalitiæ, cujus decus fuit, & ornamentum, indulgemus, ut idem DEI SERVUS GREGORIUS BARBADICUS in poſterum Beati nomine nuncupetur, ejuſque corpus, & reliquiæ venerationi fidelium (non tamen in Proceſſionibus circumferendæ) exponantur, imagines quoque radiis, ſeu ſplendoribus exornentur, & de eo quotannis die XVIII. menſis Junii recitetur Officium, & Miſſa de communi Confeſſoris Pontificis cum orationibus approbatis juxta rubricas Breviarii, & Miſſalis Romani. Porro recitationem Officii, & Miſſæ celebrationem hujuſmodi fieri concedimus, dumtaxat in civitate Venetiarum, ubi natus eſt, & in Diœceſibus tam Bergomenſi, quam Patavina, quibus Epiſcopus præfuit ab omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus tam ſecularibus, quam regularibus, qui ad horas canonicas tenentur: & quantum ad Miſſas attinet etiam ab omnibus Sacerdotibus ad Eccleſias, in quibus feſtum peragetur, confluentibus.

„ Præterea primo dumtaxat anno, a datis hiſce litteris, in Eccleſiis civitatum, & Diœceſum antedictarum ſollemnia Beatificationis ipſius SERVI DEI cum Officio, & Miſſa ſub ritu duplici majori, die ab Ordinariis reſpective conſtituta, poſtquam in Baſilica noſtra S. Petri in Vaticano de Urbe celebrata fuerint eadem ſollemnia (pro qua re diem XX. currentis menſis aſſignamus) pariter celebrandi facimus poteſtatem.

„ Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac decretis de non cultu editis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut earumdem præſentium Litterarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis manu Secretarii dictæ Congregationis Cardinalium ſubſcriptis, & ſigillo Præfecti ejuſdem Congregationis munitis, eadem prorſus fides ab omnibus, & ubique tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XI. menſis Septembris MDCCLXI. Pontificatus noſtri anno quarto.

N. Cardinalis Antonellus.

Neque his limitibus ſtetit eximia PATRIS SANCTISSIMI erga gentilem ſuum animi pietas, ſed ſummum officium, ac diligentem cultum eidem exhibere ſtudens, ut magnifica, regiaque pompa, omniumque ornamen-

mentorum genere, & elegantia honores, qui Beatis præſtari ſolent, in Vaticana Baſilica venerabili viro redderentur, magnam pecuniarum vim erogavit, & contulit ad omnia, quæ neceſſaria erant, ſplendide, magnificeque paranda. Hujus rei ſummam Domino Gregorio Zannetti ab ejus intimo ſacello, & Alexandro Dori Sanctitatis Suæ, & R. C. Apoſtolicæ architecto demandavit; qui labori, ſtudio, & vigilantiæ minime parcentes, ſicut Pontifex in optatis quammaxime habebat, ſplendide, & venuſte rem omnem citiſſime abſolverunt.

Imago Ven. Gregorii ſplendoribus circumamicta, Angelicis ſtipata Spiritibus in ampliſſima expreſſa tabula maximum podium in medio ipſius frontis Baſilicæ conſtitutum occupabat: Angeli duo ad extremas volitabant oras explicatam zonam, cui hæc legebantur ſignata verba, regentes.

Gregorius Cardinalis Barbadicus
in Beatorum numerum
sollemni ritu relatus.

Inſignia Pontificii gentilitii ſtemmatis, Ven. Gregorii Barbadici, Sereniſſimi Cardinalis Ducis Eboracenſis Baſilicæ Archipresbyteri, & Capituli Vaticani his omnibus ſubjiciebantur.

Minora podia, quæ hinc in deab oſtio principe conſpiciuntur, villoſis oloſericis auro, & argento referti exculta erant, & exornata.

Ampliſſimæ porticus parietes, paraſtatas, & columnas celeberrima Raphaelis Urbinatis periſtromata, quibus oloſerica villoſa, & damaſcena ſerica tæniis, fimbriiſque aureis diſcriminata erant intermixta, conveſtiebant: hujuſce porticus lateribus, quæ equeſtria ſigna Conſtantini, & Caroli Imperatorum ſpectant, nova quatuor elegantiſſima ſtromata appenſa videbantur, quæ ex providiſſimi Principis, & Pontificis imperio, induſtria, & magiſtra artificum acu in pauperum invalidorum hoſpitio, quod S. Michaelis ad majorem Tiberis ripam nuncupatur, picta fuere.

Super ænea porta, quæ in ipſum templum ducit, altera tabula, inaurata corona, ſericiſque criſpatis velis circumdata, incumbebat: hæc Ven. Gregorium inter frequentes pueros conſtitutum, eoſque legem vitæ, & diſciplinæ docentem exhibebat: huic tabulæ lemma hoc erat additum:

Beatus Gregorius Cardinalis Barbadicus
doctrinæ christianæ elementa
pueris tradit.

Navis maxima ipſius templi conſuetis damaſcenis ſericis conveſtiebatur. Ænea Apoſtolorum Principis ſtatua pluviali aureo opere phrygio ſplendeſcente amicta, & pretioſa thiara fuerat redimita. Confeſſio, in qua ſacræ mortales exuviæ Beatiſſimi Apoſtolorum Principis placidiſſime requieſcunt, argenteis candelabris pergrandes cereas faces ſuſtinentibus videbatur exculta. Sed omnia hæc facile ſuperabat elegans, & auguſtus ornatus, qui ipſam templi principem abſidem, ubi Beatificationis erant explenda ſollemnia, mirum in modum condecorabat.

Ad caput Baſilicæ contra aram principem ſuper Beatiſſimi Petri cathedram, quam Eccleſiæ tum Latinæ, tum Græcæ ænea Doctorum ſigna regunt, & ſuſtentant, inter Angelicos choros, aureatas nubes, radioſque hinc inde manantes effigies Ven. Servi Dei Gregorii Barbadici ſtola gloriæ induti, & ſplendoribus Sanctorum irradiati, erat collocata: egregium opus Stephani Pozzi pictoris eximii, & magni nominis: ad pedes hujuſce effigiei aurea nubecula ſurgebat, ex qua plures cerei, qui ſplendore ſuo omnium ad ſe oculos, animoſque traherent, prodibant: ad latera ramuſculi quidam eleganter inflexi, & auro illiti ſuccreſcebant, qui plures ardentes cereos mira arte, & induſtria diſpertitos regerent: neque minor erat cereorum copia aureatis lichnuchis, & tortuoſis brachiolis circumcirca Apoſtolorum Principis cathedram, & Doctorum ænea ſimulacra, rite, recteque diſpoſita.

Super corona templi, quæ abſidem ipſam ambit, quæque oloſerico villoſo tæniis, fimbriiſque aureis exculto erat condecorata, ſerta quædam ramorum, florumque ad ſuſtentandos cereos, & ad maiorem proſpectus ele-

gantiam, & ornatum imminebant: ex ea pariter in gyrum decem & octo ſuſpenſi lichnuchi auro, argentoque cooperti pendebant, florum, frondiumque manipulis leviter inflexis tortuoſeque decidentibus ornati.

Maximæ feneſtræ, quæ ſuper celeberrima Pauli III., & Urbani VIII. ſepulcra ſunt, duabus magnis tabulis aureis coronis, villoſis oloſericis, lemniſcis aureis, auroque fimbriatis laciniis decoratis velabantur: hæ tabulæ prodigia ab Altiſſimo ad ſanctitatem ſervi ſui declarandam edita vivis coloribus expreſſa habebant. Prima exhibebat monialem Nicolosam Cinetti a lethali capitis vulnere liberatam. Altera Luciam Caſotto a gangræna, quæ brachium, & humerum fuerat depaſta, incolumem momento temporis evaſiſſe declarabat: ut autem intuentes facili negocio, quod tabula exhibebat prodigium poſſent intelligere, in minoribus tabulis, quæ ſuper dictorum ſepulcrorum epiſtylia inſidebant, res omnis litteris fuerat conſignata: in prima tabula, quæ ad dexteram erat, legebatur:

Nicoloſæ Cinetti moniali converſæ campanas agitanti, ſummo ſacræ turris delapſo haud exigui ponderis ſaxo, lethale vulnus in caput infligitur, novem poſt dies B. Gregorii *biretam in caput imponitur jam morituræ, & integra extemplo redit valetudo.*

In altera, quæ ad ſiniſtram aderat, ſic erat inſcriptum:

Luciæ Caſotto, cui gangrena dextero exeſo brachio humerum jam invaſerat multis ſectionibus, & inuſtionibus per novem menſes fruſtra adhibitis, aqua epota, qua terna fila e Beati Gregorii *purpura indita fuerant, illico obducta cicatrice penitus convaleſcit.*

Hiſce in tabulis cerei ſeptem incumbebant, & ad earum latera ſuper columnarum epiſtyliis innixi flores, ac ramuſculi miræ arte efformati auro, argentoque illiti ſurgebant, qui cereorum, quos ſuſtinebant, ſplendore ipſis tabulis, reliquoque ornatui venuſtatem ſummam, & elegantiam accreſcerent.

Marmoreæ ſepulcrorum columnæ oloſerico villoſo ſtragulo tæniis, fimbriiſque aureis nobili erant contectæ: pictis marmoreis ſtilobatis, quibus e vario, pictoque marmore efformata ſterobata erant ſuperimpoſita, ſepulcra claudebantur: his aligera fama gentilitium Dei Servi ſtemma ſuſtentans, inſidebat, cui laurea ſerta, florumque inaurati manipuli hinc inde ad latera pendebant, & puſiones, ludenteſque pueri elegantem coronam efformabant.

Sub ſignis Sanctorum Franciſci, & Dominici, quæ inferiora abſidis loculamenta occupant, ligneæ contignationes cratibus aureatis, puerulis, florumque ſertis, aliiſque ornatibus excultæ, fuerant conſtitutæ; ex prima, quæ ad cornu Evangelii erat, Excellentiſſimus D. Ludovicus Rezzonico SS. Domini Nostri fratris filius cum nobilibus & illuſtribus civitatis, exteriſque viris, & ex altera, quæ a cornu Epiſtolæ videbatur, Excellentiſſima ejus uxor Fauſtina Rezzonico cum exteris, urbaniſque matronis ſacrum Beatificationis ritum ſpectare, & rei divinæ adſiſtere debebant.

Ampliſſimi fornices, qui ad gradus porphyreticos ſunt, obductis damaſcenis ſericis, quæ in futuris tæniis, ac faſciolis aureis erant exornata, clauſi omnino fuerant: ad verticem ex aureis tæniolis pergrandia fuerant efformata conchilia: in medio ad majorem rei majeſtatem duo elegantiora Raphaelis Urbinatis ſtromata videbantur appenſa. Odea pro cantoribus hinc inde fuerant conſtituta.

Quia vero locus, quem abſis claudit tantus non fuiſſet, ut eos omnes, qui ad Beatificationem accedere debebant, commode poſſet excipere, hinc a porphyreticis gradibus, per quos in abſidem aſcenditur, ampla contignatio lignea fuerat erecta, undique cancellis, ligneiſque repagulis clauſa: cancella, quæ abſidem verſus ſpectabant elegantibus paraſtatis diſcriminata erant & exornata; ſuper quæ ex opere anaglypho puerulі erant conſtituti, qui mitram, Cardinalitium galerum, & alia Eccleſiaſtici ordinis, & dignitatis ornamenta, unacum inauratis lichnuchis plurimos cereos ſuſtinentibus regerent.

In planitie theatri continuo, & nunquam inter-

interrupto ordine ſedilia erant diſpoſita, quæ tetrogamum ita efformarent, ut vacuum locum e regione aræ advenientibus relinquerent: quæ ad dexteram erant attalicis aulæis auro contextis exculta videbantur; quia hic locus Eminentiſſimis Cardinalibus Sacrorum Rituum Congregationi præpoſitis erat aſſignatus: quæ proxime ſequebantur & Reverendiſſimis Sac. Rituum Congregationis Conſultoribus, & Beneficiatis,ac Clericis Baſilicæ erant attributa,viridibus peripetaſmatibus conſpiciebantur cooperta. Ad ſiniſtram primo loco occurrebat ſedes Sereniſſimi, & Eminentiſſimi Archipresbyteri aurea attalica veſte contecta: inde Canonicorum ſedilia conſequebantur ſtromatibus arabico opere excultis ornata; reliqua vero ſcamna pro Beneficiatis, & Clericis viridibus erant induta ſtragulis: quia autem ſedilia hujuſmodi, licet per ampliſſimum gyrum diſpoſita, ſatis non erant ad eos omnes excipiendum, qui frequentiſſimum Baſilicæ Clerum componunt, hinc introrſum adverſus aram ipſam plures alii ſedilium ordines fuerant conſtituti.

Omnibus rite, recteque ſic diſpoſitis, XII. Kalendas Octobris circa horam ſextam Eminentiſſimi Cardinales Carolus Albertus Guidobonus Cavalchini modo Epiſcopus Oſtienſis, & Veliternus Sacri Collegii Decanus, Joſeph Maria Feroni Sac. Rituum Congregationi Præfectus, Carolus Rezzonico S. R. E. Camerarius, Fr. Laurentius Ganganelli, Alexander Albani, Proſper Columna de Sciarra, Aloyſius Maria Torregiani, Marcus Antonius Columna, & Andreas Corſini Sac. Rituum Congregationi præpoſiti, cum Illuſtriſſimis, & Reverendiſſimis DD. Cajetano Forti tunc Fidei Promotore, nunc Sacræ Conſultæ, a Secretis, & Joanne Maria de Lerma ejuſdem Congregationis Secretario, ac fere omnibus Reverendiſſimis Conſultoribus ad Beatificationis theatrum ſeſe contulerunt. De eorum adventu monitus Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus D. Joannes Carolus Boſchi tunc Archiepiſcopus Athenarum, Cubiculo Sanctissimi Domini Nostri Præfectus, & Vaticanæ Baſilicæ Canonicus, nunc S.R.E. Cardinalis ampliſſimus, & Major Pœnitentiarius, amictu, alba, cingulo, ſtola, ac pluviali albi coloris argento, & auro onuſto, egregio opere phrygio exculto ornatus, mitraque pretioſa redimitus, præcedente poſt Crucem ſupplicantium in more frequentiſſimo Baſilicæ Clero, e ſacrario diſceſſit, & ad altare ſanctiſſimæ Trinitatis Divinam Euchariſtiam adoraturus venit, indeque recta abſidem verſus contendens, glorioſas exuvias Beatiſſimi Petri veneratus, in theatrum Beatificationis venit, & in obſequii, & reverentiæ argumentum ad Eminentiſſimos Patres caput inclinans, in faldiſtorio ſe compoſuit.

Tunc R. P. D. Joannes Maria de Lerma Sacrorum Rituum Congregationis a Secretis, unacum R. P. D. Joanne Cornaro Patritio Veneto, Sacræ Rotæ Auditore, ac Cauſſæ. Ven. Gregorii Barbadici Poſtulatore, comitantibus duobus Baſilicæ Vaticanæ cæremoniarum Magiſtris ad Eminentiſſimum Cardinalem Joſephum Mariam Feroni Sacrorum Rituum Congregationi Præfectum venit: reverenter Cornarus Poſtulator Beatificationis Breve, quod præ manibus clauſum, obſignatumque habebat, Eminentiſſimo Præfecto obtulit, efficaciſſimis precibus expoſcens, ut publicos Eccleſiaſticoſque honores ſtatim venerabili viro attribui demandaret.

His precibus auditis, Eminentiſſimus Feroni totius Sacræ Congregationis nomine per R. P. D. Joannem Mariam de Lerma ad Eminentiſſimum Joannem Franciſcum Albani Epiſcopum Sabinenſem, qui perſonam Sereniſſimi Cardinalis Ducis Eboracenſis Baſilicæ Archipresbyteri ſuſtinebat, Breve illico tranſmiſit, ut illud publicari juberet. Epiſcopus Sabinenſis Breve præ manibus accipiens uni e chori cappellanis, e ſuggeſtu penes Canonicorum ſubſellia conſtituto illud clara voce perlegendum tradidit. Cappellanus ſicut ei fuerat datum in mandatis, elata voce Pontificium Breve recitavit, atque e ſuggeſtu deſcendens illius autographum R. P. D. Cornaro Cauſſæ Poſtulatori reſtituit, ejuſdem tamen Brevis exemplar typographicis formis excuſum, ſigno Eminentiſſimi Præfecti muni-

munitum, & R.P.D. Joannis Mariæ de Lerma manu firmatum penes ſe retinuit, cujus alterum ſimile exemplar Philippo de Amicis Sacrorum Rituum Congregationis ſcribæ, & tabulario tradidit, ut in acta referret; is enim de tota celebritate publicum adornavit Inſtrumentum, quod etiam nos inferius dabimus.

Tunc Reverendiſſimus Joannes Carolus Boſchi Athenarum Archiepiſcopus mitram depoſuit, & in gratiarum actionem æterno, & inviſibili Deo laudationis hymnum *Te Deum laudamus* præcinuit, quem obſtrepentibus organis, aliiſque muſicis perſonantibus inſtrumentis, cantores ad finem uſque ſunt proſequuti.

Vela ſerica coloris viridis, quæ imagines, & reliquiam Beati Gregorii Barbadici obtegebant, momento temporis fuere remota: Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Boſchi, ſacri Miniſtri, qui eidem inſerviebant, Eminentiſſimi Patres, ceterique omnes, qui in auguſtiſſimo conventu adſtabant, illico ſeſe in genua projecerunt pio, devotoque animo & effigiem Beati, & illius ſacram reliquiam, quæ nobili ex auro & argento repoſitorio, mira arte, & induſtria artificum cælato recluſa, in medio altaris erat collocata, ſunt venerati. Reliquiam hanc unacum pretioſiſſimo repoſitorio Beatissimus Dominus Noster Vaticano Capitulo dono dedit, ut in ſacrario cum aliis Sanctorum reliquiis religioſiſſime ſervaretur: & Capitulum doni memor feria ſecunda Paſchatis Reſurrectionis ante, & poſt veſperas unacum ceteris auguſtiſſimis ſanctiſſimiſque reliquiis illam ſolet devoto populo oſtendere.

Interim buccinatores, qui templum erant ingreſſi canere buccinis cœperunt, ad quarum clangorem in ampliſſima porticu ceterarum tubarum ſonus, ac tympanorum ſtrepitus ſtatim eſt perceptus, & ne quid publicæ hilaritati deeſſet, ex ipſa arce S. Angeli non tantum minora, verumetiam majora inſtrumenta bellica in lætitiæ ſignum obſtrepere & reboare ſunt audita.

Ad finem hymno *Te Deum &c.* perducto, Diaconus elata voce clamavit *ora pro nobis* Beate Gregori, cantorumque choro, *ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti* reſpondente, Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Archiepiſcopus Athenarum hanc, quæ ſequitur orationem recitavit, dicens:

OREMUS.

Deus, qui Beatum Gregorium *Confeſſorem tuum, atque Pontificem paſtorali ſollicitudine, & pauperum miſeratione clareſcere voluiſti: concede propitius, ut cujus merito celebramus, caritatis imitemur exempla. Per Dominum noſtrum &c.*

Inde injecto thure in thuribulum Beati Gregorii imaginem, ac reliquiam religioſe coluit, ac ad propriam ſedem, ut ſacras veſtes ad rem divinam peragendam acciperet, rediit.

Dum hæc aguntur R. P. D. Cornarus Cauſſæ Poſtulator inſervientibus eidem nonnullis Palatinis aulicis, in argenteis pulſidariis imagines Beati velo ſerico expreſſas aureis laciniis exultas cum breviario hiſtoriæ ipſius B. Barbadici Eminentiſſimis Patribus, Reverendiſſimis Canonicis Baſilicæ, ac Conſultoribus Sacræ Congregationis obtulit: ceteris autem de Clero hæc omnia per eoſdem aulicos fuere diſtributa.

Inter hæc Archiepiſcopus Athenarum ſacris veſtibus exornatus fuerat, quamobrem comitantibus Subdiacono, & Diacono, ac altero Canonico, qui Presbyteri aſſiſtentis officium explebat, ad altare proceſſit, Miſſarumque ſollemnia celebravit.

Magna populi cujuſcumque ordinis frequentia, licet tempus pluvium foret, ad Vaticanam ſe contulit Baſilicam, ut Beatificationis celebritatem ſpectaret, ſed longe major ea fuit, quæ veſpertinis horis novi Beati patrocinium, & auxilium imploratura ad eamdem Baſilicam acceſſit. Ipſe etiam Summus Eccleſiæ Antiſtes Beatissimus Dominus Noster Clemens PP. XIII. ſpen-

ſplendida pompa, ac cultu, Prælatorum, ac Patriciorum Romanorum magna præeunte comitanteque caterva, curru inaurato vectus cum Eminentiſſimis Joſepho Spinelli Epiſcopo Oſtienſi, & Veliterno Sacri Collegii Decano, & Friderico Marcello Lante Epiſcopo Præneſtino ad Vaticanum contendit. Ad fores Baſilicæ a viginti Eminentiſſimis Cardinalibus, & a Reverendiſſimo Capitulo inter muſicorum concentus, qui antiphonam *Ecce Sacerdos magnus* ſuaviter modulabantur, exceptus, primum venit ad altare, ubi ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum aſſervatur, ut illud de genu adoraret: inde ad theatrum Beatificationis progrediens, media ipſius in area genibus nixus Beato Gregorio gentili ſuo piis animi affectibus, religioneque ſumma debitum cultum, obſequiumque rependit: dum precibus manet Beatissimus Pater intentus, Joannes Cornarus Cauſſæ Poſtulator ad eum venit, ac in genua provolutus, Beati imaginem velo ſerico impreſſam aureis laciniis condecoratam, unacum geſtorum Beati eleganti hiſtoria, & ſerico faſciculo florum reverenter exhibuit, quæ omnia Princeps Clementissimus maxima grati animi ſignificatione, & humanitate accepit.

Ne de hujuſce Beatificationis ſollemnitate temporum injuria caſu aliquo memoria periret, Philippus de Amicis Sacrorum Rituum Congregationis tabularius, & ſcriba publicum in hæc verba adornavit Inſtrumentum.

Sollemnia Beatificationis V. Gregorii Barbadici S. R. E. Presbyteri Cardinalis Epiſcopi Patavini.

Die Dominico 20. Septembris 1761.

„ Cum per Sanctissimum Dominum „ Nostrum Papam Clementem XIII. „ in Cauſſa Veneta, ſeu Patavina Beati„ficationis, & Canonizationis V. Servi „ Dei Gregorii S. R. E. Cardinalis Bar„badici Epiſcopi Bergomenſis, poſtea „ Patavini fuerint ſub die 8. Februarii an„ni 1759. approbatæ virtutes Theologa„les, & Cardinales in gradu heroico, „ prout ex decreto typis R. C. Apoſtolicæ „ impreſſo, quod præſentibus alligatur „ tenoris &c. Inſtructoque ſubinde miracu„lorum examine in Congregationibus pri„mum Antepræparatoria, & Præparatoria „ habitis diebus 26. Februarii, & 2. Se„ptembris anni 1760., & deinde in „ Congregatione Generali coram prælibato Sanctissimo Domino Nostro Papa, „ coacta die 20. Januarii anni 1761., idem „ Summus Pontifex die 8. Februarii dicti „ anni duo ex dictis miraculis in tertio „ genere approbaverit, prout ex alio de„creto, ut ſupra typis dictæ R. C. A. „ impreſſo, quod præſentibus pariter alli„gatur tenoris &c.; cumque tandem in „ Congregatione Generali iterum habita „ coram Sanctitate Sua die 7. Julii di„cti anni 1761. propoſitum fuerit dubium: „ An ſtante approbatione duorum miracu„lorum tuto procedi poſſit ad ſollemnem „ dicti Ven. Servi Dei Beatificationem, „ omnes affirmative reſcribendum cenſue„rint; attamen Sanctitas Sua reſponſo „ tunc dilato ad divinam opem in tam dif„ficili judicio diuturnis precibus implo„randam, die 16. Junii dicti anni 1761. „ anniverſaria ſuæ Coronationis ſtatuerit „ dicti Ven. Servi Dei Beatificationis de„cretum per litteras in forma Brevis, & „ conſuetis cum indultis ſollemni ritu in „ Baſilica Vaticana die in eiſdem litteris „ deſignata celebrandæ, prout ex dicto de„creto typis, ut ſupra, impreſſo, quod „ ſimiliter inſeritur tenoris &c.

„ Proindeque prælibatus Sanctissimus „ nedum Regum, aliorumque ſublimium Ca„tholicorum Principum, & potiſſimum nobi„lium virorum Ducis, & Reipublicæ Vene„torum, necnon quamplurium Archiepiſco„porum, & Epiſcoporum, Canonicorum Ca„pitulorum Metropolitanarum, & Cathedra„lium Eccleſiarum, tum etiam Generalium „ Præſidum Ordinum Regularium, publica„rum academiarum, collegiorum, aliorumque „ Eccle-

„ Eccleſiaſticorum, & ſecularium cœtuum „ ſupplicationibus inclinatus, per litteras „ Apoſtolicas, ut infra expeditas, indulſerit, ut idem Dei Servus Gregorius „ Barbadicus in poſterum Beati nomine „ nuncupetur, ejuſque corpus, & reliquiæ „ venerationi fidelium, non tamen in Proceſſionibus circumferendæ, exponantur, „ imagines quoque radiis, ſeu ſplendoribus „ exornentur, & de eo quotannis die 18. „ menſis Junii recitetur Officium, & Miſſa „ de communi Confeſſoris Pontificis cum „ oratione ab eodem Sanctissimo approbata juxta rubricas Breviarii, & Miſſalis Romani, certis tamen in locis inibi expreſſis, poſtquam in Baſilica Vaticana „ de Urbe ſollemnia dictæ Beatificationis hac „ præſenti die 22. currentis menſis celebrata fuerint, ut latius patet ex dictis litteris „ Apoſtolicis in forma Brevis de more „ expeditis die 9. currentis menſis, quas „ typis, ut ſupra impreſſas cum oratione „ propria dicti Beati in earum calce pariter impreſſa, præſentibus inſerui tenoris &c.

„ Cumque omnia pro ſollemnibus hujuſmodi Beatificationis adimplendis in dicta „ Sacroſancta Vaticana Baſilica parata eſſent, „ ad inſtantiam Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Domini Joannis Cornarii Patritii „ Veneti Sacræ Romanæ Rotæ Auditoris, „ ego Sacræ Congregationis Rituum notarius, cancellarius, & archiviſta ad dictam ſacroſanctam Baſilicam acceſſi, & „ ſollemnia, aliaque pro dicta Beatificatione ibidem peracta, ut infra deſcripſi.

„ In exteriori maximi, & auguſtiſſimi templi facie in eminenti loco cernitur affixa „ effigies picta dicti Servi Dei Cælum aſpicientis aptis hinc inde figuris adinſtar „ famæ perſonantis, in cujus picturæ extrema parte hæc habetur inſcriptio.

Gregorius Cardinalis Barbadicus
in Beatorum numerum
sollemni ritu relatus.

„ Inferius inſpicitur ſtemma gentilitium „ dicti Summi Regnantis Pontificis, & ſubtus iſtud illud gentilitium dicti Beati; in „ latere autem dextero ſtemma Regiæ Celſitudinis Eminentiſſimæ Ducis Cardinalis „ Eboracenſis præfatæ Vaticanæ Baſilicæ „ Archipresbyteri, & ſiniſtro in latere „ ſtemma Reverendiſſimi Capituli ejuſdem „ Baſilicæ, & in feneſtris dictæ exterioris „ templi faciei plures magnæ cultrices ſerico, auro, argentoque contextæ collocatæ apparebant. Porticus vero dictæ Baſilicæ nobilibus aulæis, ac etiam pluribus „ ſericis ornamentis auro liſtatis ornata mirifice apparebat. Super mediam majorem „ dicti templi januam alia dicti Beati imago „ picta cernitur eleganter ornata, & in ejus „ extremitate, ſequens legitur inſcriptio.

Beatus Gregorius Cardinalis Barbadicus
doctrinæ christianæ elementa
pueris tradit.

„ Medium interioris dictæ Baſilicæ gremium paramenta ex panno rubro oloſerico „ damaſceno cum aureis tæniis per ſuturas „ decurrentibus elaborata condecorabant.

„ In eminentiori Baſilicæ parte, ad quam „ per porphyreticos gradus e gremio aſcenditur, & in cujus extremitate magnificum „ Cathedræ S. Petri altare erectum eſt, pavimentum, ſeu platea exiſtebat ultra dictos „ porphyreticos gradus ampliata, mediantibus ligneis tabulis pro æquanda planitie „ ſubpoſitis. In ovali ſitu ſupra dictam Cathedram collocata cernitur imago picta „ dicti Beati in gloriam aſcendentis inter „ Angelos cum fanalibus plurimis eleganter „ ornatis cereos continentibus circumcirca „ pendentibus, & reſpective aptatis. Dicti „ autem Beati imago ſerico linteo coloris „ viridis uſque ad tempus decantati hymni „ *Te Deum laudamus* cooperta.

„ Altare autem ante dictam Cathedram „ ſupra tres marmoreos gradus erectum, „ Cruce cum duabus ſtatuis Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, atque ſex candelabris aureis, aliiſque pretioſis ſupellectilibus ornatum apparebat, & in ejuſdem „ alta-

„ altaris lateribus duo magna candelabra „ ænea deaurata eleganter elaborata cum „ cereis collocata inſpiciebantur.

„ In ſitu duarum feneſtrarum tribunæ di„ cti altaris pictura exprimuntur gemina „ miracula approbata per interceſſionem di„ cti Beati patrata, cum opportunis inſcri„ ptionibus illa demonſtrantibus, plura etiam „ lampadaria, & fanalia auro linita quam„ plures cereos ſuſtinentia mirifico ordine „ per totius tribunæ circuitum diſpoſita in„ ſpiciebantur. Duo magni arcus dictæ tri„ bunæ laterales ſericis paramentis, aureiſ„ que tæniis ornatis, ac aulæis celeberri„ mi Raphaelis de Urbino pictoris perbelle „ claudebantur, ac in lateralibus loculis „ quatuor ſtatuæ exprimentes Caritatem, „ Religionem, Humilitatem, ac Manſuetu„ dinem dicti Servi Dei, & in vacuo utriuſ„ que arcus duo muſicales chori cum orga„ nis, aliiſque conſuetis inſtrumentis miri„ fice ornati apparebant.

„ Ab utroque dicti altaris Cathedræ la„ tere locata erant ſedilia, ſcilicet a cornu „ Evangelii pro Eminentiſſimis, ac Reve„ rendiſſimis DD. Cardinalibus Sacræ Con„ gregationi Rituum præpoſitis, ac Illuſtriſ„ ſimis, & Reverendiſſimis DD. ejuſdem Sa„ cræ Congregationis Prælatis, & Conſulto„ ribus, a ſiniſtro vero cornu Epiſtolæ pro „ Eminentiſſimo D. Cardinali Archipresby„ tero, Illuſtriſſimis, ac Reverendiſſimis „ DD. Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Cano„ nicis dictæ Baſilicæ, & præfato R P. D. „ Joanne Cornaro hujus Cauſſæ Poſtulatore, „ pluresque alii dimiſſiorum ſcamnorum or„ dines pro reliquo ejuſdem Baſilicæ Clero, „ & nobilibus viris: ſicuti a tergo ſedilium „ dictorum Eminentiſſimorum Cardinalium „ extabant ſedilia pro Prælatis Ordinum re„ gularium, aliiſque eorumdem Ordinum „ Religioſis. Alia quoque ſcamna hinc inde „ pariter diſpoſita cernebantur pro excipien„ dis eccleſiaſticis, & ſecularibus viris huic „ ſacræ functioni multipliciter intereſſenti„ bus, omniaque hæc ſedilia conſuetis au„ læis, & ſtratis reſpective pro dignitate „ aſſidere debentium plus, vel minus pre„ tioſis cooperta erant, pendebatque rurſus „ ex magno Eccleſiæ fornice argentea lam„ pas, ſuper qua plures cerei iiidem appo„ ſiti erant, ſicuti etiam alii cerei, & can„ delæ reſpective tam in altare Confeſſionis „ nuncupato, ubi corpora SS. Apoſtolorum „ Petri, & Pauli aſſervantur, ejuſque ba„ lauſtio ſuper argenteis, quam in aliis „ dictæ Baſilicæ aris lateralibus ſuper æneis „ candelabris impoſiti. Platea vero Presby„ terii ſuperius deſcripti balauſtio ligneo ele„ ganter ornato, atque depicto cum fana„ libus, ac cereis pariter in eo mirifice „ diſpoſitis claudebatur, in cujus ingreſſu „ militum Helvetiorum ex cuſtodia Ponti„ ficia aſſumptorum, ad populi impetum „ coercendum, aſſiſtentia adhibebatur, prout „ ſuſius hæc, & alia magis ſpecifica orna„ menta perlegi poterunt ex vulgati italica „ illorum deſcriptione, ſeu relatione typis „ impreſſa, quæ præſentibus ad perpetuam „ memoriam inſeritur in duobus foliis te„ noris &c.

„ Accenſis igitur, & collucentibus cereis, „ candeliſque ſuper recenſitis candelabris, „ lampadibus, fanalibuſque modo, quo ſu„ pra collocatis, & diſpoſitis in dictis al„ taribus, planitie, ejuſque gyro, ac ba„ lauſtio, & aſſiſtentibus in loco ſeparato „ prope, ac extra ſedilia Eminentiſſimorum „ DD. Cardinalium, tabulis decenter ere„ cto, aptato, & ornato, pluribus Princi„ pibus, nobilibuſque fœminis, ſicuti in al„ tera parte in alio loco eodem modo ere„ cto, & aptato (geminiſque locis hujuſ„ modi cratibus ligneis circumſeptis) quam„ pluribus aliis nobilibus viris, & qualifi„ catis perſonis pariter aſſiſtentibus, aliiſ„ que in corona dictorum militum Helve„ tiorum permanentibus, magnaque utriuſ„ que ſexus populi multitudine extra di„ ctam militum coronam affluente, adve„ nerunt primo infraſcripti Eminentiſſimi, „ ac Reverendiſſimi DD. Sacræ Congrega„ tionis Rituum Cardinales, nempe Caval„ chini, Feroni Præfectus, Rezzonico, Gan-

„ ganelli , Alexander Albani , Columna de
„ Sciarra , Torregiani , Marcus Antonius
„ Columna , & Andreas Corſini , necnon
„ RR. PP. DD. de Lerma Secretario , Ca-
„ jetano Forti S. Fidei Promotore, & quam-
„ plurimis aliis Illũis , & Rũis DD. Prælatis,
„ ac Conſultoribus dictæ Sacræ Congregatio-
„ nis intereſſentibus, & cum relatis Eminen-
„ tiſſimis Cardinalibus totam eamdem Sa-
„ cram Congregationem repræſentantibus ,
„ ac conſidentibus in ſedilibus ipſis ; ut ſu-
„ pra reſpective paratis , diſceſſit e Sacrario
„ dictæ Baſilicæ Illuſtriſſimus , & Reveren-
„ diſſimus D. Joannes Carolus Boſchi Archie-
„ piſcopus Athenarum cubiculi SANCTISSI-
„ MI DOMINI NOSTRI PAPÆ Præfectus , &
„ præfatæ Baſilicæ Canonicus proceſſionali-
„ ter , præcedente Cruce , & Acolythis ,
„ univerſoque Clero Baſilicæ , pluviali albo
„ indutus cum mitra Miſſam ſollemnem ce-
„ lebraturus inter duos ejuſdem Baſilicæ Ca-
„ nonicos cum dalmaticis Diaconi, & Sub-
„ diaconi officium gerentes , ſubſequente
„ Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo D. Car-
„ dinali Joanne Franciſco Albani Epiſcopo
„ Sabinenſi pro Regia Celſitudine Eminentiſ-
„ ſima Cardinali Henrico Benedicto Duce
„ Eboracenſe Archipresbytero ab Urbe ab-
„ ſente , factaque ab omnibus adoratione ,
„ fuſiſque precibus primo ad altare Auguſtiſ-
„ ſimi Sacramenti , inde ad altare SS. Apo-
„ ſtolorum Petri , & Pauli omnes advene-
„ runt ad locum ſupra paratum , præ-
„ dictiſque omnibus ſua loca tenentibus ,
„ aſſiſtentibus duobus ejuſdem Baſilicæ cæ-
„ remoniarum Magiſtris , dictus Illuſtriſſi-
„ mus, ac Reverendiſſimus D. Joannes Ma-
„ ria de Lerma Sacræ Congregationis præ-
„ dictæ Secretarius unacum altero ex dictis
„ cæremoniarum Magiſtris e ſedili ſurgens ,
„ ſecumque aſſumpto dicto Illuſtriſſimo, ac
„ Reverendiſſimo D. Joanne Cornaro Sacræ
„ Romanæ Rotæ Auditore , & Cauſſæ hujuſ-
„ modi Poſtulatore , illoque aſſociato ad
„ latus Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi D.
„ Cardinalis Feroni Præfecti dictæ Sacræ
„ Congregationis , idem R. P. D. Corna-
„ rus Poſtulator habens præ manibus litteras
„ Apoſtolicas originales in forma Brevis, ut
„ ſupra expeditas, illas dictæ Sacræ Congre-
„ gationi debita reverentia exhibuit , &
„ poſtquam latina oratione enunciavit nata-
„ lis indolem , ac geſta in utroque ſtatu ſe-
„ culari , & Eccleſiaſtico , ac Epiſcopali
„ ejuſdem Servi Dei Cardinalis Barbadici ,
„ Cauſſæque ſtatum ; nomine Ducis , ac Se-
„ natus Sereniſſimi Venetorum Dominii in-
„ ſtetit , dictas litteras Apoſtolicas recipi ,
„ & admitti , ac in dicta Baſilica juxta illa-
„ rum formam , ac Sanctæ Romanæ Eccle-
„ ſiæ ritum ſollemnia Beatificationis hujuſ-
„ modi celebrari , aliaque omnia , & ſin-
„ gula deſuper neceſſaria & opportuna juxta
„ diſpoſitionem dicti Brevis exequi mandari
„ ad majorem Dei , dictique ejus venera-
„ bilis famuli gloriam , omni meliori mo-
„ do &c.

„ Qua oratione , ſeu inſtantia abſoluta ,
„ dicti Eminentiſſimi , & Reverendiſſimi
„ DD. Sacræ Congregationis Rituum Car-
„ dinales , receptis pro ea per dictum Emi-
„ nentiſſimum Feroni Præfectum dictis lit-
„ teris Apoſtolicis , eiſque repertis illeſis ,
„ & in nulla parte ſuſpectis , illas admiſe-
„ runt , & publicari , dictaque ſollemnia
„ celebrari , & alia deſuper neceſſaria , ac
„ opportuna ad earumdem litterarum for-
„ mam fieri , ac exequi mandarunt , dicto-
„ que R. P. D. Cornaro Poſtulatore inde
„ recedente, debitiſque relatis gratiis, ea,qua
„ par eſt , reverentia, prædictus Eminentiſſi-
„ mus D. Cardinalis Præfectus, aliis Eminen-
„ tiſſimis Cardinalibus præfatis annuentibus,
„ conſignavit dicto R. P. D. Secretario
„ dictas litteras Apoſtolicas ad effectum
„ illas unacum præcedenti inſtantia ejuſdem
„ Poſtulatoris, omnibuſque ab Eminentia
„ Sua , & aliis dictis Eminentiſſimis Cardi-
„ nalibus præfatæ Sacræ Congregationis, ut
„ ſupra demandatis , afferendi ad dictum
„ Eminentiſſimum D. Cardinalem Albani
„ Epiſcopum Sabinenſem Eminentiſſimi Car-
„ dinalis Archipresbyteri abſentis vices ge-
„ rentem e conſpectu ſedentem , prout il-

„ lico

„ lico delatæ ſunt, quas idem Eminentiſ-
„ ſimus Proarchipresbyter debita cum reve-
„ renti a recepit, vidit, unique ex dictis cæ-
„ remoniarum Magiſtris dedit, mandavitque
„ per alterum ex cappellanis chori Reveren-
„ diſſimi Capituli palam, ac publice perlegi,
„ prout unus ex eiſdem cappellanis parendo
„ mandatis prædictis, aſcenſo ſuggeſtu retro
„ ſedilia dictorum Reverendiſſimorum DD.
„ Canonicorum exiſtente, eaſdem litteras
„ originales ſuis præ manibus receptas, (me
„ Notario ibidem aſſiſtente, illarum tran-
„ ſumptum, ut ſupra impreſſum, & in præ-
„ ſenti inſtrumento inſertum præ manibus
„ habente, & auſcultante) alta, & intel-
„ ligibili voce perlegit, & publicavit, &
„ e ſuggeſtu deſcendens, retento pariter
„ penes ſe ſimile tranſumpto, eidem R. P.
„ D. Cornaro Poſtulatori adhuc præſenti,
„ & recipienti, dictas litteras originales
„ reſtituit.

„ Peracta dicta lectione, prælibatus Re-
„ verendiſſimus Archiepiſcopus, & Cano-
„ nicus Boſchi, depoſita mitra, inchoavit
„ Canticum *Te Deum laudamus*, reliqua
„ proſequentibus, muſicorum choris, & in
„ ipſo cantici initio, amotis velis ſericis,
„ quibus dicti Beati imagines, ubi ſupra
„ exiſtentes contectæ fuerant, item R.P.D.
„ Boſchi celebrans, & miniſtri ei aſſiſtentes,
„ Eminentiſſimi DD. Cardinales, Illuſtriſ-
„ ſimi DD. Prælati, ac Reverendiſſimi Con-
„ ſultores dictæ Sacræ Congregationis Ri-
„ tuum, Eminentiſſimus Proarchipresby-
„ ter, Reverendiſſimi Canonici, & reliqui
„ de Clero dictæ Baſilicæ, ceterique Præ-
„ lati, ac nobiles viri, & cuncta populi
„ multitudo genibus flexis imaginem præ-
„ dictam in eminentiori loco ſupra dictam
„ cathedram collocatam, Reliquiamque
„ dicti Beati Gregorii in recenſito altari
„ intus argenteam cuſtodiam expoſitam
„ devotiſſime venerati ſunt, & ſtatim ad
„ ſonitum tubarum intus, ac extra Baſili-
„ cam perſonantium, plurium tormento-
„ rum bellicorum extra eamdem Baſili-
„ cam paratorum ſtrepitus auditus fuit, fi-
„ nitoque cantico, & per Diaconum Evan-
„ gelii prolato verſiculo: *ora pro nobis*
„ *Beate Gregori*, habitaque chori reſpon-
„ ſione: *ut digni efficiamur promiſſionibus*
„ *Christi*: nec non per ipſum Archiepiſco-
„ pum celebrantem recitata oratione pro-
„ pria de dicto Beato a præfata Sacra Con-
„ gregatione cum oraculo Sanctissimi ap-
„ probata, de qua in fine dicti tranſumpti
„ impreſſi Brevis Apoſtolici, dictique Bea-
„ ti imagine, ac reliquia thurificatis, idem
„ Reverendiſſimus Archiepiſcopus Boſchi
„ celebrans cum dictis aſſiſtentibus, pon-
„ tificalibus ad ſacrificium indutus, Miſ-
„ ſam de communi Confeſſoris Pontificis
„ ſollemniter in prælibato altari celebra-
„ vit, perſonantibus organis, aliiſque in-
„ ſtrumentis, & muſicis cantantibus, tubiſ-
„ que etiam intus, & extra dictam Baſili-
„ cam earum ſonitum pronunciantibus:
„ dum antedictæ Miſſæ introitus cœptus
„ fuit, de mandato antedicti Illuſtriſſimi,
„ ac Reverendiſſimi D. Cornari Poſtulato-
„ ris quamplures ex minoribus familiaribus
„ dicti Sanctissimi Domini Nostri Pa-
„ pæ violaceis veſtibus induti, imagines
„ dicti Beati impreſſas in ſerico aureis vir-
„ gulis circumdatas in grandiorem, alias
„ pariter in ſerico abſque aureis ornamen-
„ tis in anguſtiorem formam juxta gradus
„ perſonarum, & alias in papyro unacum
„ libercul compendii vitæ dicti Beati, &
„ tranſumpto impreſſo dictarum litterarum
„ Apoſtolicarum cuilibet ex adſtantibus EE.
„ DD. Cardinalibus, Prælatis, Canonicis,
„ Conſultoribus, & aliis de Clero dictæ
„ Baſilicæ diſtribuerunt, atque tradiderunt
„ etiam populo confluenti alias ex dictis
„ papyraceis imaginibus: & dictæ Miſſæ
„ ſollemnis abſoluta celebratione, ac Emi-
„ nentiſſimis DD. Cardinalibus, Capitula-
„ ribus, aliiſque de Clero dictæ Baſilicæ di-
„ ſcedentibus, magna populi multitudo ſe
„ contulit intus Presbyterium, ut propius
„ imaginem, ac reliquiam dicti Beati Gre-
„ gorii devotiſſime venerari valeret, ac
„ ita ſollemnia Beatificationis dicti jam

 „ Ven.

„ Ven. Servi Dei, nunc vero BEATI GREGORII Cardinalis BARBADICI in præfata Vaticana Baſilica celebrata ſunt, ibidem „ præſentibus Illuſtriſſimis DD. Petro Ruffini, Matthæo Moſchini Romanis, & „ SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PAPÆ familiaribus teſtibus ad hæc exhibitis.

Philippus de Amicis Sacræ Congregationis Rituum Notarius, Cancellarius, & Archiviſta de præmiſſis rogatus.

Indulſerat BEATISSIMUS PATER in Apoſtolicis litteris, quibus beatitatis honores BEATO GREGORIO eſt elargitus, ut in civitate Venetiarum, in qua BEATUS GREGORIUS natale ſolum habuit, Bergomi, cujus Epiſcopalem cathedram, antequam Patavium transferretur, occupaverat, & Patavii, qua in urbe ſancte in Domino obdormivit, quamque per plures annos, ut Epiſcopus, quem oportet irreprehenſibilem eſſe, rexerat, & gubernaverat, Officium, & Miſſa cum orationibus, & lectionibus propriis per Sacrorum Rituum Congregationem perpendendis, atque probandis, in BEATI GREGORII honorem ſingulis annis recitaretur, ideo Reverendiſſimus Pater Thomas Auguſtinus Ricchinius Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter, quem honoris cauſſa nomino, orationes haſce, & lectiones ſumma puritate ſermonis litteris conſignavit.

IN FESTO

BEATI GREGORII BARBADICI SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALIS EPISCOPI PATAVINI.

ORATIO.

DEus, qui BEATUM GREGORIUM Confeſſorem tuum, atque Pontificem paſtorali ſollicitudine, & pauperum miſeratione clareſcere voluiſti: concede propitius, ut cujus merita celebramus, caritatis imitemur exempla. Per Dominum noſtrum &c.

SECRETA.

OBlata tibi Domine ſacri dona myſterii BEATI GREGORII meritis, ac ſuffragiis accepta reddantur, & plenum operentur in nobis divinæ virtutis effectum. Per Dominum noſtrum &c.

POSTCOMMUNIO.

QUæſumus omnipotens Deus, ut ſicut BEATO GREGORIO Confeſſori tuo, atque Pontifici divini Paſtoris formam imitari tribuiſti; ita nos ejus imitatione dignos efficias, qui inter oves paſcuæ tuæ perpetuo collocemur. Per Dominum &c.

IN SECUNDO NOCTURNO

Lectio IV.

GREGORIUS BARBADICUS piis, ac nobilibus parentibus Venetiis natus eſt. A prima pueritia ſacrarum rerum ſtudio, ac religioſiſſima indole ineundæ eccleſiaſticæ vitæ præludere viſus eſt. Humanioribus litteris, ac philoſophicis diſciplinis ab ipſo patre apprime docto diligenter inſtitutus, gravioribus ſtudiis Patavii operam dedit, ac juris utriuſque lauream magna ingenii laude ibidem conſecutus eſt. Undevigeſimum agens annum cum Veneto Oratore pacis conciliandæ cauſſa ad Monaſterienſem in Weſtphalia conventum profectus, magnam preclara, ac ſuaviſſima indole apud Fabium Chiſium iis in Comitiis Pontificium Legatum iniit gratiam, eoque hortatore Eccleſiaſticæ militiæ nomen dare conſtituit. Sacris deinde initiatus, ab eodem Chiſio Alexandri VII. nomine ad Pontificatum aſſumpto Romam evocatus, primum Patavinæ Eccleſiæ Canonicus, tum inter domeſticos Præſules adſcitus, Transtyberinæ Urbis regioni lue epidemica laboranti præficitur; quo in munere, eaque publica calamitate, eximiæ præbuit argumenta caritatis. Mox Bergomenſis Eccleſiæ Epiſcopus renuntiatur; paucis inde poſt annis Cardina-

dinalium Collegio adjunctus, invitus licet juſſu ejuſdem Pontificis ad Eccleſiam Patavinam translatus eſt.

Lectio V.

IN Eccleſiæ utriuſque regimine S. Carolum Borromæum ſibi ad imitandum propoſuit, cujus paſtoralem ſollicitudinem, animarum zelum, Sacerdotalem conſtantiam, ceteraſque virtutes ita eſt aſſequutus, ut alter Carolus vulgo appellaretur. Ad Cleri, populique diſciplinam reſtituendam aggreſſus, primum ſeipſum, familiamque ſuam ita ordinavit, atque compoſuit; ut inde manarent ad ceteros omnium exempla virtutum. Convellendis pravis conſuetudinibus, chriſtianæ cathecbeſis ſcbolis indueendis, ac propagaodis, ſingulis Diœceſis locis perluſtrandis, gregi univerſo eum prædicatione, tum litteris continenter docendo, hortando, monendo adeo alacriter ſtuduit, ut ad extremum uſque ſpiritum nec laboribus, nec vigiliis pepercerit. Inſtituendæ litteris, ac pietate juventuti, Clericorum ſeminarium in utraque Diœceſi amplificavit, ac redditibus auxit; Patavinum vero ſcientiarum fere omnium ſcbolis, linguarum præterea orientalium Magiſtris inſtruxit, bibliothecam addidit, ac typographiam, ipſumque ex aſſe hæredem ſibi ſcripſit. Magna apud Summos Pontifices, ac Principes viros exiſtimatione, & fama virtutis fuit. Cardinalium ſuffragiis in eum, ut Pontificem eligerent, conſpirantibus, obſtitit moderatione, & conſtantia ſingulari, omnique ſtudio, ac conatu ſupremam a ſe dignitatem propulſare curavit.

Lectio VI.

ORationis frequentia, abſtinentiæ, ac pietatis ſtudio, religionis, diſciplinæ, ac juſtitiæ zelo manſuetudine eximia temperato, rerum terrenarum, ſuique ipſius contemptu quam maxime præſtitit. In egenos & pauperes ea fuit miſericordia, & largitate, ut exbauſta profuſis eleemoſynis arca, domeſticam ſuppellectilem, veſtes, ac lectulum ipſum in eorum ſubſidium erogavit. In tuendis Eccleſiæ ſuæ juribus, ac gregis moribus reformandis, diuturna, & graviſſima incommoda tulit, animo ſemper æquabili, atque imperturbato. Homines vero ſibi infeſos præcipua dilectione complexus beneficiis oneravit. Ab iniquo aggreſſore quæſitus ad necem, ſclopi brevioris ictum ope divina illæſus evaſit; horrendum vero parricidæ facinus, ne in vulgus efferretur, prohibuit, & injuriæ patiens ignovit libenter inimico ſuo. Vitæ demum aſperitate, ingentibus curis, aſſiduiſque laboribus attritus, & fractus, brevi lethali morbo correptus, annum agens ſeptuageſimum ſecundum, ſacramentis rite expiatus placidiſſime exceſſit duodecimo Kal. Julii anno MDCLXXXXVII., cum annos ſeptem Bergomeoſem, ac tres ſupra triginta Patavinam rexiſſet Eccleſiam, egregiis utrobique relictis beneficentiæ, & ſanctitatis ſuæ monumentis. Meritis, & virtutibus clarum Clemens XIII. ejus olim in Epiſcopato Patavino ſucceſſor Beatorum faſtis adjunait anno 1761., Pontificatus ſui IV.; ejuſque Officium, & Miſſam ab utraque Eccleſia Bergomenſi, & Patavina, necnon Veneta celebrari conceſſit.

DECRETUM

Patavina.

S*Upraſcriptas Orationes, & Lectiones ſecundi Nocturni proprias pro Officio, & Miſſa diei feſti* Beati Gregorii Cardinalis Barbaoici *Epiſcopi prius Bergomenſis, poſtea Patavini ab Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino Cardinali Galli Ponente una cum R. P. D. Cajetano Forti Fidei Promotore diligenter reviſas, examinatas, atque correctas, deindeque per eumdem Eminentiſſimum Ponentem in Sacrorum Rituum Congregatione Ordinaria relatas; Sacra Congregatio ad pias preces Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi Domini Cardinalis Vero-*

neſi

neſi Epiſcopi Patavini, & Reverendiſſimorum Patriarchæ Venetiarum, nec non Epiſcopi Bergomenſis benigne approbavit, atque ab omnibus Chriſtifidelibus utriuſque ſexus, qui ad horas Canonicas tenentur, in civitatibus, & Diœceſibus Patavina, Veneta, & Bergomenſi in poſterum recitari poſſe indulſit, ſi Sanctiſſimo Domino Noſtro viſum fuerit. Die primo Martii 1763.

Factaque deinde per me Secretarium de prædictis eidem Sanctiſſimo Domino Noſtro relatione, SANCTITAS SUA *benigne annuit.* Die 12. Martii MDCCLXIII.

Joſeph Maria Card. Feroni Præfectus.

Loco ✱ Sigilli

Scipio Burgheſius S. R. C. Secretarius.

ACTA

ACTA BEATIFICATIONIS VEN. SERVI DEI SIMONIS DE ROXAS

Sacerdotis Profeſſi Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum.

Matritum, quæ ſedes eſt potentiſſimorum Hiſpaniarum Regum optimo jure ſupra ceteras Hiſpaniarum civitates modo ſuperbeſcit, & gaudet, quia veluti pretioſiſſima pignora plurium Servorum Dei ſacras mortales exuvias religioſiſſime cuſtodit: inter haſce omnes non ultimum certe locum obtinent Beati Simonis de Roxas Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis captivorum reliquiæ, quæ ſingulari, & paucis admodum attributo privilegio a corruptione, & tabe omnino perſeverant immunes, quamobrem & de ipſo etiam dici modo poteſt, quod de Rege omnium Sanctorum, & Principe Chriſto Domino Regius Pſaltes cecinit: *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem* [1].

Venerabilis hic Dei Servus, quem ſupra ceteros ſuæ civitatis homines & morum innocentia, ſplendorque virtutum, & nobilitas generis, majorumque gloria, eximia, qua excultus comperiebatur ſcientia, & præclara, quæ obierat munia, illud præſertim graviſſimum, quod in regia ſuſtinuit, fuit enim a confeſſionibus piiſſimis Hiſpaniarum Reginis Margaritæ, & Iſabellæ, maxime commendabant, duo & ſeptuaginta annos natus III. Kalendas Octobris MDCXXIV. omnium mœrore Matriti mortem obiit.

Nulla eſſet tanta vis, copiaque dicendi, quæ populi Matritenſis ſtudium ad memoriam tanti viri debitis proſequendam obſequiis valeret exponere, atque delineare: neque id noſtrarum virium foret: neque quam nobis præſcripſimus in hiſce Beatificationum actis compilandis brevitas permitteret. Illud autem pro omnibus, quæ in medio proferri poſſent, ſatis ſit, & ſufficiat, iniuſitato ſane & nunquam a majoribus noſtris audito, aut perlecto exemplo, quum ejus cadaver minime eſſet terræ mandatum, ſepulcroque reconditum, Julium Sacchetti Sedis Apoſtolicæ apud Philippum III. Hiſpaniarum Regem Nuntium fama viri permotum propria auctoritate de illius heroicis geſtis, illuſtribuſque facinoribus inquirere, actaque adornare fuiſſe aggreſſum: teſtes undique, qui de virtutibus teſtimonium dicerent omnes locupletiſſimi, omnique exceptione majores aderant: Rex ipſe Philippus III. atque ejus uxor Iſabella piiſſima fœmina, Sereniſſimus Ferdinandus infans Hiſpaniarum S. R. E. Cardinalis, Epiſcopi ſeptem, & quamplures Patricii majorum gentium ſeſe examini ſubiicere, & virtutes Simonis teſtatas reddere minime dubitarunt: quibus omnibus adeo commotus Apoſtolicus Nuntius, qui manum ad hæc acta exaranda admoverat, fuit, ut poſt diligentem cum in theologicis ſcientiis, ac jure Canonico verſatiſſimis viris deliberationem adhibitam, de eorumdem ſententia, quam infallibili Sedis Apoſtolicæ judicio ſubjectam voluit, ejus ſepulcro publica anathemata appendi permiſit, nondum enim Urbani PP. VIII. decreta prodierant.

Cum ad finem hujuſmodi acta eſſent perducta, ut de Cauſſa agi in Sacrorum Rituum Congregatione poſſet, Romam ſtatim tranſmiſſa fuere. Eminentiſſimi Patres huic Congregationi præpoſiti, prout tunc recepta ferebat conſuetudo Eminentiſſimo Cardinali Carolo Pio omnia diligenter pervolvere,

ac

1 Pſal. 15. 10.

Digitized by Google

ac quid de iiſdem actis ſentiret, in ipſorum Patrum conventu exponere, demandarunt. Datum ſibi negocium omni cura ac vigilantia Cardinalis Pius quamcitiſſime abſolvit, nihilque quod virtutum ſplendorem obnubilare, & proſperum Cauſſæ exitum impedire poſſet in actis ipſis adinveniſſe, XIII. Kalendas Junii MDCXXVII. candidiſſime eſt profeſſus.

Quod quum intellexiſſent Patres Eminentiſſimi remiſſoriales, quas vocant litteras illico, ut Apoſtolicæ Sedis auctoritate novi exararentur Proceſſus, dedere. Summa cura, & diligentia hæc quoque Apoſtolica inquiſitio peracta, abſolutaque fuit: verum dum Cardinalis Pius id operam dat, ut ex Hiſpanico in Italum ſermonem Proceſſus iſti verterentur, Urbanus Papa VIII. ſua decreta propoſuit, quibus, ne in Sacrorum Rituum Congregatione de Servorum Dei virtutibus, niſi quinquaginta poſt ipſorum obitum annos ageretur, inhibuit: hine de Cauſſa venerabilis SIMONIS ad annum uſque MDCLXXIX. altum ſilentium fuit.

Tunc, quum interruptum Cauſſæ curſum iterum inſtituere Poſtulatores exoptarent, & Cardinalis Pius vitam cum morte commutaſſet Kalendis Quintilis MDCXLI., Venerabilis Innocentius PP. XI. in Cauſſæ Ponentem conſtituit Cardinalem Nicolaum Ludoviſium, cujus opera de ſignanda Commiſſione reaſſumptionis Cauſſæ in Sacrorum Rituum Congregatione ordinaria, in qua ſententiam etiam Conſultores dixerunt, XIII. Kalendas Maji MDCLXXXI. eſt diſputatum; fuerunt Conſultores in ſenſu Commiſſionem manu Sanctiſſimi illico eſſe firmandam, at Eminentiſſimi Patres nil diligentiarum graviſſimis hiſce in Cauſſis unquam omittendum rati judicium hac de re protrahere, & maturius diſquirere, qua de cauſſa Proceſſus omnes, quum ſermo eſſet de ſignanda Commiſſione introductionis, vel reaſſumptionis Cauſſæ, ad examen revocarentur, rectius tutiuſque exiſtimarunt: ſed poſt exactam diſquiſitionem, & diligentem indaginem cum iiſdem apprime eſſet compertum, nil aliud pro ſignanda Commiſione requiri, quam probatum eſſe rumorem, ſeu ſanctitatis famam illius Dei ſervi, de cujus Cauſſa quæſtio inſtituebatur, & nullam in actis ipſis difficultatem offendi, quæ Cauſſæ exitum poſſet impedire, hinc V. Idus Auguſti MDCLXXXI. partes Cardinalis Ludoviſi ſuſtinente Cardinali Philippo Thoma Hvvard de Nortfolcia, reſcripſere, Commiſionem reaſſumptionis Cauſſæ eſſe ſignandam, eorumque judicium XI. Kalendas Septembris Venerabilis Innocentius PP. XI. firmum reddidit.

Reaſſumpta Cauſſa, ut judicii ſeries ſervaretur, & ordo, de non cultu erat pertractandum: ob hanc igitur rationem remiſſoriales litteræ Cardinali Portocarrero Archiepiſcopo Toletano, vel uni ex eis Suffraganeis Epiſcopis fuere inſcriptæ, ut viderent, ne aliquid, quod publicum religioſumque cultum redoleret, poſt Urbani Papæ VIII. decreta adverſus SIMONEM DE ROXAS unquam fuiſſet factitatum: menſes ſex ad id examen inſtituendum fuere ſtatuti: qui cum eſſent delapſi, ſemel, ac iterum prorogati fuere, ſimulque Cardinali Portocarrero indultum fuit, ut in domeſtico, privatoque ſacello teſtium examen exciperet: nondum enim in more fuerat receptum, ut privata Epiſcoporum ſacella veluti loca ſacra & religioſa haberentur, & eſſent.

Abſoluto tandem hujuſmodi Proceſſu, Nonis Februarii MDCLXXXIV. quæſtione de non cultu in Sacrorum Rituum Congregatione inſtituta, Cauſſæ curſum eſſe proſequendum fuit declaratum: hinc X. Kalendas Majas Cardinali Hieronymo Caſanate partes Eminentiſſimi Ludoviſi agente de validitate Proceſſus Apoſtolici judicium fuit habitum, quod feliciter ceſſit.

Statim ab approbatione validitatis Proceſſus, ad ea omnia paranda, quæ ad examen heroicarum virtutum ſubeundum neceſſaria reputabantur, cogitationes Poſtulatores contulerunt: interim multum temporis prolabi neceſſe fuit; quamobrem quum ſenio, adverſaque valetudine preſſus diem clauſiſſet extremum Cardinalis Ludoviſius, Pontifex Innocentius XI. ejus in locum Ponentem conſtituit Laurentium Car-

Cardinalem de Laurea, quo pariter non ita multo poſt vita functo, ejus partes demandatæ Cardinali Petro Matthæo Petrucci fuere, qui quum III. Nonas Julii MDCCI. mortem objiſſet, Clemens Papa XI. hanc demandavit provinciam Cardinali Thomæ Mariæ Ferrario S. Clementis nuncupato: dum preſſius, quæ ad felicem Cauſſæ exitum conducere videbantur, urgentur, Cardinalis S. Clementis moritur, eique ſufficitur Cardinalis Fabius Oliverius.

Hic primum curavit x. Kalendas Februarii MDCCXVII. remiſſoriales litteras Archiepiſcopo Toletano, ejuſque Suffraganeo, ac tribus illuſtribus conſpicuiſque viris Eccleſiaſticam dignitatem in Metropolitana Toletana Eccleſia obtinentibus dirigi, ut ad veritatem quorumdam miraculorum eruendam, quæ rumor erat Matriti intuitu Servi Dei Altiſſimum patraſſe, Proceſſus exararentur. Deinde quia ad fulgorem virtutum magis, magiſque oſtentandum validi fuiſſent præſidii teſtes illi, qui ſtatim a pretioſo Dei Servi obitu Julii Sacchetti opera teſtimonium dixere, hinc & de eorumdem examinis validitate diſputationem in Sacrorum Rituum Congregatione ordinaria habuit, quæ IV. Idus Septembris MDCCXVIII. fuit in ſenſu, nil hiſce in actis inveniri, quod validitatem poſſet infirmare.

Tandem VI. Idus Martii MDCCXXXII. Reverendiſſimorum Suffragatorum ad venerabilis viri virtutes exacta trutina penſandas conventum penes ſe inſtituit: adnotarunt tunc nonnulli Suffragatores doctiſſimi erui ex teſtium dictis SIMONEM aliqua litteris conſignaſſe, quæ Sacræ Congregationis judicio nequaquam fuerant ſubjecta: oportuit proinde, priuſquam de virtutibus quæſtio iterum agitaretur, ſcripta hæc diligenter exquirere, & perpendere; nil tamen ipſis licuit invenire, quod rectæ moralis regulis, ac ſanctis Fidei dogmatibus non eſſet conforme: unde ſcriptis hiſce poſthabitis, in Palatio Apoſtolico Quirinalis IX. Kalendas Aprilis MDCCXXXIV. altera Congregatio, quæ Præparatoria dicitur, fuit indicta, ut confidentibus Eminentiſſimis Patribus, quid de Cauſſa ſentirent, candidiſſime Conſultores declararent. Demum Kalendis Martii MDCCXXXV. præſente ipſo Eccleſiæ Maximo Principe Clemente PP. XII., Eminentiſſimi Patres, & Reverendiſſimi Conſultores in generalis Comitia convenere, atque de præſtantia virtutum SIMONIS ſententiam dicentes, nihil in ipſis obſervaſſe, animadvertiſſeque affirmarunt, quod perfectionis evangelicæ præceptis omnino non congrueret. At Pontifex prudentiſſimus, licet omnia hæc pro ſua ſapientia optime cognoſceret, tamen in re tanta magis deliberandum cenſuit, se Spiritum veritatis per orationes & preces ad feſtum uſque Annunciationis Deiparæ Virginis conſulere voluit, quo oraculo ſuo virtutes SIMONIS ad ſummum perfectionis chriſtianæ apicem perveniſſe pronunciavit: decretum vero, quod tunc publicam lucem aſpexit, hic modo damus.

TOLETANA

Beatificationis, & Canonizationis VEN. SERVI DEI SIMONIS DE ROXAS Ordinis Calceatorum Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum.

„ Cum in Congregationibus Sac. Rituum Antepræparatoriis, & Præparatoriis pluries examinata, ac diſcuſſa fuerit Cauſſa VEN. SERVI DEI SIMONIS DE ROXAS Ordinis Calceatorum Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis captivorum ſuper dubio = *An conſtet de virtutibus tum Theologalibus, tum Cardinalibus Servi Dei prædicti in caſu, & ad effectum &c.*: noviſſime die prima Martii currentis anni 1735. habita fuit coram Sanctiſſimo Domino Noſtro Clemente XII. Congregatio generalis eorumdem Sac. Rituum; propoſitoque a Reverendiſſimo Domino Cardinali Oliverio Cauſſæ ipſius Ponente, ſeu Relatore antedicto dubio, Sanctitas Sua, auditis prius Conſultorum, deinde vero Reverendiſſimorum Cardinalium ſuffragiis, reſolutionem eo die

„ differ-

„ differre cenſuit, ut de more in re tam gravi Divini luminis auxilium imploraret. Nunc vero infraſcripta die Annunciationi Beatiſſimæ Virginis Mariæ ſacra, accitis coram ſe RR. PP. Proſpero Columna Sac. Rituum Congregationis Prothonotario, & Ludovico de Valentibus Fidei Promotore, ad memoratum dubium reſponſum dedit affirmativum, videlicet: *Conſtare de virtutibus tum Theologalibus, Fide, Spe, & Caritate, tum Cardinalibus, Juſtitia, Prudentia, Temperantia, & Fortitudine, earumque annexis Ven. Servi Dei* SIMONIS DE ROXAS *in gradu heroico, & ad effectum, de quo agitur*: Et ita decrevit, & publicari mandavit. Die 25. Martii 1735.

A.F.Card. Zondadarius Pro-Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

N. M. Tedeſchi Archiepiſcopus Apamenus
Sac. Rit. Congreg. Secretarius.

Cumulati gaudio Poſtulatores ex hujuſce decreti promulgatione omnia obnixe facere ſtatim in animo adduxerunt, ut primum quoque tempore honores Beatis debiti præclariſſimo decernerentur viro: igitur quum comperiſſent in oppidis de Zeralbo, Zebolla, & Matriti plurima portenta, & prodigia ab omnipotenti dextera Excelſi patrata, ac oſtenſa fuiſſe ad nomen ſervi ſui glorioſum in Eccleſia Sanctorum reddendum, curarunt remiſſoriales litteras a Sacrorum Rituum Congregatione Epiſcopis Abulen., & Alvaracinen. III. Idus Maji MDCCXXXVI. mitti, ut eorumdem miraculorum probationes in actis colligerent: neque his diligentiis contenti, quum rumor eſſet miracula altera Gaduum fuiſſe patrata, omne ſtudium & operam in id etiam contulere, ut XIV. Kal. Martii MDCCXXXVII. ſimiles Gaditano Epiſcopo litteræ inſcriberentur.

Reverendiſſimi Epiſcopi, quibus rei ſumma fuerat demandata quamcitiſſime ultimam manum negocio hujuſmodi apponentes, acta ipſa Romam miſerant. Verum quum Cardinalis Oliverius interea temporis e viventium numero morte fuiſſet ſublatus, Cardinalis Saverius Gentili, qui eidem in Relatoris munere ſucceſſerat Pridie Nonas Septembris MDCCXXXVIII. diligenti indagatione in Congregatione ordinaria Sacrorum Rituum perpendit, utrum in hiſce colligendis actis omnia ad litterarum remiſſorialium normam & regulam facta, patrataque eſſent: omniaque eiſdem litteris perfecte congruere compertum extitit.

Quæſtione de validitate Proceſſuum feliciter abſoluta, ad judicium miraculorum cogitationes omnes providi Cauſſæ Poſtulatores convertere; ſed quum ex animadverſionibus Fidei Promotoris intellexiſſent in dubium revocari, an Joſepha Rivero Sarmiento, quæ ex veteri aneuriſmate SIMONIS ope perfecte convaluerat, in proſpera valetudine continuo perſeveraſſet; hac quoque de cauſſa nova acta Matriti compilari curarunt; quæ dum diligenti exarantur ſtudio, Cardinalis Gentili XV. Kalendas Decembris MDCCXXXIX. ſuis in ædibus Congregationem Antepræparatoriam habuit. Tranſmiſſa paullo poſt Romam hæc nova acta fuere, ex quibus eruebatur Joſepham Rivero Sarmiento poſtquam SIMONIS ope ab aneuriſmate, aliiſque pluribus, quibus affligtabatur morbis libera evaſerat, continuo integra uſam fuiſſe valetudine: ſed eorumdem actorum validitatem cognoſcere, probareque Eminentiſſimi Patres ante IV. Idus Septembris MDCCXL. minime potuere, quia VIII. Idus Februarii MDCCXL. mortuo Clemente Papa XII. conclave ingreſſi, comitia ſatis diuturna celebrarunt, in quibus ad Petri cathedram tandem evectus, ſublimatuſque fuit immortalis memoriæ Pontifex Benedictus PP. XIV.

Poſt hæc de iiſdem miraculis Congregatione Præparatoria in Apoſtolico Quirinalis Palatio indicta, XI. Kalendas Decembris MDCCXLI., & IV. Idus Decembris MDCCXLIX. ſemel, ac iterum fuit diſputatum. Congregatio tamen generalis, quæ co-

Digitized by Google

coram Summo Eccleſiæ Antiſtite ſolet celebrari, diu multumque eſt protracta: habita namque XIII. Kal. Februarii MDCCLXI. fuit, Cauſſam referente Eminentiſſimo Cavalchino, qui Cardinali Gentili in Ponentem fuerat ſuffectus. Quid de quatuor, quæ ad examinandum propoſita erant miracula Eminentiſſimi Patres, & Reverendiſſimi Conſultores ſentirent, BEATISSIMO DOMINO NOSTRO CLEMENTI PAPÆ XIII. expoſuere: at providiſſimus PONTIFEX mentem ſuam aperire, ſententiamque proferre non exiſtimavit opportunum, niſi a Patre luminum uberiorem divinæ gratiæ copiam expoſceret: orationes proinde, & preces per multas dies non intermittens, IV. Nonas Februarii, qua Deiparæ Virginis Purificationem feſtivo ritu Eccleſia Catholica celebrat, decretum edi, publicarique mandavit, quo ſanationem Mariæ Joſephæ Torquemada, quæ ab ulceribus ſiniſtram ejus mammam depaſcentibus, libera momento, temporis evaſerat, miracula inter enumerandam eſſe innoteſceret.

TOLETANA

Beatificationis, & Canonizationis VEN. SERVI DEI SIMONIS DE ROXAS Ordinis Calceatorum Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum.

„ EDito a ſa. me. Clemente XII. Pontifice Maximo, poſt generalem coram ſe habitam Congregationem, ſollemni decreto de virtutibus in gradu heroico VEN. VIRI SIMONIS DE ROXAS, agi mox cœpit de quibuſdam miraculis, quæ ejus interceſſione ab Omnipotenti Deo patrata prædicabantur, ut, accedente nimirum Apoſtolicæ Sedis judicio, pateret hinc via ad ſollemnem SERVI DEI Beatificationem. Horum examen primo inſtitutum in Congregatione Antepræparatoria diei 12. Novembris 1739., reſtauratum deinde in binis aliis Præparatoriis diei 21. Novemb. 1741., & diei 2. Decembris 1749., delatum poſtremo fuit ad Congregationem generalem coram SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO CLEMENTE XIII. convocatam die 20. Januar ii 1761., SANCTITAS vero SUA, auditis de hiſce miraculis, quæ quatuor proponebantur, Conſultorum, & Reverendiſsimorum Cardinalium ſuffragiis, cum deliberationem ſuam aliud in tempus rejecerit, ut Divini interim Spiritus illuſtrationem & opem imploraret, hac demum die Purificationi B. M. V. dicata poſt Sacra peracta, Cœleſtis iterum luminis præſidio invocato, accitiſque ſe coram Reverendiſſimis Cardinalibus Cavalchino Cauſſæ Ponente, & Feronio Sac. Rituum Congregationi Præfecto, necnon R. P. Cajetano Forti Fidei Promotore, meque Sac. Congregationis Secretario, animum aperiens ſuum decrevit: *Conſtare in tertio genere de primo* ex quatuor allatis miraculis, *inſtantaneæ* nimirum *ſanationis Mariæ Joſephæ Torquemada ab ulceribus ſiniſtram ejus mammam jamdiu torquentibus, & devaſtantibus*.

„ Ut autem Apoſtolici hujus judicii perenne extaret monumentum, decretum iſtud in Acta Sac. Rit. Congregationis referri, & publicari mandavit. Hac die 2. Februarii 1762.

Joſeph Maria Card. Feroni Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

J. M. de Lerma S. R. C. Secretarius.

Poſtulatores, qui facile ſibi in animum induxerant propediem Beatificationis SIMONIS ſollemnia in Vaticana Baſilica fore celebranda, ut cognoverunt unum tantum per SANCTISSIMUM DOMINUM NOSTRUM probatum fuiſſe miraculum, non modico ſunt affecti mœrore, quia contra id, quod mente præconceperant, Cauſſæ exitus ſuſpenſus adhuc, incertuſque remanſerat: attamen ſpe non fracti, ſed Cauſſæ bonitati nixi, ad quamlibet ex animo PONTIFICIS dubietatem propulſandam, efficaciſſimis efflagitarunt precibus, ut novam de non probatis miraculis in generali Congregatione diſputationem inire ipſis daretur poteſtas: quod petebant facile a clementiſ-

ſimo Principe obtinuere. Igitur VII. Kalendas Octobris MDCCLXV. Eminentiſſimi Cardinales, & Reverendiſſimi Suffragatores in generalem Conſeſſum convenere, quem præſentia ſua auguſtiſſimum reddidit SUMMUS PONTIFEX; qui tandem VI. Idus Decembris declaravit de miraculoſa ſanatione ab inveterato aneuriſmate in crure Joſephæ Mariæ Rivero Sarmiento nullum cuique dubium adeſſe poſſe. Declarationem PONTIFICIS ſtatim publicum ſubſequutum eſt decretum, quod hic in præſentiarum ponimus.

TOLETANA

Beatificationis, & Canonizationis VEN. SERVI DEI SIMONIS DE ROXAS Ordinis Calceatorum Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum.

„ EX quatuor miraculis, quæ interceſſione Ven. Servi Dei SIMONIS DE ROXAS patrata divinitus dicebantur, primum quidem, quod erat inſtantaneæ ſanationis Mariæ Joſephæ Torquemada ab ulceribus ſiniſtram ejus mammam torquentibus, ac devaſtantibus, ſuam jam habuit Apoſtolicam approbationem: nam SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER PAPA CLEMENS XIII. poſt collecta ſuffragia Conſultorum omnium, & Reverendiſſimorum Cardinalium, qui interfuerant Congregationi generali habitæ die xx. Januarii anni 1761., die tandem ſecunda Februarii anni 1762. declaravit: de hoc primo miraculo *conſtare in tertio genere*. Verum cum juſtis de cauſſis motus deinde fuiſſet, ut copiam daret Poſtulatoribus experiundi novum examen aliorum trium miraculorum in altera Congregatione generali coram ſe convocanda, hac tandem coacta die 24. elapſi menſis Septembris, idem SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER, audita iterum plenitudine ſuffragiorum ejuſdem Congregationis, etſi judicium tunc ſuum non aperuerit, quoad Divini Numinis illuſtrationem & ſuis, & aliorum precibus imploraret; hac tamen die, qua memoria recolitur Patrocinii B.M.V., accitis Reverendiſſimis Cardinalibus Cavalchino Cauſſæ Ponente, & Feronio Sacrorum Rituum Congregationi Præfecto, necnon R. P. Cajetano Forti Fidei Promotore, meque ejuſdem Sacræ Congregationis Secretario, declaravit: *Conſtare in tertio genere de inſtantanea ſanatione Joſephæ Rivero Sarmiento a veteri in crure aneuriſmate*: hocque decretum publicari, & in acta Sacrorum Rituum Congregationis referri mandavit. Hac die 10. Novembris 1765.

Joſeph Maria Card. Feroni Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

S. Archiep. Theodoſiæ S. R. C. Secretarius.

Nil aliud erat tunc peragendum, ut cultus, & obſequium, quod Beatis præſtatur & Venerabili SIMONI publice redderetur, quam diſquirere utrum poſt approbata miracula hoc tuto poſſet agi. Generalibus Comitiis Eminentiſſimorum Patrum, ac Reverendiſſimorum Conſultorum, in quibus de BEATI SERAPHINI AB ASCULO, ſeu A MONTE GRANARIO, & de B. JOANNÆ FRANCISCÆ FREMIOT DE CHANTAL miraculis erat diſputandum v. Kalendas Februarii MDCCLXVI. dies fuerat dicta; quamobrem ſedulam Poſtulatores dedere operam, ut in ipſis de Cauſſa etiam Ven. SIMONIS eorumdem Patrum ſententia quæreretur. Nullus in frequentiſſimo Conſeſſu fuit, qui, rogante Eminentiſſimo Epiſcopo Sabinenſi, Cavalchini enim Cauſſæ Ponens longe ad Urbe erat conſtitutus, non opinaretur promeritos honores *tuto* viro præſtantiſſimo attribui poſſe. Horum ſententiæ VII. Idus Martii oraculo ſuo roboris firmitatem adjecit SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER veluti ex eo, quod ſequitur, decreto quiſque poteſt colligere.

TOLE-

TOLETANA.

Beatificationis, & Canonizationis VENERABILIS SERVI DEI SIMONIS DE ROXAS Ordinis Calceatorum SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum, Fundatoris Congregationis AVE MARIA.

,, IN eadem illa Congregatione Generali
,, Sacrorum Rituum coram SANCTISSIMO
,, DOMINO NOSTRO CLEMENTE PP. XIII. ha-
,, bita die 28. menſis Januarii proxime ela-
,, pſi, in qua de miraculis actum fuit B. Jo-
,, ANNÆ FRANCISCÆ FREMIOT DE CHANTAL,
,, & B. SERAPHINI DE ASCULO, ſeu DE MONTE
,, GRANARIO: relata etiam eſt a Reveren-
,, diſsimo Cardinali Albano Epiſcopo Sabi-
,, nenſi, nomine & loco Reverendiſsimi Car-
,, dinalis Cavalchini Epiſcopi Oſtienſis, &
,, Sacri Collegii Decani, altera Cauſſa VEN.
,, SERVI DEI SIMONII DE ROXAS Ordinis Cal-
,, ceatorum SS. Trinitatis Redemptionis Ca-
,, ptivorum ſuper dubio: *An ſtante appro-*
,, *batione virtutum, & duorum miraculo-*
,, *rum tuto procedi poſſit ad Beatificatio-*
,, *nem prædicti* VENERABILIS SERVI DEI.

,, Cum autem SANCTITAS SUA, auditis
,, licet ſuffragiis Conſultorum, & Reveren-
,, diſsimorum Cardinalium, qui unanimi
,, conſenſu reſponderant: *tuto poſſe ad Bea-*
,, *tificationem procedi*, negocium tamen di-
,, ſtulerit, quoad Divini luminis illuſtratio-
,, nem ſuis, & aliorum precibus imploraſſet:
,, hac tandem die, in qua recurrit ſollem-
,, nitas Dominicæ quartæ Quadrageſimæ,
,, accitis coram ſe Reverendiſsimis Cardi-
,, nalibus Cavalchino Epiſcopo Oſtienſi, &
,, Sacri Collegii Decano Cauſſæ Relatore,
,, Albano Epiſcopo Sabinenſi, & Feronio
,, Sacrorum Rituum Congregationi Præfe-
,, cto, necnon R. P. Cajetano Forti Fidei
,, Promotore, meque infraſcripto Secreta-
,, rio, præſens decretum Beatificationis
,, VEN. SERVI DEI SIMONII DE ROXAS ſollem-
,, ni ritu in Baſilica Vaticana celebrandæ
,, expediri, publicari, & in acta Congre-
,, gationis Sacr. Rituum referri mandavit.
,, Hac die 9. Martii 1766.

Joſeph Maria Card. Feroni Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

S. Archiepiſcopus Theodoſiæ S. R. C. Secretarius.

Poſt decretum hujuſmodi ad preces Caroli III. Potentiſſimi Hiſpaniarum Regis, & Sereniſſimi Ferdinandi IV. utriuſque Siciliæ Regis per litteras in forma Brevis datas III. Idus Maji SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER beatitatis honores publice SIMONI in Vaticana Baſilica reddendos decrevit, eique celebritati XIV. Kalendas Aprilis conſtituit.

Litteræ BEATISSIMI DOMINI NOSTRI ſequentes fuere.

CLEMENS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

,, ADmonet nos Claviger Regni Cæleſtis
,, Apoſtolorum Princeps Petrus, tam-
,, quam advenas [1], & peregrinos converſari
,, in hoc ſeculo, abſtinentes a carnalibus
,, deſideriis, quæ militant adverſus animam,
,, ut jam non deſideriis hominum [2], ſed vo-
,, luntati Dei, quod reliquum eſt tempo-
,, ris, in carne vivamus. Conſiderandum
,, igitur, & aſſidue cogitandum, non ha-
,, bere hic nos manentem civitatem [3], ſed
,, futuram inquirere; corporis quidem pon-
,, dere gravatos in terris detineri, ſed con-
,, verſationem [4] noſtram in Cælis eſſe. Illuc
,, cogitationes, ac curas omnes converſas,
,, atque intentas eſſe oportet, & peregre
,, conſtitutos properandum in patriam re-
,, gredi. Nam memores jam in ſacro ba-
,, ptiſmi lavacro ſatanæ, & mundo, ejuſque
,, pompis, atque operibus renunciaſſe, de-
,, bemus diabolica omnia vitare contagia,
,, ſancta, recta, ac divina ſequi; munda-
,, na omnia veluti aliena reſpuere, ſuper-
,, na ſolum deſiderare; temporalia deſpi-
,, cere, æterna quærere; terrena faſtidi-
,, re, cæleſtia amare. Apoſtolicis præce-
,, ptis

1 *I. Petri* 2. 11. 2 *Ibid.* 4. 2. 3 *Ad Heb.* 13. 14. 4 *Philipp.* 3. 20.

„ piis inſtructus, & cæleſtibus diſciplinis „ eruditus id totum, donec in mortali „ corpore moratus eſt, divina opitulante „ gratia, ſervus Dei SIMON DE ROXAS eximie in ſe completum, ac perfectum „ oſtendit. Etenim pueritia, & adoleſcentia pie, ac innocenter exacta, quo longius ſe a mundanis rebus adduceret, ingreſſus eſt Ordinem Fratrum Sanctiſſimæ „ Trinitatis Redemptionis Captivorum Calceatorum nuncupatorum, & in eo votis caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ ſollemniter emiſſis, renuncians ex animo, & vale „ dicens concupiſcentiæ carnis [1], concupiſcentiæ oculorum, & ſuperbiæ vitæ, ſe, „ ſuaque omnia immortali Deo dedicavit. „ Atque ita ab omni eo, quod in mundo „ eſt, liber, & ſolutus, quod ore promiſerat, opere adimplens, arduum chriſtianæ perfectionis iter generoſus athleta arripuit. Divino autem auxilio roboratus, „ & patrocinio Beatæ Mariæ ſemper Virginis, erga quam intima devotione, & „ humili ferebatur affectu, ſuffultus, quotidie de virtute in virtutem proficiens, „ & præcipue in humilitatis ſtudio, in „ paupertatis amore, miſericordia in miſeros, caritate erga Deum, fide, ſpe, „ aliiſque virtutibus, mirum in modum „ adeo progreſſus eſt, ut non ſolum inter „ ſuos, ſed etiam apud omnes Hiſpaniæ „ populos ſanctitatis fama late clareſceret. „ Hac autem permotus cl. mem. Philippus III. Hiſpaniarum Rex Catholicus eum „ in Regiam aulam accivit, ut in pericuoſo tot populorum regimine, & orationibus apud Deum, conſiliis, & monitis „ inter homines adjuvaret, quo in difficili „ regnandi munere, veluti in lubrico, & „ fallaci itinere rectum vitæ ſuæ curſum „ ad Dominum tuto dirigere poſſet. Itaque Vir Dei in regali aula poſitus, tamquam lucerna ſuper candelabrum jacentibus in tenebris ſeculi lumen attulit, & „ ambulantibus in via ſalutis exemplo ſuo „ præluxit. Nam inter aulicas delicias, „ regioſque ſplendores, SERVI DEI SIMONIS, qui jam animo exiverat ad Jeſum „ extra caſtra hujus ſeculi, improperium „ ejus, nempe crucem Domini portans, „ humanis, ac terrenis rebus poſthabitis, „ penituſque abjectis, una cogitatio, & „ una cura fuit gloriam Dei, & ſalutem „ animarum procurandi. Quare, ut aliorum animis divinæ majeſtatis timorem, „ ac reverentiam ingereret, & ab amore „ terrenarum rerum abſtractos ad dilectionem Dei, quantum in ſe erat, adduceret, nihil fuit laboris, diligentiæ, induſtriæ, ac ſollicitudinis, ſicut inſignia „ ipſius facta teſtantur, quod ſtrenuus, „ ac fortis contra diabolicos impetus, & „ fallaces mundi, & carnis illecebras non „ impenderit. Ut autem tot excellentium virtutum SERVI DEI exempla, quæ „ in diebus peregrinationis ſuæ viventes ea „ ætate homines adeo juverunt, poſteris „ quoque prodeſſe poſſint, nos, qui ſuperna dignatione univerſo Dominico gregi, „ licet merito, & viribus impares, præpoſiti ſumus, Apoſtolicæ ſervitutis noſtræ „ partes eſſe ducimus, tanti viri honorem, „ atque venerationem ad Omnipotentis Dei „ gloriam, & Eccleſiæ ſuæ decus, ac ſpiritualem fidelium ædificationem, quantum nobis ex alto conceditur, promovere. Cum itaque mature, diligenterque „ diſcuſſis, atque perpenſis per Congregationem Venerabilium Fratrum noſtrorum „ S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpoſitorum Proceſſibus rite, ac recte confectis ſuper vita, ſanctitate, & virtutibus heroicis, quibus idem SERVUS DEI SIMON multipliciter claruiſſe, necnon miraculis, quæ ad ejus interceſſionem, & „ ad manifeſtandam hominibus illius ſanctitatem a Deo patrata fuiſſe aſſerebantur, „ eadem Congregatio coram nobis conſtituta, auditis etiam Conſultorum ſuffragiis, „ uno ſpiritu, unaque voce cenſuerit, poſſe, „ quandocumque nobis videretur, prædictum SERVUM DEI BEATUM declarari, cum „ conſuetis gratiis, & indultis. Hinc eſt, „ quod nos piis, atque enixis cariſſimi in „ Chri-

1 *Joan.* 2. 16.

,, Chriſto filii noſtri Caroli Hiſpaniarum Re-
,, gis Catholici , tum etiam cariſſimæ in
,, Chriſto filiæ noſtræ Eliſabethæ earumdem
,, Hiſpaniarum Reginæ Catholicæ viduæ ejus
,, genitricis , & cariſſimi pariter in Chri-
,, ſto filii noſtri Ferdinandi utriuſque Siciliæ
,, Regis dictorum Caroli Regis , & Reginæ
,, Eliſabethæ reſpective filii , & nepotis ,
,, necnon univerſorum Venerabilium Fra-
,, trum Archiepiſcoporum , & Epiſcoporum
,, Eccleſiarum Regnorum Hiſpaniæ , ac to-
,, tius inſuper præfati Ordinis Fratrum San-
,, ctiſſimæ Trinitatis Redemptionis captivo-
,, rum ſupplicationibus nobis ſuper hoc hu-
,, militer porrectis paterna benignitate an-
,, nuentes , de memoratorum Cardinalium
,, conſilio pariter , & aſſenſu auctoritate
,, Apoſtolica tenore præſentium concedi-
,, mus , & indulgemus , ut idem DEI SERVUS
,, SIMON DE ROXAS in poſterum BEATI no-
,, mine nuncupetur , ejuſque corpus , & re-
,, liquiæ venerationi fidelium , non tamen
,, in proceſſionibus circumferenda , expo-
,, nantur . Imagines quoque radiis , ſeu ſplen-
,, doribus exornentur , ac de eo recitetur
,, Officium , & Miſſa celebretur de Confeſſo-
,, re non Pontifice ſingulis annis juxta ru-
,, bricas Breviarii , & Miſſalis Romani die
,, XXVIII. Septembris , cum die XXIX. ejuſ-
,, dem menſis , qua ipſe SERVUS DEI ſpiri-
,, tum Creatori reddidit , feſto S. Michae-
,, lis Archangeli impedita reperiatur . Por-
,, ro recitationem Officii , & Miſſæ celebra-
,, tionem hujuſmodi fieri concedimus in lo-
,, cis dumtaxat infraſcriptis , videlicet in
,, Urbe Valliſoletana , ubi SERVUS DEI na-
,, tus eſt , & in oppido Matritenſi civitate
,, nuncupat. , ubi venerabile corpus re-
,, quieſcit , & in utraque Diœceſi Valliſo-
,, letana , & Toletana ab omnibus utriuſque
,, ſexus Chriſtifidelibus tam ſecularibus ,
,, quam regularibus , qui ad horas canoni-
,, cas tenentur ; ac in toto Ordine præſa-
,, to Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis
,, Captivorum tam Fratrum Calceatorum ,
,, quam Excalceatorum nuncupatorum , &
,, quantum ad Miſſas attinet , etiam a Sa-
,, cerdotibus ad Eccleſias ejuſdem Ordinis
,, confluentibus . Præterea primo dumta-
,, xat anno a datis hiſce litteris , & quoad
,, Indias , a die , quo eædem litteræ illuc
,, pervenerint , inchoando , in Eccleſiis lo-
,, corum , ac civitatum , & Diœceſum , &
,, Ordinis prædictorum reſpective ſollemnia
,, Beatificationis ejuſdem SERVI DEI cum
,, Officio , & Miſſa ſub ritu duplici majo-
,, ri die ab Ordinariis reſpective conſtituta ,
,, & intra ſex menſes promulganda , poſtquam
,, tamen in Baſilica Principis Apoſtolorum de
,, Urbe celebrata fuerint eadem ſollemnia :
,, pro qua re diem XIX. currentis men-
,, ſis Maji aſsignamus , pariter celebrandi
,, facimus poteſtatem . Non obſtantibus Con-
,, ſtitutionibus , & ordinationibus Apoſto-
,, licis , ac decretis de non cultu editis ,
,, ceteriſque contrariis quibuſcumque . Vo-
,, lumus autem , ut earumdem præſentium
,, litterarum tranſumptis , ſeu exemplis etiam
,, impreſſis manu Secretarii prædictæ Con-
,, gregationis Cardinalium ſubſcriptis , &
,, ſigillo Præfecti ejuſdem Congregationis
,, munitis , eadem prorſus fides ab omni-
,, bus , & ubique tam in judicio , quam ex-
,, tra illud habeatur , quæ ipſis præſentibus
,, haberetur , ſi forent exhibitæ , vel oſten-
,, ſæ . Datum Romæ apud S. Mariam Majo-
,, rem ſub Annulo Piſcatoris die 13. Maji
,, MDCCLXVI. Pontificatus Noſtri Anno Octa-
,, vo .

N. Cardinalis Antonellus .

Mira arte , & elegantia omniumque generere ornatuum Marci Davidis architecti opera auguſtiſſimam Poſtulatores exornarunt Baſilicam , ſed præcipue majorem abſidem , porticum , & ipſam frontem . In medio frontis ſupra principem portam ſtemma gentilitium PONTIFICIS erat , cui ad dexteram inſignia Religionis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis captivorum , ad ſiniſtram inſignia Reverendiſſimi Capituli aderant . His imminebat effigies Dei famuli ſplendoribus circumdati , ac cæleſtia regna petentis ; cique hæc ſubiiciebatur inſcriptio .

SIMON DE ROXAS VALLISOLETANUS
ORDINIS SANCTISSIMÆ TRINITATIS REDEMPTIONIS CAPTIVORUM
AMANTISSIMUS PAUPERUM CURATOR ET PATER
MARIÆ VIRGINIS EJUSQUE SANCTISSIMI NOMINIS
CULTOR EXIMIUS
CONGREGATIONIS AB AVE MARIA NUNCUPATÆ FUNDATOR
MAGISTERIO PRÆFECTURISQUE INTER SUOS INSIGNIS
ELISABETHÆ BORBONIÆ HISPANIARUM REGINÆ CONFESSARIUS
CLEMENTIS XIII. P. M. DECRETO
BEATORUM ALBO SOLLEMNI RITU ADSCRIBITUR.

Porticus ampliſſima, quæ damaſcenis ſericis, & peripetaſmatibus Raphaelis Urbinatis erat exculta, ſuper æneam portam in maxima tabula Venerabilem SIMONEM pauperibus panem, & precarios globulos, ut eos in Virginis amorem excitaret, diſtribuentem, expreſſum habebat cum hoc lemmate;

PAUPERIBUS ALIMENTA DISTRIBUIT
PUPILLOS VIDUAS ÆRUMNOSOS OMNES
EXCIPIT SOLATUR FOVET
AMOREM DEI B. VIRGINIS CULTUM
MIRIFICE PROMOVET.

In maxima Baſilicæ abſide eodem ordine, eodemque ſplendore, ac apparatu, quem, dum de B. GREGORIO BARBADICO ſermonem habuimus, deſcripſimus, omnia erant diſpoſita; præterquamquod ſuper Principis Apoſtolorum æneam Cathedram imago Venerabilis SIMONIS, opus Franciſci Preziato pictoris Hiſpani magni nominis, inter aureas nubes videbatur poſita, eique coronam plures Angeli ex opere anaglypho maximam cereorum copiam ſuſtinentes efformabant. Ad latera miracula duo, quæ SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER probaverat, picta ſpectabantur. A cornu Evangelii erat Maria Joſepha Torquemada, quæ mammam a fœtidiſſimis ulceribus immunem exhibebat cum hac epigraphe:

MULIERIS MAMMA
PURULENTIS ULCERIBUS FOEDE CORRUPTA
ADMOTA B. SIMONIS IMAGINE
CONTINUO PERSANATUR.

a cornu Epiſtolæ expreſſa erat Joſepha Maria Rivero Sarmiento, quæ crudeli diu multumque divexata aneuriſmate, SIMONIS ope implorata, illico integræ reſtituta fuit valetudini, ut appoſitum lemma indicabat:

DIRUM ANEURISMA
MULIERIS POPLITE XII. ANNIS INSIDENS
B. SIMONIS OPE INVOCATA
MOMENTO EVANESCIT.

Decimoquarto Kalendas Junii circa horam ſextam quum Eminentiſſimi Cardinales Carolus Albertus Guidobonus Cavalchini Epiſcopus Oſtienſis, & Veliternus Sacri Collegii Decanus, Joannes Franciſcus Albani Epiſcopus Sabinenſis, Joſeph Maria Feroni Sacrorum Rituum Congregationi Præfectus, Antonius Andreas Galli Major Pœnitentiarius, Carolus Rezzonico S. R. E. Camerarius, Laurentius Ganganelli, Marcus Antonius Columna SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PAPÆ Vicarius, Alexander Albani, Aloyſius Maria Torrigiani, Andreas Corſini, & Andreas Negroni, unacum Illuſtriſſimis, & Reverendiſſimis DD. Scipione Burgheſio Sacrorum Rituum Congregationis a Secretis, Cajetano Forti Sanctæ Fidei Promotore, & Reverendiſſimis Suffragatoribus ad auguſtiſſimum theatrum ſeſe contuliſſent, Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Dominus Georgeus de Laſcaris Patriarcha Jeroſolymitanus, Vaticanæ Baſilicæ Vicarius, præcedente Reverendiſſimo Capitulo, ſequenteque Sereniſſimo Cardinali Duce Eboracenſi Baſilicæ Archipresbytero in eumdem locum venit. Tunc efficaciſſimis efflagitante precibus

cibus

cibus P. Antonio Moreno Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis captivorum Sacerdote, & Cauſſæ Beati Simonis de Roxas Poſtulatore, Breve, quo Sanctissimus Dominus Noster honores, qui Beatorum proprii ſunt, & Venerabili Simoni attribuebat, elata voce a chori cappellano fuit perlectum. Præcinuit deinde Patriarcha Jeroſolymitanus in gratiarum actionem, & laudum complementum hymnum *Te Deum* &c., quo per cantores abſoluto, orationem hanc recitavit:

OREMUS.

Deus, cujus caritas in corde Beati Simonis *diffuſa, eximio in Sanctiſſimam Filii tui Genitricem cultu, & aſſiduis miſericordiæ operibus enituit: illius interceſſione concede, ut eodem caritatis fervore ſuccenſi, & Beatæ Mariæ Virginis tutela protecti, tuam miſericordiam conſequamur. Per eumdem Dominum noſtrum &c.*

Poſt hæc ſacris ad Sacrificium ſe induit veſtibus, & Miſſarum ſollemnia de communi Confeſſorum non Pontificum perſonantibus organis, muſiciſque ſuaviter modulantibus celebravit.

Studio omiſimus tum ornatuum elegantiam, tum cæremonias in hoc ſacro ritu adhibitas deſcribere, quia in id fere coincidunt, quod verba facientes de Beati Gregorii Barbadici Beatificatione fuſiori calamo expoſuimus. Illud unum addimus, non tantum frequentem Romanum populum cujuſcumque ordinis, ut Simonem novum apud Deum patronum in ingruentibus neceſſitatibus experiretur, ad Baſilicam Vaticanam confluxiſſe; verumetiam ſollemni, publicoque cultu e Quirinali ad eamdem Baſilicam, ut Beato Viro cultum debitum, obſequiumque rependeret, ipſum Beatissimum Dominum Nostrum Clementem XIII. ſe contuliſſe. De tanta celebritate, rogante P. Antonio Moreno Cauſſæ Poſtulatore, Philippus de Amicis Sacrorum Rituum Congregationis tabularius, & ſcriba hoc publicum exaravit inſtrumentum.

Sollemnia Beatificationis Ven. Simonis de Roxas Ordinis Calceatorum Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Fundatoris Congregationis Ave Maria.

Die 19. Maji 1766.

„Cum in Cauſſa Beatificationis, & „Canonizationis Ven. Servi Dei Simonis de Roxas Ordinis Calceatorum „Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis ca„ptivorum, Fundatoris Congregationis „Ave Maria, ſtante approbatione virtu„tum tam theologalium, quam cardina„lium in gradu heroico, diſcuſſa, & exa„minata ſubinde fuerint miracula, per in„terceſſionem dicti Servi Dei patrata, in „Congregationibus generalibus Sacrorum „Rituum habitis coram Sanctissimo Do„mino Nostro Clemente Papa XIII. „diebus 20. Januarii anni 1761., & 24. „Septembris 1765., duo ex iiſdem mi„raculis in tertio genere per Sanctita„tem Suam approbata extiterint diebus „2. Februarii 1762., & 10. Novembris „anni 1765., prout ex decreto typis R. „C. Apoſtolicæ impreſſo, quod præſentibus „alligatur tenoris &c., & demum in Con„gregatione Generali iterum habita co„ram eodem Sanctissimo die 28. Ja„nuarii currentis anni, propoſito dubio: „an ſtante approbatione virtutum, & duo„rum miraculorum tuto procedi poſſit ad „Beatificationem dicti Ven. Servi Dei, una„nimi conſenſu reſponſum fuerit, tuto poſſe „ad Beatificationem procedi, & idem San„ctissimus in re tam gravi reſolutionem „differens, divinique luminis implorato „præſidio, Dominica quarta Quadrageſi„mæ 9. Martii currentis anni decretum Bea„tificationis dicti Ven. Servi Dei Simonis „de Roxas ſollemni ritu in Baſilica Va„ticana celebranda promulgaverit, ut con„ſtat ex ejuſdem decreti tenore typis

„ R. C. Apoſtolicæ impreſſo, quod præſentibus alligatur tenoris &c.

„ Proindeque prælibatus SANCTISSIMUS nedum Generalis dictæ Sacrorum Rituum Congregationis votis inhærens, verum etiam piis, atque enixis Sacræ Catholicæ Majeſtatis Caroli Hiſpaniarum Regis, ſacræque Majeſtatis Eliſabethæ earumdem Hiſpaniarum Reginæ Catholicæ viduæ ejus genitricis, & Sacræ Majeſtatis Ferdinandi utriuſque Siciliæ Regis, necnon univerſorum Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum Regnorum Hiſpaniæ, ac totius inſuper præfati Ordinis Fratrum Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis captivorum ſupplicationibus benigne annuendo, per litteras Apoſtolicas indulſerit, ut idem Dei Servus SIMON DE ROXAS in poſterum Beati nomine nuncupetur, ejuſque corpus, & reliquiæ venerationi fidelium, non tamen in Proceſſionibus circumferenda, exponantur. Imagines quoque radiis, ſeu ſplendoribus exornentur, ac de eo recitetur Officium, & Miſſa celebretur de Confeſſore non Pontifice ſingulis annis juxta rubricas Breviarii, & Miſſalis Romani die 28. Septembris, cum die 29. ejuſdem menſis, qua ipſe Servus Dei ſpiritum Creatori reddidit feſto S. Michaelis Archangeli impedita reperiatur; cum limitatione tamen recitationis dicti Officii, præſatæque Miſſæ celebrationis in locis, & Diœceſibus dumtaxat deſignatis, poſtquam hodierna die in Baſilica S. Petri in Vaticano de Urbe celebrata fuerint ſollemnia Beatificationis ejuſdem Beati, aliiſque modis, & formis latius expreſſis in dictis litteris Apoſtolicis in forma Brevis expeditis datis Romæ apud S. Mariam Majorem die 13. currentis menſis, quarum tranſumptum impreſſum typis dictæ R. C. Apoſtolicæ præſentibus alligatur tenoris &c.

„ Cumque omnia pro ſollemnibus hujuſmodi Beatificationis adimplendis diligenti cura, & vigilantia Reverendiſſimi Patris Antonii Moreno Sacerdotis profeſſi dicti Ordinis Fratrum Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, dictæque Cauſæ Poſtulatoris, unacum aliis quibuſdam ejuſdem Ordinis Religioſis in dicta ſacroſancta Vaticana Baſilica parata eſſent, ad cujus inſtantiam ego dictæ Sacræ Congregationis Rituum notarius, cancellarius, & archiviſta requiſitus ad dictam ſacroſanctam Baſilicam acceſſi, & ſollemnia, aliaque pro dicta Beatificatione ibidem peracta, ut infra deſcripſi, & adnotavi.

„ In exteriori maximi, & auguſtiſſimi templi facie, & ſupra medium cancellum ferreum illius in eminenti loco aderat appenſa pergrandis effigies picta dicti Servi Dei inter nubes Cælum aſpicientis. Supra vero januam æneam memoratæ Baſilicæ, quæ a porticu ad eamdem Baſilicam exhibet ingreſſum, alia tabula picta decenter ornata exiſtebat, exprimens dictum Servum Dei eleemoſynam panis inter pauperes diſpenſantem, eiſque coronas diſtribuentem pro exe itanda in illis pietate, & devotionis uſu erga Deum, & Beatam Virginem: porticus vero prædicta ſericis, & atrebaticis tapetis, vulgo arazzi, mirabiliter ornata cernebatur. Medium interioris Baſilicæ gremium paramenta ex panno rubro ſerico damaſceno eum aureis tæniis per ſuturas decurrentibus elaborata condecorabant.

„ In eminentiori Baſilicæ parte, ad quam per porphyreticos gradus e gremio aſcenditur, & in cujus extremitate magnificum Cathedræ S. Petri altare erectum eſt, pavimentum, ſeu platea exiſtebat ultra dictos porphyreticos gradus ampliata, mediantibus ligneis tabulis pro æquanda planitie ſuppoſitis, ante dictum altare aliud portatile erectum aderat cum effigie Servi Dei adinſtar aſcendentis in Cælum inter Angelos eleganti opera in tela depicta, ſericoque bombicino coloris viridis uſque ad tempus decantati hymni *Te Deum Laudamus* cooperta.

„ Altare ipſum Cruce, ſtatuis SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, candelabris, aliiſ-

„ aliiſque pretioſis paramentis magnifice
„ ornatum cernebatur, aptatis, & diſpoſi-
„ tis circumcirca, & e conſpectu ipſius al-
„ taris pluribus candelabris aureo colore
„ illitis, ſuper quibus cerei io maxima
„ copia ardebant, & in circumdario ma-
„ gni dicti altaris fornicis lampadaria pa-
„ riter auri colore ornata pendebant cum
„ cereis accenſis. Ab utroque dicti alta-
„ ris latere inſpiciebantur in tela depi-
„ cta eleganter ornata gemina miracula ab
„ Omnipotenti Deo per interceſſionem
„ dicti Beati patrata, & ut ſupra a San-
„ ctissimo Domino Nostro Papa appro-
„ bata. Duo ulterius inſignia candelabra
„ ænea deaurata, & affabre elaborata e
„ conſpectu dicti altaris in planitie appoſi-
„ ta erant, in quibus magni cerei conſiſte-
„ bant.

„ Ab utroque dicti altaris latere locata
„ erant ſedilia, ſcilicet a cornu Evangelii
„ pro Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis
„ DD. Cardinalibus Sacræ Rituum Congre-
„ gationis, ac Illuſtriſſimis, & Reveren-
„ diſſimis DD. ejuſdem Sacræ Congrega-
„ tionis Prelatis, & Conſultoribus, a ſini-
„ ſtra vero, ſcilicet a cornu epiſtolæ pro
„ Regia Celſitudine Eminentiſſima Henrico
„ Benedicto Epiſcopo Tuſculano Duce
„ Eboracenſi Archipresbytero, Illuſtriſsi-
„ mis, & Reverendiſsimis DD. Archiepi-
„ ſcopis, Epiſcopis, & Canonicis ejuſdem
„ Baſilicæ, & dicto Reverendiſsimo P. An-
„ tonio Moreno Cauſſæ Poſtulatore, plu-
„ reſque alii dimiſsiorum ſcamnorum or-
„ dines pro reliquo ejuſdem Baſilicæ Clero,
„ & aliis Prælatis, nobilibuſque viris, ſi-
„ citi a tergo ſedilium Eminentiſsimorum,
„ & Reverendiſsimorum DD. Cardinalium
„ aderat etiam ſedile pro Superioribus, &
„ gravoribus Ordinum Regularium Reli-
„ gioſis. Alia quoque ſcamna ibidem non
„ deerant ad excipiendos Sacerdotes Regu-
„ lares, qui ex diverſis familiis, & com-
„ munitatibus plures interfuerunt, omniaque
„ hæc ſedilia conſuetis aulæis pro dignitate
„ aſsidere debentium plus, vel minus pre-
„ tioſis cooperta erant.

„ Succedebant duo ſeparata locula decen-
„ ter erecta, & aptata, cratibuſque ligneis
„ circumdata prope, & extra ſedilia dicto-
„ rum Eminentiſſimorum DD. Cardinalium,
„ & Capitularium reſpective dictæ Baſilicæ,
„ in quibus geminis loculis plures Princi-
„ pes, nobileſque viri, & mulieres adfue-
„ runt, indeque proſequebantur duo muſi-
„ corum magni chori ab utroque latere
„ elevati, & circuitus ligneis balauſtis clau-
„ debatur, ſuper quibus plura fanalia cum
„ cereis ardentibus aſpiciebantur, aſſiſte-
„ batque pariter cuſtodia militum Helve-
„ tiorum ex cohorte Pontificia ad populi
„ impetum coercendum parata.

„ Alii etiam cerei, & candelæ reſpective
„ ardebant tam in altari Papali Confeſſio-
„ nis nuncupato, ubi corpora SS. Apoſto-
„ lorum Petri, & Pauli venerantur, illiuſ-
„ que balauſtio ſuper argenteis, quam in
„ aliis altaribus eiuſdem Baſilicæ ſuper æneis
„ candelabris impoſiti.

„ Accenſis itaque, & collucentibus omni-
„ bus ſupra recenſitis cereis, & candelis,
„ magnaque populi utriuſque ſexus multitu-
„ dine extra dictorum militum Helvetio-
„ rum coronam affluente, advenerunt pri-
„ mo infraſcripti Eminentiſſimi, & Reveren-
„ diſſimi DD. Cardinales dictæ Sac. Rituum
„ Congregationi præpoſiti, videlicet Emi-
„ nentiſſimus Cavalchini Epiſcopus Oſtien.
„ & Veliternen. Sacri Collegii Decanus,
„ Eminentiſſimus Joannes Franciſcus Albani
„ Epiſcopus Sabinenſis, Eminentiſſimus Fe-
„ roni dictæ Sac. Congregationi Præfectus,
„ Eminentiſſimus Galli Major Pœnitentia-
„ rius, Eminentiſſimus Rezzonico, Eminen-
„ tiſſimus Ganganelli, Eminentiſſimus Mar-
„ cus Antonius Columna Sanctissimi Do-
„ mini Nostri Papæ Vicarius, Eminentiſ-
„ ſimus Alexander Albani, Eminentiſſimus
„ Torregiani, Eminentiſſimus Andreas Cor-
„ ſini, Eminentiſſimus Negroni, & Illuſtriſ-
„ ſimi, ac Reverendiſſimi DD. Prælati, at-
„ que Conſultores totam Sacram Rituum
„ Congregationem repræſentantes, eiſdem-
„ que conſidentibus in ſedilibus ipſis reſpe-
„ ctive paratis, diſceſſit e ſacrario dictæ Ec-

,, cleſiæ Illuſtriſsimus , & Reverendiſsimus
,, D. Georgeus Laſcaris Patriarcha Hiero-
,, ſolymitanus dictæ ſacroſanctæ Baſilicæ Va-
,, ticanæ Vicarius proceſsionaliter, præce-
,, dente Cruce , & Acolythis , univerſoque
,, Clero Baſilicæ , pluviali indutus cum mi-
,, tra Miſſam ſollemnem celebraturus inter
,, duos Canonicos cum dalmaticis Diaconi ,
,, & Subdiaconi officium gerentes , ſubſe-
,, quente Eminentiſsimo , & Reverendiſsi-
,, mo D. Cardinali Duce Eboracenſi Epiſco-
,, po Tuſculano ejuſdem Baſilicæ Archipre-
,, sbytero , factaque ab omnibus adoratio-
,, ne , fuſiſque precibus primo ad altare San-
,, ctiſsimi Sacramenti , inde ad altare SS.
,, Apoſtolorum , omnes advenerunt ad lo-
,, cum , ut ſupra paratum , prædictiſque o-
,, mnibus ſua loca tenentibus , aſsiſtentibus
,, duobus ejuſdem Baſilicæ cæremoniarum
,, Magiſtris , Illuſtriſſimus , & Reverendiſſi-
,, mus D. Scipio Burgheſius Archiepiſcopus
,, Theodoſiæ dictæ Sacræ Congregationis Se-
,, cretarius acceſſit ad latus Eminentiſſimi D.
,, Cardinalis Feroni Præfecti, & eodem tem-
,, pore coram Eminentia ſua , aliiſque Emi-
,, nentiſsimis Cardinalibus dictæ Sacræ Con-
,, gregationis conſtitutus dictus Reverendiſ-
,, ſimus P. Antonius Moreno Poſtulator præ-
,, dictus habens præ manibus dictum Apoſto-
,, licum Breve , ut ſupra expeditum , illud
,, dictæ Sacræ Congregationi debita reveren-
,, tia originaliter exhibuit , & poſtquam la-
,, tina oratione enunciavit natalis indolem ,
,, & geſta in duplici ſtatu ſeculari nempe ,
,, & regulari ejuſdem Servi Dei , ac illius
,, Cauſſæ ſummatim ſtatu expoſito, tum pro-
,, priæ Religionis , tum etiam dictæ Sacræ
,, Catholicæ Majeſtatis Regis Hiſpaniarum
,, nomine inſtitit dictas litteras Apoſtolicas
,, recipi , & admitti , & in dicta Baſilica jux-
,, ta illarum formam , & S. R. E. ritum ſolle-
,, mnia Beatificationis hujuſmodi celebrari ,
,, aliaque omnia , & ſingula deſuper neceſ-
,, ſaria , & opportuna juxta diſpoſitionem
,, litterarum Apoſtolicarum præfatarum fie-
,, ri , & exequi ad majorem Dei , dictique
,, ejus Ven. Famuli gloriam , omni meliori
,, modo &c.

,, Qua oratione , ſeu inſtantia abſoluta ,
,, dicti Eminentiſsimi Sacræ Congregationis
,, Rituum Cardinales , receptis pro ea ab
,, antedicto Eminentiſsimo Feroni Præfecto
,, enunciatis litteris Apoſtolicis , illiſque ſa-
,, nis , & nulla in parte ſuſpectis repertis ,
,, admittendas , & publicandas , dictaque
,, ſollemnia celebranda , & alia deſuper ne-
,, ceſſaria , & opportuna exequenda ſore ,
,, & eſſe mandarunt , dictoque P. Poſtula-
,, tore inde recedente, debitiſque relatis gra-
,, tiis ea , qua par eſt , reverentia , pradi-
,, ctus Eminentiſsimus D. Cardinalis Præfe-
,, ctus , aliis annuentibus , conſignavit dicto
,, R.P.D. Secretario antedictas litteras Aɔo-
,, ſtolicas ad effectum illas cum præcedenti
,, inſtantia dicti Reverendiſsimi P. Poſtula-
,, toris , omnibuſque ab eodem Præfecto ,
,, & aliis Eminentiſsimis dictæ Sacræ Congre-
,, gationis Cardinalibus , ut ſupra demarda-
,, tis pro exequutione deferendi ad dictum
,, Eminentiſsimum D. Cardinalem præfatæ
,, Baſilicæ Archiepresbyterum e conſpectu
,, ſedentem , prout incontinenti delata fue-
,, runt , quas idem Eminentiſsimus Archi-
,, presbyter debita cum reverentia recepit ,
,, vidit , unique ex dictis cæremonirum
,, Magiſtris tradidit , mandavitque pe. al-
,, terum ex cappellanis chori Reverendiſsi-
,, mi Capituli palam , & publice perlegi ,
,, prout unus ex iiſdem cappellanis ɩaren-
,, do mandatis prædictis aſcenſo ſuggeſtu ,
,, retro ſedilia dictorum Reverendiſsimo-
,, rum DD. Canonicorum exiſtente , eiſdem
,, litteras originales ſuis præ manibus rece-
,, ptas, porrecto tamen mihi notario ibidem
,, aſsiſtente illarum tranſumpto impreſo , &
,, præſentibus , ut ſupra inſerto , mequ: illo
,, præ manibus tenente , & auſcultant‹ , de
,, verbo ad verbum alta , & intelligibli vo-
,, ce perlegit , & publicavit , & e ſuggeſtu
,, deſcendens , retento pariter penːs ſe ſi-
,, mili tranſumpto , eidem Revereɩdiſsimo
,, P. Poſtulatori adhuc præſenti , & reci-
,, pienti dictas litteras originales reſtituit .

,, Abſoluta lectione prædicta , Illuſtriſſi-
,, mus , & Reverendiſſimus Patriarcha La-
,, ſcaris celebrans , depoſitı mitra , inchoa-

,, vit

Digitized by Google

„ vit Canticum *Te Deum Laudamus*, reliqua proſequentibus muſicorum choris; „ & in ipſo Cantici initio amotum fuit ſericum tegumentum, quo tecta fuerat imago dicti Ven. Servi Dei ſupra dictum altare expoſita, idem Celebrans, & Miniſtri illi aſſiſtentes, Eminentiſſimi DD. Cardinales, Illuſtriſſimi DD. Prælati, & Reverendiſſimi Conſultores dictæ Sacr. Rituum Congregationis, Eminentiſſimus D. Cardinalis Archipresbyter, Reverendiſſimi Canonici, & reliqui de Clero, ceterique Prælati, & nobiles viri, & cuncta populi multitudo genibus flexis imaginem dicti Beati Simonis de Roxas ſupra dictum altare Cathedræ collocatam devotiſſime venerati ſunt, & ſtatim ad ſonitum campanarum, plurium tormentorum bellicorum extra eamdem Baſilicam paratorum ſtrepitus auditus fuit, finitoque cantico, & per Diaconum Evangelii prolato verſiculo: *Ora pro nobis* Beate Simon: habitaque chori reſponſione: *Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti*, necnon per ipſum Patriarcham celebrantem recitata oratione propria de dicto Beato, illiuſque imagine thurificata, idem Patriarcha celebrans cum dictis Aſſiſtentibus Pontificalibus ad Sacrificium indutus Miſſam de Confeſſore non Pontifice ſolemniter celebravit, perſonantibus organis, aliiſque cantoribus muſice decantantibus, dictoque Reverendiſſimo P. Poſtulatore ſub initio ejuſdem Miſſæ mediantibus pluribus ſuæ Religionis Sacerdotibus profeſſis imagines dicti Beati Simonis impreſſas, alias in ſerico aureis virgulis circumdatas in grandiorem, alias pariter in ſerico abſque dictis ornamentis in anguſtiorem formam pro ratione qualitatis perſonarum, & alias in papyro unacum libercule compendii vitæ dicti Beati Simonis, & tranſumpto impreſſo reſpective dicti Brevis Apoſtolici cuilibet ex dictis Eminentiſſimis DD. Cardinalibus, Prælatis, Canonicis, Conſultoribus, & aliis de dicto Clero Baſilicæ Vaticanæ diſtribuente, & ita ſollemnia Beatificationis dicti jam Venerabilis Servi Dei, nunc Beati Simonis de Roxas in dicta ſacroſancta Baſilica Principis Apoſtolorum de Urbe celebrata ſunt præſentibus ibidem DD. Conſtantino Pichio Abatiæ Farfenſis, & Saverio Franconi Romano teſtibus &c.

Philippus de Amicis Sac. Rituum Congregationis Notarius rogatus.

Lectiones etiam proprias in honorem Beati Simonis litteris conſignatas, in Diœceſibus Valliſoletana, & Matritenſi ab omnibus utriuſque ſexus, qui horas Canonicas recitare debent, & in toto Ordine Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis captivorum iv. Kalendas Octobris recitandas Eminentiſſimi Patres Sacrorum Rituum Congregationi præpoſiti x. Kalendas Septembris probarunt.

In Festo

BEATI SIMONIS DE ROXAS

Sacerdotis profeſſi Ordinis Calceatorum Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Fundatoris Congregationis

AVE MARIA

Duplex.

Omnia de communi Confeſſorum non Pontificum præter ſequentia.

ORATIO.

Deus, cujus caritas in corde Beati Simonis diffuſa, eximio in ſanctiſſimam Filii tui Genitricem cultu, & aſſiduis miſericordiæ operibus enituit: illius interceſſione concede, ut eodem caritatis fervore ſuccenſi, & Beatæ Virginis tutela protecti, tuam miſericordiam conſequamur. Per eumdem Dominum noſtrum &c.

In I. Nocturno.

Lectio de Scriptura occurrente.

In

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

VAllis-Oleti in urbe Caſtellæ veteris natus eſt SIMON parentibus piis æque ac nobilibus. Ab ejus ortu ſtatim licuit videre quoddam futuræ ſanctitatis indicium. Puer namque infans ubi balbutire cœpit, prima fere auditus eſt hæc verba proferre: Ave Maria: quod ut audientibus mirum accidit, ita argumento fuit, eximium olim divinæ Matris cultorem, clientemque fore. Præſagium affirmavit eventus. Magna illi vel adoleſcentulo pietas; mira in capeſſendis, exequendiſque religionis officiis alacritas, ac diligentia; ſtudium vero colendæ Virginis tantum, ut jam tum eas Angelicæ ſalutationis voces, in quas primum ſolverat linguam, ſibi maxime familiares redderet, & tertio quoque verbo uſurparet. Elucebat præſertim amor erga pauperes plane admirabilis, ut ipſo eorum aſpectu commoveretur, nec continere ſe poſſet, quin cibos illis clam ſibi detractos, & ipſa interdum indumenta tribueret. Talis cum eſſet adoleſcens, jamque multum in litteris profeciſſet, incenſus ſanctioris vitæ deſiderio, Chriſti crucem inter Fratres Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis captivorum in eadem civitate amplexus eſt. Tu autem Domine &c.

Lectio V.

TYrocinii, ac ſtudiorum ſpatiis cum laude confectis, vitam deinceps reliquam Fratribus vel docendis, vel gubernandis impendit. Magiſter proinde appellatus, & cum pluribus Provinciæ Caſtellanæ cœnobiis, tum toti demum Provinciæ Rector impoſitus. Suis porro ita præfuit, ut morum inter eos gravitatem, ſanctitatemque ad legum normam, atque optima quæque ſtudia proveheret, paternum alioqui exercens imperium, neque tam poteſtate, quam exemplo, ſingulos ad officium impellens. Quæ dum agit domi, nihil interea minus proximorum ſaluti proſpiciebat foris, idque tum divini verbi, tum ſacrarum confeſſionum miniſterio, artibuſque aliis caritatis, quibus naviter inſiſtens, incredibile dictu eſt, quam multos a vitiis ad frugem, vel etiam ad perfectionem chriſtianæ vitæ perduxerit. Præter hæc famelicos mendicorum greges quotidie ab inſita miſericordia cogebat, paſcebatque, large omnia ſubminiſtrante providentia cæleſti, cujus ſæpe beneficio inſperatam accipiebat annonam. Eorum præcipuam ſumebat curam, qui inter barbaros Mahometanos catenis onuſti degunt, hiſque redimendis ampla pecuniarum ſubſidia corrogabat. At ſibimetipſi vacabat in primis, ſtudebatque, ut fieret in dies ſanctior. Ob id ſpiritum oratione aſſidua, rerumque cæleſtium meditatione excolebat, corpus cilicio, flagris, cibi, potuſque parcitate dirum in modum excruciabat. Tu autem Domine &c.

Lectio VI.

PHilippo III. Regi, ejuſque conjugi Margaritæ apprime carus ob ſanctimoniæ opinionem fuit. Datus Regiis liberis adoleſcentiæ inſtitutor, id munus geſſit egregie, ſed oblatas a Rege dignitates conſtantiſſime repulit. Iſabellæ Reginæ a confeſſionibus, eoque nomine magno apud aulicos honore habitus, noſocomia tamen, carcereſque vinctorum frequentare, ægrotis vocantibus diu, noctuque præſto eſſe, egenis alimenta dividere, calamitoſis omnibus opitulari perrexit uſque ad extremum, ut vulgo pater pauperum vocitaretur. Multas vitiorum peſtes e populo ſuſtulit, & augendo B. Virginis cultui aſſidue intentus, cum alia multa perfecit, tum celeberrimam ſodalitatem, quam vocant ab Ave Maria, Matriti inſtituit, ac late propagandam curavit. Ejuſdem cura, & induſtria Sanctiſſimum Mariæ nomen inter Trinitarios Officio proprio celebrari cœptum eſt; illum viciſſim Virgo Beatiſſima multis, maximiſque orna-

ornavit beneficiis, inter quæ illud a Deo impetraſſe fertur, ut multas poſt pugnas, omnis tandem in eo, qui victor ſemper evaſerat, pravæ libidinis ſenſus extinctus maneret. Donó tandem prophetiæ, curationum gratia, miraculiſque pluribus clarus, qua prorſus prænunciaverat die, ſubita vi morbi oppreſſus occubuit, annos natus duos ſupra ſeptuaginta. Elatus eſt funere honorificentiſsimo, eumdemque illi honorem per dies continenter duodecim præcipui civitatis ordines præſtitere. Cum vero crebri ad ejus ſepulcrum concurſus fierent, & novis ſubinde miraculis Ven. Viri fama inclareſceret, illum CLEMENS XIII. Beatorum faſtis adſcripſit. Tu autem Domine &c.

IN III. NOCTURNO.

Evangel. Nolite timere &c. *de Com.Conſ. non Pont. 2. loco. Miſſa.* Juſtus &c. *de eod. com. cum oratione propria, ut ſupra.*

DECRETUM

TOLETANA.

CUM SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER CLEMENS PAPA XIII. *in Brevi Beatificationis* BEATI SIMONIS DE ROXAS *Ordinis Calceatorum Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum die 13. menſis Maji labentis anni edito benigne indulſerit, ut ſingulis annis die 28. Septembris in civitatibus Vallis-Oletani, & Matritenſis, & utraque earum Diœceſi ab omnibus utriuſque ſexus, qui ad horas canonicas tenentur, ac in tota præfato Ordine Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis captivorum tam Calceatorum, quam Diſcalceatorum recitetur Officium, & Miſſa celebretur in memoriam prædicti* BEATI *juxta Breviarii, & Miſſalis Romani rubricas, quin in prælaudato Brevi neque ritus, ſub quo celebrari debet Officium, neque Miſſa deſignentur. Hinc P. Vice-Procurator Generalis dicti Ordinis Cauſſæ Poſtulator pro indulto recitandi prædictum Officium ſub ritu duplicis minoris, & Miſſam celebrandi cum lectionibus ſupraſcriptis ſecundi Nocturni propriis de Com. Conſ. non Pontif. tam pro univerſo ſuo Ordine SS. Trinitatis Redemptionis captivorum, quam pro Clero ſeculari, & regulari civitatum, & Diœceſum Toletanæ, & Vallifoletanæ, S. Rit. Congregationi humillime ſupplicavit. Et ſacra eadem Congregatio petitum Officium, & Miſſam in memoriam* BEATI SIMONIS DE ROXAS *de com. Conſ. non Pontif. ſecundo loco ſub ritu duplicis minoris cum ſupraſcriptis lectionibus ſecundi Nocturni propriis ab Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo D. Cardinali Cavalchino Cauſſæ Ponente una cum R. P. D. Cajetano Forti Fidei Promotore accurate reviſis, examinatis, atque correctis, ac in eadem Sac. Congregatione relatis, & approbatis, in feſto ejuſdem* BEATI *ab univerſo Ordine SS. Trinitatis Redemptionis captivorum prædicto, atque a Clero ſeculari, & regulari civitatum, & Diœceſum Toletanæ, & Vallifoletanæ recitari poſſe conceſſit, ſi* SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO *viſum fuerit. Die 23. Auguſti* 1766.

Factaque deinde per me infraſcriptum Secretarium de prædictis eidem SANCTISSIMO DOMINO *relatione* SANCTITAS SUA *benigne annuit. Die 27. ejuſdem menſis, & anni* 1766.

Joſeph Maria Card. Feroni Præfectus.

Loco ✱ Sigilli.

V. Macedonius Sac. Rit. Congr. Secretarius

ACTA

ACTA
BEATIFICATIONIS
VEN. SERVI DEI
BERNARDI A CORLEONE

Laici Profeſſi Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capuccinorum.

PAnormi, urbs Siciliæ totius regionis caput, ampliſſima, & amœniſſima, prope oſtia fluminis Creti ante Græcorum in Italiam adventum a Phænicibus condita, Pridie Idus Januarii MDCLXVII. Venerabilis Dei Servus BERNARDUS A CORLEONE pretioſam in conſpectu Domini mortem obiit. Hic licet in humili Laicorum ſtatu conſtitutus, tamen quia virtutibus omnes facile ſuperabat, non ſolum apud ſuos Capuccinos confratres, verumetiam apud exteros omnes, ac præſertim Panormitanos cives celebre ſanctitatis nomen obtinuit. Hæc fama in cauſa fuit, ut Panormitanus Archiepiſcopus non ita multopoſt propria auctoritate eos omnes, qui de præclaris BERNARDI geſtis, ac illius præſtantia virtutum teſtimonium dicere poterant, ad examen adduceret: nec his limitibus ejus diligentia ſtetit, verum ut ad exoptatam metam citiſſimo curſu Cauſa perveniret, eodem tempore, utrum aliquid, quod publici cultus ſaperet, erga memoriam Dei Servi patratum fuiſſet, pariter inquiſivit: quæ acta primo quoque tempore Romam ad Sacrorum Rituum Congregationem miſit.

Pari diligentia, ac cura a vigilantiſſimis Poſtulatoribus negocium hujuſmodi fuit pertractatum: aſſiduam enim ſtatim dederunt operam, ut in Relatorem Cauſæ, Ponentem paſſim vocant, Cardinalis Hieronymus Caſanate ſtatueretur, qui omni ſtudio in rem hanc incumbens IX. Kalendas Decembris MDCLXXV. de ſignanda Commiſſione Cauſæ, ut feliciter contigit, in Sacrorum Rituum Congregatione ordinaria egit; & XII. Kalendas Aprilis MDCLXXV. judicium de non cultu in eadem Congregatione inſtituit, ac proſpero, fauſtoque eventu abſolvit.

Tum de rumore, ſeu fama ſanctitatis venerabilis viri in genere, ut ajunt, quæſtio fuit agitata, quam firmam inconcuſſamque manere Eminentiſſimi Patres communi calculo recognoverunt, quorum ſententiam auctoritate ſua Kalendis Februarii MDCLXXIX. Ven. Innocentius PP. XI. munivit.

Statim a quæſtione famæ ſanctitatis in genere Archiepiſcopis Panormitano, & Montis Regalis ad Proceſſus Apoſtolicæ Sedis auctoritate de virtutibus, & miraculis viri præclariſſimi, & eximii compilandos remiſſoriales litteræ datæ fuere. Proceſſus iſti eo ſtudio, fide, ac diligentia per Reverendiſſimos Archiepiſcopos exarati fuere, ut quum XII. Kalendas Aprilis MDCXCIX. penes Eminentiſſimos Sacrorum Rituum Congregationis Patres Cardinalis Caſanate validitatem eorumdem Proceſſuum perpendendam propoſuit, nil in iiſdem quod ad normam litterarum remiſſorialium omnino non eſſet peractum, licuerit invenire.

Hac abſoluta diſputatione, animum illico Poſtulatores appulerunt ad graviſſimum de virtutibus judicium inſtituendum, in quo ad lances ſanctuarii dicta omnia, & geſta Servi Dei, ne Catholicæ veritatis hoſtibus aliqua malignandi præberetur occaſio, rite, recteque penſarentur. Multa, & quidem graviſſima ad quæſtionem hanc agitandam requiruntur, non mirum proinde cuique eſſe debet, ſi tres & quinquaginta excurrerint anoi antequam de BERNARDI virtutibus diſputaretur: quo factum eſt, ut Franciſcus Bar-

Barberini, Ruſpoli, & Joſephi Firrau, qui Ponentis partes poſt Cardinalem Caſanate in cauſſa ſuſtinuerunt, vitam cum morte commutarint, nec unquam hujuſmodi judicium inſtituerint.

Quod autem his non contigit feliciſſime datum eſt Eminentiſſimo Cavalchini Ordinis Minorum S. Franciſci Capuccinorum Protectori exequutioni mandare: ejus namque opera VIII. Kalendas Februarii MDCCLII. Congregatio antepræparatoria, & XV. Kal. Octobris MDCCLIV. altera, quam præparatoriam dicunt, fuit habita. Tandem BEATISSIMUS DOMINUS NOSTER CLEMENS PP. XIII, generalibus coram ſe Comitiis indictis, ſententiam Eminentiſſimorum Patrum, & Reverendiſſimorum Suffragatorum hac de cauſa exquiſivit, & poſt frequentes fuſas ad Deum preces, ut quid in re tanta decernendum eſſet intelligeret, IV. Nonas Februarii MDCCLXII. ſtatuit, deciditque de virtutum VEN. BERNARDI A CORLEONE ſplendore, & heroicitate nemini dubium eſſe debere: cujus rei per publica in platearum angulis, & Baſilicarum foribus decreta appenſa omnes voluit admonitos.

PANORMITANA.

Beatificationis, & Canonizationis VEN. SERVI DEI FR. BERNARDI A CORLEONE Laici Profeſſi Ordinis Minorum S. Franciſci Capuccinorum.

„ EX humili Fratrum Minorum S. Fran-
„ ciſci Capuccinorum Familia cum
„ præcipuam ſanctitatis famam præſeferret
„ Dei SERVUS BERNARDUS A CORLEONE na-
„ tione Siculus, rite ſuper ejus Beatifica-
„ tione, atque Canonizatione inſtituta inda-
„ gine juxta S. Sedis Apoſtolicæ morem;
„ atque præmiſſis iis omnibus, quæ ad for-
„ mam Conſtitutionum Apoſtolicarum, præ-
„ cipue ſan: mem: Urbani VIII. præmit-
„ tenda erant, judiciale inſtitutum fuit exa-
„ men ſuper Virtutibus tam Theologalibus,
„ quam Cardinalibus, earumque heroici-
„ tate in Congregatione Antepræparatoria
„ diei 25. Januarii 1752., necnon in Præ-
„ paratoria 12. Septembris 1754. Quibus
„ præmiſſis placuit SANCTITATI SUÆ gene-
„ ralem coram ſe Congregationem cogere,
„ in qua diſcuſſis probationum momentis,
„ vritutum relevantia, ceteriſque inſignem
„ Servi Dei humilitatem, ſuimet contem-
„ ptum, eximiamque carnis macerationem,
„ cum ſingulari caritate conjunctam, com-
„ probantibus: non abs re cenſuit SANCTI-
„ TAS SUA animi ſui ſententiam ea matu-
„ ritate firmare, atque ita ejus publicatio-
„ nem protrahere, ut petita cœleſtis lu-
„ minis illuſtratione, id decerneret, quod
„ coram Deo placitum, atque firmum ſibi
„ ſuaderet.

„ Communi ergo Conſultorum, atque
„ Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium
„ in eadem Congregatione ſuffragantium
„ conſilio adhærens, hac ſollemni die Pu-
„ rificationi B. MARIÆ VIRGINIS dicata,
„ Sacro a SANCTITATE SUA peracto, ac-
„ cerſitis coram ſe Reverendiſſimis Cardi-
„ nalibus Cavalchino Cauſſæ Ponente, ac
„ Feronio Sacræ Congregationis Rituum
„ Præfecto, R. P. Cajetano Forti Fidei Pro-
„ motore, meque Secretario, declaravit, ac
„ decrevit: *Conſtare de Virtutibus tam*
„ *Theologalibus*, *quam Cardinalibus* Ven.
„ Servi Dei BERNARDI A CORLEONE *in gra-*
„ *du heroico*: Hocque ſollemnem decretum
„ per me publicatum in Acta dictæ Con-
„ gregationis Sacrorum Rituum referri man-
„ davit. Hac ſupradicta die 2. Februarii
„ 1762.

J. M. Card. Feroni Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

J. M. de Lerma Sac. Rit. Congr. Secret.

Ex Proceſſibus ad virtutum VEN. BERNARDI præſtantiam comprobandam Apoſtolica auctoritate conſtructis, non ſolum apparebat, quod ſupra ceteros virtutum omnium copia dum mortales inter verſaretur præcelluiſſet, verum etiam quod Deus O. M., poſtquam fidelem Servum in gaudium ſuum introduxerat, ut fideles de ejuſdem glo-

gloriæ certos redderet, plurima omnipotenti dextera eſſet operatus prodigia: horum duo a Cauſſæ Poſtulatoribus, ut incluctabili Apoſtolicæ Sedis judicio ſubjicerentur, præ omnibus fuere ſelecta. Verum quia rumor ad Urbem pervenerat Ferrariæ, urbs præcipua Pontificiæ ditionis, monialem Luciam Bandi hydrope, febri, aliiſque graviſſimis diu affectam, & vexatam morbis, expetita Servi Dei ope integræ ſtatim reſtitutam valetudini, & de hoc quoque prodigio examen inſtituere in optatis Poſtulatores habuerunt, a Sacrorum Rituum Congregatione III. Idus Septembris MDCCLXII. remiſſoriales litteras, quibus Eminentiſſimo Marcello Creſcentio Archiepiſcopo Ferarienſi daretur in mandatis, ut quotquot hujuſce prodigii veritatem firmare poterant, ad examen evocaret, facili negocio impetrarunt.

Hiſce actis ad finem perductis, atque eorum validitate IV. Idus Decembris MDCCLXIII. per Eminentiſſimos Patres probata, de miraculorum omnium veritate V. Nonas Maji MDCCLXVII. penes Eminentiſſimum Cardinalem Cavalchini diſputatio primum fuit inſtituta, in qua diſputatione quum nonnulli ex ſapientiſſimis ſuffragantibus dubios ſe, incertoſque declaraſſent, an monialis Lucia Bandi, & Dorothea Torres, de cujus pariter miraculoſa ſanatione quæſtio erat, poſt patrata prodigia continuo proſpera eſſent uſæ valetudine, nec unquam iiſdem excruciatæ morbis, ſtatim Eminentiſſimo Archiepiſcopo Ferrarienſi, & Archiepiſcopo Panormitano, ut hac de re inquirerent fuit inſcriptum.

Difficultate hujuſmodi per Proceſſiculos Romam ab Archiepiſcopis Ferrarienſi, & Panormitano miſſos omnino ſublata, X. Kalendas Octobris MDCCLXVII. Congregatio præparatoria in Apoſtolico Palatio Quirinalis fuit celebrata; in qua cum nihil fere difficultatis amplius occurreret Pridie Idus Januarii MDCCLXVIII. generalibus Comitiis dicta fuit dies. In hiſce Comitiis Eminentiſſimos Patres, & Reverendiſſimos Suffragatores docte, & profunde diſſerentes ſumma voluptate BEATISSIMUS DOMINUS NOSTER excepit, ſed animum ſuum noluit aperire, ut ab eo, ex quo donorum omnium chariſmata in mortales proveniunt, ſpiritum ſcientiæ, & intellectus continuis precibus intentus expoſceret. Verum IV. Nonas Februarii ſatis jam deliberatum exiſtimans ad ſe venire juſſit Eminentiſſimum Cavalchini Cauſæ Ponentem, Flavium Chiſium Sacrorum Rituum Congregationi Præfectum, ac RR. PP. DD. Carolum Alexium Piſani Fidei Promotorem, & Vincentium Macedonium SS. Rituum Congregationis a Secretis, illiſque ſe inter miracula ſanationes Dorotheæ Torres, & Jacobi Mangogna adnumeraſſe enuntiavit, ſimulque ea de re publicum imperavit edi decretum.

PANORMITANA.

Beatificationis, & Canonizationis VEN. SERVI DEI FR. BERNARDI A CORLEONE Laici Profeſſi Ordinis Minorum S. Franciſci Capuccinorum.

„ Quemadmodum vera ſapientia, quæ in ſanctitate, & juſtitia poſita eſt, non invenitur in terra ſuaviter viventium: *Job.* c. 38. v. 13., ita facile admodum, ac frequenter cum auſterioris vitæ ſtatu, atque profeſſione neceſſitudinem habet, & conjunctionem; idcirco in Ordine Fratrum Capuccinorum, quibus ejuſmodi vitæ genus præſcriptum eſt, nova in dies Sanctitatis germina proferri conſpicimus. Et quidem ſingulari Dei beneficio præ cæteris id maxime elucet in Ven. Servo Dei BERNARDO A CORLEONE ex eodem Ordine, qui cum omni virtutum laude, tum præcipue humilitate, charitate, & ſeveriori carnis maceratione inter ſuos apprime floruit. Quum autem Omnipotenti Deo placuerit compluribus miraculis Servi ſui ſanctitatem confirmare, Apoſtolica Sedes omnino faciendum exiſtimavit, ut poſt approbatas illius heroicas virtutes decreto edito a SANCTISSIMO PAPA CLEMENTE XIII. die 2. Februarii 1762. ad examen ſubinde miraculorum deveniretur in Congregationibus

„ bus Antepræparatoria die 3. Maji, &
„ Præparatoria die 22. Septembris 1767.
„ Præterea in Congregatione Generali ha-
„ bita coram SANCTITATE SUA die 12. Ja-
„ nuarii currentis anni, etſi omnes tum Re-
„ verendiſsimi Cardinales, tum Conſultores
„ in affirmantem abierint ſententiam, ad-
„ hue tamen SANCTISSIMUS judicium ſe-
„ differre ſuum declaravit, donec a Patre
„ luminum, ſuſis ad eum precibus pro rei gra-
„ vitate, opportunum imploraret auxilium.
„ Factum proinde, eſt, ut SANCTITAS SUA
„ peracto Sacroſancto Miſſæ ſacrificio hac
„ die Purificationis Deiparæ Virginis, cujus
„ eximiam in hoc myſterio humilitatem o-
„ mnes Servi Dei, adeoque & ipſe BERNAR-
„ DUS A CORLEONE imitari cordi ſemper ha-
„ buerunt, coactis coram ſe Revereodiſſimis
„ Cardinalibus Çavalchino Cauſſæ Relatore,
„ & Chiſio Sac. Rituum Congregationi Præ-
„ fecto, nec non R. P. Carolo Alexio Piſani
„ Fidei Promotore, meque inſraſcripto Se-
„ cretario, decreverit, conſtare de duobus
„ miraculis in tertio genere: nimirum: de
„ primo: *Inſtantaneæ ſanationis Dorotheæ*
„ *Torres a plurimis, antiquiſſimis, peſſimiſ-*
„ *que ulceribus in ſemore, & tibia cum*
„ *enormi earumdem partium intumeſcen-*
„ *tia, aliiſque pravis ſymptomatibus.* Et
„ *inſtantaneæ pariter ſanationis Jacobi*
„ Mangogna *ab inveterata arthritide cum*
„ *ſumma, ac pene inſuperabili ad motum*
„ *difficultate, viribus illico reſtitutis.* Et
„ ejuſmodi decretum in Acta Sac. Rituum
„ Congregationis reſerri, & publicari man-
„ davit. Hac die 2. Februarii 1768.

Fl. Cardinalis Chiſius Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

V. Macedonius Sac. Rit. Congr. Secretarius.

Tandem ut jamdiu recepta Sacrorum Rituum Congregationis diſciplina ſarta tectaque ſervaretur VII. Kalendas Martii MDCCLXVIII. apud SANCTISSIMUM DOMINUM NOSTRUM generalis Eminentiſsimorum Patrum, & Reverendiſſimorum Conſultorum conventus fuit celebratus: in hoc frequenti conventu omoes fuerunt in ſenſu tuto, ac ſine ulla dubietate de Ven. BERNARDO A CORLEONE Beatificationis ſollemnia poſse expleri: horum ſententiæ Pridie Nonas Martii decreto ſuo roboris firmitatem PATER BEATISSIMUS adiecit.

PANORMITANA

Beatificationis, & Canonizationis Venerabilis Servi Dei FR. BERNARDI A CORLEONE Laici Profeſſi Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capuccinorum.

„ NIhil accidere opportunius poterat,
„ quam ut adveniente Comitiorum
„ generalium Ordinis Fratrum Capuccino-
„ rum tempore quo ſollemniori pompa, po-
„ pulique ſrequentia celebrare S. SERAPHI-
„ NI A MONTE GRANARIO, ab ASCULO nun-
„ cupati, memoriam per octo dies conſti-
„ tucrunt, Ven. BERNARDO A CORLEONE
„ ejuſdem Ordinis Laico virtutibus omnibus
„ cumulatiſſimo, BEATORUM cultus quanto-
„ cius decerneretur. Ita enim fiet, ut reli-
„ gioſis viris ex orbe univerſo Romam con-
„ venientibus, duorum ſimul uno, eodemque
„ in loco proponatur ſodalium ſuorum hono-
„ rificatio; ſimulque gemina offeratur tum
„ exultandi, tum ſplendidiſſima quæque vir-
„ tutum exempla imitandi cauſſa. Quando-
„ quidem Sanctorum vita ceteris norma vi-
„ vendi eſt, & quorum glorificationi con-
„ gaudet Eccleſia, eorum virtutum propo-
„ nit ſequenda veſtigia.

„ Quapropter definito jam ab Apoſtolica
„ Sede die 2. Februarii anni 1762. VEN.
„ BERNARDI virtutes ſuiſſe heroicas; abſo-
„ luto eadem divina potius, quam humana
„ auctoritate de miraculis judicio per decre-
„ tum editum die 2. Februarii hujuſce anni,
„ res tandem delata eſt ad generalem Sac.
„ Rituum Congregationem coram SANCTIS-
„ SIMO DOMINO NOSTRO PAPA CLEMEN-
„ TE XIII. habitam die 23. ejuſdem menſis
„ proximi elapſi, ibique propoſito dubio:
„ An ſtante approbatione virtutum, ac duo-
„ rum miraculorum, nimirum: de primo:

„ Inſtantaneæ ſanationis Dorotheæ Torres a
„ plurimis antiquiſſimis, peſſimiſque ulce-
„ ceribus in femore, & tibia eum enormi
„ earumdem partium intumeſcentia, aliiſ-
„ que pravis ſymptomatibus. Et inſtanta-
„ neæ pariter ſanationis Jacobi Mangogna
„ ab inveterata arthritide cum ſumma, ac
„ pene inſuperabili ad motum difficultate,
„ viribus illico reſtitutis; tuto procedi poſ-
„ ſet ad ipſius Servi Dei Beatificationem?
„ Auditoque unanimi Patrum ſuffragantium
„ conſenſu, SANCTITAS SUA maluit tunc
„ judicium differre ſuum, ut in re tanti
„ momenti divini luminis opem enixis pre-
„ cibus imploraret: dein vero, cum id
„ SANCTISSIMUS peregerit, poſt celebratum
„ ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium, adſtan-
„ tibus Reverendiſsimis Cardinalibus Cavalchino
„ Cauſſæ Relatore, totiuſque Ordi-
„ nis Patrono, & Chiſio S. R. C. Præfecto,
„ atque R. P. Carolo Alexio Piſani Fidei
„ Promotore, meque infraſcripto Secreta-
„ rio, adventante paſſionis reparatoris Do-
„ mini noſtri Jeſu Chriſti memoria, cui VEN.
„ BERNARDUS quum in terris verſaretur co-
„ gitationes ſuas omnes peculiari ratione,
„ ac ſingulari obſequio devoverat, hiſque
„ præſertim diebus ab Omnipotenti Numi-
„ ne infinitæ largitatis munera fidelibus ube-
„ rius meruit impetrare, prædictæ Congre-
„ gationis reſponſum firmum, ratumque
„ ſollemniter habuit; proindeque declara-
„ vit, ut memoratus DEI SERVUS pie, ac
„ palam a Chriſtifidelibus coli poſſit, atque
„ ut Ordo Capuccinorum, qui illum protu-
„ lit, de Eccleſia Catholica æteroquin be-
„ nemeritus, præclaro hoc addito lumine,
„ in dies magis illuſtretur, præſens decre-
„ tum Beatificationis Ven. SERVI DEI BER-
„ NARDI A CORLEONE per litteras Apoſtoli-
„ cas in forma Brevis cum conſuetis indultis
„ quandocumque faciendæ expediri juſſit,
„ & in Acta S. R. C. referri mandavit. Hac
„ die 6. Martii 1768.

Fl. Cardinalis Chiſius Præfectus.

Loco ✠ Sigilli

F. Macedonius Sac. Rit. Congr. Secretarius.

Ad hæc 11. Kalendas Majas per litteras in forma Brevis datas honores, qui Beatis paſſim tribuuntur, & Venerabili BERNARDO A CORLEONE SANCTISSIMUS PATER conceſſit.

CLEMENS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

„ DEcet Servos Dei, eorumque meri-
„ ta, in quibus triumphavit virtus
„ Altiſſimi, condigna laudatione celebrari,
„ ut fidelibus ulteriora ſuppetant ad imi-
„ tationem exempla, & qui bono certa-
„ mine certato, curſu conſumato, hære-
„ ditatem incorruptibilem, & incontami-
„ natam, & immarceſcibilem in Cælis
„ conſequi meruerunt, de noſtra ſolliciti
„ ſalute a bonorum omnium largitore Deo
„ pie, potentique interceſſione nobis im-
„ petrent præſidia, quibus, & nos legi-
„ time certare, & æternæ beatitudinis bra-
„ vium accipere valeamus; ita nos, qui-
„ bus divina dignatione, nullis noſtris ſuf-
„ fragantibus meritis, ovilis dominici cu-
„ ra mandata eſt, honorificeum non modo,
„ ſed nihil opportunius in hac temporum
„ conditione eſſe intelligimus, quam ut
„ Dei benignitatem, & ejus ſanctitatis me-
„ moriam in virtutibus Servorum ſuorum
„ prædicantes, eorum cultum promovere
„ ſatagamus, qui poſtquam ſub ſeverioris
„ diſciplinæ inſtituto hic in terris pro cæ-
„ leſtis ſponſi honore tantum laboris im-
„ penderant, ab ergaſtulo carnis ſoluti de
„ ejus manu coronam gloriæ, in Cælis
„ acceperunt, quod ſignis etiam, & miracu-
„ lis Deus ipſe illuſtrare dignatus eſt. Cum
„ itaque mature, diligenterque diſcuſſis,
„ & perpenſis per Congregationem Vene-
„ rabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Ro-
„ manæ Eccleſiæ Cardinalium Sacris Riti-
„ bus Præpoſitorum proceſſibus de hujus
„ Sanctæ Sedis Apoſtolicæ licentia confe-
„ ctis ſuper vitæ ſanctitate, & virtutibus
„ tam theologicis, quam moralibus, in gra-
„ du heroico, quibus Servum Dei BER-
„ NARDUM A CORLEONE Laicum Profeſſum
„ Ordi-

Digitized by Google

„ Ordinis Fratrum Minorum Sancti Fran-
„ ciſci Capuccinorum nuncupatorum mul-
„ tiplieiter claruiſſe, & ſuper miraculis ad
„ ejus interceſſionem, ad manifeſtandam
„ hominibus ejus ſanctitatem a Deo edita,
„ & patrata fuiſſe dicebantur; eadem Con-
„ gregatio coram nobis conſtituta, auditis
„ etiam Conſultorum ſuffragiis, uno ſpi-
„ ritu, unaque voce cenſuit, poſſe quan-
„ documque nobis videretur, prædictum
„ Dei Servum, donec ad actum ſollemnis
„ illius Canonizationis deveniatur, publice
„ Beatum declarari cum ſolitis indultis; hinc
„ eſt, quod nos piis, atque enixis nonnul-
„ lorum Venerabilium Fratrum Antiſtitum,
„ Univerſitatum, ac totius memorati Ordinis
„ Fratrum Minorum S. Franciſci Capuccino-
„ rum, & nominatim Nicolai a Laculibero
„ ejuſdem Ordinis Sacerdotis profeſſi bujus
„ Cauſſæ, prout aliarum omnium Cauſſa-
„ rum Servorum Dei dicti Ordinis Poſtu-
„ latoris, ſupplicationibus nobis ſuper boc
„ humiliter porrectis inclinati, de eorumdem
„ Cardinalium conſilio, auctoritate Apoſto-
„ lica tenore præſentium facultatem con-
„ cedimus, atque impartimur; ut idem
„ Dei Servus Bernardus a Corleone Beati
„ nomine nuncupari, ejuſque Corpus, &
„ Reliquiæ venerationi fidelium non ta-
„ men in proceſſionibus circumferendæ,
„ exponi, Imagines quoque radiis, &
„ ſplendoribus exornari, Officiumque, &
„ Miſſa de eo in ſingulis annis die xiv.
„ Januarii, utpote illam felicis ejus tran-
„ ſitus immediate ſequenti, non impedita,
„ tamquam de communi Confeſſorum non
„ Pontificum juxta ritum Miſſalis, & Bre-
„ viarii Romani recitari libere, & licite
„ poſſit, ac valeat. Porro recitationem Of-
„ ficii, & Miſſæ celebrationem bujuſmodi
„ fieri concedimus dumtaxat in univerſo
„ Ordine Minorum Sancti Franciſci Capu-
„ cinorum utriuſque ſexus Panormi, ubi
„ venerabile ejus Corpus requieſcit, &
„ unde ad ſuprema gaudia evolavit, ac
„ in civitate Corleonis, in qua ortum ha-
„ buit, ab omnibus utriuſque ſexus Chri-
„ ſtifidelibus tam Secularibus, quam regu-
„ laribus, qui ad horas canonicas tenen-
„ tur; & quantum ad Miſſas attinet etiam
„ ab omnibus Sacerdotibus ad Eccleſias,
„ in quibus feſtum peragetur, confluenti-
„ bus; Præterea hoc anno dumtaxat, vi-
„ delicet poſt præſentes litteras emanatas,
„ & quoad Indias a die, quo eædem litte-
„ ræ illue pervenerint incboando in Ec-
„ cleſiis Ordinis, & præfatarum civitatum
„ ſollemnia Beatificationis ejuſdem Servi
„ Dei cum Officio, & Miſſa ſub ritu du-
„ plici majori die ab Ordinariis reſpective
„ conſtituta, poſtquam tamen in Baſilica
„ Principis Apoſtolorum de Urbe celebra-
„ ta fuerint eadem ſollemnia, pro qua re
„ diem xv. ſequentis menſis Maji aſſigna-
„ mus pariter celebrandis facimus pote-
„ ſtatem. Non obſtantibus Conſtitutioni-
„ bus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac
„ decretis de non cultu editis, ceteriſ-
„ que contrariis quibuſcumque. Volumus
„ autem, ut ipſarum præſentium littera-
„ rum tranſumptis, ſeu exemplis etiam
„ impreſſis manus Secretarii præfatæ Con-
„ gregationis Cardinalium ſubſcriptis, &
„ ſigillo Præfecti ejuſdem Congregationis
„ munitis, eadem prorſus fides ab omni-
„ bus, & ubique tam in judicio, quam
„ extra illud babeatur, quæ ipſis præſen-
„ tibus baberetur, ſi forent exhibitæ, vel
„ oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam
„ Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris
„ die xxix. Aprilis MDCCLXVIII. Pontifica-
„ tus noſtri anno decimo.

A. Card. Nigronus.

Splendidiſſimo præ ceteris apparatu, lautiſſimoque ornatu Reverendiſſimus Pater Hieronymus Maria a Caltaniſſeta Ordinis Minorum Capuccinorum Procurator generalis, & Pater Nicolaus a Laculibero Cauſſæ Poſtulator, rem omnem diſponente, delineanteque equite Franciſco Nicoletti architecto, quæ tantæ celebritatis propria eſſent parare curarunt: verum, quia rerum ſumma fere convenit cum eo, quem ſuperius diſtincte deſcripſi apparatum, hinc

ne

ne legentibus tædio ſim, & actum agere videar omnia, fere ſilentio prætermitto, pauca tantum indicare contentus.

Medium frontis Baſilicæ ampliſſima tabula, quæ venerabilem BERNARDUM ſplendoribus Sanctorum circumamictum vivis coloribus habebat expreſſum, occupabat. Introeuntes ampliſſimum Xyſtum ſuper princeps oſtium ſtatim offendebant maximam tabulam, in qua Venerabilis BERNARDUS panem pauperibus frangens conſpiciebatur, huic tabulæ inſcriptio hæc erat adjecta.

BEATUS BERNARDUS A CORLEONE
LAICUS SICULUS ORD. MIN. S. FRANCISCI
CAPUCCINORUM
IN DILECTIONE SUA IPSE PORTAVIT EOS
ET ELEVAVIT EOS. [1]

In duabus foribus, quæ ad latera oſtii principis ſunt, minores tabulæ erant impoſitæ, quibus ſententiæ aliquæ ex ſacris deſumptæ litteris, quæ eximiam viri caritatem in pauperes exprimerent, erant pictæ. In ea, quæ ad dexteram erat, legebatur:

FLEBAM SUPER EO QUI AFFLICTUS ERAT
ET COMPATIEBATUR ANIMA MEA PAUPERI. [2]

Ad ſiniſtram autem hæc erant litteris conſignata:

PATER ERAM PAUPERUM
OCULUS FUI CÆCO ET PES CLAUDO. [3]

In principe Baſilicæ abſide, eo præſertim loco, ubi Spiritus veritatis Paraclytus inter Angelicos choros ſub columbæ ſpecie expreſſus conſpicitur, effigies Venerabilis BERNARDI angelicis ſtipata ſpiritibus, videbatur conſtituta, opus Fratris Felicis a Sanbuca laici ejuſdem Ordinis Capuccinorum: ad latera altaris Cathedræ ſuper ſepulcra Pauli PP.III., & Urbani VIII. miracula a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO probata magnis in tabulis picta fuerant appoſita: ſub magnis fornicibus, qui ad gradus porphyreticos ſunt, e quibus regia paludamenta ex flavis ſericis argenteos flores intermixtos habentibus pendebant, duæ magnæ etiam appenſæ fuerant tabulæ, in quibus vivis coloribus virtutes, quibus animus Dei Servi ornatus extitit, & excultus, fuerant expreſſa.

Idibus Maii ad horam ſextam Eminentiſſimi Cardinales Carolus Albertus Guidobonus Cavalchini Epiſcopus Oſtienſis, & Veliternus Sacri Collegii Decanus, & Cauſſæ Ven. BERNARDI relator, Joannes Franciſcus Albani Epiſcopus Sabinenſis, Carolus Rezzonico S. R. E. Camerarius, Laurentius Ganganelli, Marcus Antonius Columna SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PAPÆ Vicarius, Joannes Carolus Boſchi Major Pœnitentiarius, Alexander Albani, Nereus Corſini, Aloyſius Maria Torrigiani, Flavius Chiſius Sacræ Congregationi Rituum Præfectus, Andreas Nigronus, & Benedictus Veterani, cum RR. PP. DD. Vincentio Macedonio Sacrorum Rituum Congregationis a Secretis, & Carolo Alexio Piſani Sanctæ Fidei Promotore, ceteriſque ejuſdem Sacræ Congregationis Conſultoribus ad theatrum Canonizationis venerunt, ſedeſque ſibi proprias occuparunt. Reverendiſſimus Georgeus de Laſcaris Patriarcha Jeroſolymitanus Baſilicæ Vicarius frequentiſſimo præcedente Clero, comitanteque ſereniſſimo Duce Eboracenſi Epiſcopo Tuſculano, ejuſdemque Baſilicæ Archipresbytero de eorum adventu monitus ad theatrum idem acceſſit.

Tunc Admod. R. P. Nicolaus a Laculibero Cauſſæ Ven. BERNARDI Poſtulator a Flavio Cardinali Chiſio, ut Pontificium Breve publicari mandaret, efflagitavit inſtantius. A Manſionario Baſilicæ, venia a Sereniſſimo Archipresbytero obtenta, quia ad illum Eminentiſſimus Chiſius Breve tranſmiſerat, e ſuggeſtu elata voce fuit Breve perlectum. Patriarcha Jeroſolymitanus in actionem gratiarum hymnum *Te Deum &c.* intonuit, quo expleto orationem in honorem BEATI BERNARDI A CORLEONE compoſitam recitavit, illius imaginem, & reliquiam thure eſt venera-

1 *Iſa.* 63. 9. 2 *Job.* 30. 25. 3 *Job.* 29. 15. & 16.

neratus, & Miſſarum ſollemnia in Beati memoriam celebri pompa, ac feſtivis muſicorum concentibus celebravit.

Maxima populi Romani multitudo tum ipſo mane, tum ad veſperas ad Baſilicam confluxit, ut Beati opem, veluti novi ad Deum patroni imploraret; ſed rem omnem auguſtius ſine ulla dubitatione præſentia ſua Beatissimus Pater reddidit, qui ad venerandum B. Bernardum a Corleone e Vaticano Apoſtolico Palatio, quo pridie ejus diei ſe contulerat, ſtipatus Prælatorum, ac nobilium aulicorum caterva deſcendit.

Horum omnium, ut certum futuris quoque temporibus extaret monumentum Philippus de Amicis Sacrorum Rituum Congregationis tabularius, & ſcriba hoc publicum litteris conſignavit inſtrumentum.

Sollemnia Beatificationis V. Fr. Bernardi a Corleone Laici profeſsi Ordinis Minorum Capuccinorum.

Die Dominico 15. *Maii* 1768.

,, CUM per Sanctissimum Dominum
,, Nostrum Papam Clementem XIII.
,, in Cauſſa Panormitana Beatificationis, &
,, Canonizationis Ven. Servi Dei Fr. Bernar-
,, di a Corleone Laici profeſsi Ordinis Mi-
,, norum S. Franciſci Capuccinorum die 2. Fe-
,, bruarii anni 1762. approbatæ fuerint vir-
,, tutes Theologales, & Cardinales in gradu
,, heroico, prout ex decreto typis R.C. Apo-
,, ſtolicæ impreſſo, quód præſentibus alli-
,, gatur tenoris &c; inſtructoque deinde mi-
,, raculorum examine in Congregationibus
,, primum Antepræpatoria, & poſtea Præ-
,, paratoria habitis diebus 3. Maii, & 22.
,, Septembris anni 1767., & poſtmodum in
,, Congregatione Generali habita coram
,, Sanctitate Sua die 12. Januarii currentis
,, anni, idem Summus Pontifex die 2. Fe-
,, bruarii ejuſdem anni currentis duo mira-
,, cula in tertio genere approbaverit, prout
,, ex alio decreto ut ſupra typis impreſſo,
,, quod mihi præſentibus inſerendum tradi-
,, tur tenoris &c. Cumque tandem in Con-
,, gregatione Generali iterum habita coram
,, Sanctitate Sua die 23. præfati menſis
,, Februarii propoſitum fuerit dubium: An
,, ſtante approbatione virtutum, ac duorum
,, miraculorum, nimirum de primo: inſtan-
,, taneæ ſanationis Dorotheæ Torres a plu-
,, rimis antiquiſſimis, peſſimiſque ulceribus
,, in femore, & tibia cum enormi earum-
,, dem partium intumeſcentia, aliiſque pra-
,, vis ſymptomatibus, & inſtantaneæ pari-
,, ter ſanatinnis Jacobi Mangogna ab inve-
,, terata arthritide cum ſumma, & pene
,, inſuperabili ad motum difficultate, vi-
,, ribus illico reſtiiutis, tuto procedi poſ-
,, ſet ad ipſius Servi Dei Beatificationem;
,, attamen Sanctitas Sua reſponſo tunc
,, dilato, ut in re tanti momenti divini lumi-
,, nis opem enixis precibus imploraret, die 6.
,, Martii proxime preteriti, ſtatuerit ac de-
,, claraverit, ut memoratus Ven. Dei Servus
,, pie, ac palam a Chriſtifidelibus coli poſ-
,, ſit, ac decretum Beatificatificationis per
,, litteras Apoſtolicas io forma Brevis cum
,, conſuetis indultis quandocumque faciendæ
,, expediri juſſit, & in actis Sacrorum Ri-
,, tuum Congregationis referri mandavit,
,, prout ex exemplari impreſſo ejuſdem de-
,, creti, quod inſeritur tenoris &c.

,, Proindeque prælibatus Sanctissimus
,, nonnullorum Antiſtitum, Univerſitatum,
,, ac totius præfati Ordinis Minorum S.
,, Franciſci fratrum Capuccinorum, ac no-
,, minatim Fr. Nicolai a Laculibero ejuſ-
,, dem Ordinis Sacerdotis profeſſi dictæ Cauſ-
,, ſæ Poſtulatoris ſupplicationibus inclinatus
,, per litteras Apoſtolicas, ut infra expe-
,, ditas, indulſerit, ut idem Dei Servus Ber-
,, nardus a Corleone in poſterum Beati no-
,, mine nuncupetur, ejuſque corpus, & re-
,, liquiæ venerationi fidelium, non tamen
,, in proceſſionibus circumferendæ, expo-
,, nantur, imagines quoque radiis, ſeu
,, ſplendoribus exornentur, ac de eo quot-
,, annis die 14. Januarii recitetur Officium,
,, & Miſſa de communi Conſeſſorum non
,, Pontificum juxta ritum Miſſalis, & Bre-
,, viarii Romani, certis tamen in locis,
,, & reſpective in univerſo Ordine Mino-
,, rum

„ rum S. Franciſci Capuccinorum utriuſ- „ que ſexus, prout in dicto Brevi diſponi- „ tur, poſtquam tamen in ſacroſancta Ba- „ ſilica Vaticana de Urbe ſollemnia dictæ „ Beatificationis hac præſenti die 15. Maji „ in dictis litteris deſignata celebrata fue- „ rint, ut latius conſtat ex dicto Apoſto- „ lico Brevi die 29. Aprilis proxime præ- „ teriti expedito, typis R. C. A. impreſſo, „ præſentibus alligato tenoris &c.

„ Cumque omnia pro ſollemnibus hu- „ juſmodi Beatificationis adimplendis in „ dicta ſacroſancta Vaticana Baſilica pa- „ rata eſſent, ad inſtantiam dicti R. P. Ni- „ colai a Laculibero Poſtulatoris ego Sa- „ cræ Congregationis Rituum Notarius, „ cancellarius, & archiviſta ad dictam „ Baſilicam acceſſi, & ſollemnia, aliaque „ pro dicta Beatificatione ibidem peracta, „ ut infra deſcripſi.

„ Externa dicti maximi, & auguſtiſſimi „ templi facies in loco eminenti habet af- „ fixam effigiem pictam dicti Beati Ber- „ nardi Cælum aſpicientis, aptatis hinc „ inde Angelorum figuris, in cujus pictu- „ ræ parte inferiori cernitur ſtemma gen- „ tilitium dicti Summi Pontificis, & ſub- „ tus illud Religionis Capuccinorum, & „ a lateribus, dextero nempe ſtemma Re- „ giæ Celſitudinis Eminentiſſimæ Henrici „ Benedicti Ducis Eboracenſis dictæ Baſi- „ licæ Archipresbyteri, in ſiniſtro autem „ ſtemma Reverendiſſimi Capituli dictæ „ Baſilicæ.

„ Porticus vero ejuſdem Baſilicæ nobili- „ bus aulæis, ac etiam pluribus ſericis or- „ namentis auro liſtatis ornata mirifice „ apparebat. Super mediam majorem di- „ cti templi januam alia dicti Beati ima- „ go picta cernitur eleganter ornata in „ actu diſtribuendi panes inter pauperes, „ affixa legitur hæc inſcriptio:

BEATUS BERNARDUS A CORLEONE
LAICUS SICULUS
ORDINIS MINORUM S. FRANCSICI CAPUCCINORUM
IN DILECTIONE SUA IPSE PORTAVIT EOS,
ET ELEVAVIT EOS [1].

„ Alteræ duæ laterales januæ pariter ſu- „ periores habebant inſcriptiones expri- „ mentes unam, pietatem dicti Beati in „ afflictos, alteram illius ſollicitudinem au- „ xilium omnibus egenis præſtandi.

„ Nedum dictæ Baſilicæ interioris gre- „ mium paramenta ex panno rubro oloſe- „ rico damaſceno cum aureis tæniis per „ futuras decurrentibus elaborata conde- „ corabant. In eminentiori Baſilicæ parte, „ ad quam per porphyreticos gradus e gre- „ mio aſcenditur, & in cujus extremitate „ magnificum Cathedræ S. Petri altare „ erectum eſt, pavimentum, ſeu platea „ exiſtebat ultra dictos porphyreticos gradus „ ampliata mediantibus ligneis tabulis pro „ æquanda planitie ſuppoſitis: in ovali ſi- „ tu ſupra dictam Cathedram collocata „ remanet imago picta dicti Beati in glo- „ riam aſcendentis inter Angelos cum fa- „ nalibus plurimis eleganter ornatis cereos „ continentibus circumcirca pendentibus, „ & reſpective affixis, & mirifice aptatis. „ Dicta autem Beati imago, prout altera „ appoſita in exteriori dictæ Baſilicæ facie „ ſericis linteis coopertæ remanſerunt uſ- „ que ad initium cantus, ut infra ſequuti „ Hymni *Te Deum laudamus*.

„ Altare autem ante dictam Cathedram „ ſupra tres marmoreos gradus erectum Cru- „ ce cum duabus ſtatuis SS. Apoſtolorum „ Petri, & Pauli, atque ſex candelabris „ aureis, aliiſque pretioſis ſuppellectilibus „ ornatum apparebat, & ante dictum altare „ duo magna candelabra ænea deaurata, & „ mirifice elaborata cereos ſuſtinentia col- „ locata inſpiciebantur; duo Pauli III. & Ur- „ bani VIII. lateralia depoſita picturis varia „ clau-

[1] *Iſai.* 63.

„ clauſa remanebant cum expreſſione ſtemmatis dicti regnantis Pontificis Clementis XIII., & quamplurimis fanalibus ligneis perbelle pictis, auroque linitis, floribuſque artificioſe diſpoſitis, & in parte ſuperiori, pictura exprimuntur gemina miracula ſuperius approbata: duo laterales arcus dictæ Tribunæ ſericis paramentis, aureis tæniis ornatis perbelle claudebantur, in quorum ſuperioribus partibus ſtemma Religionis Capuccinorum collocatum erat, & deinde duæ correſpondentes ſuccedebant picturæ, quarum una exprimit tres theologales virtutes, & dictum Beatum illas venerantem, altera vero, quæ e contra cernitur ex dictis picturis pandit imaginem dicti Beati cum plurimis pœnitentialibus inſtrumentis in actu amplectandi ſanctam Crucem. Subtus arcus præfatos, & in illorum vacuis duo muſicales chori organis, aliiſque confuetis inſtrumentis muſicalibus mirifice ornati apparebant, prout quoque laterales loculi cratibus ligneis ſepti, eleganter picti, ac deaurati pro Principibus, aliiſque nobilibus viris, & matronis recipiendis inſpiciebantur.

„ Ab utroque dicti altaris Cathedræ latere inſpiciebantur ſedilia, nempe a cornu Evangelii pro Eminentiſſimis DD. Cardinalibus Sacræ Congregationis Rituum præpoſitis, ac Illuſtriſſimis, & Reverendiſſimis DD. Prælatis, & Conſultoribus ejuſdem Sacræ Congregationis, a cornu autem Epiſtolæ pro Eminentiſſimo D. Cardinali Archipresbytero, Illuſtriſſimis, & Reverendiſſimis DD. Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Canonicis dictæ Baſilicæ, & præfato R. P. Nicolao a Lacu libero Poſtulatore, pluresque alii dimiſſiorum ſcamnorum ordines pro reliquo ejuſdem Baſilicæ Clero, & poſt ſedilia dictorum Eminentiſſimorum Cardinalium præfatæ Sacræ Congregationis, quamplures ſcamni appoſiti pro Religioſis dicti Ordinis Capuccinorum, ſicuti poſt ſedilia dicti Reverendiſſimi Capituli, alia etiam ſedilia pro ſuperioribus Religionum, ac nobilibus viris remanebant; ſedilia dictorum Eminentiſſimorum Cardinalium, ac alia hinc inde ut ſupra diſpoſita conſuetis aulæis, & ſtratis reſpective pro dignitate aſſidere debentium plus, vel minus pretioſis cooperta erant; pendebatque rurſus ex magno Eccleſiæ fornice argentea lampas, ſuper qua plures cerei itidem appoſiti erant, ſicuti etiam alii cerei, & candelæ reſpective tam in altari Confeſſionis nuncupato, ubi corpora SS. Petri, & Pauli venerantur, ejuſque balauſtio ſuper argenteis, quam in aliis dictæ Baſilicæ lateralibus aris ſuper aeneis candelabris impoſiti. Platea vero Presbyterii ſuperius deſcripti, balauſtio ligneo eleganter ornato, atque depicto cum fanalibus, ac cereis pariter in eo mirifice diſpoſitis claudebatur, in cujus ingreſſu militum Helveticorum ex Pontificia cuſtodia aſſumptorum ad populi impetum coercendum, aſſiſtentia adhibebatur, prout reliquæ ornatus partes, ſingillatim referuntur in relatione italico idiomate impreſſa, quæ ad exuberantiam præſentibus inſeritur tenoris &c.

„ Accenſis igitur, & collucentibus cereis, candeliſque ſuper recenſitis Cathedræ, Confeſſionis, aliiſque lateralibus aris, lampadibus, & fanalibus modo, quo ſupra collocatis, dictæque tribunæ gyro, ac balauſtio diſtributis, & aſſiſtentibus in loculis, ut ſupra ſeparate diſpoſitis, cratibuſque ligneis deauratis clauſis pluribus Principibus, nobilibuſque viris, & matronis, ſicuti etiam retro ſedilia dictorum Eminentiſſimorum Cardinalium interveniente magno numero Religioſorum dicti Ordinis Minorum Capuccinorum, & poſt ſedilia dicti Reverendiſſimi Capituli adſtantibus aliarum Religionum Sacerdotibus, nobilibuſque viris, aliiſque in corona dictorum militum Helveticorum permanentibus, magnaque

„ utriuſque ſexus populi multitudine extra „ dictorum militum coronam affluente, „ advenerunt primo infraſcripti Eminentiſſimi, & Reverendiſsimi DD. dictæ Sacræ „ Congregationis Rituum Cardinales, nempe Cavalchini Epiſcopus Oſtienſis, & „ Veliternenſis Sacri Collegii Decanus, & „ Cauſſæ dicti BEATI Relator, Joannes Franciſcus Albani Epiſcopus Sabinenſis, Rezzonico, Ganganelli, Marcus Antonius „ Columna Vicarius SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PAPÆ, Boſchi Major Pœnitentiarius, Alexander Albani, Nereus „ Corſini, Torrigiani, Chiſius Sacræ Congregationi Rituum Præfectus, Andreas „ Corſini, Nigronius, & Veterani, intereſſentibus etiam RR. PP.DD. Vincentio „ Macedonio dictæ Sacræ Congregationis „ Secretario, & Carolo Alexio Piſani S.Fidei Promotore, & quampluribus aliis „ Prælatis, & Conſultoribus dictæ Sacræ „ Congregationis Rituum, & cum relatis „ Eminentiſsimis DD. Cardinalibus totam „ eamdem Sacram Congregationem conſtituentibus, & ſedentibus in ſedilibus, „ ut ſupra reſpective paratis, diſceſsit e „ Sacrario dictæ Baſilicæ, Illuſtriſsimus, ac „ Reverendiſsimus Georgius Laſcaris Patriarchà Jeroſolymitanus Vicarius prædictæ Baſilicæ proceſsionaliter præcedente „ Cruce, & Acolythis, univerſoque Clero „ ejuſdem Baſilicæ pluviali albo indutus „ cum mitra, Miſſam ſollemnem celebraturus inter duos ejuſdem Baſilicæ Canonicos cum dalmaticis Diaconi, & Subdiaconi officium gerentes, ſubſequente „ Regia Celſitudine Eminentiſſima Henrico Benedicto Epiſcopo Tuſculano Cardinali Duca Eboracenſi Archipresbytero, factaque ab omnibus adoratione, fuſiſque precibus, primo ad altare Auguſtiſsimi Sacramenti, inde ad altare SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, omnes advenerunt ad locum ſupra paratum, „ prædictiſque omnibus ſua reſpective loca „ tenentibus, aſsiſtentibus duobus ejuſdem „ Baſilicæ cœremoniarum Magiſtris, dictus „ Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus D. Vincentius Macedonio ſurgens e ſedili, tamquam „ præfatæ Sacræ Congregationis Secretarius „ unacum altero ex dictis Magiſtris cæremoniarum, ſecumque aſſumpto dicto Admodum R. P. Nicolao a Lacu libero Cauſſæ Poſtulatore, illoque aſſociato ad latus Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi D. „ Cardinalis Chiſii dictæ Sacræ Congregationis Præfecti, idem R. P. Nicolaus Poſtulator habens præ manibus litteras Apoſtolicas in forma Brevis, ut ſupra expeditas, illas originaliter dictæ Sacræ Congregationi debita reverentia exhibuit, & „ poſtquam latina oratione pronunciavit naturalis indolem, ac geſta in utroque ſtatu „ ſeculari, ac religioſo ejuſdem Ven. Servi „ Dei BERNARDI A CORLEONE, Cauſſæque „ ſtatum, nomine ſuæ Religionis inſtitit „ dictas litteras Apoſtolicas recipi, & admitti, ac in dicta Baſilica juxta illarum „ formam, ac S. R. E. ritum ſollemnia Beatificationis hujuſmodi celebrari, aliaque „ omnia, & ſingula deſuper neceſſaria, & „ opportuna juxta diſpoſitionem dicti Brevis „ exequi mandari ad majorem Dei, dictique ejus Ven. Famuli gloriam omni meliori modo &c.

„ Qua oratione, ſeu inſtantia abſoluta, „ dicti Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi „ DD. Sacræ Congregationis Rituum Cardinales, receptis pro ea per dictum Eminentiſſimum Chiſium Præfectum dictis litteris Apoſtolicis, eiſque repertis illeſis, „ & in nulla parte ſuſpectis illas admiſerunt, „ ac publicari, dictaque ſollemnia celebrari, & alia deſuper neceſſaria, & opportuna ad earumdem litterarum formam „ fieri, & exequi mandarunt, dictoque R. P. Nicolao Poſtulatore inde recedente, debitiſque relatis gratiis, ea, qua „ par eſt reverentia prædictus Eminentiſſimus D. Cardinalis Præfectus, aliis Eminentiſſimis Cardinalibus præfatis annuentibus, conſignavit dicto R. P. Vincentio Macedonio Secretario præfatas litteras Apoſtolicas ad effectum illas eum ante-

,, tecedenti inſtantia ejuſdem Poſtulatoris
,, omnibuſque ab Eminentia Sua , & aliis
,, dictæ Sacræ Congregationis Cardinalibus
,, deſuper mandatis , afferendi ad dictum
,, Eminentiſsimum D. Cardinalem Archi-
,, presbyterum e conſpectu ſedentem , prout
,, illico delatæ ſunt , quas idem Eminentiſ-
,, ſimus Archipresbyter debita cum reve-
,, rentia recepit , vidit , unique ex dictis
,, cœremoniarum Magiſtris tradidit , man-
,, davitque per alterum ex cappellanis cho-
,, ri dicti Revereodiſsimi Capituli palam ,
,, ac publice perlegi , prout unus ex eiſ-
,, dem cappellanis parendo mandatis hujuſ-
,, modi , aſcenſo ſuggeſtu retro ſedilia di-
,, ctorum Canonicorum exiſteute , eaſdem
,, litteras originales ſuis præ manibus rece-
,, ptas , me notario ibidem aſsiſtente , illa-
,, rumque tranſumptum præ manibus ha-
,, bente , ac cum dictis originalibus au-
,, ſcultante , ac collationante tenoris in
,, omnibus , & per omnia ut ſupra jam in-
,, ſerto , alta , ac intelligibili voce perle-
,, git , & publicavit , indeque e ſuggeſtu
,, deſcendens , retento pariter penes ſe
,, ſimili tranſumpto impreſſo eidem P. Ni-
,, colao Poſtulatori adhuc præſenti , ac re-
,, cipienti dictas litteras Apoſtolicas ori-
,, ginales reſtituit .

,, Peracta dicta lectura , prælibatus Reve-
,, rendiſſimus Patriarcha Laſcaris Vicarius
,, dictæ Baſilicæ Vaticanæ , depoſita mitra ,
,, inchoavit Canticum *Te Deum Laudamus*,
,, reliqua proſequentibus muſicorum choris ,
,, & in ipſo cantici initio amotis velis ſe-
,, ricis , quibus dicti BEATI imagines ubi ſu-
,, pra exiſtentes tectæ fuerant , idem Patri-
,, archa Laſcaris celebrans , ac Miniſtri ei
,, aſſiſtentes , Eminentiſſimi DD. Cardina-
,, les , Illuſtriſſimi Prælati , ac Reverendiſ-
,, ſimi Conſultores dictæ Sacræ Congrega-
,, tionis Rituum , Emiuentiſſimus Archi-
,, presbyter , Illuſtriſſimi DD. Canonici , &
,, reliqui de Clero prædictæ Baſilicæ , ce-
,, terique Prælati , Religioſi , ac nobiles viri
,, utriuſque ſexus , univerſaque populi mul-
,, titudo genibus flexis , imaginem dicti BEA-
,, TI BERNARDI A CORLEONA in eminentio-
,, ri loco ſupra dictum altare Cathedræ ex-
,, poſitam , reliquiamque præfati BEATI in
,, recenſito altari iotus argenteam cuſtodiam
,, poſitam devotiſſime veoerati ſunt , & ſta-
,, tim ad ſonitum tubarum intus , ac extra
,, Baſilicam perſonantium , plurium tormen-
,, torum bellicorum extra eamdem Baſili-
,, cam paratorum , ſtrepitus auditus fuit ;
,, finitoque cantico , & per Diaconum
,, Evangelii prolato verſiculo *Ora pro nobis*
,, BEATE BERNARDE , habitaque chori reſ-
,, ponſione , *Ut digni efficiamur promiſſio-*
,, *nibus Chriſti* , nec non per dictum Pa-
,, triarcham celebrantem recitata oratione
,, propria de dicto BEATO , illiuſque imagi-
,, ne , ac reliquia thurificatis , idem Reve-
,, rendiſſimus Patriarcha Laſcaris cum dictis
,, aſsiſtentibus pontificalibus ad Sacrificium
,, indutus , Miſſam de communi Confeſſo-
,, ris non Pontificis ſollemniter in præli-
,, bato altari Cathedræ celebravit , perſo-
,, nantibus organis , aliiſque inſtrumentis ,
,, ac muſicis cantantibus , tubiſque etiam
,, intus , ac extra dictam Baſilicam eorum
,, ſonitum exprimentibus : dum antedictæ
,, Miſſæ introitus cœptus fuit , dictus P. Ni-
,, colaus Poſtulator per plures ſui Ordinis
,, Minorum Capuccinorum Religioſos Sa-
,, cerdotes imagines dicti BEATI BERNAR-
,, DI impreſſas in ſerico aureis virgulis cir-
,, cumdatas in grandiorem , alias pariter
,, in ſerico abſque aureis ornamentis in an-
,, guſtiorem formam juxta gradus perſona-
,, rum , & alias in papyro unacum libercu-
,, lo compendii vitæ dicti Beati , ac tran-
,, ſumpto impreſſo dicti Brevis Apoſtolici
,, cuilibet ex adſtantibus Eminentiſsimis
,, DD. Cardinalibus , Prælatis , Conſultori-
,, bus , ac Miniſtris dictæ Sacræ Congrega-
,, tionis , ac Canonicis , & aliis de Clero
,, dictæ Vaticanæ Baſilicæ diſtribui , tradi-
,, que fecit , prout quoque alias dicti Bea-
,, ti papyraceas imagines populo confluen-
,, ti pariter diſtribui curavit : abſoluta au-
,, tem dictæ ſollemnis Miſſæ celebratione ,
,, diſcedentibuſque præfatis Eminentiſsimis

„ Cardinalibus, Conſultoribus, Capitularibus, aliiſque de Clero dictæ Baſilicæ, „ magna populi multitudo ſe contulit intus Presbyterium, ut propius imaginem, ac reliquiam dicti BEATI BERNARDI devotiſsime venerari valeret; ac ita „ ſollemnia Beatificationis dicti jam Venerabilis, nunc vero BEATI BERNARDI A CORLEONE in præfata Vaticana Baſilica celebrata ſunt, ibidem præſentibus „ Illuſtriſsimo D. Comite Angelo Bonarelli Patritio Anconitano, & Adm. R. D. „ Chriſtophoro Bonifazii Presbytero Romano teſtibus ad præmiſſa adhibitis &c.

Philippus de Amicis Sacræ Congregationis Rituum notarius, Cancellarius, & Archiviſta de præmiſſis rogatus.

INDEX

INDEX RERUM

QUÆ IN HOC OPERE CONTINENTUR.

A

Abacorum pro Miſſa Pontificia, & oblationibus locus in theatro Canonizationis. p. 352. col. 2.

Abbas Ordinis Ciſtercienſis in feſto Sanctiſſimæ Trinitatis Miſſam celebrabat in conventu, ut in ſollemnioribus feſtis agere ſolebat. pag. 25. col. 2. in not.

Abbas Trombelli laudatus. pag. 80. col. 1. in not.

Abbatis Montis Oliveti loco ſufficitur Canonicus Pœnitentiarius Eccleſiæ Cathedralis Aſculanæ in conſtructione Proceſſus ſuper virtutes B. Seraphini. p. 83. col. 2.

Abbatia S. Galli confirmatio petitur a Cardinali Alexandro Albani apud Clementem PP. XIII. p. 268. col. 1.

Abbas Leander Porzia fit Cardinalis a Benedicto PP. XIII. pag. 18. col. 1. in not.

Abbas Maurus Sarti Conſultor SS. Rituum laudatus. p. 4. col. 1.

Abderitanum in Epiſcopum eligitur Joannes Lenezovvski Canonicus Chelmenſis. pag. 298. col. 1.

De Abdua Ferdinandus fit Cardinalis ab Alexandro VIII. pag. 74. col. 2. in not.

Docet Archiepiſcopum Mediolanenſem, & Epiſcopum Papienſem quid factu opus eſſet in perquirendis opuſculis B. Hieronymi Æmiliani. p. 70. col. 2.

Abbreviatorum de Parco majori locus in theatro Canonizationis. pag. 352. col. 1.

Abrincenſis Joannes aſſerit ſuo ævo feſtum SS. Trinitatis fuiſſe celebratum eodem apparatu ac feſtum Aſcenſionis Domini. pag. 25. col. 2. in not.

Abſolutionis, & benedictionis Pontificiæ formula in fine Canonizationis. p. 368. col. 1.

in Abſolutione Pontificia in fine Canonizationis addita nomina novorum Sanctorum. p. 368. col. 2.

Academia Andegavenſis. pag. 102. col. 1. in not.

Academia Cracovienſis omnium diſciplinarum ſtudiis floret. pag. 5. col. 2. in not.

In hac B. Joannes docuit Philoſophiam, & Theologiam. p. 2. col. 2. pag. 4. col. 2.

Valde eſt ſollicita pro cultu, & Canonizatione B. Joannis Cantii. pag. 2. col. 2.

Acta Beatificationis B. Bernardi a Corleone. p. 435. col. 1.

Acta Beatificationis B. Gregorii Barbadici. p. 455. col. 1.

Acta Beatificationis B. Simonis de Roxas. pag. 472. col. 1.

Aceti dolium in Orphanotrophio civitatis Aſculi ope B. Seraphini repletur. pag. 85. col. 1.

Adamus Franciſcus laudatus. pag. 86. col. 2. in not.

Advocati Conſiſtorialis Alexandri Litta Oratio pro B. Joanne in publico Conſiſtorio habita. p. 179. col. 2.

Advocati Conſiſtorialis Hieronymi Tozzi Oratio in publico Conſiſtorio pro B. Joſepho Calaſanctio habita. pag. 183. col. 1.

Advocati Conſiſtorialis Philippi Durani Oratio pro B. Joſepho a Cupertino in Conſiſtorio publico habita. pag. 186. col. 1.

Advocati Conſiſtorialis Julii Cæſaris Fagnani Oratio habita in Conſiſtorio publico pro B. Hieronymo Æmiliano. pag. 189. col. 2.

Advocati Conſiſtorialis Joſephi Aſcevolini Oratio pro B. Seraphino in Conſiſtorio publico habita. p. 192. col. 2.

Advocati Conſiſtorialis Pauli Franciſci Antamori Oratio habita in Conſiſtorio publico pro B. Joanna de Chantal. pag. 198. col. 1.

Advocatus Conſiſtorialis Philippus Durani nomine Cardinalis Rezzonico acceptat Canonizationem, gratias agit, & inſtat pro litteris Apoſtolicis ſuper peracta Canonizatione. p. 367. col. 1.

Advocati Conſiſtoriales poſtulant Pallium pro Archiepiſcopo Ebroduneo., & Epiſcopo Auguſtodunen. pag. 252. col. 2.

& pro Archiepiſcopo Januenſi. p. 298. c. 1.

Altieri Æmilius, Dux militum equeſtrium levis armaturæ monetur a Magiſtris cæremoniarum de ſuo munere in die Canonizationis. pag. 355. col. 1.

De Afflicto Franciſcus fit Epiſcopus Letteranus. p. 298. col. 1.

Agebardus Epiſcopus Lugdunenſis exaravit carmen de translatione capitis S. Pantaleonis. p. 16. col. 2. in not.

Albanenſis Epiſcopus Ludovicus Cardinalis Picus. p. 3. col. 1. in not.

Albani Joannes Franciſcus filius Caroli, & Elenæ Moſca poſtea Clemens PP. XI. pag. 73. col. 2. in not.

fit Cardinalis ab Alexandro VIII. pag. 74. col. 1. in not.

Albani Joannes Franciſcus Epiſcopus Sabinenſis Relator Cauſſæ B. Joannis. pag. 4. col. 1., & pag. 9. col. 2.

& Cauſſæ B. Seraphini. pag. 85. col. 1.

Suffragium tulit in peculiari Congregatione ſuper miraculis B. Joannis. pag. 4. col. 1.

Curat Congregationes antepræparatoriam, præparatoriam, & generalem coram Clemente PP. XIII. ſuper miraculis B. Seraphini. p. 85. col. 2.

Necnon eaſdem Congregationes ſuper novis miraculis B. Joannis. pag. 10. col. 1. & 2.

Ejuſdem vota in Conſiſtoriis ſemipublicis. pag. 206. col. 2., pag. 222. col. 2., p. 254. col. 1., p. 270. col. 1. pag. 300. col 1., & pag. 318. col. 1.

Albani Card. Annibal Relator Cauſſæ B. Joannis. pag. 3. col. 2.

Congregationem habuit præparatoriam. p. 9. col. 1.

Alexandri Card. Albani vota in Conſiſtoriis ſemipublicis. pag. 212. col. 1., p. 228. col. 1., p. 259. col. 2., pag. 275. col 1., pag. 304. col. 2., & pag. 324. col. 1.

Aldobrandinus Cardinalis laudat Paulo V. Scholas pias. pag. 3. col. 2. in not.

Aletium, nunc Lecce urbs Salentinorum Epiſcopalis. pag. 34. col. 1. in not.

ibi conſtruitur Proceſſus ſuper ſanatione Monialis The-

Digitized by Google

Thereſiæ Margaritæ a S. Joſepho Carmelitæ Excalceatæ, quæ ope B. Joſephi n Cupertino fuerat ſanata. p. 34. col. 1.
Validitas dicti Proceſſus probatur referente Card. Tanara. Ibid.
Efflagitat n Clemente PP. XIII., ut confirmet in Abbatem S. Galli Bedam Angehren. p.168. col.1.
Alexander VII. ſignat Commiſſionem reaſſumptionis Cauſſæ B. Joannis. pag. 2. col. 2., & p. 5. col.1. & Commiſſionem reaſſumptionis Cauſſæ B. Hieronymi. pag. 56. col. 1.
Ejuſdem Pontificis opera elaboratæ fuere veſtes damaſcenæ pro navi principe Baſilicæ Vaticanæ exornanda. p. 348. col. 2.
In Collegium Cardinalium cooptat Angelum Celſum. p.2. col. 2. in not.
Petrum Vidonum. pag. 2. col. 2. in not.
Volumnium Bandinelli. pag. 2. col. 1.
Scipionem de Ilcio. pag. 15. col. 2. in not.
& Joſephum Renatum Imperiali Ponentem Cauſſæ B. Joſephi Calaſanctii. pag. 17. col. 1. in not.
Conſtituit Scholas pias in Congregationem votorum ſimplicium. pag. 15. col. 2. in not.
Alexander VIII. Cardinalem conſtituit Joannem Baptiſtam Coſtagutum. pag. 29. col. 2. in not.
In Cardinalem elegit Joannem Franciſcum Albani poſtea Clementem PP. XI. pag. 74. col. 1. in not.
Approbat famam ſanctitatis in genere B. Joſephi Calaſanctii. pag.17. col.2.
Alexander Natalis laudatus. pag. 33. col. 1. in not.
Allatius Leo laudatus. pag. 13. col. 2. in not.
Aloyſius Jacobus laudatus. pag. 92. col. 2. in not.
Allocutiones Clementis PP. XIII., in Conſiſtorio ſecreto. pag. 168. col. 2. 170. col. 1. 171. col. 1. 172. col. 1. 173. col. 2. 175. col. 1. 176. col. 2. 177. col. 1. & in Conſiſtoriis ſemipublicis p. 205. col. 2. 222. col.1. 238. col.1. 253. col. 1. 269. col. 1. 285. col. 1. 298. col. 1. 317. col. 2. 337. col. 2.
Alphonſus Eſtenſis Dux Mutinæ poſt obitum conjugis Iſabellæ Ordinem Capuccinorum ingreditur, & vocatur Frater Joannes Baptiſta. p. 82. col. 2. in not.
Altare Confeſſionis D. Petri duo frontalia ditiſſima exornant in Canonizatione. pag. 354. col. 2.
Aluffi Joſephi Epiſcopi Balneoregienſis vota. p.241. col. 1., pag. 247. col. 1., pag. 289. col. 1., p. 294. col. 1., pag. 316. col. 1., & pag. 336. col. 1.
S. Ambroſius laudatus. pag. 72. col. 2. in not.
Amburbialia quid fuerint. pag. 40. col. 2. in not.
Amburbialia fieri ſolita in menſe Februario. p. 40. col. 1. in not.
Anaſtaſius Bibliothecarius laudatus. pag. 40. col. 1. in not.
Idem illuſtratus. pag. 40. col. 2. in not.
Ancyranus Epiſcopus Juſtus Fontaninus. p. 7. col. 2.
Andegavenſis Epiſcopus S. Maurillus diſcipulus Sancti Martini Turonenſis neqoaquam fuit auctor feſti Nativitatis Virginis. p. 19. col. 1. in not.
Andegavum habet celebrem Academiam. pag. 102. col. 1. in not.
Ibique conſtruitur Proceſſus ſuper ſanatione Mariæ Franciſcæ Perinæ Falloux ope B. Joannæ ſanatæ. pag. 101. col. 2.
S. Andreæ templum Romæ appellatum de Valle, a nobiliſſima familia. pag. 14. col. 2. in not.
Andreas Cretenſis laudatus. pag. 33. col. 1. in not.
ab Aneuriſmate ope B. Joſephi Calaſanctii ſanatur Margarita Tantari. pag. 18. col. 1.
Angelus Bonaventura laudatus. p. 88. col. 2. in not.
Angeli picti ſub fornicibus navis principis Baſilicæ Vaticanæ inſcriptiones regunt, quibus miracula Canonizandorum in tabulis expreſſa declarantur. pag. 349. col. 1.
Angloſaxonum ſchola antiquitus conſtituta, ubi modo eſt templum S. Spiritus in Saxia. p. 248. col. 1.
Annecium urbs Sabaudiæ. pag. 95. col. 2. in not. in qua B. Joanna fundavit Ordinem Viſitationis. pag. 91. col. 1. in not.
Ob Annonæ caritatem Romæ Clemens PP. XIII. publicas edixit preces, bacchanalia, & ſpectacula inhibuit, ac æraria Pontificia, ut frumentum Romam veheret, aperuit. pag. 105. col. 1.
Antamori Pauli Franciſci Oratio pro B. Joanna in Conſiſtorio publico. pag. 198. col. 1.
Antepræparatoriæ Congregationes penes Card. Cybum ſuper miraculis B. Joannis. pag. 3. col. 2.
Altera ſuper miraculis B. Joſephi Calaſanctii. p.18. col. 2., pag. 22. col. 1., & pag. 25. col. 2.
Altera ſuper miraculis B. Joſephi Calaſanctii habita coram Benedicto XIV. pag. 34. col. 1.
Altera ſuper miraculis B. Joſephi a Cupertino coram Clemente PP. XIII. pag. 36. col. 2.
Altera ſuper virtutibus B. Hieronymi. pag. 70. col. 2.
Altera penes Card. Rezzonico ſuper miraculis B. Hieronymi. pag. 79. col. 2.
Altera ſuper miraculis B. Seraphini penes Card. Albani Epiſcopum Sabinenſem. pag. 85. col. 2.
Altera ſuper virtutibus B. Joannæ. pag. 93. col. 2.
Altera ſuper miraculis B. Joannæ. pag. 100. col. 2., & pag. 102. col. 1.
Antonelli Card. Nicolai vota in Conſiſtoriis ſemipublicis. pag. 209. col. 1., p. 225. col. 2., p. 256. col. 1. p. 272. col. 2. p. 302. col. 1. & p. 321. col. 1.
Antonianus Sylvius laudat Scholas pias. p. 14. col. 2. in not.
Apollinaris Sidonius. pag. 10. col. 1. in not.
Archetti Jo. Andreas Protonotariorum Decanus eorum nomine in Conſiſtoriis ſemipublicis Procuratori Fiſcali expoſtulanti reſpondit *conficiemus*, & poſtea inſtrumentum de Conſiſtorio exornat. p.238. col. 2. & p. 285. col. 1. p. 338. col. 1.
Aſcevolini Joſephi Advocati Conſiſtorialis Oratio pro B. Seraphino in Conſiſtorio publico. p. 192. col. 2.
Aſculum Urbs Piceni, in qua Proceſſus ſuper virtutes B. Seraphini exaratur; in quo conſtruendo inter Archidiaconum Aſculanum, & Abatem Montis Oliveti Judices controverſia exoritur circa primum honoris locum. pag. 82. col. 2.
Aſſemani Stephani Evodii Archiepiſcopi Apameæ vota in Conſiſtoriis ſemipublicis. pag. 219. col. 1., pag. 235. col. 2., p. 267. col. 1., p. 283. col. 1., pag. 314. col. 2., & pag. 334. col. 1.
Aſſemani Joſephi Simonis Archiepiſcopi Tyri vota in Conſiſtoriis ſemipublicis. pag. 220. col. 1. p. 236. col. 2., pag. 268. col. 1., pag. 283. col. 2., p. 315. col. 1., & pag. 335. col. 1.
Aſſeſſor SS. Inquiſitionis Benedictus Veterani fit Cardinalis. pag. 11. col. 2. in not.
Aſſiſii reconditæ exuviæ S. Franciſci. p. 27. col. 2 in not.
Conſtruitur Proceſſus informativus ſuper vitæ ſanctitate, virtutibus, & miraculis Beati Joſephi n Cupertino. pag. 28. col. 1.
& alter Proceſſus exaratur de cultu B. Joſepho a Cupertino non præſtito. pag. 29. col. 2.
Aſſiſtentes Epiſcopi ad gradus throni Pontificii ſedent

dent in theatro Canonizationis. pag. 352. col. 2.
Aſſumptam Virginem Deiparam in Cœlum redivivo corpore Eccleſia pie tenet. pag. 32. col. 2. in not.
de Aſſumptione Virginis ſit mentio in Martyrologio Hieronymiano, & in Martyrologio Morbacen. p. 33. col. 2. in not.
de Aſſumptione Deiparæ altum ſilentium apud Patres primorum ſeculorum Ibid.
Ejuſdem feſtum forſan ex urbe Conſtantinopolitana Romam traduxit Gregorius I. p. 33. col. 1. in not.
De eadem mentionem facit S. Gregorius Turonenſis. pag. 33. col. 1. in not.
Ejuſdem feſtus recentior non eſt ſeculo VII. p. 33. col. 2. in not.
Aſſumptio appellatur ſomnus, dormitio, mors, pauſatio S. Mariæ. pag. 33. col 2. in not.
Ejuſdem feſtus celebrari incepit Conſtantinopoli juſſu Mauritii Imperatoris. pag. 33. col. 1. in not.
Aſturigiæ Auguſtæ in Epiſcopum eligitur Emmanuel Merinus Canonicus Cæſarauguſtanus. p. 205. col. 2.
Attila Rex Hunnorum evertit Aquilejam. pag. 71. col. 1. in not.
Auditores Rotæ interſunt in Conſiſtorio ſemipublico pro Canonizatione p. 205. col. 1.
Eorum locus in ſupplicatione. p. 362. col. 1. & in theatro Canonizationis.
Auditor Cameræ Nicolaus Serra ſit Cardinalis. p. 11. col. 2. in not.
Auditoris Generalis R.C.A. ſedes in theatro Canonizationis. pag. 352. col. 2.
S. Auguſtinus curat revocare fideles a ſuperſtitionibus Paganorum in Kalendis Januarii. p. 10. col. 2. in not.
Ejus ſermo qui legitur in Officio Nativitatis Virginis fuit exaratus pro Annunciatione, & eſt accomodatus Nativitati. pag. 19. col. 1. in not.
Auguſtodunenſem in Epiſcopum eligitur Ivo Alexander de Marbeuf Vicarius Rothomagenſis. p. 205. col. 2.
Idem Epiſcopus Pallium poſtulat. p. 252. col. 2.
Aulæ Conſiſtorialis pro Conſiſtorio ſecreto ornatus deſcribitur. pag. 168. col. 1.
Aulæ Quirinalis deſcriptio pro Conſiſtoriis ſemipublicis. pag. 205. col. 1.
Aulæ Regiæ Quirinalis apparatus pro Conſiſtorio publico deſcribitur. pag. 178. col. 2.
Aurelianenſis Epiſcopus Walterus. p. 19. col. 2. in not.
Auximum urbs Piceni. pag. 31. col. 2. in not.
Auximanus Epiſcopus conſtruxit Proceſſum de non cultu B. Joſephi a Cupertino. pag. 29. col. 1.
Auximi Proceſſus ordinarius conſtructus ſuper vitæ ſanctitate, virtutibus, & miraculis B. Joſephi a Cupertino. pag. 28. col. 1.
Ibique conficitur Proceſſus ſuper miraculoſa ſanatione a maligno herpete Bernardini Siniggaglieſe a B. Joſepho a Cupertino patrata. pag. 36. col. 1.
Azzolinus Decius ſit Cardinalis. p. 3. col. 1. in not.
Ponens in Cauſſa B. Joannis Cantii. pag. 6. col. 1.

B

BAbylonenſis Patriarchæ Chaldæorum Joſephi IV. vota in Conſiſtoriis ſemipublicis. p. 241. col. 1., pag. 245. col. 1., p. 287. col. 2., p. 292. col. 2., pag. 340. col. 1., & pag. 343. col. 1.
Baillet laudatus. pag. 13. col. 1. in not., pag. 19. col. 2. in not., pag. 25. col. 1. & 2. in not.
Idem emendatus. pag. 11. col. 1. in not.
Idem inventionem Roſarii attribuit S. Dominico. pag. 38. col. 2. in not.
de Baldeſchis Fridericus adoptatur in Familiam Columnam de Sciarra. pag. 29. col. 2. in not.
Fit Cardinalis a Clemente X. ibid.
Baldonus Aloyſius Romam miſſus a Gambarana obtinuit a S. Pio V. declarari veram Religionem Congregationem Somaſchenſem. pag. 41. col. 1. in not.
Ballyet Emmanuelis Epiſcopi Babyloniæ vota in Conſiſtoriis ſemipublicis. pag. 220. col. 2., pag. 237. col. 1.
Bandinelli Volumnius Patriarcha Conſtantinopolitanus ſit Cardinalis. pag. 2. col 1. in not.
Relator conſtituitur in Cauſſa B. Joannis. pag. 2. col. 2.
Ejuſdem obitus. pag. 2. col. 1. in not.
Barberinus Antonius Ordinis Capuccinorum ſit Cardinalis ab Urbano VIII. pag. 73. col. 1. in not. ex Epiſcopo Senogallienſi. pag. 82. col. 1. in not.
Feliciter propoſuit dubium de non cultu B. Hieronymi. pag. 59. col. 1.
Barberinus Franciſcus in Cardinalem eligitur ab Alexandro VIII. pag. 75. col. 2. in not.
Barboſa Auguſtinus laudatus. p. 42. col. 1. in not.
Barchuli Adeodatus ex Cappellanis intimis Pontificis cathecheſes habuit ante feſtum Sanctorum Apoſtolorum ad familiares Clementis PP. XIII. p. 296. col. 1.
Bardini Clementis Mariæ Epiſcopi Aquipendii vota in Conſiſtoriis ſemipublicis. pag. 219. col. 1. p. 235. col. 2., pag. 266. col. 2., pag. 282. col. 2. p. 314. col. 1. & pag. 333. col. 1.
Bargellini Joſeph Fiſcalis Curiæ Capitolinæ monetur a cæremoniarum Magiſtris de ſuo munere in die Canonizationis. pag. 356. col. 1.
Baronius Cardinalis laudatus. p. 33. col. 2. in not.,
Idem emendatus. pag. 40. col. 1. in not.
Laudat Scholas pias. pag. 14. col. 2. in not.
Baſilicæ Vaticanæ xyſtum ornatur ſtromatibus Raphaelis Urbinatis pro Canonizatione. p. 348. col. 1.
Hujus Baſilicæ ornatus pro Canonizatione deſcribitur. p. 348. col. 1.
Beatificatio Dei Servo Joſepho Calaſanctio indulta a Benedicto PP. XIV. pag. 22. col. 2.
Beatificatio Dei Servi Joſephi a Cupertino peracta a Benedicto PP. XIV. p. 35. col. 2.
Beatificatio Dei Servi Hieronymi Æmiliani peracta a Benedicto PP. XIV. p. 78. col. 2.
Beatificatio Dei Servæ Joannæ de Chantal peracta a Benedicto PP. XIV. pag. 101. col. 2.
Beatificatio Dei Servi Gregorii Barbadici peracta a Clemente PP. XIII. pag. 443. col. 1.
Beatificatio Dei Servi Simonis de Roxas peracta a Clemente PP. XIII. pag. 464. col. 1.
Beatificatio Dei Servi Bernardi a Corleone peracta a Clemente PP. XIII. p. 477. col. 2.
Ven. Beda laudatus. pag. 13. col. 2. in not.
Bellaſinus Antonius laudatus. pag. 71. col. 2. in not.
Belluga e Moncada Ludovicus Epiſcopus Carthaginenſis ſit Cardinalis a Clemente XI. pag. 20. col. 1. in not.
Ejus laudes ſepulchrali lapide expreſſit Benedictus XIV. pag. 20. col. 2.
Bembus Petrus Cardinalis ſcripſit hiſtoriam Venetam. pag. 71. col. 1. in not.
Benedictus XIII. in Cardinalem eligit Camillum Cybum

Cybum. pag. 3. col. 2. in not.
Leandrum Porzia, & Franciſcum Burgheſium. pag. 18. col. 1. in not.
Declarat heroicas virtutes B. Joſephi Calaſanctii. pag. 17. col. 2., & pag. 18. col. 1.
Statuit in Cauſa B. Hieronymi eſſe incedendum, veluti in Cauſſis, in quibus probatus fuit caſus exceptus. pag. 71. col. 1.
Parœciam S. Dorotheæ tranſtulit ad S. Joannem de Malva, & Conventualibus illam dedit incolendam. pag. 14. col. 1. in not.
Conceſſit, ut in peculiari Congregatione Card. Barberinus, Picus de Mirandula, Belluga, Marinus, & Falconerius virtutes B. Seraphini perpenderent. pag. 84. col. 2.
Quæ Congregatio minime fuit habita, ſed de virtutibus B. Seraphini in S. R. Congregatione ordinaria fuit actum. pag. 85. col. 1.
Benedictus XIV. adeſt Congregationi generali ſuper miraculis B. Joannis. p. 3. col. 2., ea tamen non probat.
Conceſſit ſingulis feriis v. in Eccleſia Collegiata Cracovienſi S. Annæ recitari Miſſam votivam de B. Joanne. pag. 8. col. 2.
Statuit in Cauſſis, quæ per viam caſus excepti incedunt, requiri quatuor miracula, ut quis Sanctorum catalogo inſcribatur. pag. 9. col. 1.
Probavit virtutes Ven. Joannis Leonardi. p. 14. col. 2. in not.
Summam benevolentiam oſtendit erga Familiam Scholarum piarum. pag. 22. col. 2.
In Beatorum numerum retulit Joſephum Calaſanctium. p. 22. col. 2.
Joſephum a Cupertino. pag. 35. col. 2.
Hieronymum Æmilianum. p. 78. col. 2.
& Joannam de Chantal. pag. 101. col. 2.
In cujus Cauſa, quia ab Urbe aberat Cardinalis de Tencin, partes Ponentis ſuſtinuit. pag. 100. col. 2.
In Sanctorum numerum adſcripſit S. Fidelem a Sigmaringa martyrem, & Joſephum a Lioniſſa. pag. 82. col. 1. in not.
Inſcribitur hæres fiduciarius a Card. de Marinis, ut maxima pecuniarum vis pauperibus tribueretur. pag. 85. col. 1. in not.
Virtutes Beatæ Joannæ de Chantal heroicas declaravit. Ibid.
Decrevit tamen non eſſe S. D. Joannam inter Beatas referendam, niſi quatuor probatis miraculis. Ibid. & pro Beatificatione ejuſdem quinque miracula probavit. pag. 101. col. 1.
Eligit in Ponentem Cauſſæ B. Hieronymi Cardin. Quirinum, & probat validitatem Proceſſuum ſuper miraculis pro Beatificatione. p. 77. col. 1.
Conſtituit in Relatorem Cauſſæ B. Joſephi Calaſanctii Franciſcum Card. Burgheſium. pag. 21. col. 1.
Bergomum urbs condita ab Orobiis, cum Como, & Foro Licinii. pag. 71. col. 2. in not.
Bergomenſis Epiſcopus Leander Porzia Abbas S. Pauli inter Cardinales adſcribitur a Benedicto XIII. pag. 18. col. 1. in not.
S. Bernardus laudatus. pag. 33. col. 1. in not.
Beuter Petrus Antonius laudatus. p. 23. col. 1. in not.
Bibliothecæ Cardinalis Imperialis fit Præfectus Julius Fontaninus. pag. 7. col. 1. in not.
Bibliothecam Caſanatenſem Card. Caſanate reliquit Cœnobio S. Mariæ ſupra Minervam. pag. 28. col. 2. in not.
Bingamius Joſephus laudatus. pag. 13. col. 2. in not.
Biturienſium Domus Ordinis Viſitationis erigitur a B. Joanna pag. 91. col. 2. in not.
Blanchinia Camilla mater Gregorii XV. pag. 15. col. 1. in not.
Bleſenſis Petrus laudatus. pag. 33. col. 1. in not.
Bobium urbs Ducatus Mediolanenſis. pag. 88. col. 2. in not.
Bochartus Samuel laudatus. pag. 31. col. 2. in not.
Boldettus laudatus. pag. 16. col. 2. in not.
Bonanni Philippus laudatus. pag. 15. col. 2. in not.
Bonifacius Joannes laudatus. pag. 71. col. 1. in not.
Borromei Vitalianus Mediolanenſis Legatus apud Joſephum II. Imperatorem fit Cardinalis. pag. 11. col. 2. in not.
Boſchi Joannis Caroli Cardinalis Majoris Pœnitentiarii vota in Conſiſtoriis ſemipublicis. pag. 210. col. 2., pag. 226. col. 2., pag. 257. col. 2., pag. 273. col. 2., pag. 303. col. 1., & pag. 321. col. 2.
Bottinius Proſper Fidei Promotor, Archiepiſcopus Myrenſis, & Fiſci Advocatus vir doctiſſimus. pag. 5. col. 2. in not.
Apopletico morbo corripitur, & ei datur in coadjutorem Joannes Baptiſta Bottinius fratris filius. pag. 6. col. 1. in not.
Ei mandavit Sac. Rit. Congregatio, ut videret, an ex Proceſſu B. Joannis neceſſaria eruerentur ad Officium, & Miſſam concedendam. p. 5. col. 2.
Ea de re ſententiam in Sac. Congregatione dixit. pag. 6. col. 1.
Boverius Zaccharias laudatus. pag. 83. col. 1. in not.
Brancatius Laurentius de Lauria Ordinis Conventualium fit Cardinalis ab Innocentio XI. p. 27. col. 2. in not.
Brancatius Franciſcus Maria Epiſcopus Caputaquenſis fit Cardinalis ab Urbano VIII. p. 73. col. 1. in not.
Novam inſtituit diſputationem de validitate Proceſſuum B. Hieronymi. pag. 60. col. 2.
Branciforte Antonius Vicelegatus Urbini fit Cardinalis. pag. 11. col. 1. in not.
Ejus vota in Conſiſtoriis ſemipublicis. pag. 211. col. 1., pag. 227. col. 1. pag. 258. c. 1. p. 274. c. 1. pag. 303. col. 2., & p. 323. col. 1.
Brendani Antonius Parochus S. Dorotheæ ſocius B. Joſephi Calaſanctii in opere Scholarum piarum. p. 14. col. 1. in not.
Brixia ædificata a Cenomanis. p. 71. col. 1. in not.
Bruni Philippi Epiſcopi Lyddenſis, & Suffraganei Sabinenſis vota in Conſiſtoriis ſemipublicis. p. 221. col. 2. pag. 238. col. 1. p. 268. col. 2. p. 284. c. 1. p. 317. c. 1. & p. 336. c. 2.
Buada Vincentia laborans paralyſi, perfecto crurum uſui reſtituitur Valentiæ ope B. Joſephi Calaſanctii. pag. 22. col. 2., & pag. 26. col. 1.
Pro quo miraculo litteræ remiſſoriales expediuntur. Ibid. & Proceſſus conficitur.
Buonaccorſi Simonis Cardinalis vota in Conſiſtoriis ſemipublicis. p. 210. col. 1., pag. 226. col. 2., p. 257. col. 1., p. 273. col. 1., p. 303. col. 1., & pag. 322. col. 1.
Burchelati Bartholomæus laudatus. p. 71. col. 1. in not.
Burgheſius Franciſcus fit Cardinalis a Benedicto XIII. pag. 18. col. 1. in not.
Relator Cauſſæ B. Joſephi Calaſanctii a Benedicto XIV. conſtituitur. pag. 21. col. 1. Obiit Epiſcopus Portuenſis. pag. 18. col. 2. in not.
Burgheſius Scipio Archiepiſcopus Theodoſiæ Congregationis Sacrorum Rituum a Secretis interfuit

Con-

Congregationi peculiari miraculorum B. Joannis. pag. 4. col. 1.
Ejuſdem Archiepiſcopi Theodoſiæ vota in Conſiſtoriis ſemipublicis. pag. 217. col. 1., pag. 233. col. 1., pag. 264. col. 2., pag. 280. col. 2., p. 310. col. 2., & p. 330. col. 1.

C

CÆremonia Oblationis in Miſſa Canonizationis. pag. 373. col. 1.
Cæremoniæ & ritus Beatificationis Servi Dei Gregorii Barbadici. p. 434.
Cæremoniæ in Capella Sixtina expletæ per Papam pro Canonizatione deſcenſurum ad Baſilicam Vaticanam. p. 361. col. 2.
Cæremoniæ & ritus tradendi galerum Cardinalitium novis Cardinalibus. p. 150. col. 1.
Cæremoniarum Magiſter monet cuſtodem Conſiſtorii ad dimittendum populum e Conſiſtorio ſecreto. p. 168. c. 1.
Cæremoniarum Magiſter ducit Cardinalem Rezzonico, & Advocatum Conſiſtorialem ad inſtandum pro Canonizatione. p. 363. col. 2.
Cæſarinus Alexander fit Cardinalis ab Urbano VIII., indeque Epiſcopus Viterbienſis. pag. 72. col. 2. in not.
Idem proponit dubium de validitate Proc. Apoſt. ſuper virtutibus B. Hieronymi Æmiliani. pag. 45. col. 1.
Cæſarinus Cajetanus Dux Equitum levis armaturæ monetur a Præfecto cæremoniarum de ſuo munere in die Canonizationis. pag. 355. col. 1.
Ejuſdem locus &c. p. 363. col. 1.
S. Cajetanus Ordinem Teatinorum inſtituit apud S. Dorotheam in regione Transtyberim. p. 14. col. 1. in not.
Calini Ludovicus Brixienſis Patriarcha Antiochenus, S. Spiritus in Saxia Præceptor fit Cardinalis. pag. 11. col. 2. in not.
Ejuſdem vota in ſemipublicis Conſiſtoriis. pag. 210. col. 2. pag. 217. col. 1., pag. 258. col. 1. pag. 274. col. 1., pag. 303. col. 2. & pag. 322. col. 2.
Idem defert Oblationes pro S. Seraphino. p. 374. col. 2.
Camberium urbs Galliæ. pag. 96 col. 2. in not.
Ibidem ad preces Principis Thomæ de Sabaudia domus Ordinis Viſitationis fundatur a B. Joanna de Chantal. pag. 91. col. 2. in not.
Camerarius Cleri ejus locus in ſupplicatione Canonizationis. pag. 360. col. 1.
Campanarum ſonitus omnibus Eccleſiis præcipitur edicto Card. Vicarii per horam in die Canonizationis. p. 347. col. 2.
Camucci Caroli Epiſcopi Juſtinopolitani vota in ſemipublicis Conſiſtoriis. pag. 315. col. 1., & p. 335. col. 2.
Canale Xaverius Pontificii ærarii Præfectus fit Cardinalis. pag. 11. col. 2. in not.
Ejuſdem vota in ſemipublicis Conſiſtoriis. pag. 214. col. 2., pag. 230. col. 2., p. 262. col. 1., p. 278. col. 1. pag. 307. col. 2., & pag. 327. col. 1.
Canepa Sebaſtianus fit Epiſcopus Nicopolitanus in Bulgaria. pag. 105. col. 1.
Caniſius Ven. Petrus laudatus. p. 33. col. 1. in not.
Canonici S. Anaſtaſiæ eorum locus in ſupplicatione Canoniſationis. pag. 360. col. 1.
Canonici S. Angeli, eorum locus &c. Ibid.
Canonici SS. Celſi, & Juliani, eorum locus &c. Ibid.
Canonici S. Euſtachii, eorum locus &c. Ibid.
Canonici S. Hieronymi Illyricorum, eorum locus &c. Ibid.
Canonici S. Marci, eorum locus &c. Ibid.
Canonici S. Mariæ ad Martyres, eorum locus &c. Ibid.
Canonici S. Mariæ in via lata eorum locus &c. Ibid.
Canonici S. Nicolai in Carcere eorum locus &c. Ibid.
Canonici Patriarchalium Baſilicarum munera Subdiaconi, Diaconi, & Presbyteri aſſiſtentis in Pontificiis cappellis ſuſtinentes, eorum locus &c. pag. 361. col. 1.
Canonici Regulares Lateranenſes, eorum locus &c. pag. 360. col. 1.
Canonici Regulares SSmi Salvatoris, eorum locus &c. pag. 359. col. 2.
Canonici Sacrario Baſilicæ Vaticanæ præfecti una cum Cardinali Archipresbytero offerunt Papæ presbyterium. p. 375. col. 1.
Canonizatio Sanctorum pertinet ad Romanum Pontificem cui judicium hujuſmodi eſt reſervatum. pag. 2. col. 1.
Ex qua reſervatione magna acceſſit dignitas Canonizationibus. Ibid.
Canonizationi aſſiſtentibus Indulgentiam plenariam elargitur edicto Card. Vicarii. pag. 346. col. 1.
Canonizationis in die ſonitus campanarum omnibus Urbis Eccleſiis indicitur edicto Card. Vicarii. p. 347. col. 2.
Cantoribus Pontificiæ Capellæ pro odeo contignatio prope ſimulacrum S. Elenæ fuit conſtituta. pag. 354. col. 1.
Iidem incedebant in ſupplicatione Canoniſationis canentes Hymnum *Ave Maris Stella*. pag. 361. col. 1.
Canus Melchior laudatus. pag. 33. col. 1. in not.
Cappellani Communes, & intimi, eorum locus in theatro Canonizationis. pag. 362. col. 1.
Iidem in ſupplicatione Canonizationis deferunt Thiaras & Mitras Pontificias. p. 362. col. 1.
Capreolus Elias laudatus. pag. 72. col. 1. in not.
Capitula S. Laurentii in Damaſo, & S. Mariæ Transtiberim, eorum locus in ſupplicatione Canonizationis. pag. 360. col. 1.
Capitulum S. Mariæ in Coſmedin, ejus locus &c. ibid.
Capitulum S. Mariæ Majoris, ejus locus &c. ibid.
Capitulum Vaticanum, ejus locus &c. ibid.
Capuccini Patres, eorum locus &c. pag. 359. col. 2.
Eorum Priores deferebant intorticia, & funes ante vexillum B. Seraphini. pag. 350. col. 2.
Carracciolo de Sancto Bono Card. Joannis Conſtantii, vota in Conſiſtoriis ſemipublicis. pag. 213. col. 1., pag. 229. col. 1., pag. 260. col. 2., pag. 276. col. 2., pag. 338. col. 2., & pag. 341. col. 2.
Carafa Petrus Archiepiſcopus Teatinus cum S. Cajetano inſtituit Ordinem Clericorum Regularium poſtea Paulus PP. IV. pag. 20. col. 1. in not.
Carafa Trajetto Franciſci Archiepiſcopi Patracen. vota in ſemipublicis Conſiſtoriis. pag. 216. col. 1. pag. 231. col. 1., pag. 263. col. 1., pag. 279. col. 2., pag. 309. col. 2., & pag. 329. col. 1.
2 Carcinomate Januarius Ranalli ope B. Seraphini ſanatur. pag. 85. col. 1.
Cardinalium promotio peracta a Clemente PP. XIII. pag. 11. col. 2 in not.
Cardinales SSmæ Inquiſitioni præpoſiti ediderunt decreta, quibus prohibebatur Beatorum honores tribui illis Dei Servis, qui per C. annos ante ipſa decreta publicum cultum non habuerant. p. 50. col. 1.
Cardinales SSmæ Inquiſitioni præpoſiti interdixere, ne publicus cultus B. Hieronymo Æmiliano exhiberetur. pag. 53. col. 1.
Cardinalibus antequam ad Conſiſtorium ſecretum venirent R. P. D. Carolus Alexius Piſani Fidei Promotor tranſmiſit compendia &c. p. 112. col. 1.
Cardinales Conſiſtorio ſecreto accedere pro Canonizatione debentes admonentur a cæremoniarum Præfecto. pag. 112. col. 2.

Cardinales tantum loqui poſſunt cum Pontifice quum Conſiſtorium ſit celebrandum. p.168. col.1.
Cardinales obedientiam Pontifici præſtant in Conſiſtorio publico. pag. 179. col. 1.
Cardinales, & Epiſcopi, qui Conſiſtoriis ſemipublicis non interfuere ſua ad R. P. D. Vincentium Macedonium S. R. C. Secretarium miſerunt vota. p. 238. col. 2.
Cardinales per ſchedulam monentur, quod Pontifex ad Lateranum, ad Baſilicas Liberianam, & Vaticanam oratum erat venturus. p. 296. col. 1.
Cardinales, qui Oblationes offerre debebant moniti fuere, ut nomina duorum nobilium aulicorum in ſcriptis mitterent R. P. D. de Comitibus. p. 357. col. 2.
Iidem inſtruuntur de ritu Canonizationis ſchedula Præfectus cæremoniarum. pag. 356. col. 2.
Cardinales, eorum locus &c. in ſupplicatione, & ſedes in theatro Canonizationis. p. 362. col. 2.
Ab eiſdem obedientia exhibetur Pontifici ante Canonizationem æque ac ab Epiſcopis, Abatibus, & Pœnitentiariis. pag. 363. col. 2.
Carletti Hugo ope B. Seraphini a paralyſi brachii liberatur. pag. 85. col. 1.
Carmelitæ, eorum locus in ſupplicatione Canonizationis. pag. 359. col. 2.
Carmelitæ Congregationis Mantuanæ, eorum locus in ſupplicatione Canonizationis. Ibid.
Carnotenſis Epiſcopus Ivo floruit Seculo XI. pag. 11. col. 1. in not.
Carnotenſis Epiſcopus S. Fulbertus. pag. 19. col. 2. in not.
Caroli Magni Capitularia laudata. p. 19. col. 1. in not.
Idem Imperator conſtituitur a S. Leone PP. III. p.25. col. 1. in not.
Ad eum Caturfus epiſtolam mittit, ut feſtum SSmæ Trinitatis in ſuo Regno jubeat celebrari. Ibid.
Carolus VI. Imperator in Hungariæ Regno in feſto S. Mariæ ad Nives victoriam de Turcis reportavit. pag. 26. col. 2. in not.
Carpineus Gaſpar Rotæ Auditor fit Cardinalis a Clemente X. p. 16. col. 1. in not.
Idem obiit Epiſcopus Sabinenſis. Ibid.
Idem curat conſtrui Romæ Proceſſum ſuper fama in genere B. Joſephi Calaſanctii. pag. 17. col. 1.
Agit de non cultu ejuſdem Beati. p. 15. col. 2.
Conſtruxit Proceſſum ſuper fama in genere B. Joſephi a Cupertino. pag. 29. col. 2.
Caſali Antonius Urbis Gubernator, ejus locus in ſupplicatione Canonizationis. pag. 362. col. 2.
Caſanate Hieronymus fit Cardinalis a Clemente PP. X. pag. 28. col. 2. in not.
Inſtructiſſimam comparavit Bibliothecam, quam reliquit cœnobio S. Mariæ ſuper Minervam. Ibid.
Voluit ut ibidem ſex Theologi magni nominis ex Italia, Gallia, Belgio, Germania, & Anglia deſumpti, operam darent illuſtrandis morum, & Fidei controverſiis. Ibid.
Et duo Theologi exponerent Summam S. Thomæ Aquinatis. Ibid.
Lapis ejus ſepulcralis. ibid.
Caſaubonus Iſaac laudatus. p. 33. col. 1. in not.
Caſſiodorus laudatus. pag. 10. col. 1. in not.
Caſtelli Card. Joſephi Mariæ vota in Conſiſtoriis ſemipublicis. p. 208. col. 2., pag. 224. col. 1., p. 255. col. 2., pag. 271. col. 2. pag. 308. col. 1., & p. 320. col. 1.
Caſus exceptus in cauſſa B. Seraphini feliciter reſolutus. p. 84. col. 2.
Caturfus Epiſcopus ad Carolum Magnum inſtitit pro celebratione feſti SSmæ Trinitatis. pag. 25. col. 1. in not.
de Cavaleriis Marchio Gaſpar Capitaneus militum Cataphractorum monetur a cæremoniarum Magiſtris de ſuo munere in die Canonizationis. p. 355. col. 1.
Cavalchini Carolus Albertus Guidobonus Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis, Papæ Prodatarius ſuffragium tulit in peculiari Congregatione ſuper miraculis B. Joannis Cantii. pag. 4. col. 1.
Ejuſdem vota in Conſiſtoriis ſemipublicis. pag. 239. col. 1., p. 243. col. 1., p. 253. col. 2., p. 269. col. 2., p. 299. col. 2., & p. 317. col. 2.
Idem defert Oblationes pro B. Joanne Cantio. p. 373. col. 2.
Caucci Philippi Joſiæ Patriarchæ Conſtantinopolitani vota in Conſiſtoriis ſemipublicis. pag. 240. col. 1., p. 243. col. 2., p. 286. col. 1., p. 290. col. 2., p. 308. col. 2., & p. 328. col. 1.
Ceccherini Chriſtina monialis Capuccina ſanatur ope B. Joſephi Calaſanctii. p. 18. col. 1.
De ejuſdem ſanitatis continuatione inquiritur. ibid.
Cellotius laudatus. p. 19. col. 2. in not.
Celſus Angelus Romanus Rotæ Auditor fit Cardinalis. pag. 2. col. 2. in not.
Idem Relator fuit in cauſſa B. Joannis Cantii. p. 2. col. 2.
Cenomanenſem in Epiſcopum eligitur Laurentius Andreas de Grimaldis Vicarius Archiepiſcopi Rhemenſis. p. 205. col. 2.
Cerei diſtribuuntur Cardinalibus, Epiſcopis, ceteriſque Romanæ Curiæ Præſulibus a Magiſtris cæremoniarum in Sixtino ſacello pro ſupplicatione Canonizationis. pag. 359. col. 2.
Eoſdem dividunt Poſtulatores ceteris de Clero Seculari, & Regulari, qui ſupplicantium in more incedebant. ibid.
Chiappenſem in Epiſcopum eligitur a Clemente PP. XIII. Michael de Zilieza, & Velaſco Adrumeti titularis Epiſcopus. p. 168. col. 1.
Chiſii Cardinalis Flavii vota in ſemipublicis Conſiſtoriis. p. 212. col. 1., p. 228. col. 2., pag. 260. col. 1., p. 275. col. 2., p. 305. col. 2., & p. 324. col. 2.
Chriſti, & S. Joannis Baptiſtæ nativitas tantum IV. Eccleſiæ ſeculo celebrabatur. p. 18. col. 2. in not.
Cicconius laudatus. p. 25. col. 2. in not.
Cioja Franciſcus Maria Emi Vicarii locumtenens, ejus locus in ſupplicatione. p. 360. col. 1.
Circumciſionis feſtus commemoratur a Patribus Concilii Turonenſis. p. 11. col. 1. in not.
Ciſtercienſis Ordinis Abbas in feſto SSmæ Trinitati Miſſam celebrabat, ut in ſollemnioribus feſtivitatibus in cœnobio. p. 25. col. 2. in not.
Civitas Plebis urbecula Umbriæ. p. 23. col. 1. in not.
In eadem civitate Anna Maria Eleuteria Pela a polypo in aure ope B. Joſephi Calaſanctii liberatur. pag. 22. col. 2.
Civitatis Caſtellanæ, & Ortanæ Epiſcopi Franciſci Mariæ Forlani vota in Conſiſtoriis ſemipublicis. p. 339. col. 2., & pag. 342. col. 2.
Clemens PP. VII. probavit Ordinem Capuccinorum. pag. 82. col. 1.
Clemens PP. VIII. probavit Conſtitutiones Congregationis Somaſchenſis. p. 42. col. 1. in not.
Collegium Clementinum exciravit, deditque Somaſchenſibus gubernandum. Ibid.
Clemens PP. IX. ſignavit Commiſſionem Cauſſæ B. Joſephi Calaſanctii. p. 15. col. 2., & p. 17. col. 1.

Ordi

Digitized by Google

Ordinem Regularem declaravit Scholas Pias. p. 15. col. 2. in not.
Clamens PP. X. conſtituit Cardinalem Gaſparem Carpineum. pag. 16. col. 1. in not.
Ad preces Mariannæ Reginæ viduæ Hiſpaniarum, conceſſit, ut per Provincias Regi Catholico ſubjectas feſtus Roſarii celebraretur. p. 26. col. 2. in not.
Diſpenſavit ſupra defectus, qui contra validitatem Proceſſuum B. Hiaronymi militabant. p. 62. col. 2.
Clemens PP. XI. eligit in Cardinales Ludovicum Picum e Ducibus Mirandulæ. p. 3. col. 1. in not.
Ludovicum Balluga Epiſcopum Carthaginenſam. p. 20. col. 1. in not.
Franciſcum Mariam Caſini Ordinis Capuccinorum. p. 82. col. 1. in not.
& Carolum de Marinis pag. 85. col. 1. in not.
Poſt mortem Joannis Baptiſtæ Bottinii diviſit munera Advocati Fiſci, & Promotoris Fidei, quæ ab una aademqua perſona antea ſuſtinebantur. p. 6. col. 1. in not.
Præcapit feſtum Roſarii in univerſa Eccleſia celebrari. pag. 26. col. 2. in not.
Canonizavit S. Felicem a Cantalicio. p. 82. col. 1. in not.
Commiſſionam reaſſumptionis Cauſſæ B. Seraphini ſignavit. p. 84. col. 2.
Conceſſit, ut ſigna Judicum in Proceſſu Apoſtolico ſuper virtutibus B. Seraphini per comparationes recognoſcerentur. p. 84. col. 1.
Commiſſionem Cauſſæ B. Joannæ de Chantal ſignavit. p. 93. col. 1.
Elegit in Procuratorem Canonizationis Annibalem, Albani fratris filium. p. 177. col. 1.
Clamens PP. XII. declarat haroicas virtutes B. Joannis. p. 3. col. 1.
Indulſit, ut de virtutibus B. Joannis ageretur in Congregationa Ordinaria. p. 7. col. 2.
Conſtituit in Ralatorem Cauſſæ B. Joſephi Calaſanctii Cardinalem Porzia. p. 20. col. 2.
Decreto ſuo declaravit heroicas virtutes B. Joſephi a Cupertino. p. 32. col. 2.
Et Virtutes B. Hiaronymi probavit. p. 76. col. 2.
Clemens PP. XIII. viros ampliſſimos ad Cardinalitiam dignitatam promovet. p. 11. col. 2. in not.
Habuit coram ſe Congregationem generalem ſuper novis miraculis B. Joannis. p. 4. col. 1.
Ei ſupplicant Poſtulatores pro approbatione miraculorum B. Joannis Cantii, da quibus actum fuerat ſub Benedicto XIV. ibid.
Qua de cauſa ſtatuit peculiarem Congregationem Eminentiſſimorum Patrum, & RR. Conſultorum. Ibid.
Diſtulit publicare decretum approbativum miraculorum B. Joannis ad feſtum Circumciſionis Domini. p. 10. col. 2. & pag. 11. col. 1.
In Promotorem Fidei elegit Carolum Alaxium Piſani. pag. 12. col. 1. in not.
Præſentia ſua condecoravit Congregationem generalem ſuper miraculis B. Joannis Cantii. p. 10. col. 2. quæ decreto ſuo approbat. p. 11. col. 2. & alteram *an tuto &c.* p. 13. col. 1. & Congregationem miraculorum B. Joſephi Calaſanctii, quorum duo approbat. p. 25. col. 1. & alteram *an tuto &c.* p. 26. col. 2.
Etiam interfuit Congregationi miraculorum B. Joſephi a Cupertino, quæ approbat. p. 39. col. 2. & alteri *an tuto &c.* p. 40. col. 2.
Sicut & Congregationi generali miraculorum B. Hieronymi Æmiliani, quorum duo approbat. pag. 81. col. 1. & alteri *an tuto &c.* p. 82. col. 1.
Et Congregationi generali miraculorum B. Seraphini, quorum duo approbat. pag. 90. col. 1. & altari *an tuto &c.* p. 90.
Et Congregationi miraculorum B. Joannæ de Chantal, quorum duo approbat. pag. 103. col. 2. & alteri *an tuto &c.* p. 104. col. 1.
Conſtituit Ponentem Cauſſæ B. Hieronymi Card. Rezzonico. pag. 79. col. 1.
Conſtituit, ut diebus Dominicis recitetur in Miſſa *Præfatio* SS. Trinitatis. pag. 80. col. 1. in not.
Novum non inſtituit ritum, ſed antiquum reſtituit. Ibid.
Canonizationem celebrandam voluit XVI. Kalendas Auguſti anni MDCCLXVII., qua dia ſacra Thiara fuerat redimitus. pag. 105. col. 1.
Auream Roſam benedixit in Dominica *Lætare*. p. 89. col. 2.
Indulgentias conceſſit in diebus Rogationum iis, qui intereſſent & pro futura Canonizatione preces funderent. pag. 120. col. 2.
Indulgentias illis conceſſit, qui ſupplicationem S. Marci Evangeliſtæ comitarentur, vel ejus Eccleſiam, aut Vaticanam inviſerant Baſilicam, & oracent pro futura Canonizatione. pag. 110. col. 1. & 2.
In Conſiſtorio ſecreto declaravit Epiſcopum Chiappenſem Michaelem de Zilieza, & Velaſco Adrumeti Epiſcopum. pag. 168. col. 1.
In eodam declaravit Epiſcopum Zamorenſem Antonium Torge & Galbani Decanum Cæſarauguſtanum. Ibid.
Ejuſdem Pontificis allocutio in Conſiſtorio ſecreto ad Cardinales antaquam Card. Feroni Canonizantiam virtutas exponeret. Ibid.
Altera allocutio, qua indicit duo publica Conſiſtoria celebranda pro Canonizatione. pag. 177. col. 1.
Elegit in Procuratorem Canoniaationis Carolum Card. Rezzonicum fratris filium. Ibid.
Ornatus, & comitatus ajuſdem Pontificis ad Conſiſtorium publicum venientis deſcribitur. pag. 178. col. 2.
Statuit, ut in Conſiſtoriis ſemipublicis ratio haberatur de duobus Beatis. pag. 204. col. 2.
Antequam Conſiſtorium ſemipublicum inciperet aliquot creavit Epiſcopos. pag. 205. col. 1.
Ejuſdem allocutio in Conſiſtorio ſemipublico pro BB. Joanne Cantio, & Joſepho Calaſanctio. Ibid.
Exquirit ſuffragia Cardinalium &c. in Conſiſtorio ſamipublico pro B. Joſepho Calaſanctio. pag. 222. col. 1.
Et altera, qua dimittit Conſiſtorium ſemipublicum pro BB. Joanne, & Joſapho Calaſanctio. p. 238. col. 1.
Pro Ecclaſiæ neceſſitatibus, & impetrando lumine in negotio Canonizationis indixit ſupplicationem utriuſque Cleri a Baſilica Vaticana ad templum S. Spiritus in Saxia ita appellatum, quia ibidem antiquitus Schola Angloſaxonum erat conſtituta. pag. 248. col. 1.
Feria II. Pantecoſtes Miſſam calebravit in choro Baſilicæ Vaticanæ. pag. 251. col. 2.
Supplicabundus pedes venit ad Templum S. Spiritus. pag. 251. col. 1.
Populo cum Euchariſtia benedixit. Ibid.
In Conſiſtorio clauſit, & aperuit os Card. Paracciani; Titulumque dedit S. Calliſti. pag. 252. col. 2.
Ejuſdem Pontificis allocutio in Conſiſtorio ſemipublico pro BB. Joſepho a Cupertino, & Hieronymo. pag. 253. col. 1.
Altera allocutio in dimittendo Conſiſtorio ſamipublico pro dictis Beatis. pag. 285. col. 1.
Nobilibus aulicis præbuit Euchariſtiam propria manu in ſacello Palatii Quirinalis. pag. 296. col. 1.

Qqq 2 Con.

Conceſſit Indulgentiam plenariam iis, qui tribus diebus jejunantes accederent ad orandum ad unam Baſilicarum Patriarchalium, in qua SS. Sacramentum erat expoſitum. pag. 294. col. 2.
Allocutio in Conſiſtorio ſemipublico pro BB. Seraphino, & Joanna. pag. 298. col. 1.
Altera allocutio in dimittendo Conſiſtorio ſemipublico pro eiſdem BB. pag. 337. col. 2.
Pretioſis induitur veſtibus pro ſupplicatione Canonizationis. p. 361. col. 1.
Antequam in ſupplicatione Canonizationis veheretur præcinuit Hymnum *Ave Maris Stella*. p. 361. col. 2.
Ut in geſtatoria ſella ſe compoſuit tres cereus a Cardin. Rezzonico Procuratore Canonizationis accepit. Ibid.
Quorum minorem manu ſuſtinuit in ſupplicatione, unum autem ex majoribus deferendum dedit Laurentio Columna Comeſtabili. pag. 361. col. 2.
Eidem Summo Pontifici ter inſtatur ab Advocato Conſiſtoriali Philippo Durani nomine Card. Rezzonico pro Canonizatione Beatorum. pag. 363. col. 2.
Clementiæ ſimulacrum ad latus throni Pontificii. pag. 353. col. 2.
Clementinum collegium fundatum a Clemente VIII. pag. 42. col. 1. in not.
Clerici Cameræ ſedent in theatro ad gradus throni Pontificii. pag. 352. col. 2.
Eorum locus in ſupplicatione Canonizationis. pag. 361. col. 1.
Clerus Secularis, & Regularis monetur edicto Card. Vicarii, ut ſupplicationi pro Canonizatione interſit. pag. 346. col. 2.
Cluverius Philippus laudatus pag. 31. col. 2. in not., pag. 71. col. 2. in not. & pag. 78. col. 1. in not.
Coccinus Joannes Baptiſta, Philippus Pirovanus, & Clemens Merlinus Rotæ Auditores exararunt Relationem ſuper virtutibus B. Hieronymi Æmiliani. pag. 42. col. 2.
Codex Theodoſianus laudatus. pag. 10. col. 1. in not.
Collegii Romani alumni eorum locus in ſupplicatione Canonizationis &c. pag. 360. col. 1.
Collegii Salviati alumni eorum locus in ſupplicatione Canonizationis &c. pag. 359. col. 2.
Colica nephritica, ac violenta febri laborantem Eliſabetham Zandadelli B. Hieronymus ſanat. pag. 79. col. 1.
Colloredus Leander ex Presbytero Oratorii fit Cardinalis. pag. 3. col. 1. in not.
Inde major Pœnitentiarius. Ibid.
Relator Cauſſæ B. Joannis. pag. 3. col. 1.
Incipit examen ſcriptorum, quæ B. Joanni tribuebantur. pag. 7. col. 1.
Curat removere quodlibet dubium, quod occurrebat circa validitatem Proceſſuum B. Hieronymi. pag. 70. col. 1.
Colombini Joannis Baptiſtæ Archiepiſcopi Beneventani vota in Conſiſtoriis ſemipublicis. pag. 216. col. 2., pag. 232. col. 2., pag. 264. col. 1., pag. 280. col. 1., pag. 310. col. 1., & pag. 330. col. 1.
Colonia Romanorum declaratur Florentia ab Octaviano Cæſare Auguſto, Marco Antonio, & Lepido. pag. 21. col. 2. in not.
Columella laudatus. pag. 10. col. 1. in not.
Columna Marcus Antonius Cardinalis S. Mariæ de Pace, Papæ Vicarius, Liberianæ Baſilicæ Archipresbyter interfuit Congregationi peculiari ſuper miraculis B. Joannis. pag. 4. col. 1.
Relator Cauſſæ B. Joſephi Calaſanctii. p. 25. col. 2.
Retulit de miraculis ejuſdem Beati in Congregationibus antepræparatoria, & generali. pag. 23. col. 1.
Edictum propoſuit Indulgentiarum in feſto S. Marci Evangeliſtæ, & in Rogationibus. pag. 110. col. 2.
Ejuſdem Cardinalis vota in Conſiſtoriis ſemipublicis. p. 210. col. 1., pag. 226. col. 1., pag. 257. col. 1. pag. 273. col. 1., pag. 302. col. 2., & pag. 322. col. 1.
A cæremoniarum Magiſtris monetur de iis, quæ præcipere debebat ad rite ſollemnia Canonizationis inſtituenda. Formula hujus inſtructionis. p. 344. col. 2.
Columna Laurentius Comeſtabilis nomine Ferdinandi IV. præbuit vectigal Clementi PP. XIII. p. 296. col. 1.
Cereum accepit a Pontifice, geſtandum in ſupplicatione Canonizationis. pag. 362. col. 2.
Columnenſis familiæ contignationes ad dexteram Pontificii throni poſitæ in theatro Canonizationis. p. 354. col. 1.
de Comitibus Petri Pauli Cardinalis vota miſſa ad R. P. D. Macedonium Sacrorum Rituum Congregationis a Secretis. p. 239. col. 1., p. 243. col. 1., p. 285. col. 2., pag. 290. col. 2., p. 338. col. 2., & p. 341. col. 2.
Commiſſarius armorum monetur a Magiſtris cæremoniarum de ſuo munere in die Canonizationis. p. 355. col. 2
Commiſſarius Cameræ ejus locus in ſupplicatione Canonizationis. p. 362. col. 1.
Commiſſio Cauſſæ B. Joannis ſignatur ab Urbano VIII. p. 2. col. 2. & p. 5. col. 1.
Commiſſio reaſſumptionis Cauſſæ B. Joannis ſignatur ab Alexandro VII. p. 5. col. 1.
Commiſſio Cauſſæ B. Joſephi Calaſanctii firmatur a Clemente IX. pag. 15. col. 2. & p. 17. col. 1.
de Commiſſione Cauſſæ B. Joſephi a Cupertino agitur per Cardinalem Caſanate loco Card. Friderici Columnæ. pag. 28. col. 2.
Commiſſio Cauſſæ B. Joſephi a Cupertino ſignatur ab Innocentio XI. ibid.
Commiſſio Cauſſæ B. Hieronymi ſignatur a Gregorio XV. p. 42. col. 1.
Commiſſio reaſſumptionis Cauſſæ ejuſdem Beati ſignatur ab Alexandro VII. p. 56. col. 1.
Commiſſionem reaſſumptionis Cauſſæ B. Seraphini ſignat Clemens XI. p. 84. col. 2.
Commiſſio Cauſſæ B. Joannæ a Clemente XI. ſignatur. p. 93. col. 1.
Compatronus principalis Regni Poloniæ, & magni Ducatus Lithuaniæ nominatur B. Joannes Cantius. p. 8. col. 1.
Compendia &c. Beatorum mittuntur a R. P. D. Carolo Alexio Piſani Promotore Fidei ad Advocatos Conſiſtoriales. pag. 177. col. 2. & mittuntur ad Cardinales. p. 112. col. 1.
Pariter ad Epiſcopos Conſiſtoriis ſemipublicis intereſſe debentes. p. 203. col. 1.
Compendium &c. B. Joannis Cantii. p. 113. col. 1.
Compendium &c. B. Joſephi Calaſanctii. p. 120. col. 2.
Compendium &c. B. Joſephi a Cupertino. pag. 132. col. 2.
Compendium &c. B. Hieronymi Æmiliani. pag. 141. col. 2.
Compendium &c. B. Seraphini ab Aſculo. pag. 148. col. 2.
Compendium &c. B. Joannæ Franciſcæ de Chantal. pag. 156. col. 2.
Concilium generale V. Conſtantinopolitanum II. pro tri-

tribus Capitulis. pag. 16. col. 2. in not.
Concilium Turonenſe anni. 567. pag. 11. col. 1. in not. Patres ejuſdem Concilii mentionem faciunt de feſto Circumciſionis Domini ibid.
Concilii Secretarius per epiſtolam Romam ad Canonizationem vocat Italiæ Epiſcopos. p. 109. col. 1. & 2.
Congregationis Boni Regiminis Secretarius Angelus Celſus. p. 2. col. 2. in not.
Congregationis Concilii Secretarius Franciſcus Maria Pirelli fit Cardinalis. pag. 11. col. 2. in not.
Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ Sacerdotes ſocii B. Joſepho Calaſanctio in opere Scholarum piarum. p. 14. col. 1. in not.
Congregationis Epiſcoporum, & Regularium Secretarius Joſeph Simonetti fit Cardinalis. pag. 11. col. 2. in not.
Congregatio Ordinaria Sacrorum Rituum inſtituit examen virtutum B. Joannis, eaſque approbat. pag. 3. col. 1.
Congregatio antepræparatoria ſuper miraculis pro Beatificatione S. D. Joannis Cantii penes Card. Cybum. pag. 3. col. 2.
Congregatio altera antepræparatoria ſuper novis miraculis B. Joannis. p. 4. col. 1.
Congregatio præparatoria ſuper miraculis pro Beatificatione Ven. Joannis Cantii. p. 3. col. 2.
Congregatio generalis ſuper miraculis B. Joannis habita coram Benedicto XIV. pag. 3. col. 2., & p. 9. col. 1.
Congregatio generalis ſuper novis miraculis B. Joannis habita coram Clemente PP. XIII. pag. 4. col. 1.
Congregatio altera ſuper antiquis miraculis ejuſdem Beati diſcuſſis coram Benedicto XIV. ibid.
Congregatio generalis ſuper dubio *An tuto* &c. in cauſſa B. Joannis coram Clemente PP. XIII., qui ſententiam proferre diſtulit. p. 12. col. 2. & p. 13. col. 1.
Congregatio Sac. Rituum declaravit non conſtare ſcripta attributa B. Joanni eſſe ipſius Beati. p. 7. col. 2. Tranſtulit feſtum Beati Joannis a die 9. Auguſti ad diem 19. Octobris. p. 6. col. 1.
Congregationes antepræparatoria, præparatoria, & generalis ſuper virtutibus B. Joſephi Calaſanctii. pag. 17. col. 2.
Eaſque approbavit Benedictus XIII. p. 18. col. 2.
Congregationes antepræparatoria, præparatoria, & generalis, cui interfuit Benedictus XIV. ſuper miraculis pro Beatificatione Ven. Joſephi Calaſanctii. p. 18. col. 2.
Congregationes antepræparatoria, et præparatoria ſuper miraculis B. Joſephi Calaſanctii. pag. 24. col. 1. & pag. 25. col. 2.
Congregatio generalis ſuper miraculis B. Joſephi Calaſanctii coram Clemente PP. XIII. pag. 24. col. 2. Eorumdem approbatio in feſto Sanctiſſimæ Trinitatis. Ibid.
Congregatio generalis ſuper *tuto* &c. in cauſſa B. Joſephi Calaſanctii coram Clemente PP. XIII. p. 26. col. 2.
Congregatio generalis ſuper miraculis pro Beatificatione S. D. Joſephi a Cupertino coram Bened. XIV. p. 34. col. 1.
Congregationes antepræparatoria, præparatoria, & generalis coram Clemente PP. XIII. ſuper miraculis B. Joſephi a Cupertino. p. 36. col. 2.
Congregatio generalis ſuper *tuto* &c. in cauſſa B. Joſephi a Cupertino coram Clemente PP. XIII. p. 39. col. 2.
Congregatio generalis ſuper virtutibus B. Hieronymi coram Clemente XII. p. 71. col. 2.
Congregationes antepræparatoria, præparatoria, & generalis ſuper miraculis B. Hieronymi. pag. 79. col. 2.
Congregatio generalis ſuper *tuto* &c. in cauſſa B. Hieronymi coram Clemente PP. XIII. p. 81. col. 2.
Congregatio particularis pro diſcutiendis virtutibus B. Seraphini. p. 84. col. 2.
Congregatio antepræparatoria, præparatoria, et generalis ſuper miraculis B. Seraphini.
Congregatio generalis ſuper *tuto* &c. in cauſſa B. Seraphini coram Clemente PP. XIII. p. 90. col. 2.
Congregatio præparatoria ſuper virtutibus B. Joannæ. pag. 94. col. 2.
Congregatio generalis ſuper virtutibus B. Joannæ habita coram Benedicto XIV. p. 95. col. 1.
Congregationes antepræparatoria, duæ præparatoriæ, & generalis coram Benedicto XIV. ſuper miraculis pro Beatificatione Ven. Joannæ. p. 100. col. 2.
Congregationes antepræparatoria, præparatoria, & generalis ſuper miraculis B. Joannæ coram Clemente PP. XIII. pag. 102. col. 1.
Congregatio generalis ſuper *tuto* &c. in Cauſſa B. Joannæ coram Clemente PP. XIII. p. 103. col. 2.
Congregatio peculiaris pro ſtabiliendo primum honoris locum inter B. Joſephum a Cupertino, & B. Hieronymum. p. 108. col. 2.
a Conceptione Alexius laudatus. p. 15. col. 2. in not.
Conſervatores, et Prior capitum regionum eorum locus in ſupplicatione Canonizationis. p. 362. col. 2.
Conſiſtorium per curſores intimatur. p. 167. col. 2.
Conſiſtoria publica duo præſcribuntur a Pontifice celebranda pro Canonizatione. p. 177. col. 1.
Conſiſtorii publici intimatio facta a Curſoribus. p. 177. col. 2.
Altera ejuſdem Conſiſtorii intimatio. p. 188. col. 2.
Conſiſtorium ſemipublicum pro BB. Joanne, & Joſepho Calaſanctio, in quo alloquutus eſt Clemens PP. XIII. p. 205. col. 2.
Conſiſtorii ſemipublici pro BB. Joſepho a Cupertino, et Hieronymo intimatio. p. 251. col. 2.
Conſiſtorii hujus ſemipublici ſchedula intimationis. p. 297. col. 2.
Conſiſtorium ſemipublicum pro BB. Joſepho a Cupertino, et Hieronymo, in quo alloquutus eſt Summus Pontifex. pag. 253. col. 1.
Conſiſtorium ſemipublicum pro BB. Seraphino, et Joanna, in quo alloquutionem emiſit Summus Pontifex. p. 337. col. 2.
Conſules Romani Kalendis Januarii adibant Magiſtratum. p. 10. col. 1. in not.
Conſultorum Sacrorum Rituum Congregationis ſedes in theatro Canonizationis. p. 352. col. 2.
Eorumdem locus in ſupplicatione Canonizationis. p. 360. col. 1.
Conſtantinopolitanus Patriarcha Volumnius Bandinelli. p. 2. col. 1. in not.
Conſtantinopolitanus Patriarcha Joſias Caucci. pag. 240. col. 1.
Contignationes ligneæ, ex quibus matronæ, et principes viri ſpectarent ſollemnia Canonizationis. p. 353. col. 2.
Contignationes ad dexteram throni Pontificii in theatro Canonizationis pro Oratoribus Principum, alteræ pro Senatore Urbis, et Familia Columna aſſignatæ. p. 354. col. 1.
Contignationes proximæ throno Pontificio in theatro Canoni-

Digitized by Google

nonizationis aſſignatæ fuere Poſtulatoribus. ibid.
Contignatio ad Veronicam Magiſtro Sacri Hoſpitii aſſignata. Ibid.
Contignatio ad S. Elenam pro odeo cantoribus Pontificiis aſſignata. Ibid.
Contignatio ad S. Longinum pro nobilibus matronis conſtituta. Ibid.
de Continuatione ſanitatis Mariæ Conſtantiæ Caminati Tuderti per Epiſcopum inquiritur. p. 24. col. 1.
Conventuales ſub Leone X. habere cœperunt Generalem Miniſtrum. p. 27. col. 2. in not.
Propagationi Evangelii incumbunt per Hungariam, Moldaviam, et Tranſilvaniam. p. 28. col. 1. in not.
Per Hetruriam, et Venetam Ditionem Inquiſitorum munus ſuſtinent. Ibid.
Aſſiſii cuſtodiunt exuvias S. Franciſci, et Patavii S. Antonii. p. 27. col. 2. in not.
Iiſdem Benedictus XIII. conceſſit Eccleſiam S. Dorotheæ, eamque reædificarunt. p. 14. col. 1. in not.
Eorumdem Priores deferebant intortitia, et funes ante vexillum B. Joſephi a Cupertino. pag. 360. col. 2.
Ex eodem Ordine prodiere Sixtus IV. p. 27. col. 2. in not.
Necnon Sixtus V. ibid.
Et Cardinalis Laurentius Ganganelli. pag. 28. col. 1. in not.
Cophti ſollemniter celebrabant feſtum Nativitatis Virginis. p. 19. col. 2. in not.
Iidem ſumma veneratione celebrabant Purificationem Virginis. pag. 13. col. 2. in not.
Corcyra urbs in octava Aſſumptionis Turcarum obſidione liberatur. pag. 26. col. 2. in not.
Comarus Joannes Rotæ Auditor ſacris indutus veſtibus poſt Crucem inter alumnos Collegii Græci veniebat in ſupplicatione Canonizationis. pag. 362. col. 2.
Corona Templi Vaticani pro Canonizatione villoſo oloſerico circumamicta. pag. 348. col. 2.
Corpus B. Joannis ex Collegiata Eccleſia S. Annæ transfertur ad Cappellam univerſitatis Academiæ Cracovienſis. pag. 6. col. 1.
Corſini Cardinalis Andreæ vota in Conſiſtoriis ſemipublicis. pag. 213. col. 2., p. 229. col. 2., pag. 261. col. 1., pag. 277. col. 1., pag. 306. col. 1., et pag. 325. col. 2.
Corſini Cardinalis Nereus Archipresbyter Baſilicæ Lateranenſis cum ceteris Cardinalibus excepit Pontificem ad Lateranum venientem. pag. 296. col. 2.
Ejuſdem Cardinalis vota in ſemipublicis Conſiſtoriis. pag. 212. col. 1., pag. 228. col. 1., p. 259. col. 2., pag. 275. col. 2., pag. 305. col. 1., et pag. 324. col. 1.
Ejuſdem locus in ſupplicatione Canonizationis. pag. 362. col. 2.
de Coſta Hilarius laudatus. pag. 92. col. 2. in not.
Coſtagutus Joannes Baptiſta fit Cardinalis ab Alexandro VIII. pag. 29. col. 2. in not.
Cracovia urbs princeps in minori Polonia. pag. 4. col. 2. in not.
Cracovienſis Academia. pag. 5. col. 2. in not.
Ibique docuit B. Joannes Philoſophiam, ac Theologiam. pag. 2. col. 2., et pag. 4. col. 2.
Cracovienſis Epiſcopus conſtruit Proceſſus Apoſtolica auctoritate ſuper virtutibus, et miraculis B. Joannis. pag. 2. col. 2.
Et ſuper Caſu excepto. Ibid.
Eidem mittuntur litteræ remiſſoriales pro conſtruendis Proceſſibus ſuper novis miraculis B. Joannis. pag. 9. col. 1.
Ob mortem Vicarii Generalis Cracovienſis ſubrogatur novus Vicarius pro compilandis Proceſſibus. Ibid.
Cracovienſi Vicario Generali datur facultas a Sac. Rit. Congregatione nominandi Dignitates, et Canonicos in Judices pro abſolvendis Proceſſibus ſuper miraculis B. Joannis. pag. 8. col. 1.
Cracovienſes ſtatim poſt obitum venerati ſunt B. Joannem. pag. 2. col. 2., et pag. 5. col. 1.
Cromerus Martinus laudatus. pag. 4. col. 1. in not.
Cubicularii extra Cameram eorum locus in ſupplicatione Canonizationis. pag. 362. col. 1.
Cultum publicum exhiberi Dei Servis non Beatificatis inhibuit Urbanus VIII. per decreta SS. Inquiſitionis. pag. 28. col. 2.
de Cultu immemorabili B. Joannis Proceſſus conficiuntur. pag. 5. col. 2.
Idemque cultus probatur. pag. 2. col. 2.
Cultus B. Hieronymo ſine Sedis Apoſtolicæ auctoritate præſtitus inhibetur a SS. Inquiſitione. pag. 53. col. 1.
Curſores Dominica die accedunt ad Pontificem, conſuetaque formula ab eo efflagitant, an ſit Conſiſtorium. pag. 167. col. 2.
Curſores veniunt ad Cardinales, illiſque conſueta formula nuntiant Conſiſtorium. Ibid.
Curſorum intimatio pro publicis Conſiſtoriis. pag. 177. col. 2. et pag. 188. col. 2.
Cuſtos Conſiſtorii in Conſiſtorio ſecreto foras omnes præter Cardinales dimittit. p. 168. col. 1.
Cybus Camillus ex Principibus Maſſæ fit Cardinalis. p. 3. col. 2. in not.
Pro Card. Pico habet Congregationem antepræparatoriam in Cauſſa B. Joannis. pag. 3. col. 2.
Ejuſdem obitus. pag. 3. col. 2. in not.
Cyprii feſtivo apparatu celebrabant Purificationem Virginis. pag. 13. col. 2. in not.
Cyrenenſis Epiſcopi Nicolai Saverii Sanctæ Mariæ vota in ſemipublicis Conſiſtoriis. p. 265. col. 1., p. 281. col. 1., pag. 311. col. 1., et pag. 331. col. 1.

D

DAlman de Racoberti Raymundus laudatus. pag. 16. col. 1. in not.
Decretum approbativum miraculorum B. Joannis promulgatur die feſto Circumciſionis Domini. pag. 11. col. 2.
Decretum Canonizationis ejuſdem Beati in feſto Purificationis publicatur a Clemente PP. XIII. p. 13. col. 2.
Præſentibus Cardinalibus Albani, et Feroni, ac Promotore Fidei, et Secretario Sac. Congregationis Rit. pag. 14. col. 2.
Decretum approbationis duorum miraculorum B. Joſephi Calaſanctii. pag. 25. col. 1.
Decretum Canonizationis ejuſdem Beati. p. 27. col. 1.
Decretum miraculorum B. Joſephi a Cupertino. pag. 39. col. 1.
Decretum Canonizationis dicti Beati editum in die Purificationis Virginis. pag. 40. col. 2.
Decretum duorum miraculorum B. Hieronymi. pag. 81. col. 1.
Decretum Canonizationis dicti Beati. pag. 82. col. 1.
Decretum miraculorum B. Seraphini. p. 90. col. 1.
Decretum Canonizationis dicti Beati pag. 90. col. 2.
Decretum miraculorum B. Joannæ. pag. 103. col. 2.
Decretum Canonizationis dictæ Beatæ. pag. 104. col. 1.
Decreta SS. Inquiſitionis, quibus prohibetur cultus iis Beatis, qui per C. annos ante ipſa Decreta eo non pollebant. pag. 50. col. 1.

De-

Deſcriptio ornatus throni Pontificii pro Canonizatione in Baſilica Vaticana. p. 353. col. 1.
Diodorus Siculus laudatus. pag. 20. col. 1. in not.
Diphnicus Nicolaus fit Epiſcopus Sebenici. pag. 205. col. 1.
Divione fundatur Domus Ordinis Viſitationis a B. Joanna. pag. 91. col. 2. in not.
Doctrinæ Chriſtianæ Congregationis Sacerdotes focii B. Joſepho Calaſanctio in opere Scholarum piarum. pag. 14. col. 1. in not.
Dolenſem in Epiſcopum eligitur Renatus de Herce Vicarius Nannetenſis. pag. 205. col. 2.
In templo S. Dorotheæ in regione Tranſtiberim B. Joſeph Calaſanctius poſuit Scholarum piarum fundamenta. pag. 14. col. 1. in not.
Illius Paræciam tranſtulit Benedictus XIII. ad S. Joannem de Malva. p. 14. col. 1. in not.
Dubium exoritur circa primum honoris locum inter B. Joſephum a Cupertino, et B. Hieronymum in Canonizatione. p. 105. col. 2.
Ea de re ſententiam ſuam ſcripſit R. P. D. Piſani Fidei Promotor ibid.
Dubium non Cultus in cauſſa B. Joſephi Calaſanctii probatur ab Innocentio XI. pag. 17. col. 1.
Dux militum Helvetiorum a Magiſtris cæremoniarum monetur de ſuo munere in die Canonizationis. p. 355. col. 2.
Durandus Seculi XIII. ſcriptor mentionem facit de feſto SS. Trinitatis. p. 25. col. 1. in not.
Durani Philippus Advocatus Conſiſtorialis conſtituitur a Cardinali Rezzonico pro poſtulanda Canonizatione. pag. 177. col. 2.
Ejuſdem Advocati Oratio pro B. Joſepho a Cupertino. p. 186. col. 1. inſtat nomine Cardinalis Rezzonico pro futura Canonizatione. p. 363. c. 2. 365. c. 1. & 2.

E

EBoracenſis Ducis Cardinalis Henrici Epiſcopi Tuſculani vota in Conſiſtoriis ſemipublicis. pag. 207. col. 1., pag. 222. col. 2., pag. 285. col. 2., pag. 290. col. 1., pag. 300. col. 1., & pag. 318. col. 2.
Ebrodunenſem in Archiepiſcopum eligitur Petrus Ludovicus de Leyſſin Vicarius Trecenſis. p. 205. col. 2.
Et per Advocatum Conſiſtorialem Pallium petit. pag. 252. col. 2.
Echard laudatus. pag. 38. col. 2. in not.
Eccleſia Cæleſti Jeruſalem comparatur. pag. 1. col. 1.
Ædificata ſupra fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum. Ibid.
Præcipuum ejus ornamentum eſt ſanctitas. Ibid.
Edictum Indulgentiarum conceſſ. in diebus S. Marci, & Rogationum. pag. 110. col. 2.
Aliud pro ſupplicatione ex Vaticana Baſilica ad S. Spiritum in Saxia. pag. 248. col. 1.
Aliud Indulgentiarum conceſſ. iis, qui jejunarent tribus diebus, ac viſiterent Baſilicas Lateranenſem, Vaticanam, & S. Mariæ Majoris. pag. 295. col. 1.
Aliud Indulgentiarum iis conceſſ., qui Canonizationi intereſſent. pag. 346. col. 1.
Edictum, quo Clerus Secularis, & Regularis monetur, ut ſupplicationi pro Canonizatione interſit. pag. 346. col. 2.
Edictum, quo præcipitur ſonitus campanarum omnium Eccleſiarum Urbis in die Canonizationis. pag. 347. col. 2.
Edictum, quo præcipitur diem B. Virginis de Monte Carmelo veluti de præcepto in Urbe celebrandum. pag. 345. col. 2.
Elephantutii Cardinalis Cajetani vota in ſemipublicis Conſiſtoriis. pag. 208. col. 2. pag. 224. col. 2., p. 255. col. 2., pag. 271. col. 2. pag. 301. col. 2., & pag. 320. col. 1.
S. Eligius laudatus. pag. 40. col. 2. in not.
Emmanuel Comnenus Imperator conſtituit feſtum Nativitatis Virginis feriatum. pag. 19. col. 2. in not.
S. Epiphanius dubitavit de morte Deiparæ Virginis. pag. 32. col. 1. in not.
Epiſcopi, qui Conſiſtoriis ſemipublicis non adfuerunt miſerunt vota ad R. P. D. Vincentium Macedonium Secretarium S. R. Congregationis. pag. 238. col. 2.
Epiſcopi inſtruuntur de ritu Canonizationis a cæremoniarum Præfecto. pag. 356. col. 2.
Epiſcopi Aſſiſtentes ſedent in theatro Canonizationis ad gradus throni Pontificii. pag. 352. col. 2.
Epiſtola Secretarii Congregationis Concilii ad Epiſcopos Italiæ conſtitutos intra C. ab Urbe lapides. pag. 109. col. 1.
Altera ad reliquos Italiæ Epiſcopos. pag. 109. col. 2.
Epiſtolæ, quæ dicebantur ſcriptæ a S. Joanna de Chantal Abbati Sancirano, ac Sanctimonialibus Mariæ Angelicæ, & Agneti de Arnauld Lutetiæ Pariſiorum perquiruntur. pag. 54. col. 2.
Eremitæ S. Auguſtini, eorum locus in Canonizationis ſupplicatione &c. pag. 359. col. 2.
Iidem Congregationis Obſervantiæ Longobardiæ. Ibid.
Eremitæ excalceati Ordinis S. Auguſtini, eorum locus in ſupplicatione Canonizationis &c. Ibid.
Eremitæ S. Hieronymi Congregationis B. Petri de Piſis eorum locus in ſupplicatione Canonizationis &c. Ibid.
Eremitæ Montis Senarii Ordinis Servorum B. M. V. eorum locus in ſupplicatione Canonizationis &c. Ibid.
Erythreæ urbs Epiſcopalis Aſiæ minoris. pag. 89. col. 2. in not.
Evander inſtituit Lupercalia. pag. 13. col. 1. in not.

F

FAbrus Gabriel laudatus. pag. 28. col. 1. in not.
Factum concordatum in Cauſa. B. Joannis. p. 4. col. 2.
Factum 2. concordatum in ead. Cauſſa. pag. 9. col. 1.
Factum concordatum in Cauſſa B. Joſephi Calaſanctii. pag. 16. col. 1.
Factum 2. concordatum in ead. Cauſſa. pag. 18. col. 2.
Factum 3. concordatum in ead. Cauſſa. pag. 23. col. 1.
Factum concordatum ſuper virtutibus B. Joſephi a Cupertino. pag. 30. col. 2.
Factum 2. concordatum in Cauſſa B. Joſephi a Cupertino. pag. 34. col. 1.
Factum 3. concordatum in ead. Cauſſa. pag. 37. col. 1.
Factum concordatum in Cauſa B. Hieronymi. pag. 71. col. 2.
Factum 2. concord. ſuper miraculis pro Beatificatione S. D. Hieronymi. pag. 77. col. 2.
Factum 3. concordatum in ead. Cauſſa. pag. 79. col. 2.
Factum concordatum in Cauſa B. Seraphini. pag. 85. col. 2.
Factum concordatum in Cauſſa B. Joannæ. p. 95. col. 1.
Factum 2. concordatum in ead. Cauſa. pag. 100. col. 2.
Factum 3. concordatum in ead. Cauſſa. pag. 02. col. 1.
Fagnani Julii Cæſaris Advocati Conſiſtorialis Oratio pro B. Hieronymo. pag. 180. col. 2.
Falconerius Alexander prius Rotæ Auditor, deinde Urbis Gubernator, fit Cardinalis a Benedicto XIII. pag. 85. col. 2. in not.

de fama ſanctitatis in genere Proceſſus B. Joſephi Calaſa.

laſanctii conſtruitur a Card. Ginnetto Urbis Vicario. pag. 17. col. 1.
Fama ſanctitatis in genere B. Joſephi Calaſanctii approbatur ab Alexandro VIII. pag. 17. col. 2.
de Fama ſanctitatis in genere B. Joannæ feliciter diſputatur. pag. 93. col. 1.
Fè Alexandri Epiſcopi Methonenſis vota. p. 315. col. 2. & pag. 335. col. 1.
Febrim Hedwigis Paskownæ depellit B. Joannes. pag. 12. col. 1.
a Febri Marianna Gawliska ope B. Joannis Cantii liberatur. pag. 12. col. 2.
de Fechenbac Philippus Carolus Canonicus Herbipolenſis ſit Epiſcopus Thenarum. pag. 298. col. 1.
S. Felix a Cantalicio in numerum Sanctorum refertur a Clemente PP. XI. pag. 82. col. 1. in not.
Feroni Card. Joſeph Maria Tituli S. Cæciliæ Sac. Rit. Congregationi Præfectus interfuit peculiari Congregationi ſuper miraculis B. Joannis. pag. 4. col. 1.
In Conſiſtorio ſecreto verba facit de B. Joanne. pag. 169. col. 1.
de B. Joſepho Calaſanctio. p. 170. col. 1.
de B. Joſepho a Cupertino. p. 171. col. 2.
de B. Hieronymo. pag. 172. col. 2.
de B. Seraphino. pag. 174. col. 1.
& de B. Joanna. pag. 175. col. 1.
Ejuſdem Cardinalis vota in ſemipublicis Conſiſtoriis. pag. 208. col. 1., pag. 223. col. 2., pag. 255. col. 1., pag. 270. col. 2., pag. 300. col. 2., & pag. 319. col. 2.
Ferrarius Thomas Maria Ordinis Prædicatorum Magiſter S. Palatii Apoſtolici ſit Cardinalis ab Innocentio XI. pag. 30. col. 1. in not.
Habet Congregationem antepræparatoriam ſuper virtutibus B. Joſephi a Cupertino. pag. 30. col. 1.
Ferentini Epiſcopi Petri Pauli Toſii vota in ſemipublicis Conſiſtoriis. pag. 240. col. 2., pag. 244. col. 2. pag. 266. col. 1., pag. 281. col. 2. pag. 313. col. 1., & pag. 333. col. 1.
Feſtus Aſſumptionis Deiparæ recentior non eſt in Occidente Seculo VII. pag. 33. col. 1. in not.
De eodem agebatur Conſtantinopolim ante S. Gregorium I. pag. 33. col. 2. in not.
Feſti Circumciſionis Domini antiquitas. pag. 18. col. 1. in not.
Antiquitus intelligebatur nomine octavæ Nativitatis. Ibid.
Feſtus B. Joannis Cantii a die 9. Auguſti ad diem 19. Octobris transfertur a Sac. Rit. Congregatione. pag. 6. col. 1.
Feſtum B. Virginis de Monte Carmelo de præcepto die 16. Julii celebrandum in alma Urbe præſcribit Card. Vicarius. pag. 345. col. 2.
Feſtus Nativitatis Virginis inſtitutus Romæ ad finem V. Seculi. pag. 19. col. 1. in not.
In Galliis IX. Seculo celebratus. pag. 19. col. 2. in not.
Feſtus Purificationis Virginis ante Gelaſii ætatem in Occidente inſtitutus. pag. 13. col. 2. in not.
Ante Imperium Juſtiniani in Oriente. Ibid.
De ejuſdem antiquitate diſputant Eruditi. pag. 13. col. 1. in not.
Per Gelaſium I. eum putat loco Lupercalium Romæ inſtitutum Card. Baronius. Ibid.
Et ſub Juſtiniani imperio in Oriente receptum. Ibid.
Jeroſolymis maxima ſollemnitate celebrabatur circa medium Seculi V. pag. 13. col. 2. in not.
Feſtus SS. Trinitatis ex Leodienſi Diœceſi pertranſiit ad viciniores Eccleſias. pag. 25. col. 1. in not.
Idem Feſtus Seculo XII. ineunte fere per totum Occidentem celebrabatur. pag. 25. col. 2. in not.
Seculo XIII. in octava Pentecoſtes celebrabatur. Ibid.
In eod. feſto Abbas Ordinis Ciſtercienſis Miſſam celebrabat ut in ſollemnioribus feſtivitatibus. pag. 25. col. 2. in not.
Eodem ritu ac feſtum Aſcenſionis Domini agebatur. Ibid.
S. Fidelis a Sigmaringa in Sanctorum numerum refertur a Bened. PP. XIV. pag. 82. col. 1. in not.
Filipponi Tenderini Joannis Baptiſtæ Epiſcopi Anagnini vota in Conſiſtoriis ſemipublicis. pag. 221. col. 2., pag. 237. col. 2., p. 269. col. 1., p. 284. col. 2., pag. 317. col. 1., & pag. 337. col. 1.
Finy Franciſcus Antonius ſit Cardinalis a Benedicto XIII. pag. 30. col. 2. in not.
Habuit Congregationem alteram præparatoriam, & generalem coram Clemente XII. ſuper virtutibus B. Joſephi a Cupertino. pag. 30. col. 1. & 2.
Ejuſdem obitus. pag. 30. col. 2. in not.
Firmana in Diœceſi conſtruuntur Proceſſus ſuper virtutibus B. Seraphini. pag. 84. col. 1.
Firmanus Archiepiſcopus Urbanus Paracciani ſit Cardinalis a Clemente PP. XIII. pag. 11. col. 2. in not.
Idem Romam publice ingreditur. pag. 250. col. 1.
Firmum urbs Piceni. pag. 86. col. 1. in not.
Fiſcalis Capitolinus a Magiſtris cæremoniarum monetur de ſuo munere in die Canonizationis. p. 356. col. 1.
Fiſci Advocati, & Promotoris Fidei munera dividuntur a Clemente XI. pag. 6. col. 1. in not.
Florentia urbs caput magni Ducatus Hetruriæ. pag. 21. col. 1. in not.
Condita a Syllæ militibus. pag. 21. col. 2. in not.
Declarata Romanorum Colonia ab Octaviano Cæſare Auguſto, Marco Antonio, & Lepido. Ibid.
Ibique conſtruitur Proceſſus ſuper miraculis pro Beatificatione S. D. Joſephi Calaſanctii. pag. 21. col. 1.
Ibique inquiritur ſuper continuatione ſanitatis Chriſtinæ Ceccherini Monialis, & Virginis Margharitæ Tantari. pag. 21. col. 2.
Florentinus laudatus. pag. 13. col. 1. in not., & pag. 33. col. 2. in not.
Fontaninus Juſtus Archiepiſcopus Ancyranus votum emiſit cum nonnullis viris doctiſſimis de ſcriptis B. Joannis Cantii. pag. 7. col. 2.
Doctiſſimus vir veterum Codicum, & antiquorum characterum peritiſſimus. pag. 7. col. 1. in not.
Fit Præfectus Bibliothecæ Card. Imperialis. ibid.
Cujus indicem compilavit, & publici Juris fecit. ibid.
a Clemente PP. XI. inter Cubicularios honoris adnumeratur. ibid.
a Benedicto PP. XIII. Abbreviator Sacri Palatii conſtituitur. ibid.
Ejus juſſu Codicem Canoniſationum compilavit. ibid. col. 2.
Quem eidem dicavit. ibid.
Forlani Franciſci Mariæ Epiſcopi Civitatis Caſtellanæ & Hortanæ vota in ſemipublicis Conſiſtoriis. pag. 339. col. 2., & pag. 342. col. 2.
Formula, qua per curſores indicitur Conſiſtorium. pag. 167. col. 2.
Formula pro denuntiatione Conſiſtorii ſemipublici. pag. 204. col. 2.
Formula inſtructionis miſſa Card. Urbis Vicario a Præfecto cæremoniarum, qua monetur de iis, quæ præcipere debebat ad rite ſolemnia Canonizationis inſtituenda. pag. 344. col. 2.
Formula miſſa ad Duces Equitum levis armaturæ. pag. 355. col. 1.

Digitized by Google

Altera ad Duces militum Cataphractorum · ibid.
Altera ad Magiſtrum Sacri Hoſpitii. pag. 355. col. 2.
Altera ad Commiſſarium armorum. ibid.
Altera ad Cardinales Oblationes offerentes, ut nomina darent duorum nobilium aulicorum. p. 357. c. 2.
Formula miſſa Duci militum Helvetiorum a Præfecto cæremoniarum. p. 355. col. 2.
Altera Fiſcali Capitolino. pag. 356. col. 1.
Altera Vicecaſtellano arcis S. Angeli. Ibid.
Forti Cajetanus S. Fidei Promotor interfuit Congregationi peculiari ſuper miraculis B. Joannis. p. 4. col. 2.
S. Franciſcus natale ſolum habuit Aſſiſii. pag. 31. col. 1. in not.
S. Franciſcus Saleſius Regulas Ordinis Viſitationis exaravit pag. 91. col. 1. in not.
Fratres Ordinis Prædicatorum, eorum locus in ſupplicatione Canonizationis. p. 359. col. 2.
Fratres Tertii Ordinis S. Franciſci, eorum locus in ſupplicatione Canonizationis. Ibid.
Frontone laudatus. p. 11. col. 1. in not.
S. Fulbertus Epiſcopus Carnotenſis. p. 19. col. 2. in not. & p. 33. col. 1. in not.
Fuſchus Paulus laudatus. p. 16. col. 2. in not.

G

GAgliardi Carolus fit Epiſcopus Muranus. p. 298. col. 1.
Gagliardi Epiſcopi Alatri vota in Conſiſtoriis ſemipublicis. p. 219. c. 1. p. 235. col. 1., p. 266. col. 2, p. 282. col. 2., p. 313. col. 2. p. 333. col. 1.
Galli Antonius Andreas fit Cardinalis a Benedicto XIV. pag. 36. col. 1. in not.
Obiit Major Pœnitentiarius ibid.
Idem interfuit Congregationi peculiari ſuper miraculis B. Joannis. pag. 4. col. 2.
Galliarum Legatus Petrus Pamphilius fit Cardinalis. p. 11. col. 2. in not.
Gambarana primus Generalis Congregationis Somaſchenſis. p. 41. col. 2. in not.
Obtinuit a Paulo III. probari Inſtitutum Somaſchenſium. p. 41. col. 1. in not.
Cum quinque ſociis ſollemnia vota nuncupavit coram Cæſare Gambara Epiſcopo Dertonenſi. p. 41. c. 2. in not.
Ganganelli Laurentius Ordinis Conventualium fit Cardinalis. p. 28. col. 1. in not.
Ejuſdem vota in ſemipublicis Conſiſtoriis. pag. 209. col. 2., pag. 225. col. 2., pag. 256. col. 2. p. 273. col. 1., pag. 302. col. 2., & pag. 321. col. 2.
Dum autem extremæ hujus Indicis paginæ typographicis formis cudebantur, ſingulari D. O. M. beneficio, ſummo Urbis, ac Reipublicæ Chriſtianæ bono XIV. Kalendas Junias MDCCLXIX. ad Petri ſolium evectus eſt, nomenque aſſumpſit CLEMENTIS PP. XIV.
Gavantus laudatus. p. 25. col. 2. in not.
Gavvliska Marianna liberatur a febri graviſſima ope B. Joannis. pag. 12. col. 2.
Gebennenſis Epiſcopus Proceſſum in cauſa B. Joannæ Ordinaria auctoritate conſtruxit. pag. 92. col. 2.
Acta pariter ex auctoritate Apoſtolica compilavit ſuper fama ſanctitatis in genere, & virtutibus in ſpecie. p. 93. col. 1.
Idem Epiſcopus fruſtra perquirit quædam ſcripta B. Joannæ. p. 94. col. 1.
Generalis Congregatio habita coram Benedicto XIV. ſuper miraculis B. Joannis. p. 9. col. 1.
Altera coram Clemente PP. XIII. ſuper antiquis miraculis d. Beati. p. 10. col. 1. & 2.
Altera ſuper virtutibus B. Joſephi Calaſanctii coram Benedicto XIII. p. 18. col. 2.
Altera coram Benedicto XIV. ſuper miraculis dicti Beati pro Beatificatione, & altera ſuper ejuſdem miraculis pro Canonizatione. Ibid.
Altera ſuper virtutibus B. Joſephi a Cupertino coram Clemente XII. p. 30. col. 2.
Altera ſuper virtutibus B. Hieronymi coram Clemente XII. pag. 71. col. 2.
Altera ſuper miraculis B. Hieronymi pro Beatificatione. p. 77. col. 1.
Altera ſuper miraculis B. Hieronymi coram Clemente PP. XIII. p. 79. col. 2.
Altera ſuper miraculis B. Seraphini coram Clemente PP. XIII. p. 85. col. 2.
Altera ſuper miraculis B. Joannæ coram Clemente PP. XIII. p. 102. col. 1.
Generalium Ordinum Regularium ſedes in theatro Canonizationis. pag. 352. col. 2.
Gentili Franciſcus Xaverius fit Cardinalis a Clemente XII. pag. 77. col. 1. in not.
In templo S. Stephani in monte Cælio invenit corpora SS. Primi, & Feliciani martyrum, quæ condidit in ſacello a ſe extructo p. 77. col. 2. in not.
Operam dat pro Congregationibus antepræparatoria, præparatoria, & generali ſuper miraculis pro Beatificatione S. D. Hieronymi coram Benedicto XIV. p. 77. col. 1.
Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus. pag. 33. col. 1. in not.
Gerſon Joannes Cancellarius Pariſienſis laudatus. p. 25. col. 2. in not., & pag. 40. col. 1. in not.
Giacomelli Michaelis Angeli Chalcedonenſis Archiepiſcopi reſponſio nomine Pontificis ad Advocatos Conſiſtoriales in publicis Conſiſtoriis. p. 187. col. 2.
Altera ejuſdem reſponſio. p. 202. col. 2.
Reſponſio altera ad Advocatum Conſiſtorialem efflagitantem in Baſilica Vaticana Canonizationem. p. 364. & 365.
Ejuſdem vota in Conſiſtoriis ſemipublicis. pag. 240. col. 1., pag. 244. col. 1., p. 286. col. 2., p. 291. col. 2., p. 339. col. 1. & pag. 342. col. 2.
Ginnettus Martius Signaturæ Referendarius, S. Conſultæ a Secretis, Domus Pontificiæ Præfectus fit Cardinalis. pag. 15. col. 2. in not.
Deinde Epiſcopus Albanenſis, Sabinenſis, & Portuenſis obiit. ibid.
Idem Urbis Vicarius compilavit Proceſſus Ordinaria auctoritate B. Joſephi Calaſanctii. pag. 15. col. 1. & pag. 16. col. 2.
Exaravit Proceſſum ſuper fama in genere d. Beati. pag. 17. col. 1. in not.
Giraud Bernardini Archiepiſcopi Damaſceni vota in Conſiſtoriis ſemipublicis. pag. 217. col. 2. pag. 233. col. 2., pag. 287. col. 1. pag. 292. col. 1.
Gonzalea laudatus. pag. 25. col. 2. in not.
Gorgoni Innocentii Archiepiſcopi Emiſſeni vota in Conſiſtoriis ſemipublicis. pag. 216. col. 1. pag. 232. col. 2., pag. 264. col. 1., pag. 280. col. 1., p. 310. col. 1., & pag. 329. col. 2.
Gotti Vincentius Ludovicus fit Cardinalis a Benedicto XIII. pag. 94. col. 1. in not.
Græci ſollemniter celebrant feſtum Nativitatis Virginis pag. 19. col. 2. in not.
S. Gregorius PP. I. in Sacramentario habet orationem pro Aſſumptione Virginis pag. 33. col. 1. in not.

Digitized by Google

Idem Pontifex forſan ex urbe Conſtantinopolitana Romam traduxit feſtum Aſſumptionis Deiparæ pag. 33. col. 2. in not.
Gregorius XIII. Inſtituit feſtum Sanctiſſimi Roſarii. pag.26. col.1. in not.
Gregorius XV. Scholas pias in veram Religionem conſtituit. pag. 15. col. 1. in not.
Attribuit Patribus Scholarum piarum Eccleſiam S. Pantaleonis Urbis, & Paræciam tranſtulit ad Eccleſiam S. Euſtachii. pag.16. col.1. in not.
S. Gregorius Turonenſis mentionem facit de Aſſumptione Virginis. pag.33. col.1. in not.
de Grimaldis Laurentius Andreas Vicarius Archiepiſcopi Rhemenſis fit Epiſcopus Cœnomanenſis. pag.205. col. 2.
Guadagni Joannes Antonius fit Cardinalis a Clemente PP. XII. pag. 49. col. 1. in not.
Gubernator Urbis Æneas Sylvius Piccolomineus fit Cardinalis. pag. 11. col.2. in not.
Ejuſdem vota in Conſiſtoriis ſemipublicis. p.214. c. 1. pag. 230. col. 1., p. 261. col. 2., p. 277. col. 2., pag. 306. col. 2., p. 326. col. 1.
de Gubernatis Dominicus laudatus. pag. 28. col. 1. in not.
Guglielmi Cardinalis Petri Hieronymi vota in Conſiſtoriis ſemipublicis. pag. 209. col. 1., pag. 225. col. 1. pag. 256. col. 1., pag. 272. col. 1. pag. 301. col. 2., & pag. 320. col. 2.

H

HErrera laudatus. pag. 25. col. 2. in not.
Hermantius laudatus. pag.42. col.2. in not.
in Hetruria Inquiſitorum munus ſuſtinent Patres Conventuales. pag. 28. col. 1. in not.
Helvetici milites cuſtodiunt Canonizationis theatrum. pag. 359. col. 1.
Helyot laudatus. pag. 28. col. 1. in not. pag. 83. col. 2. in not., & pag. 92. col. 2. in notis.
Henricus V. Imperator. pag. 25. col. 1. in not.
Henricus Dux Jojoſæ Ordini Capuccinorum nomen dedit. pag. 82. col. 2.
Ex diſpenſatione Apoſtolica rediit ad ſeculum. ibid.
Fœdus Catholicorum per Occitaniam auctoritate ſua ſuſtinuit ibid.
ab Henrico IV. Galliarum Rege fit Mareſcalcus. ibid.
Quod munus dimittit, & ad Capuccinos redit. p. 82. col. 2. in not.
Henſchenius laudatus. pag. 40. col.1. in not.
S. Hieronymo tribuitur antiquum Occidentalis Eccleſiæ Martyrologium. pag. 13. col.2. in not.
Obiit Bethlehem nonagenarius major. pag.13. col. 2. in not.
B. Hieronymus Æmilianus obiit Somaſchæ. pag.41. col. 2. Clericos regulares Somaſchenſes inſtituit ibid. Beatificatio ejus per Benedictum PP.XIV. p.78. c.1.
Honoratus a S. Maria laudatus. pag.13. col.2. in not.
Hoſpinianus emendatus. pag. 40. col. 2. in not.
Hoſpitii Apoſtolici pueri, eorum locus in ſupplicatione Canonizationis. pag. 359. col. 1.

I

IAnuenſem in Archiepiſcopum eligitur Joannes Lercarius Epiſcopus Hadrianopolitanus. pag. 298. col. 1.
Idem Pallium poſtulat ibid.
Jeroſolymis circa medium ſeculi V. celebrabatur feſtum Purificationis Virginis. pag. 13. col. 2. in not.
de Ilcio Scipio antea Referendarius Signaturæ, Firmi Prætor, Epiſcopus Pientinus, & Archiepiſcopus Piſanus fit Cardinalis ab Alexandro PP. VII. p.15. col. 2. in not.
Agit de ſignanda Commiſſione Cauſſæ B. Joſephi Calaſanctii. pag. 15. col. 2.
S. Ildelphonſus Archiepiſcopus Toletanus laudatus. pag. 19. col. 2. in not., & pag. 33. col. 1. in not.
Imperialis Joſeph Renatus Pontificii Ærarii Præfectus fit Cardinalis ab Alexandro PP. VII. p.17. c.1. in not.
Relator Cauſſæ B. Joſephi Calaſanctii curat Teati conſtrui Proceſſum de quodam miraculo ejuſdem Beati. pag. 17. col. 2.
Ex Diacono S. Georgei ad velum aureum optat Titulum S. Laurentii in Lucina. pag. 17. col. 2. in not.
Indulgentias conceſſit Clemens PP. XIII. comitantibus ſupplicationem S. Marci Evangeliſtæ, viſitantibus ejus Eccleſiam, ſive Vaticanam Baſilicam, ibique orantibus pro Canonizatione. pag. 110. col. 1. & 2.
Indulgentiæ elargitæ comitantibus ſupplicationem, ac viſitantibus vel Eccleſiam S. Spiritus, vel Baſilicam Vaticanam. pag. 248. col. 2.
Indulgentiam plenariam elargitur iis, qui Canonizationi aderunt. pag. 346. col. 1.
Indulgentiam plenariam concedit Summus Pontifex jejunantibus, ac viſitantibus Baſilicam, in qua Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum erat expoſitum. pag. 294. col. 2.
Indulgentiæ conceduntur in diebus Rogationum a Clemente PP. XIII. pag. 110. col. 2.
Innocentius PP. IV. nuncupavit Fratres Minores Conventuales omnes Franciſcanos in cœnobiis viventes. pag. 27. col. 1. in not.
Innocentius PP. X. Scholas pias ex Ordine Regulari ad Congregationem Presbyterorum ſecularium redegit. pag. 15. col. 2. in not.
In Cardinalem eligit Decium Azzolinum. pag. 3. col. 1. in not.
Ven. Innocentius PP. XI. conceſſit, ut in Regno Poloniæ recitaretur Officium, & Miſſa de Com. Confeſ. non Pontif. in honorem B. Joannis. p.6. col. 1.
Eligit in Cardinalem Leandrum Colloredum, & Laurentium Brancatium de Lauria. pag. 3. col. 1. in not. p. 27. col. 2. in not.
Conſtituit in Relatorem Cauſſæ B. Joannis Decium Card. Azzolinum. pag. 3. col. 1.
Approbat non cultum B. Joſephi Calaſanctii. pag. 17. col. 1.
Signavit Commiſſionem Cauſſæ B. Joſephi a Cupertino. pag. 28. col. 2.
Innocentius PP. XII. approbavit validitatem Proceſſus Apoſtolici B. Joſephi. pag.17. col. 2.
Innocentianæ Curiæ appenditur tabella pro indicando Conſiſtorio. pag. 167. col. 2.
S. Inquiſitio inhibuit cultum publicum exhiberi Dei Servis non beatificatis. pag.28. col. 2.
Inſcriptiones ſuper fores, quæ ex xyſto ducunt in Baſilicam Vaticanam. pag. 348. col. 2.
Inſcriptiones appoſitæ ſub tabulis miracula Beatorum repræſentantibus. pag. 349. col. 1.
Intimatio Conſiſtorii publici per Curſores facta. p. 177. col. 2.
Altera pariter Conſiſtorii publici. pag. 188. col. 2.
Intimatio Conſiſtorii ſemipublici pro BB. Joſepho a Cupertino, & Hieronymo. pag. 251. col. 2.
B. Joanna de Chantal una cum præcipuis monialibus Ordinis Viſitationis ex monitis S. Franciſci Saleſii

com-

Digitized by Google

compoſuit *Couturmier*. pag. 92. col. 1. in not.
Annecii jecit fundamenta Ordinis Viſitationis. p. 91. col. 1. in not.
Ejuſdem Beatæ Cauſſa diu ſtetit ob malam intelligentiam Decretorum Urbani PP. VIII. pag. 92. col. 1.
Monaſterie octoginta ſeptem fundavit. pag. 92. col. 1. in not.
De probationibus Cauſſæ d. Beatæ a Clemente PP. XII. conſtituitur peculieris Congregatio Cardinalium Ottoboni, Gotti, Guadagni, Pico, Zondadari, Cavalchini tunc Concilii e Secretis, & Ludovici de Valentibus Promotoris Fidei. pag. 94. col. 1.
Ejuſdem Beatæ ſcripta diſcutiuntur, & probantur pag. 95. col. 2.
Joannes PP. XXII. feſtum Sanctiſſimæ Trinitatis Romæ inſtituit. pag. 25. col. e. in not.
S. Joannes Damaſcenus laudatus. pag. 16. col. 2. in not.
Ven. Joannis Leonerdi virtutes probatæ e Benedicto PP. XIV. pag. 14. col. 2. in not.
B. Joannes Cantius Presbyter docuit theologicas, & philoſophicas ſcientias in Academia Cracovienſi. pag. e. col. 2. & pag. 4. col. 2.
Poloniæ Rex, Regnique Proceres inſtarunt apud Urbanum PP. VIII. pro illius Canonizatione. ibid.
Statim poſt mortem honores Beatis debiti eidem fuere redditi. ibid. & pag. 5. col. 1.
Commiſſio introductionis Cauſſæ ab Urbano PP. VIII. fuit ſignata. ibid.
Statim remiſſoriales litteræ datæ Epiſcopo Cracovienſi. ibid. col. e.
Ejuſdem Beati Commiſſio reaſſumptionis Cauſſæ ſignatur ab Alexandro PP. VII. pag. 2. col. 2.
Epiſcopus Cracovienſis inquirit ſuper caſu excepto. ibid.
Cultus ab immemorabili tempore eidem præſtitus probatur. ibid.
Alteræ remiſſoriales litteræ pro novis Proceſſibus ſuper virtutibus. pag. 3. col. 1.
Eorumdem validitas probatur. Ibid.
Scripta falſo tributa Beato examinantur. ibid.
Ejus virtutes ad examen revocantur, & probantur. ibid.
Inquiritur in ejus miracula. pag. 3. col. 2.
Congregationes antepræpatoria, præparatoria, & generalis ſuper miraculis. ibid.
Denuo in nova miracula inquiritur. pag. 4. col. 1.
De quibus tres ſolitæ Congregationes habentur p. 4. col. 1.
Corpus d. Beati ex antiquo in novum transfertur ſepulcrum. pag. 7. col. 1.
Antiqua miracula diſcuſſa coram Benedicto PP. XIV. probantur a Clemente PP. XIII. pag. 10. col. 1.
Factum concordatum in ejus Cauſſa pag. 4. col. 2.
Eligitur in Compatronum principalem Regni Poloniæ, & magni Ducatus Lithuaniæ. pag. 8. col. 1.
Sanat Antonium Olexovik ab ulceribus. p. 12. col. e.
Et febri laborantem Hedwigem Paskownam ſanat. pag. 12. col. 1.
Liberat Sebaſtianum Luzark a phthiſi. ibid.
Et Mariannam Gawliskam e grevi febri liberat. pag. 1e. col. 2.
Congregatio generalis coram Clemente PP. XIII. ſuper dubio: *an tuto &c.* d. Beati. pag. 1e. col. e., & pag. 13. col. 1.
Die feſto Purificationis Virginis ejuſdem Canonizationis decretum publicatur a Clemente PP. XIII. pag. 14. col. e.
S. Joannis Baptiſtæ, ac Jeſu Chriſti tantum nativitas IV. Eccleſiæ ſeculo celebrabatur. pag. 18. col. 2. in not.
Joannes Abricenſis aſſerit feſtum Sanctiſſimæ Trinitatis fuiſſe celebratum eadem ſollemnitate ac feſtum Aſcenſionis Domini. pag. e5. col. e. in not.
Joly Claudius laudatus. pag. 33. col. 1. in not.
Jordani Dominici Patriarchæ Antiocheni vota in ſemipublicis Conſiſtoriis. p. 215. col. 1. pag. 231. col. 2. pag. 263. col. 1. pag. e79. col. 2. pag. 309. col. 1. & pag. 328. col. 2.
B. Joſeph Scholarum piarum fundator ortum habuit Peraltæ e Calaſanctiorum gente. pag. 16. col. 1.
Exoptat inſtruere pueros in litteris, & pietate, ideo Scholas pias ſtatuit. pag. 14. col. 1. in not.
Earum fundamenta jecit Romæ apud S. Dorotheam in regione Transtiberim. ibid.
Scholas pias tranſtulit e regione Transtiberim in medium Urbis. pag. 14. col. 2. in not.
Domum conduxit prope templum S. Andreæ de Valle. Ibid.
Clemens PP. VIII ei auctor fuit, ut ſodales in Congregationem Presbyterorum ſecularium colligeret. Ibid.
Cujus Congregationis fit Præfectus. Ibid.
Idem Beatus Pontificatum prædixit Card. Ludoviſio ad Conclave venienti. pag. 15. col. 1. in not.
Obiit Romæ magno ſanctitatis nomine. pag. 15. col. 2.
Ejuſdem Beati Proceſſus Ordinarii conſtruuntur a Martio Card. Ginnetti Urbis Vicario. pag. 15. col. 1., & pag. 16. col. 2.
Ejus ſanctitatis fama in genere probatur. pag. 16. col. 1.
Benedictus PP. XIII. approbat virtutes d. Beati. pag. 17. col. e. Validitas Proceſſuum ſuper miraculis diſcutitur, & probatur. pag. 22. col. 1.
Inter Beatos refertur in Baſilica Vaticana. pag. ee. col. 2. & pag. 25. col. 1.
Idem Beatus liberat Mariam Conſtantiam Caminati Monialem Ord. S. Claræ Tuderti e morbo hecticali, & tumore ſcirrhoſo. pag. 26. col. 1.
B. Joſephi a Cupertino nativitas. pag. 28. col. 1.
Beatus declaratur in Baſilica Vaticana. pag. 35. col. 2.
S. Joſeph e Lioniſſa in Sanctorum numerum refertur a Benedicto PP. XIV. pag. 81. col. 1. in not.
Joſephi IV. Patriarchæ Babylonenſis Chaldæorum vota in Conſiſtoriis ſemipublicis. pag. 241. col. 1., p. 245. col. 1. p. 287. col. e. p. 29e. col. e. p. 340. col. 1. & p. 343. col. 1.
Italiæ Epiſcopi Romam ad Canonizationem vocantur per Epiſtolam Secretarii Concilii. pag. 109. col. 1.
Judicum nova delegatio pro exarandis Proceſſibus B. Seraphini. pag. 84. col. 1.
Junius Brutus Conſul urbem Valentiam iis conceſſit, qui ſub Viriatho militaverant. pag. 23. col. 1. in not.
Ivo Epiſcopus Carnotenſis laudatus. pag. 40. col. 1. in not.
Ivo Pariſienſis Ordinis Capuccinorum vir doctrinæ, & pietate celeberrimus, antea Advocatus in Senatu Pariſienſi. pag. 82. col. 2. in not.
Juſtiniani Imperatoris temporibus peſtifera lues Virginis Interceſſione Conſtantinopolim ceſſavit. pag. 13. col. 1. in not.
Idem a fundamentis erexit templum S. Pantaleonis vetuſtate collapſum. pag. 16. col. 1. in not.
Alterum in ejus honorem in Palæſtina. Ibid.
Juſtiniano in Oriente imperante receptum feſtum Purificationis Virginis. pag. 13. col. 1. in not.

Juſtinus Hiſtoricus laudatus. Ibid.

K

KAlendis Januarii Conſules adibant Magiſtratum pag. 10. col. 1. in not.
Initium anni apud Romanos. Ibid.
Veterum ſuperſtitio circa hujuſmodi Kalendas. Ibid.
Maxima celebritate agebantur ab Ethnicis. Ibid.
Fideles ea die jejunabant pag. 10. col. 2. in not.
Et litaniis intendebant. Ibid.

L

LAbbeus laudatus. pag. 19. col. 2. in not.
Lambertini Proſper fit coadjutor Proſperi Bottinii in munere Fidei Promotoris a Clemente PP. XI. pag. 6. col. 2. in not.
Advocatus Conſiſtorialis defenſoris munus ſuſtinuit in Congregatione antepræparatoria ſuper virtutibus B. Joſephi Calaſanctii. pag. 22. col. 2.
Promotor Fidei doctiſſimas exaravit Animadverſiones ſuper ejuſdem virtutibus pro Congregatione præparatoria. Ibid.
Beatitatis honores eidem attribuit. Ibid.
Lampronenſis, & Tarſi Archiepiſcopi Jacobi Meſrob Chiaja Araboli vota in Conſiſtoriis ſemipublicis. pag. 220. col. 1., pag. 236. col. 2., pag. 267. col. 2., pag. 283. col. 2. pag. 315. col. 1., & pag. 334. col. 2.
Landini Nicolai Angeli Mariæ Epiſcopi Porphyrienſis vota in Conſiſtoriis ſemipublicis. pag. 218. col. 2. pag. 235. col. 1., pag. 266. col. 1., pag. 282. col. 1., pag. 313. col. 1., & pag. 332. col. 2.
Lante Cardinalis Friderici Epiſcopi Portuenſis vota in Conſiſtoriis ſemipublicis. pag. 206. col. 2., pag. 222. col. 1. pag. 254. col. 1., pag. 269. col. 2., pag. 338. col. 2., & pag. 341. col. 1.
De Laſcaris Patriarchæ Jeroſolymitani vota in Conſiſtoriis ſemipublicis. pag. 215. col. 2., pag. 231. col. 2., pag. 263. col. 1., pag. 279. col. 1. pag. 309. col. 1. & pag. 329. col. 1.
Laudenſis Epiſcopus Petrus Vidonus. pag. 2. col. 2. in not.
De Lauria Cardinalis Ordinis Conventualium. pag. 27. col. 2. in not.
Lectiones propriæ B. Joannis Cantii approbantur a S. R. Congregatione. pag. 8. col. 2.
Lenezowski Joannes Canonicus Chelmenſis fit Epiſcopus Abderitanus. pag. 298. col. 1.
S. Leo PP. III. conſtituit Imperatorem Occidentis Carolum Magnum. pag. 25. col. 1 in not.
Romæ ſupplicationes Rogationum introduxit ob terræmotum. pag. 110. col. 2.
Leo PP. X. fruſtra operam dedit, ut omnes Franciſcani eamdem obſervarent Regulam. pag. 27. col. 1. in not.
Conventualium nomen illis dedit, qui privilegiis Romanorum Pontificum utebantur. Ibid.
Leodienſis Epiſcopus Stephanus ſeculo X. Officium SS. Trinitatis compoſuit. pag. 25. col. 1. in not.
Leodienſis Epiſcopus Riquerius Stephani ſucceſſor mandavit in ſua Diœceſi recitari Officium SS. Trinitatis. Ibid.
Leodienſi ex Eccleſia ad viciniores Eccleſias tranſiit conſuetudo celebrandi feſtum SS. Trinitatis. ibid.
Leonardi Ven. Joannes Fundator Clericorum Regularium Matris Dei Congregationis Lucenſis laudat Scholas pias. pag. 14. col. 2. in not.
Leopoldus Imperator efflagitat ab Innocentio PP. XII., ut feſtum Roſarii per univerſum Orbem celebraretur. p. 26. col. 2. in not.
Lequien Michael laudatus. p. 33. col. 1. in not.
Lercari Joannis Archiepiſcopi Hadrianopolitani vota in Conſiſtoriis ſemipublicis. p. 216. col. 1. pag. 232. col. 1. pag. 263. col. 2. pag. 279. col. 2. pag. 309. col. 2. & pag. 329. col. 1.
Idem ex Epiſcopo Hadrianopolitano fit Epiſcopus Januenſis. pag. 298. col. 1.
Leſinæ in Epiſcopum eligitur Petrus Riboli Archidiaconus Spalatrenſis. Ibid.
Letteranus Epiſcopus fit Franciſcus de Afflicto. Ibid.
de Leyſſin Petrus Ludovicus Vicarius Trecenſis fit Archiepiſcopus Ebrodunenſis. p. 205. col. 2.
Liberianæ Baſilicæ Archipresbyter Marcus Antonius Card. Columna. p. 4. col. 2.
Litta Alexandri Oratio pro B. Joanne. p. 279. col. 1.
Litteræ compulſoriales ad extrahendum ex Archivo Epiſcopi Cracovienſis Proceſſum ordinarium in Cauſſa B. Joannis. p. 7. col. 1.
Litteræ remiſſoriales, & compulſoriales pro Proceſſibus ſuper virtutibus d. Beati. p. 6. col. 1.
Alteræ pro Proceſſu ſuper cultu immemorabili d. Beati. p. 5. col. 2.
Alteræ ſub Urbano PP. VIII. expeditæ pro Proceſſibus ſuper virtutibus B. Johannis non fuere omnino executioni mandatæ. pag. 5. col. 1.
Alteræ pro Proceſſibus Apoſtolicis ſuper ejuſdem virtutibus. pag. 2. col. 2.
Alteræ in eadem Cauſa pro novis Proceſſibus ſuper virtutibus. p. 3. col. 1., & p. 5. col. 2.
Alteræ pro compilandis Proceſſibus ſuper miraculis d. Beati. pag. 8. col. 1.
Alteræ inſcriptæ Epiſcopo Cracovienſi pro exarandis Proceſſibus ſuper novis miraculis dicti Beati. p. 9. col. 1.
Hæ literæ propter abſentiam Epiſcopi Cracovienſis præſentantur ejus Vicario Generali. p. 9. col. 2.
Litteræ remiſſoriales pro Proceſſibus ſuper miraculis B. Joſephi Calaſanctii Valentiæ, Tuderti, & in civitate Plebis. pag. 23. col. 2.
Litteræ decretales Canonizationis B. Joannis Cantii. pag. 376.
Litteræ decretales Canonizationis B. Joſephi Calaſanctii. p. 385.
Litteræ decretales Canonizationis B. Joſephi a Cupertino. pag. 395.
Litteræ decretales Canonizationis B. Hieronymi Æmiliani. p. 405.
Litteræ decretales Canonizationis B. Seraphini a Monte Granario, ſive ab Aſculo nuncupati. pag. 414.
Litteræ decretales Canonizationis B. Joannæ de Chantal. pag. 424.
Lithuaniæ magni Ducatus in Compatronum principalem eligitur B. Joannes Cantius. p. 8. col. 1.
Locatus Umbertus laudatus. p. 88. col. 1. in not.
Loculamenta navis principis Baſilicæ Vaticanæ ſimulacris Virtutum ornata pro Canonizatione. pag. 351. col. 1.
Longreval Jacobus laudatus. p. 19. col. 2. in not.
Lualdus laudatus. p. 16. col. 2. in not.
Ludovici Pii Capitularia laudata. pag. 19. col. 1. in not.
Ludoviſius Card. Alexander Archiepiſcopus Bononienſis in Summum Pontificem eligitur nomine Gregorii PP.

Digitized by Google

PP. XV. p. 15. col. 1. in not.
Eidem Cardinali B. Joſeph Calaſanctius prædixit Summum Pontificatum. ibid.
Ludoviſius Pompeus pater Gregorii PP. XV. ibid.
Lues peſtifera invadens Conſtantinopolim regnante Juſtiniano Imperatore interceſſione Virginis ceſſavit. p. 13. col. 1. in not.
Lugdunum urbs celeberrima. p. 102. col. 1. in not.
Lugduni, & Annecii conſtruitur Proceſſus ſuper ſanatione Floridæ Coing ope B. Joannæ de Chantal ſequuta. pag. 101. col. 2.
Lugdunenſis Epiſcopus Agobardus compoſuit carmen de translatione capitis S. Pantaleonis. p. 16. col. 2. in not.
Lupercalia ad finem uſque ſeculi v. Romæ celebrata in honorem Panis. p. 13. col. 1. in not.
Inſtituta feruntur ab Evandro dum ex Arcadia in Latium venit. ibid.
Lupercalium loco Gelaſius PP. I. Romæ inſtituit feſtum Purificationis Virginis juxta ſenſum Baronii. ibid.
Luperci facie fœdata, ac nudi diſcurrebant circa Palatinum montem. ibid.
Luſtrationes apud Romanos. p. 40. col. 2. in not.
Lutetiæ Pariſiorum, Molini, Bituricarum, & Divione Ordo Viſitationis per B. Joannam de Chantal fundatur. p. 91. col. 2. in not.
Luzark Sebaſtianus liberatur a phthiſi ope B. Joannis Cantii. p. 12. col. 1.

M

MAbillonius laudatus. p. 33. col. 2. in not.
Macedonin Vincentius S. R. Congregationis a Secretis præficitur omnibus, quæ paranda erant ad Canonizationem. p. 105. col. 1.
Quod explet ſumma laude, ac diligentia. pag. 105. col. 2.
Frequentes enim habuit conventus cum Poſtulatoribus, & cæremoniarum Magiſtris. ibid. col. 2.
Doctis viris dedit in mandatis, ut Compendia vitæ Beatorum conſcriberent. p. 112. col. 1.
Maceratæ, & Tolentini Epiſcopi Caroli Auguſti Peruzzini vota in ſemipublicis Conſiſtoriis. p. 311. col. 2. & p. 331. col. 2.
Maclovienſem in Epiſcopum proponitur a Cardinali Orſini Antonius Joſephus des Laurens. p. 252. col. 2.
Macrobii patria fuit Parma urbs Galliæ Ciſalpinæ. p. 88. col. 1. in not.
Madrutius Carolus Epiſcopus Tridentinus fit Cardinalis a Paulo PP. V. p. 83. col. 2. in not.
Eidem injungitur, ut Proceſſum Ordinarium B. Seraphini conſideret, referatque in S. R. Congregatione. pag. 83. col. 2.
Magiſtri cæremoniarum monent Cardinalem Urbis Vicarium, ut præcipiat ea, quæ neceſſaria ſunt ad rite ſollemnia Canonizationis inſtituenda. pag. 344. col. 2.
Dividunt cereos in Sixtino ſacello Cardinalibus, Epiſcopis, ceteriſque Romanæ Curiæ Præſulibus. p. 359. col. 1.
Magiſter S. Hoſpitii monetur a Magiſtris cæremoniarum de ſuo munere in Canonizatione. p. 355. col. 2.
Magiſter Sac. Palatii ſedet in theatro Canonizationis ad gradus throni Pontificii, ejus locus in ſupplicatione Canonizationis. p. 352. col. 2.
S. Mamertus Epiſcopus Viennenſis in Galliis ſupplicationes Rogationum inſtituit. pag. 110. col. 2.
de Marbeuf Ivo Alexander Vicarius Rothomagenſis fit Epiſcopus Auguſtodunen. p. 205. col. 2.
Marcellus de Piſa laudatus p. 83. col. 1. in not.
Marcus Antonius declarat Florentiam Coloniam Romanorum. p. 21. col. 2. in not.
S. Mariæ ad Nives die feſto Carolus VI. Romanorum Imperator victoriam de Turcis reportavit. pag. 26. col. 1. in not.
B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo feſtum tamquam de præcepto celebrandum pro Canonizatione tantum in alma Urbe præcipit Card. Vicarius. p. 345. col. 2.
de Marinis Carolus fit Cardinalis a Clemente PP. XI. p. 85. col. 1. in not.
de Marquemont Dionyſius Simeon Epiſcopus Lugdunenſis poſtea Cardinalis expoſcit pro ſua Diœceſi Ordinem Viſitationis, idem B. Joanna de Chantal Lugdunum venit. pag. 91. col. 2. in not.
Marruccini ſocii Romani populi. pag. 20. col. 1. in not.
Iidem Romam Legatos mittunt ad pacem cum Romanis ineundam. ibid.
Marſolier laudatus. pag. 92. col. 2. in not.
Martene Edmundus laudatus. pag. 10. col. 2. in not., pag. 13. col. 2. in not., pag. 15. col. 1. & 2. in not., & pag. 33. col. 2. in not.
Martinengus Aſcanius laudatus. pag. 72. col. 1. in not.
Martorellus Ludovicus laudatus. pag. 31. col. 2. in not.
Martyrologium antiquum Eccleſiæ Occidentalis tribuitur S. Hieronymo. pag. 13. col. 2. in not.
Matthæi Franciſci Patriarchæ Alexandrini vota in ſemipublicis Conſiſtoriis. p. 240. col. 1., pag. 243. col. 2., pag. 286. col. 1., p. 291. col. 1., pag. 339. col. 1., & pag. 342. col. 1.
Matteu & Sana Laurentius laudatus. p. 23. col. 2. in not.
de Maupas Henricus laudatus. pag. 92. col. 2. in not.
S. Maurillus Epiſcopus Andegavenſis diſcipulus S. Martini Turonenſis nequaquam eſt auctor feſti Nativitatis Virginis. pag. 19. col. 1. in not.
Fit Lector a S. Ambroſio ibid.
Mauritius Imperator præcepit Conſtantinopolim celebrari Aſſumptionem Virginis die xviii. Septembris. pag. 33. col. 2. in not.
Quæ celebrabatur xv. Kalendas Februarii ibid.
Mauroliçus Sylveſter laudatus. pag. 83. col. 1. in not.
Mediolanum ædificatum a Gallis Inſubribus. pag. 72. col. 1. in not.
Mediolanenſis Archiepiſcopus, & Epiſcopus Papien. inquirunt ſcripta B. Hieronymi. pag. 72. col. 2.
Menardus Hugo laudatus. pag. 19. col. 1. in not., & pag. 40. col. 1. in not.
Menſæ pro candelabris ab Acolythis deferendis, eorumque locus in theatro Canonizationis &c. p. 352. col. 1.
Alteræ pro Oblationibus. pag. 352. col. 2.
Alteræ pro ſacris vaſibus. ibid.
Merati laudatus. pag. 25. col. 2. in not.
Mercenarii Ordinis B. Mariæ Redemptionis captivorum, eorum locus in ſupplicatione Canonizationis. pag. 359. col. 2.
Merces in flumen Sola delapſæ ope B. Joannis adverſo flumine redeunt ad locum demerſionis. pag. 12. col. 1.
Meſrob Chiaja Araboli Jacobi Archiepiſcopi Lamproenſis, & Tarſi vota in ſemipublicis Conſiſtoriis. pag. 220. col. 1., pag. 236. col. 2., p. 267. col. 2., pag. 283. col. 2., pag. 315. col. 1., & pag. 334. col. 1.

Meſſa-

Meſſanenſem in Archiepiſcopum eligitur Joannes Maria Spinelli. pag. 198. col. 1.
Methodus ſervanda in ſemipublicis Conſiſtoriis miſſa a Præfecto cæremoniarum ad Cardinales, & Epiſcopos. pag. 203. col. 1.
Methonenſis Epiſcopi Alexandri Fè vota in Conſiſtoriis ſemipublicis. pag. 315. col. 2. & pag. 335. col. 1.
Milites Urbani cuſtodiunt templum, & viam, per quam incedere Canonizationis ſupplicatio debebat. pag. 359. col. 1.
Minimi S. Franciſci de Paula, eorum locus in ſupplicatione Canonizationis &c. pag. 359. col. 2.
Minorum Conventualium nomine nuncupantur Fratres Ordinis minores ab Innocentio PP. IV. p. 27. col. 1. in not.
Minores Conventuales, eorum locus in ſupplicatione Canonizationis. pag. 359. col. 2.
Minores Obſervantes, eorum locus in ſupplicatione Canonizationis. Ibid.
Minores Reformati, eorum locus in ſupplicatione Canoniaationis. ibid.
Miracula Beatorum in tabulis delineata per navim principem Baſilicæ Vaticanæ diſpoſita. pag. 349. col. 1.
Miracula B. Joannis proponuntur in Congregatione antepræparatoria. pag. 3. col. 2., & pag. 8. col. 2.
Eadem probata a Clemente PP. XIII. pag. 10. col. 1.
Ead. diſcuſſa in Congregatione generali coram Benedicto PP. XIV. pag. 12. col. 2.
Miraculorum decretum B. Joannis publicatur in feſto Circumciſionis Domini. pag. 10. col. 2., & pag. 11. col. 1.
Miracula B. Joſephi Calaſanctii diſcuſſa in Congregatione antepræparatoria. pag. 25. col. 2.
Eadem diſcutiuntur in Congregatione generali. ibid.
Eadem approbantur a Clemente PP. XIII. pag. 25. col. 1.
Miracula duo pro Beatificatione S. D. Joſephi a Cupertino approbantur a Benedicto PP. XIV. pag. 35. c. 2.
Miracula tria B. Joſephi a Cupertino die Sanctiſſimi Roſarii approbat Clemens PP. XIII. pag. 38. col. 1.
Miracula duo pro Beatificatione S. D. Hieronymi approbantur a Benedicto PP. XIV. p. 77. col. 2.
Miracula duo B. Hieronymi approbat Clemens PP. XIII. p. 80. col. 2.
Miracula duo B. Seraphini approbationem obtinent a Clemente PP. XIII. p. 90. col. 1.
Miracula quatuor probanda ſtatuit Benedictus PP. XIV. pro Beatificatione S. D. Joannæ. p. 100. col. 1.
Miracula quinque pro Beatificatione S. D. Joannæ probantur ab eod. Pontifice. p. 101. col. 1.
Miracula duo B. Joannæ probata a Clemente PP. XIII. pag. 103. col. 1.
Miſſa pro B. Joanne petitur. pag. 5. col. 2.
Miſſam de Com. Confeſſ. non Pontif. in honorem d. Beati pro Regno Poloniæ conceſſit Ven. Innocentius PP. XI. p. 6. col. 1.
Miſſam votivam de d. Beato ſingulis feriis v. celebrari indulſit Benedictus PP. XIV. in Eccleſia Collegiata S. Annæ Cracoviæ. p. 8. col. 2.
Moldaviæ propagationi Evangelii ſunt intenti Patres Conventuales. p. 28. col. 1. in not.
Moguntinum Concilium. p. 19. col. 2.
Molinum urbs Burgundiæ. p. 96. col. 1. in not.
In eadem urbe a B. Joanna de Chantal fundatur domus Ordinis Viſitationis. p. 91. col. 2. in not.
Molini, & Camberii inquiritur ex decreto Sac. Congregationis de non cultu B. Joannæ. p. 93. col. 1.
Monachi S. Hieronymi Longobardiæ, eorum locus in ſupplicatione Canonizationis. p. 359. col. 2.
Monachi Montis Oliveti, eorum locus in ſupplicatione Canoniaationis. ibid.
Monachi Congregationis Cæleſtinorum, eorum locus in ſupplicatione Canonizationis. ibid.
Monachi Ordinis Ciſtercienſis Congregationis reformatæ, eorum locus in ſupplicatione Canoniaationis. ibid.
Iidem Congregationis Hetruriæ, eorum locus in ſupplicatione Canonizationis. ibid.
& Congregationis Longobardiæ, eorum locus in ſupplicatione Canonizationis. pag. 360. col. 1.
Monachi Congregationis Vallis Umbroſæ, eorum locus in ſupplicatione Canoniaationis. ibid.
Monachi Camaldulenſes, eorum locus in ſupplicatione Canoniaationis. ibid.
Monachi Caſſinenſes, eorum locus in ſupplicatione Canonizationis. ibid.
Monſaltus declaratur a Sixto PP. V. Sedes Epiſcopalis. p. 89. col. 1. in not.
Montis Aurelii in oppido conſtruitur Proceſſus ſuper ſanatione Mariæ Droz monialis S. Bernardi ope B. Joannæ ſanatæ. p. 101. col. 2.
de Montmorenci Maria Felix nomen dedit Ordini Viſitationis. p. 92. col. 2. in not.
Merinus Emmanuel Canonicus Cæſaraugustanus fit Epiſcopus Aſturigæ Auguſtæ. pag. 205. col. 2.
Mornati Philippi Epiſcopi Sutrini, & Nepeſini vota in ſemipublicis Conſiſtoriis pag. 218. col. 1., pag. 234. col. 1., pag. 265. col. 2. pag. 281. col. 2. p. 312. col. 1. & pag. 332. col. 1.
Muranum in Epiſcopum eligitur Carolus Gagliardi pag. 298. col. 1.
Mutinæ Dux Alphonſus Eſtenſis religioſum habitum Capuccinorum induit. pag. 82. col. 2. in not.
Mutius Achilles laudatus. pag. 71. col. 2. in not.
Mutius Marius laudatus. Ibid.

N

NAni Joannes fit Epiſcopus Torcelli. pag. 298. col. 1.
Natalis Julii Matthæi Epiſcopi Tiburtini vota in Conſiſtoriis ſemipublicis. pag. 242. col. 2. pag. 248. col. 1. pag. 289. col. 2. pag. 294. col. 2., pag. 316. col. 1., & pag. 335. col. 2.
Nativitas S. Joannis Baptiſtæ, & Jeſu Chriſti iv. Eccleſiæ ſeculo tantum celebrabatur pag. 18. col. 2. in not.
Nativitatis Virginis feſtum inſtitutum Romæ labente v. Eccleſiæ ſeculo. pag. 19. col. 1. in not.
Eidem feſto fuit accommodatus ſermo S. Auguſtini exaratus pro Annunciatione. Ibid.
In Galliis ix. ſeculo celebratus. p. 19. col. 1. in not.
Feſtum hoc feriatum fore conſtituit Emmanuel Comnenus Imperator Conſtantinopolitanus. ibid. c. 2.
Magna pompa celebratur a Græcis. ibid.
Neritum urbs Salentinorum. p. 31. col. 1. in not.
Neritonenſis, & Auximanus Epiſcopi Proceſſus informativos, & de non cultu conſtruxerunt in Cauſſa B. Joſephi a Cupertino. p. 29. col. 1.
Nicephorus laudatus. p. 33. col. 2. in not.
Nigroni Cardinalis Andreæ vota in Conſiſtoriis ſemipublicis. p. 213. col. 2., p. 230. col. 1. pag. 261. col. 2., p. 277. col. 1. p. 306. c. 2., & p. 325. c. 2.
Nicopolitanum in Epiſcopum in Bulgaria eligitur Sebaſtianus Canepa. p. 205. col. 1.

Obe-

O

OBedientia Pontifici in Conſiſtorio publico per Cardinales præſtita. pag. 179. col. 1.
Octavianus Cæſar Auguſtus declarat Florentiam Coloniam Romanorum. p. 21. col. 2. in not.
Oddi Nicolaus Archiepiſcopus Ravennatenſis fit Cardinalis. p. 11. col, 2. in not.
Obiit Aretii. ibid.
Officium de com. Confeſſ. non Pontif. pro B. Joanne in Regno Poloniæ conceditur a Ven. Innocentio PP. XI. p. 6. col. 1.
Officium SS. Trinitatis ſeculo X. compoſitum a Stephano Epiſcopo Leodienſi. pag. 25. col. 1. in not.
Olexowic Antonius ope B. Joannis liberatur ab ulcere, quod ejus collum & eſophagum fuerat depaſtum. pag. 12. col. 2.
Oratio pro B. Joanne Cantio habita in Conſiſtorio publico per Alexandrum Litta Advocatum Conſiſtorialem. pag. 179 col. 1.
Altera habita in Conſiſtorio publico ab Hieronymo Tozzi Advocato Conſiſtoriali pro B. Joſepho Calaſanctio. pag. 183. col. 1.
Altera pro B. Ioſepho a Cupertino habita in Conſiſtorio publico per Philippum Durani Advocatum Conſiſtorialem. p. 186. col. 1.
Altera pro B. Hieronymo Æmiliano habita in Conſiſtorio publico per Iulium Cæſarem Fagnani Advocatum Conſiſtorialem. p. 189. col. 2.
Altera pro B. Seraphino ab Aſculo in Conſiſtorio publico habita a Ioſepho Aſcevolini Advocato Conſiſtoriali. p. 192. col. 2.
Altera pro B. Joanna de Chantal habita in Conſiſtorio publico per Paulum Franciſcum Antamori Advocatum Conſiſtorialem. p. 198. col. 1.
Oratorum Principum contignationes ad dexteram throni Pontificii poſitæ. p. 354. col. 1.
Orcellitanum in Epiſcopum eligitur Joſeph Tormo Epiſcopus Trincomienſis. p. 205. col. 1.
Ordo Capuccinorum numeratur inter præcipuas Religioſas familias. p. 82. col. 1. in not.
Ordo Viſitationis ſummopere commendatur. pag. 92. col. 1. in not.
Idem expetitur a pluribus Epiſcopis in propriis Diœceſibus. p. 91. col. 1. in not.
Origo Carolus S. Rotæ Auditor ſacris indutus veſtibus Crucem defert in ſupplicatione Canonizationis. pag. 296. col. 2., & pag. 362. col. 1.
Ornatus aulæ Conſiſtorialis pro Conſiſtorio ſecreto deſcribitur. p. 168. col. 1.
Ornatus Baſilicæ Vaticanæ pro Canonizatione deſcriptio. p. 348. col. 1.
Ornatus Pontificis in Conſiſtoriis ſemipublicis. p. 205. col. 1.
Ornatus throni Pontificii deſcriptio. p. 353. col. 1.
Oris aperitio Cardinali Paracciani facta a Pontifice in Conſiſtorio ſemipublico, & collatio Tituli S. Callixti. pag. 252. col. 2.
Orpheni, eorum locus in ſupplicatione Canonizationis. p. 359. col. 2.
Orſini Cardinalis propoſuit in Epiſcopum Maclovienſem Antonium Joſephum des Laurens. p. 252. c. 2.
Ejuſdem Cardinalis vota in Conſiſtoriis ſemipublicis. p. 260. col. 1., p. 275. col. 2. pag. 305. col. 1. & p. 324. col. 2.
Otthobonus Petrus fit Cardinalis ab Alexandro PP. VIII. p. 75. col. 1. in not.
Habuit Congregationem antepræparatoriam ſuper virtutibus B. Joannæ de Chantal. p. 93. col. 2.
Habuit duas Congregationes præparatorias ſuper virtutibus B. Hieronymi. p. 71. col. 1. & 2.

P

PAgi Antonius laudatus. pag. 13. col. 2. in not., p. 25. col. 2. in not. & p. 53. col. 2. in not.
Pagi Junior laudatus. p. 19. col. 2. in not.
Palatinus Urbis collis. p. 13. col. 1. in not.
Pallavicini Lazarus Opitius Januenſis Legatus apud Carolum III. Hiſpaniarum Regem fit Cardinalis. p. 11. col. 2. in not.
Pallium pro Archiepiſcopo Ebrodunen., & Epiſcopo Auguſtodunen. ab Advocatis Conſiſtorialibus petitur. p. 252. col. 1.
Pallium pro Archiepiſcopo Januenſi ab Advocato Conſiſtoriali petitur. p. 298. col. 1.
Pamelius laudatus. p. 33. col. 1. in not.
Pamphilius Petrus Romanus Legatus apud Ludovicum XV. Regem Francorum fit Cardinalis. p. 11. col. 2. in not.
Ejuſdem Cardinalis vota in Conſiſtoriis ſemipublicis. p. 221. col. 2. p. 227. col. 2. p. 258. col. 2. p. 274. col. 2. pag. 303. col. 2., & p. 323. col. 1.
Panis paſtorum deus cur dictus Lupercus. pag. 13. col. 1. in not.
S. Pantaleo medicus Nicomediæ obiit. p. 16. col. 1. in not.
Ejus reliquiæ ſumma religione Conſtantinopolim ſervantur. p. 16. col. 2. in not.
Ex Affrica in Galliam ejus caput transfertur. ibid.
Sanguis ejus in ipſius feſto liqueſcit. ibid.
Ipſius templum reædificavit Conſtantinopolim Juſtinianus Imperator. p. 16. col. 1. in not.
Eccleſia S. Pantaleonis Urbis dono datur a Gregorio PP. XV. Patribus Scholarum piarum. p. 16. col. 1. in not.
Papia olim ſedes Regum Longobardorum. pag. 72. col. 1. in not.
Ibique fit perquiſitio Scriptorum B. Hieronymi. p. 70. col. 2.
Paracciani Urbanus Romanus Archiepiſcopus Firmanus fit Cardinalis. p. 11. col. 2. in not.
Romam publice ingreditur. p. 250. col. 1.
Eidem clauditur, ac aperitur os in Conſiſtorio ſemipublico; donaturque a Clemente PP. XIII. Titulo S. Callixti. p. 252. col. 2.
Dicti Cardinalis vota in Conſiſtoriis ſemipublicis. pag. 259. col. 1., pag. 274. col. 2., p. 304. col. 1., & p. 323. col. 2.
Paradinus Guilielmus laudatus. p. 102. col. 1. in not.
Paralyſim Hugonis Carletti B. Seraphinus ſanat. p. 85. col. 1.
Parma urbs Galliæ Ciſalpinæ, patria Macrobii, lanis pretioſis celebrata. pag. 88. col. 1. in not.
Particularis Congregatio ſtatuta a Clemente PP. XIII. ſuper antiquis miraculis B. Joannis Cantii. p. 10. col. 1.
Paſchalis PP. II. p. 25. col. 1. in not.
Paſchaſius Radpertus Abas S. Petri Corbejenſis. p. 19. col. 2. in not.
Paskowna Hedwiges liberatur a febri ope B. Joannis. p. 12. col. 1.
Patavii reconditæ exuviæ S. Antonii. pag. 27. col. 2. in not.

Pa-

Digitized by Google

Patres, qui de Aſſumptione Virginis mentionem fecere. p. 33. col. 1. in not.
Patres tertii Ordinis S. Franciſci Recollectorum Gallicorum locus in ſupplicatione Canonizationis. p. 359. col. 2.
Paulus PP. V. fit Pontifex. p. 14. col. 2. in not.
Eligit in Patronum Scholarum piarum Card. Ludovicum Torres. pag. 15. col. 1.
Erexit in Regularem familiam Ordinem Viſitationis. p. 91. col. 2. in not.
Privilegia Mendicantium Somaſchenſibus attribuit, aliaque conceſſit privilegia. p. 42. col. 1. in not.
Peculiaris Congregatio habetur ſuper dubio de primo honoris loco inter B. Joſephum a Cupertino, & B. Hieronymum Æmilianum. p. 108. col. 2.
Cui Congregationi interfuere Emi Cardinales Cavalchini, Albani, Ferroni, Boſchi, & Veterani, necnon Illmi Præſules Reali, Piſani, & Macedonio. Ibid.
Pentecoſtes feria II. Miſſam celebravit Clemens PP. XIII. in choro Baſilicæ Vaticanæ. p. 250. col. 2.
de Pequigni Bernardus Ordinis Capuccinorum celeberrima Commentaria ſuper Epiſtolas S. Pauli edidit. pag. 83. col. 1. in not.
Peraltæ natus eſt B. Joſeph Calaſanctius ex nobili Calaſanctiorum familia. pag. 26. col. 1.
Peregrinus Bartholomæus laudatus. p. 71. col. 2. in not.
Perelli Cardinalis Nicolai vota in Conſiſtoriis ſemipublicis. pag. 213. col. 1., pag. 229. col. 2., p. 261. col. 1., pag. 276. col. 2., pag. 306. col. 1., & pag. 325. col. 1.
Peretti Alexander Card. Montaltus laudat Paulo PP. V. Scholas pias. pag. 14. col. 2. in not.
Peruzzini Caroli Auguſti Epiſcopi Maceratæ, & & Tolentini vota in Conſiſtoriis ſemipublicis. p. 311. col. 2., & pag. 331. col. 2.
D. Petri ænea ſtatua pluviali ornata. pag. 351. col. 2.
S. Petrus Damiani laudatus. pag. 33. col. 1. in not.
Pfiffer Jodocus Ignatius Dux militum Helvetiorum monetur a cæremoniarum Magiſtris de ſuo munere in die Canoniſationis. pag. 355. col. 2.
Phœnices ſumma celebritate agebant Purificationem Virginis, id etiam Syri, Cophti, & Cyprii faciebant. pag. 13. col. 2. in not.
a Phthiſi Sebaſtianum Luzark ſanat B. Joannes Cantius. pag. 12. col. 1.
Piazza Bartholomæus laudatus. pag. 15. col. 2. in not.
Piccolomineus Æneas Sylvius Urbis Gubernator fit Cardinalis. pag. 11. col. 1. in not.
Ejuſdem Cardinalis vota in Conſiſtoriis ſemipublicis. pag. 214. col. 1., pag. 230. col. 1., pag. 261. col. 2., pag. 277. col. 2., pag. 306. col. 2., & pag. 326. col. 1.
Piccolominei Urbani Mariæ Epiſcopi Pientini vota in Conſiſtoriis ſemipublicis. pag. 218. col. 1., p. 234. col. 1., pag. 265. col. 2., pag. 281. col. 1., pag. 311. col. 2., & pag. 331. col. 1.
Picus Ludovicus e Ducibus Mirandulæ fit Cardinalis. pag. 3. col. 1. in not.
Relator Cauſæ B. Joannis. pag. 3. col. 1.
Ab Urbe diſcedit, & ejus partes ſuſtinet Card. Cybus. pag. 3. col. 2.
Ejuſdem obitus. pag. 3. col. 2. in not.
Curavit Romam mitti originalia Operum, quæ B. Joanni Cantio tribuebantur, & Album Univerſitatis Cracovienſis ad verum characterem Beati cognoſcendum. pag. 7. col. 2.
Pirrelli Cardinalis Philippus Maria ex Secretario Congregationis Concilii fit Cardinalis. p. 11. col. 2. in not.
Ejuſdem Cardinalis vota in Conſiſtoriis ſemipublicis. pag. 211. col. 2., pag. 227. col. 2., pag. 259. col. 1., pag. 275. col. 1., pag. 304. col. 2., & pag. 323. col. 2.
Piſani Carolus Alexius Conſiſtorialis aulæ Advocatus fit Fidei Promotor a Clemente PP. XIII. pag. 11. c. 1. in not.
Ejuſdem ſententia ſuper dubio de primo honoris loco inter B. Joſephum a Cupertino, & B. Hieronymum. p. 106. col. 1.
Mittit Compendia vitarum Beatorum ad Cardinales. pag. 112. col. 1.
& ad Advocatos Conſiſtoriales. p. 177. col. 2.
& ad Epiſcopos, qui ad ſemipublica Conſiſtoria venire debebant. p. 203. col. 1.
Dicta Compendia cum Summariis, & Proceſſibus comparavit. p. 112. col. 1.
Pius PP. IV. cumulavit Somaſchenſes pluribus beneficiis. p. 41. col. 1. in not.
S. Pius PP. V. ob victoriam de Turcis reportatam ad Echinadas inſulas inſtituit feſtum S. Mariæ de Victoria. p. 26. col. 1. in not.
Placentia urbs Galliæ Togatæ. p. 88. col. 1. in not.
Plinius ſenior laudatus. p. 20. col. 1. in not., & p. 23. col. 1. in not.
Pocobello Geſualda Maria monialis ope B. Hieronymi liberatur ab ulceroſo tumore in tarſo pedis. p. 79. col. 1.
Poloniæ Rex, & Proceres ſupplicant pro Canonizatione B. Joannis Cantii. p. 2. col. 2.
Poloniæ Rex inſtat pro Officio, & Miſſa dicti Beati. p. 5. col. 2.
Polonorum virtus, & religio laudatur. p. 12. col. 1.
Polyſyeni ſub fornicibus navis principis Vaticanæ Baſilicæ; eorum deſcriptio. pag. 349. col. 1.
Pontalti Joachimi Mariæ Epiſcopi Aſcalonites vota in Conſiſtoriis ſemipublicis. pag. 218. col. 2., p. 234. col. 2., pag. 287. col. 2., pag. 292. col. 1., p. 312. col. 2., & pag. 332. col. 2.
Pontificis ornatus in Conſiſtoriis ſemipublicis. p. 205. col. 1.
Porzia Leander Abbas S. Pauli in via Oſtienſi, poſtea Epiſcopus Bergomenſis, fit Cardinalis a Benedicto PP. XIII. pag. 18. col. 1. in not.
Ponens Cauſæ B. Joſephi Calaſanctii curat exarari Proceſſus ſuper miraculis. pag. 18. col. 1.
Ejuſdem Cardinalis obitus. pag. 18. col. 1. in not.
Poſſevini Joannes Baptiſta laudatus. pag. 23. col. 2. in not.
Poſtulatores ſupplicant Clementi PP. XIII., ut velit probare duo miracula B. Joannis Cantii, de quibus actum fuerat ſub Benedicto PP. XIV. p. 10. col. 1.
Poſtulatores e ligneo ſuggeſtu cereos dividunt illis, qui ſupplicantium in more incedebant. pag. 359. col. 1.
Poſtulatorum contignationes penes thronum Pontificium. pag. 354. col. 1.
Præfatio Sanctiſſimæ Trinitatis Dominicis diebus ſuperioribus ſeculis in Eccleſia Romana recitabatur. pag. 80. col. 2. in not.
Seculo XII. in Eccleſia Senenſi ibid.
Ac in Eccleſia Tifernatenſi. pag. 81. col. 1. in not.
Præfatio SS. Trinitatis diebus Dominicis recitari præcipitur in Miſſa diebus Dominicis a Clemente PP. XIII. pag. 80. col. 1. in not.
Præfectus cæremoniarum inſtructionem miſit Cardinalibus pro Conſiſtorio ſecreto. pag. 112. col. 2.

Idem

Digitized by Google

Idem præſcribit methodum ſervandam in ſemipublicis Conſiſtoriis. pag. 203. col. 1.
Alteram ſuper ritu Canonizationis miſit Cardinalibus, & Epiſcopis. pag. 356. col. 2.
Præfectus Pontificio cubiculo Volumnius Bandinelli. pag. 2. col. 1. in not.
Præparatoria Congregatio ſuper miraculis B. Joannis Cantii opera Annibalis Card. Albani. pag. 3. col. 1.
Altera pariter ſuper miraculis d. Beati. p. 10. c. 1. & 2.
Præparatoria Congregatio ſuper virtutibus B. Joſephi Calaſanctii. pag. 17. col. 2.
Altera ſuper miraculis pro Beatificatione. p. 18. col. 2.
Altera ſuper novis miraculis d. Beati. p. 25. col. 2.
Præparatoria Congregatio ſuper virtutibus B. Joſephi a Cupertino. p. 32. col. 2., altera ſuper miraculis pro Beatificatione. p. 35. col. 1., & altera ſuper novis miraculis. pag. 38. col. 1.
Præparatoriæ Congregationes ſuper virtutibus B. Hieronymi. pag. 71. col. 1. & 2.
Altera ſuper miraculis d. Beati. pag. 79. col. 2.
Præparatoria Congregatio ſuper miraculis B. Seraphini. pag. 85. col. 2.
Præparatoria Congregatio ſuper miraculis pro Beatificatione S. D. Joannæ. pag. 100. col. 2.
Altera ſuper novis miraculis d. Beatæ. p. 102. col. 1.
SS. Primi, & Feliciani Martyrum corpora inventa a Card. Antonio Saverio Gentili. p. 77. col. 1. in not.
Priolus Aloyſius Rotæ Auditor fit Cardinalis a Clemente PP. XI. pag. 75. col. 1. in not.
Proceſſus Apoſtolici ſuper virtutibus B. Joannis Cantii. pag. 2. col. 2., pag. 3. col. 1., & pag. 5. col. 1.
Alteri ſuper miraculis d. Beati. pag. 3. col. 2.
Proceſſus ſuper Caſu excepto d. Beati conſtruitur ab Epiſcopo Cracovienſi. pag. 2. col. 2.
Proceſſus Apoſtolicus ſuper miraculis d. Beati aperitur cum ſola recognitione ſigni Vicarii Generalis Cracovienſis. pag. 8. col. 2.
Proceſſus Ordinarius B. Joſephi Calaſanctii compilatur a Card. Ginetto Urbis Vicario. pag. 16. col. 6.
Proceſſus ſuper fama ſanctitatis in genere d. Beati a ſupradicto Cardinali Romæ conſtruitur. p. 17. c. 1. in not.
Alteri ſuper miraculis d. Beati conſtruuntur Teati, & Florentiæ. pag. 18. col. 1.
Proceſſus Ordinarii in Cauſſa B. Joſephi a Cupertino conſtruuntur paulo poſt ejus obitum Neriti, Aſſiſii, & Auximi. pag. 28. col. 1.
Alter de cultu numquam exhibito d. Beato conſtruitur ab Epiſcopis Neritonſi, & Auximano. p. 29. col. 1.
Proceſſus Apoſtolici ſuper virtutibus d. Beati compilantur Auxumi, Aſſiſii, & Neriti. pag. 29. col. 2.
Proceſſus Apoſtolicus ſuper non cultu in Cauſſa B. Hieronymi fit Romæ, & Mediolani. pag. 57. col. 1.
Alter ſuper miraculis d. Beati Venetiis conſtruitur. pag. 76. col. 2.
Alii ſuper novis miraculis d. Beati Mediolani compilantur. pag. 65. col. 1.
Proceſſus Ordinarius ſuper virtutibus, & fama ſanctitatis B. Seraphini in Diœceſi Firmana conſtruitur. pag. 83. col. 1.
Proceſſus Apoſtolici ſuper virtutibus d. Beati exarantur. pag. 83. col. 2.
Alii ſuper miraculis d. Beati conſtruuntur Aſculi per Epiſcopos Aſculanum, Montis alti, & Erythreæ. p. 85. col. 1.
Proceſſus informativus B. Joannæ ab Epiſcopo Gebennenſi propria auctoritate conſtruitur. pag. 92. col. 1.
Alter ſuper fama in genere d. Beatæ ab eodem Epiſcopo exaratur. p. 93. col. 1.
Alter pariter ſuper virtutibus d. Beatæ. ibid.
Procopius laudatus. p. 16. col. 1. in not.
In Procuratorem Canonizationis eligitur a Clemente PP. XIII. Carolus Card. Rezzonico. p. 177. c. 1.
Promotoris Fidei, & Advocati Fiſci munera dividuntur a Clemente PP. XI. p. 6. col. 1. in not.
Promotor Fidei R. P. D. Piſani ſententiam protulit ſuper dubio de primo honoris loco inter Beatos Joſephum a Cupertino, & Hieronymum Æmilianum. pag. 106. col. 1.
Prothonotariorum ſedes in theatro Canonizationis. p. 352. col. 2.
Ptolomæus Joannes Baptiſta Societatis Jeſu fit Cardinalis a Clemente PP. XI. p. 30. col. 2. in not.
Habuit primam Congregationem præparatoriam in Cauſſa B. Joſephi a Cupertino. p. 30. col. 1.

R

RAnalli Januarius ope B. Seraphini a carcinomate liberatur. p. 85. col. 1.
Raphaelis Urbinatis ſtromata conſtituta in xyſto Baſilicæ Vaticanæ. p. 348. col. 1.
Ravennatenſis Archiepiſcopus Nicolaus Oddi fit Cardinalis. p. 11. col. 2. in not.
Reali Ignatius cæremoniarum Præfectus inſtructionem miſit Cardinalibus pro Conſiſtorio ſecreto. p. 112. col. 1. & 2.
Ejuſdem vota in Conſiſtoriis ſemipublicis. p. 217. col. 1. p. 233. col. 1., p. 264. col. 2. p. 280. c. 2., pag. 310. col. 2., & p. 332. col. 2.
Referendarius utriuſque Signaturæ Angelus Celſus. p. 2. col. 2. in not.
Relatio ſuper virtutibus, & miraculis B. Hieronymi Æmiliani a Rotæ Auditoribus exarata, & exhibita Urbano PP. VIII. p. 42. col. 2. in not.
Religionis ſimulacrum ad latus throni Pontificii p. 353. col. 2.
Reſponſio Michaelis Angeli Giacomelli Archiepiſcopi Chalcedonenſis Advocatis Conſiſtorialibus. p. 187. col. 2.
Altera in Baſilica Vaticana ad inſtantias Advocati Conſiſtorialis. p. 364. & 365.
Altera ejuſdem nomine Pontificis Advocatis pariter Conſiſtorialibus. p. 202. col. 2.
Rezzonico Card. Carolus curat Congregationes antepræparatoriam, præparatoriam, & generalem pro miraculis B. Hieronymi. p. 79. col. 2.
Eligitur a Clemente PP. XIII. in Procuratorem Canonizationis. p. 177. col. 1.
Idem Cardinalis eligit Advocatum Conſiſtorialem Philippum Durani pro poſtulanda Canonizatione. ibid.
Loco Card. Orſini abſentis propoſuit in Conſiſtorio plures Epiſcopos Galliæ. p. 205. col. 2.
Ejuſdem Cardinalis vota in Conſiſtoriis ſemipublicis. p. 208. col. 1., p. 223. col. 2., p. 255. col. 1. p. 271. col. 1. p. 301. col. 1. & p. 319. col. 2.
Rezzonico Joannes Baptiſta Pontificiæ domui Præfectus, Innocentius de Comitibus Rotæ Auditor perſonam gerens Angeli de Comitibus Poli Ducis, Gregorius Salviati Commiſſarius armorum, Vincentius Macedonius Sacrorum Rituum Congregationis a Secretis, Joannes Chiſius Montorius Patritius Florerius major, Eugenius Paleotti militum Tribunus, Jodocus Ignatius Pfiffer Dux militum Helvetiorum, duo cæremoniarum Magiſtri, & Carolus Marchionni architectus venere ad Baſilicam Vaticanam ante

Canonizationem, omniaque attente conſiderarunt. p. 355. col. 1.
Riboli Petrus Archidiaconus Spalatrenſis ſit Epiſcopus Leſinæ. p. 298. col. 1.
Ricchini Thomas Auguſtinus Sac. Palatii Apoſtolici Magiſter interfuit peculiari Congregationi pro miraculis B. Joannis Cantii. p. 4. col. 2.
Idem conſcripſit vitam Cardinalis Goti. p. 94. c. 1. in not.
Ricci Miniatus Viceeaſtellanus arcis S. Angeli monetur a cæremoniarum Magiſtris de ſuo munere in die Canoniaationis. p. 356. col. 1.
Riquerius Epiſcopus Leodienſis Stephani ſucceſſor mandavit in ſua Diœceſi recitari Officium SS. Trinitatis. p. 25. col. 1. in not.
Rocca Angelus laudatus. p. 19. col. 1. in not.
Rogationum ſupplicationes inſtituit in Galliis S. Mamertus Epiſcopus Viennenſis. p. 110. col. 2.
Romæ inſtitutæ fuere ob terræmotum a S. Leone PP. III. ibid.
Romæ vitam cum morte commutavit B. Joſeph Calaſanctius eelebri fama ſanctitatis. p. 16. col. 2.
Romano Pontifici attinet judicium Canonizationis. p. 2. col. 1.
Qua in re maximam ſemper curam, & ſtudium adhibuit. ibid.
Romani delent Æquorum nomen. p. 20. col. 1. in not.
Rondinelli Joannis Epiſcopi Comaclenſis vota in Conſiſtoriis ſemipublicis. p. 312. col. 1., & p. 332. col. 1.
Roſa aurea in Dominica *Lætare* benedicitur a Summo Pontifice. p. 89. col. 2.
Roſarium Deiparæ Virginis in auctorem agnoſcit S. Dominicum. p. 38. col. 2. in not.
Quod probatur Conſtitutionibus Leonis PP. X., S. Pii PP. V., Gregorii PP. XIII., Sixti PP. V., Alezandri PP. VII., Ven. Innocentii PP. XI., & Clementis PP. XI. ibid.
Quam gloriam neque Baillet denegat S. Dominico. p. 38. col. 2. in not.
Roſarii Confratres ſupplicationes inſtituerunt quum claſſis Chriſtianorum victoriam de Turcis ad Echinadas inſulas reportavit. p. 26. col. 1. in not.
Roſarii feſtum a Gregorio PP. XIII. inſtituitur. p. 26. col. 1. in not.
Conceditur a Clemente PP. X. quod in toto Hiſpaniarum Regno idem celebretur inſtante Regina vidua. p. 26. col. 2. in not.
Quod efflagitatur a Leopoldo Imperatore, ut per totum Chriſtianum Orbem etiam peragatur. Ibid.
Roveto curant Poſtulatores conſtrui Proceſſum de ſanatione mulieris ope B. Hieronymi ſanatæ. p. 79. col. 1.
de Rubeis Cardinalis Ferdinandi Mariæ vota in ſemipublicis Conſiſtoriis. p. 208. col. 1. p. 224. col. 1., p. 255. col. 1., p. 271. c. 1., p. 301. col. 1., & p. 320. col. 1.
Rubeus Hieronymus laudatus. p. 42. col. 2. in not.
Rupertus Abbas Tuitienſis, qui floruit anno 1611., teſtatur fuiſſe celebratum feſtum SS. Trinitatis per univerſas Occidentis Provincias. p. 25. col. 1. in not.

S

SAbbatucci Auguſtinus Procurator Generalis R. C. A. rogavit Prothonotarios, ut inſtrumentum conficerent de Conſiſtorio ſemipublico pro BB. Joanne Cantio, & Joſepho Calaſanctio. p. 238. col. 2.
Alterum pro BB. Joſepho a Cupertino, & Hieronymo. p. 285. col. 1.
Alterum pro BB. Seraphino, & Joanna de Chantal. p. 338. col. 1.
Sabinenſis Epiſcopus Joannes Franciſcus Card. Albani propoſuit in Epiſcopum Uranopolitanum Chriſtophorum Szembek coadjutorem Epiſcopi Culmenſis. pag. 205. col. 2.
Ponens Cauſſæ B. Joannis. p. 4. col. 1.
Celebravit Miſſarum ſollemnia Pentecoſtes in Quirinalis Sacello. p. 249. col. 2.
Saccus Bernardus laudatus. p. 72. col. 1. in not.
Sacripantes Philippus fit coadjutor Proſperi Bottinii in munere Advocati Fiſci a Clemente PP. XI. p. 6. col. 2. in not.
Salvianus Maſſilienſis laudatus. p. 10. col. 1.
Salviati Gregorius Commiſſarius armorum a cæremoniarum Magiſtris de ſuo munere in die Canonizationis monetur. p. 355. col. 2.
Sancirani, & Mariæ Angelicæ Abatiſſæ Portus Regii familiaritas virtutibus B. Joannæ non officit. p. 94. col. 2.
Sanctæ Mariæ Nicolai Saverii Epiſcopi Cyrenenſis vota in ſemipublicis Conſiſtoriis. p. 265. col. 1. p. 281. col. 1. p. 311. col. 1. p. 331. col. 1.
Sanctitas præcipuus Eccleſiæ character. p. 1. col. 2.
Sartius Maurus Abbas Ordinis Camaldulenſium interfuit Congregationi peculiari pro miraculis B. Joannis. p. 4. col. 2.
Saſſius laudatus. p. 13. col. 2. in not. & p. 40. c. 1. in not.
Idem emendatur. p. 19. col. 1. in not.
Sauſſajus laudatus emendatur. ibid.
Schedula intimationis pro Conſiſtorio ſemipublico. pag. 251. col. 2.
Altera &c. pag. 297. col. 2.
Altera pro ſupplicatione ex Vaticana Baſilica ad templum S. Spiritus. p. 249. col. 2.
Altera, qua Cardinales monentur, ut illis jejuniorum diebus utantur veſtibus rubeis, quia erant inter Octavam Ss. Apoſtolorum Petri, & Pauli. p. 295. col. 2.
Schedula inſtructionis miſſa ad Cardinales, & Epiſcopos per Præfectum cæremoniarum de ritibus Canonizationis. pag. 356. col. 2.
Altera, qua Conſultores Sac. Rit. Congregationis ad Canoniaationem vocantur. pag. 358. col. 1.
Schimidius Joannes Andreas emendatur. p. 19. col. 1. in not.
Scholæ Piæ laudantur a Cæſare Cardinali Baronio. pag. 14. col. 2. in not.
Eadem opera Cardinalis Juſtiniani uniuntur Congregationi Lucenſi. pag. 15. col. 1. in not.
Vera Religio Paulina Congregatio declaratur a Gregorio PP. XV. pag. 15. col. 1. in not
Ex Ordine Regulari in Congregationem Presbyterorum ſecularium eam redegit Innocentius PP. X. pag. 15. col. 2. in not.
Quam Congregationem votorum ſimplicium conſtituit Alexander PP. VII. pag. 15. col. 2. in not.
Ordo Regularis denuo declaratur a Clemente PP. IX. ibid.
de Scriptis B. Joſephi a Cupertino judicium abſolvitur. pag. 30. col. 1.
Scripta B. Hieronymi perquiruntur ab Archiepiſcopo Mediolanenſi, & Epiſcopo Papienſi. p. 70. col. 2.
Scripta B. Joannæ de Chantal reviſioni ſubiiciuntur, & probantur. pag. 92. col. 2.

Altera pariter d. Beatæ probantur. pag. 93. col. 2.
Altera d. Beatæ fruſtra perquiruntur ab Epiſcopo Gebennenſi. pag. 94. col. 1.
Secretarius Congregationis Boni Regiminis Angelus Celſus. pag. 2. col. 2. in not.
Secretarius Congregationis Sac. Rit. Scipio Burgheſius. pag. 4. col. 2.
Secretarius Congregationis Sacrorum Rituum. Vide R. P. D. Macedonio.
Sedes Cardinalium, Epiſcoporum, Abbatum, Pœnitentiariorum Baſilicæ Vaticanæ, Gubernatoris Urbis, & Auditoris Generalis R. C. A. in theatro Canonizationis &c. pag. 352. col. 2.
Sempronius Sophus Conſul. pag. 20. col. 1. in not.
Senatoris Urbis contignatio ad dexteram throni Pontificii conſtituta. pag. 354. col. 1.
B. Seraphinus obiit magna ſanctitatis fama. pag. 83. col. 1.
Religioſi Capuccini renuunt ei præſtari cultum Beatis debitum inconſulta Sede Apoſtolica. ibid.
Paulus PP. V. motus precibus Aſculanorum permittit lampadem apponi ejus ſepulcro. ibid.
Epiſcopus Aſculanus propria auctoritate conſtruit Proceſſum. ibid.
Ejuſdem nova miracula decreto probantur a Clemente PP. XIII. pag. 90. col. 1.
Serbelloni Card. Fabritii Epiſcopi Albanenſis vota in Conſiſtoriis ſemipublicis. pag. 207. col. 2., pag. 223. col. 1., pag. 254. col. 2., p. 270. col. 1., pag. 300. col. 2., & pag. 319. col. 1.
Sergius PP. I. inſtituit ſupplicationem in die Nativitatis Virginis a S. Adriano in Foro boario ad S. Mariam Majorem. pag. 19. col. 1. in not.
Idem Pontifex alteram inſtituit ſupplicationem in die Purificationis Virginis a S. Adriano ad S. Mariam Majorem. pag. 40. col. 1. in not.
Serra Nicolaus Januenſis Auditor R. C. A. fit Cardinalis. pag. 11. col. 2. in not.
Serviliani Benedicta Pierangelini exeuntibus per diſſectam ſalvatellam polypoſis molibus ope B. Joſephi a Cupertino liberatur, qua de re conficitur Proceſſus. pag. 36. col. 1.
Servius laudatus. pag. 13. col. 1. in not.
Sidonius Apollinaris laudatus. pag. 10. col. 1. in not., & pag. 72. col. 2. in not.
Sigebertus Monachus Gemblacenſis. pag. 16. col. 2. in not.
Sigiſmundus Rex Poloniæ ſplendorem urbis Cracoviæ adauxit. pag. 5. col. 2. in not.
Signaturæ Juſtitiæ Suffragantium, Abbreviatorum de Parco majori, Referendariorum utriuſque Signaturæ, Cubiculariorum Pontificis, Advocatorum Conſiſtorialium, & Cappellanorum Pontificis locus in theatro Canonizationis. p. 352. col. 1.
Simonetti Joſeph a Secretis Congregationis Epiſcoporum, & Regularium fit Cardinalis. pag. 11. col. 2. in not.
Simulacra Virtutum exornant ſuperiora loculamenta navis principis Vaticanæ Baſilicæ. p. 351. col. 2.
Simulacra Religionis, & Clementiæ ad latera throni Pontificii. pag. 352. col. 2.
Sixtus PP. IV. ex Ordine Conventualium. pag. 27. col. 2. in not.
Reædificavit pontem Janiculenſem. p. 24. c. 1. in not.
Sixtus PP. V. ex Ordine Conventualium. pag. 27. col. 2. in not.
Declaravit Congregationem Somaſchenſem immunem a juriſdictione Epiſcoporum. p. 41. c. 2. in not.
Sixtino in ſacello diſtribuuntur a Magiſtris cæremoniarum cerei Cardinalibus, Epiſcopis ceteriſque Romanæ Curiæ Præſulibus. pag. 359. col. 1.
Sola flumen, quo prolapſæ merces ope B. Joannis Cantii adverſo flumine incedentes redeunt ad locum demerſionis. pag. 12. col. 1.
Spinelli Joannes Maria fit Archiepiſcopus Meſſanenſis. pag. 298. col. 1.
Spinula Joannes Dominicus fit Cardinalis ab Urbano PP. VIII. pag. 84. col. 2. in not.
S. Spiritus in Saxia Præceptor Ludovicus Calini in Cardinalem eligitur. pag. 11. col. 2. in not.
Strabo Walafridus laudatus. pag. 13. col. 2. in not.
Statius Cæcilius Poeta comicus a Mediolano originem duxit. pag. 72. col. 2. in not.
Status ænea Principis Apoſtolorum pluviali erat ornata in die Canonizationis. pag. 351. col. 2.
Stemmata Pontificis in fronte Baſilicæ Vaticanæ conſtituta. pag. 348. col. 1.
Stephanus Epiſcopus Leodienſis compoſuit pro ſua Diœceſi Officium SS. Trinitatis. p. 25. col. 1. in not.
Stromata Raphaelis Urbinatis conſtituta in xyſto Baſilicæ Vaticanæ. pag. 348. col. 1.
Stuppanii Joannis Franciſci Epiſcopi Præneſtini vota in ſemipublicis Conſiſtoriis. p. 207. col. 2., p. 223. col. 1., pag. 254. col. 2., pag. 270. col. 1.
Suarez laudatus. pag. 25. col. 2. in not.
Suffraganeus Cracovienſis delegatur in Judicem pro compilatione Proceſſus ſuper novis miraculis B. Joannis Cantii. pag. 9. col. 2.
Suffragantium Signaturæ Juſtitiæ locus in theatro Canonizationis. pag. 351. col. 1.
Publius Sulpitius Severrione Conſul. p. 20. c. 1. in not.
Summa S. Thomæ Aquinatis exponitur a duobus Theologis Ordinis Prædicatorum. pag. 28. col. 2. in not.
Superſtitio Veterum circa Kalendas Januarii. pag. 10. col. 2. in not.
Supplicatio indicitur a Clemente PP. XIII. a Baſilica Vaticana ad templum S. Spiritus pro Eccleſiæ neceſſitatibus, & impetrando lumine in negocio Canonizationis. pag. 348. col. 1.
Supplicationem in die S. Marci Evangeliſtæ ad Vaticanam Baſilicam inſtitutam volunt a S. Gregorio PP. I. pag. 110 col. 1., & pag. 111. col. 2.
Supplicatio pro Canonizatione edicto Card. Urbis Vicarii promulgatur. pag. 346. col. 2.
Supplicatio in Nativitate Virginis ex S. Adriano ad S. Mariam Majorem inſtituta a Sergio PP. I. p. 19. col. 1. in not.
Supplicatio in die Purificationis Virginis inſtituta, ut eliminarentur Amburbialia, quæ menſe Februario fiebant. pag. 40. col. 1. in not.
Supplicatio cum cereis accenſis antea benedictis fit in die Purificationis Virginis. ibid.
Non conveniunt Eruditi de auctore hujus ſupplicationis. ibid.
Fuit inſtituta multo ante Sergium PP. I. contra id, quod ſentit Baronius. ibid.
Sutrini, & Nepeſini Epiſcopi Philippi Mornati vota in Conſiſtoriis ſemipublicis. pag. 218. col. 1., pag. 234. col. 1., pag. 265. col. 2., pag. 281. col. 2., pag. 312. col. 1., & pag. 332. col. 1.
Sylveſter Maurolicus laudatus. pag. 83. col. 1. in not.
Sylvius Italicus laudatus. pag. 20. col. 1. in not.
Syri magna pompa celebrabant Purificationem Virginis. pag. 13. col. 2. in not.

T

TAbella ad valvas Curiæ Innocentianæ pro indicando Conſiſtorio apponitur. pag. 167. col. 2.
Tabula cum effigiebus ſca Beatorum Cælum petentium, inſigniaque Pontificis occupabant frontem Baſilicæ Vaticanæ. pag. 348. col. 1.
Tabulæ exprimentes miracula Beatorum per navim principem Vaticanæ Baſilicæ diſpoſitæ. pag. 349. col. 1.
Talenti Vincentius laudatus. pag. 15. col. 2. in not.
Tamburini Aſcanius laudatus. ibid.
Tanara Antonius fit Cardinalis a Benedicto PP. XIV. pag. 34. col. 1. in not.
Tantari Margharita Florentiæ ope B. Joſephi Calaſanctii ab aneuriſmate liberatur. pag. 18. col. 1.
De ejus continuatione in ſanitate conſtruitur Proceſſus. ibid.
Tarquinia Anna Maria Clementis PP. X. Pronepos copulatur in matrimonio cum Ægidio Columna de Sciarra. pag. 29. col. 1. in not.
Tarviſium Marchæ Tarviſinæ caput. p. 71. col. 1. in not.
Teate urbs caput Marrucinorum. pag. 20. col. 1. in not.
Ibique conſtruitur Proceſſus ſuper miraculis pro beatificatione S. D. Joſephi Calaſanctii. p. 20. col. 1.
Teatinorum Ordinem inſtituit S. Cajetanus. pag. 14. col. 1. in not.
de Tencin Petrus fit Cardinalis a Clemente PP. XII. pag. 95. col. 1. in not.
Theatri Canonizationis deſcriptio. pag. 352. col. 1.
S. Theodoſius Abbas. pag. 13. col. 2. in not.
Theodoſianus Codex. pag. 10. col. 1. in not.
Theſaurarii R. C. A. ſedes in theatro Canonizationis. p. 352. col. 2.
S. Thomas Aquinas laudatus. pag. 33. col. 1. in not.
Thomaſſinus laudatus. pag. 13. col. 1. in not., p. 25. col. 2. in not., & pag. 33. col. 1. in not.
Idem emendatur. pag. 19. col. 2. in not.
Ven. Thomaſius Cardinalis edidit Sacramentarium Gelaſianum. pag. 11. col. 1. in not., & pag. 33. col. 2. in not.
Pro ejus doctrina Apologiam ſcripſit quidam Teatinus. ibid.
Throni Pontificii ornatus deſcribitur. pag. 353. col. 1.
Throni parvi Pontificis, quo induitur ſacris veſtibus, deſcriptio. pag. 352. col. 1.
Tiburtini Epiſcopi Julii Matthæi Natalis vota in ſemipublicis Conſiſtoriis. p. 242. col. 2. pag. 248. col. 1., pag. 289. col. 1., p. 294. col. 2., pag. 316. col. 1., & pag. 335. col. 2.
Tillemont Sebaſtianus laudatus. pag. 13. col. 2. in not. & p. 19. col. 2. in not.
Titus Livius laudatus. pag. 20. col. 1. in not.
Toletanus Archiepiſcopus S. Ildelphonſus. pag. 19. col. 2. in not.
Torcelli in Epiſcopum eligitur Joannes Nani. p. 298. col. 1.
Tormo Joſeph ex Epiſcopo Trincomienſi, & Suffraganeo Archiepiſcopi Valentini fit Epiſcopus Orcellitanus. pag. 205. col. 1.
Torregiani Cardinalis Aloyſii vota in Conſiſtoriis ſemipublicis. pag. 212. col. 2., pag. 228. col. 2., pag. 260. col. 2., pag. 276. col. 1., pag. 305. col. 2., & pag. 325. col. 1.
Toſi Petri Pauli Epiſcopi Ferentini vota in Conſiſtoriis ſemipublicis. pag. 240. col. 2., pag. 244. col. 2., pag. 266. col. 1., pag. 281. col. 2., pag. 313. col. 1. & pag. 333. col. 1.
Totti Alexander laudatus. pag. 72. col. 1. in not.
Tozzi Hieronymi Advocati Conſiſtorialis Oratio pro B. Joſepho Calaſanctio. pag. 183. col. 1.
Tranſilvaniæ propagationi Evangelii incumbunt Patres Conventuales. pag. 28. col. 1. in not.
SS. Trinitatis Officium compoſitum ſeculo X. a Stephano Epiſcopo Leodienſi. pag. 25. col. 1. in not.
Idem Officium Riquerius Epiſcopus Leodienſis Stephani ſucceſſor juſſit recitari per ſuam Diœceſim. Ibid.
SS. Trinitatis feſtum ex Leodienſi Diœceſi pertranſiit ad viciniores Eccleſias. ibid.
De eodem mentionem facit Durandus Scriptor ſeculi. XIII. ibid.
Idem feſtum inſtituitur in Romana Curia a Joanne PP. XXII. pag. 25. col. 2. in not.
Tudertum urbs Umbriæ. pag. 23. col. 2. in not.
Ibique ope B. Joſephi Calaſanctii a morbo hecticali, & tumore ſcirrhoſo liberatur Maria Conſtantia Caminati. pag. 26. col. 1.
Tuki Raphaelis Epiſcopi Arſenoenos vota in Conſiſtoriis ſemipublicis. pag. 241. col. 2., pag. 246. col. 2. pag. 288. col. 2., p. 293. col. 2. p. 341. col. 1., & pag. 344. col. 1.
Tumore ulceroſo in tarſo pedis affecta Geſualda Maria Pocobello ope B. Hieronymi ſanatur. p. 79. col. 1.
Turcarum obſidione vallata urbs Corcyra liberatur in octava Aſſumptionis Virginis. p. 26. col. 2. in not.
Turonenſe Concilium anno 567. pag. 21. col. 1. in not.
Turtura Auguſtinus laudatus. pag. 42. col. 1. in not.

U

VAliditas Proceſſuum Apoſtolicorum ſuper virtutibus B. Joannis probatur. pag. 3. col. 1.
Aliorum ſuper miraculis probatur. pag. 3. col. 2.
Aliorum ſuper novis miraculis probatur. pag. 10. col. 1.
Validitas Proceſſus Ordinarii in Cauſſa d. Beati firmatur a Sac. Rit. Congregatione. pag. 7. col. 2.
Validitas Proceſſuum Apoſtolicorum ſuper virtutibus B. Joſephi Calaſanctii approbatur ab Innocentio PP. XII. pag. 17. col. 2.
Aliorum ſuper miraculis d. Beati diſcutitur, & probatur. pag. 20. col. 1. & 2., & pag. 21. col. 2.
Validitas Proceſſus Ordinarii d. Beati probatur. p. 16. col. 1.
Validitas Proceſſuum Apoſtolicorum in Cauſſa B. Joſephi a Cupertino diſcutitur, & probatur. p. 29. col. 2.
Aliorum ſuper miraculis d. Beati probatur. p. 36. col. 2.
Validitas Proceſſus Ordinarii B. Hieronymi diſcutitur, & probatur. p. 72. col. 1.
Validitas Proceſſuum ſuper miraculis pro ejuſdem beatificatione probatur. p. 65. col. 1. & p. 76. col. 2.
Aliorum ſuper miraculis pro Canonizatione pariter probatur. p. 79. col. 2.
Validitas Proceſſuum Apoſtolicorum ſuper virtutibus B. Seraphini probatur. p. 84. col. 2.
Aliorum ſuper miraculis d. Beati probatur. p. 85. col. 2.
Validitas Proceſſuum Apoſtolicorum ſuper virtutibus B. Joannæ de Chantal diſcutitur, & probatur. p. 93. c. 2.

Alio-

Aliorum ſuper miraculis pro ejuſdem beatificatione
diſcutitur, & probatur. p. 94. col. 2.
Aliorum ſuper novis miraculis d. Beatæ opera Cardi-
nalis Ducis Eboracenſis diſcutitur, & probatur.
pag. 102. col. 2.
Valentia urbs Hiſpaniæ Tarraconenſis. p. 23. col. 1.
in not.
Valentina puella Vincentia Buada ope B. Joſephi Ca-
laſanctii liberatur a paralyſi crurum. p. 26. c. 1.
Wadingus Lucas laudatus. p. 83. col. 1. in not.
Walterus Epiſcopus Aurelianenſis. p. 19. c. 2. in not.
Venetiæ urbs Venetæ Ditionis caput. pag. 71. col. 1.
in not.
Veneta Reſpublica anno 1571. victoriam ad Echinadas
inſulas de Turcis reportavit. pag. 26. col. 1. in not.
in Veneta Ditione Inquiſitorum munus ſuſtinent Patres
Conventuales. p. 28 col. 1. in not.
Venetiis conſtruuntur Proceſſus Ordinarii pro B. Hiero-
nymo. p. 42. col. 1.
Necnon Proceſſus Apoſtolici ſuper virtutibus d. Beati.
p. 42. col. 2.
Vert laudatus. p. 13. col. 2. in not.
Veſtes damaſcenæ navis principis Baſilicæ Vaticanæ
opus Alexandri PP. VII. p. 348. col. 2.
Veterani Benedictus Aſſeſſor SS. Inquiſitionis fit Car-
dinalis à Clemente PP. XIII. p. 11. col. 2. in not.
Ejuſdem Cardinalis vota in Conſiſtoriis ſemipublicis.
pag. 215. col. 1., pag. 231. col. 1. pag. 262. col. 2.,
p. 278. col. 2. p. 308. col. 1., & p. 328. col. 1.
Vexilla ſex Beatorum appenſa in theatro Canonizatio-
nis. p. 354. col. 1.
Ughellus Ferdinandus laudatus. p. 23. col. 2. in not.,
pag. 31. col. 1. & 2., in not. p. 34. col. 2. in not., p. 71.
col. 2. in not., p. 88. col. 1. in not., pag. 89. col. 1.
in not.
Vicarius Urbis Marcus Antonius Cardinalis Columna.
p. 4. col. 1.
de Viciana Martinus laudatus. p. 23. col. 2. in not.
Vidonus Petrus Epiſcopus Laudenſis in collegium Car-
dinalium cooptatur ab Alexandro PP. VII. pag. 2.
col. 2. in not.
Relator Cauſſæ B. Joannis Cantii. p. 2. col. 2.
Propoſuit dubium de cultu immemorabili d. Beati. p. 5.
col. 2.
Sufficitur in locum Cardinalis Celſi Ponentis. ibid.
Viennenſis Legatus Vitalianus Borromei fit Cardinalis
a Clemente PP. XIII. p. 11. col. 2. in not.
Vimbodini Michael Joannes laudatus. p. 23. col. 2. in not.
de Vita Joannis Epiſcopi Reatini vota in Conſiſtoriis
ſemipublicis. p. 221. col. 1. p. 237. col. 1. p. 268. col. 1.
p. 284. col. 1., p. 316. col. 1. & p. 336. col 1.
Virtutes B. Joannis Cantii ſpeciali indulto Clementis
PP. XII. diſcutiuntur in Ordinaria Congregatione,
& probantur. p. 7. col. 2., & p. 8. col. 1.
Virtutes B. Joſephi Calaſanctii in tribus Congregationi-
bus diſcutiuntur. p. 17. col. 2.
Heroicæ declarantur a Benedicto PP. XIII. pag. 18.
col. 2.
Virtutes B. Joſephi a Cupertino heroicæ declarantur a
Clemente PP. XII. p. 32. col. 2.
Virtutes B. Hieronymi probantur a Clemente PP. XII.
p. 76. col. 2.
Virtutes B. Seraphini in Congregatione Ordinaria di-
ſcutiuntur, & probantur. p. 85. col. 1.
Virtutes B. Joannæ de Chantal declarantur heroicæ a
Benedicto PP. XIV. p. 100. col. 1.
Virtutes Ven. S. D. Joannis Leonardi approbavit Be-
nedictus PP. XIV. p. 14. col. 2. in not.
Viſitationis Ordinis Moniales in parentes recognoſcunt
S. Franciſcum Saleſium, & B. Joannam Franciſcam
de Chantal. p. 91. col. 1. in not.
Idem Ordo Annecii inſtituitur a B. Joanna. ibid.
Viſtulæ flumen Poloniæ prope Cracoviam. p. 5. col. 1.
in not.
Ulcera Antonii Olexovik a B. Joanne Cantio ſanantur.
p. 12. col. 2.
Uranopolitanum in Epiſcopum Chriſtophorum Szem-
bek coadjutorem Epiſcopi Culmenſis propoſuit Epi-
ſcopus Sabinenſis. pag. 205. col. 2.
Urbanus PP. VIII. per decreta SS. Inquiſitionis inhi-
buit cultum publicum exhiberi Dei Servis non bea-
tificatis. p. 28. col. 2.
Signavit Commiſſionem Cauſſæ B. Joannis. p. 5. c. 1.
Mandavit ſtatim fieri Proceſſus in ſpecie ſuper virtu-
tes d. Beati. ibid.
In Cardinalem elegit Antonium Barberinum Ordinis
Capuccinorum. p. 82. col. 1. in not.
Cardinalem conſtituit Franciſcum Mariam Brancatium.
p. 73. col. 1. in not.
In Cardinalium Collegium cooptavit Martium Gin-
netti. p. 15. col. 2. in not.
Urbini Vicelegatus Antonius Branciforte fit Cardinalis
a Clemente PP. XIII. p. 11. col. 2. in not.

X

XYſtum Baſilicæ Vaticanæ ornatum ſtromatibus Ra-
phaelis Urbinatis. p. 348. col. 1.

Z

ZAgarolum Caſtrum in Campania Romana dicitur
ædificatum ſuper Gabii ruderibus. p. 35. col. 1.
in not.
Ibi Maria Magdalena Panaironi a tumore ſcirrhoſo,
aliiſque morbis ope B. Joſephi a Cupertino libera-
tur, qua de re conficitur Proceſſus. p. 35. col. 2.
Zamorenſem in Epiſcopum eligitur a Clemente PP.
XIII Antonius Torge & Galbani Decanus Cæ-
ſaraugustanus. p. 168. col. 1.
Zandadelli Eliſabeth liberatur a colica nephritica, &
violenta febri ope B. Hieronymi per viſum ei appa-
rentis; de hoc miraculo Proceſſus Venetiis conſtrui-
tur. p. 79. col. 1.
de Zelada Franciſcus Xaverius Archiepiſcopus Petren.
Congregationis Concilii a Secretis per Epiſtolam Ro-
mam ad Canonizationem vocavit Italiæ Epiſcopos.
p. 109. col. 1.
Ejuſdem Archiepiſcopi Petrenſis vota in Conſiſto-
riis ſemipublicis. pag. 217. col. 2., p. 233. col. 2.,
pag. 287. col. 1., p. 291. col. 2., p. 311. col. 1. &
p. 330. col. 2.
Zondodatius Antonius Felix fit Cardinalis a Clemente
PP. XI. p. 75. col. 2. in not.

ERRA-

ERRATA.	CORRIGE
Pag. 15. col. 2. gererebat	gerebat
Pag. 15. col. 2. in not. translatur	translatus
Pag. 19. .col. 2. in not. Pagis	Pagi
Pag. 19. col, 2. in not. exiſterit	extiterit
Pag. 22. col. 1. reſcribenbum	reſcribendum
Pag. 24. col. 1. in not. Cæſaræ	Ceſareæ
Pag. 33. col, 2. in not. Venerabilo	Venerabili
Pag. 34. col. 1. in not. Collegio	Collegium
Pag. 40. col. 2. admirandum	admirandam
Pag. 74. col. 2. in not. conſulamur	conſulamus
Pag. 114. col. 2. ſlagellu	ſlagello
Pag. 167. col. 1. redie	redire
Pag. 177. in notis MDCCXXII.	MDCXXII.
Pag. 210. col. 1. Sanoctrum	Sanctorum
Pag. 220. col. 1. in tit. Tarſis	Tarſi
Pag. 252. col. 2. duo	duos

A01 1170455

Digitized by Google

EXCUDEBAT . ROMÆ
PAULUS . JUNCHI . KOMAREK . ROMANUS
TYPOGRAPHUS
PROVISOR . LIBRORUM . BIBLIOTHECÆ . VATICANÆ
IN . PLATEA . SS. XII. APOSTOLORUM
ANNO . A . VIRGINIS . PARTU . MDCCLXIX.
SEDENTE
CLEMENTE . XIV. PONT. OPT. MAX.
PONTIFICATUS . EJUS
ANNO . I.

131
k
5

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google